DE MORIENTIUM ELEEMOSYNIS.

R.P. CYRILLI
RUBEI
BERGOMATIS,
MINORITÆ CAPUCCINI
PROVINCIÆ BRIXIENSIS,
Sacræ Theologiæ Professoris,

DE MORIENTIUM ELEEMOSYNIS;

IIS NEMPE,
QUÆ FRATRIBUS MINORIBUS S.P FRANCISCI
Regulam, ad literam, profitentibus interdùm in ultimis voluntatibus legato, fideivècommisso præstandæ relinquuntur, præsertim annuatim, & in perpetuum;

CONSILIUM UNICUM
JURIDICO-MORALE,
TRIBUS ARTICULIS ABSOLUTUM;

CUI ACCEDUNT, EJUSDEM ARGUMENTI, totidem Casus, yque facti, non ficti:

QUIBUS OMNIBUS MATERIA HÆC, (JUXTA PRÆSERTIM Declarationes NICOLAI III & CLEMENTIS V ac S. BONAVENTURÆ Doctrinam;) obiterque omnes aliæ in Oeconomia Minoricæ Familiæ apprimè scitu dignæ enucleatiùs ad altissimæ Paupertatis amussim exhibentur.

LUGDUNI,
In Officina ANISSONIANA,
Sumptibus D. Francisci Morandi.
M. DC. LXXX.

R E G I

SÆCVLORVM

IMMORTALI, & INVISIBILI,

S O L I

DEO OPTIMO,

M A X I M O,

PATRI LVMINVM

& omnium Largitori Bonorum;

BEATISSIMÆ AC GLORIOSISSIMÆ,
SEMPERQUE VIRGINI
Immaculatè Conceptæ

DEI MATRI MARIÆ,

SERAPHICISQUE PATRIBUS

FRANCISCO, ac BONAVENTVRÆ
Intercedentibus.

Opus istud acceptum refert, commendatúmque remittit

F. CYRILLVS A BERGOMO
Minorita Capuccinus.

PRÆSENTIS OPERIS SCRIBENDI FACULTAS *ab Auctore obtenta, juxta Ordinis sanctiones; quippè cum illud circa Minoricæ Regulæ materiam versetur.*

Mto. Ven. Padre.

SIa lodato N. S. - Se la P. V. vuole dare perfettione all'opera abbozzata, *de Morientium Eleemosynis*: como mi scrive, Io ne sono contento, & le do la mia benedittione, & insieme me ne resto, col salutarla caramente, e con raccommandarmi alle sue Orationi, Roma li 7. Febraio 1670.

F Bonaventura Proc. e Vic. Generale.

CENSORUM JUDICIA A REVmo. PATRE *Generali, pro imprimendi Operis facultate concedenda petita.*

I.

QUæ luculentissima methodo *Consilio unico de Morientium Eleemosynis*, subtiliter scripsit R. P. Cyrillus à Bergomo nostri Ordinis Concionator, & jam Sac. Theolog. Lector, nunc autem Guardianus dignissimus in Provincia Brixiensi, sapiunt spiritum Seraphicum, omnia conformantur Decretis summorum Pontificum, & abundantissimo Sac. Theologiæ, sacrorum Canonum, & imperialium Legum, necnon, & Recentiorum Doctorum thesauro redundant, ita ut de ipso optimo, & benemerito Seraphicæ Religionis thesauro dici jure possit, quòd de thesauro suo protulit, & nova, & vetera. Abundat area ejus Sapientiæ magnis Doctrinarum segetibus, quas *in appendice practica* colligere licet, ita ut in ejus abundantia sit virtus. Optimum, dignissimum, & utilissimum Opus censeo, magno pretio habendum à Professoribus Altissimæ Paupertatis Evangelicæ, quam profitentur Minores Capuccini. Nil contra Orthodoxa Sacrosanctæ Fidei Decreta, nil contra bonos mores continet, nullique Censuræ obnoxium; ac ideò Typis dignum censeo, & attestor. Idque sponte, lubensque affirmo, postquam illud de mandato Reverendissimi Patris Stephani à Cæsena nostri Ordinis Ministri Generalis accuratè perlegerim, & expenderim. Mediolani in nostro Conv. S. Victoris *die 4. Octob.* 1675. Ego Fr. Alexander à Grabedona jam S. Theolog. Lect. & Sacr. Canon. Legumque Imper. Professor, Definitor, & Guardianus Capuccinus affirmo ut suprà.

I I.

CUm infra scriptus de mandato Reverendissimi Patris Stephani à Cæsena nostri Ordinis Ministri Generalis meritissimi, Opus, cui titulus est: *De Morientium Eleemosynis*: à R. P. Cyrillo à Bergomo ejusdem Ordinis Concionatore, & Guardiano, & olim in suamet Brixiensi Provincia S. Theol. Lectore elaboratum, accuratè discusserim, & perpenderim; non solum in eo nec quidquam, quod vel Ecclesiasticis Sanctionibus, vel Orthodoxæ Fidei, sive Christianis Moribus dissonum videretur, occurrit, ita ut, quòd in publicum prodeat, existimem meritissimum: Verùm (quod mihi maximum attulit delectamentum) tantum sublimitatis In sensibus, ponderis in authoritatibus, roboris in rationibus, ac in sacris Canonibus, alijsque legalibus statutis tùm Veteribus, tùm Recentioribus experimenti animadverti, ut universos Sapientiæ Thesauros unico collegisse videatur. Neque obolum opulentissimo huic Operi *de Morientium Eleemosinis*, emendicare fas erit, quod Professoribus maximè Altissimæ Paupertatis, quam profitentur Capuccini, non solum abundantiæ opes, in qua Virtus ejus sapientiæ est, elargietur uberrimas: sed & multorum vivificabit Ingenia. Prodeat igitur tanto Auctore dignum Opus, quod erit (meo accedente judicio) & ad Literariæ Reipublicæ splendorem, & ad seraphicæ nostræ Religionis utilitatem, & ornamentum. In quorum fidem mea manu subscripsi in nostro Conventu Ticini *die 9. Octobris, anno* 1675

Ego Fr. Ignatius à Cremona Lector S. Theolog. in conventu prædicto.

ã 4 III.

III.

CUpiens Auctor suum istud Opus usquequaque exquisito censeri examine, quoad ea præsertim, quæ ad Doctrinam attinent Legum, & sacrorum Canonum, (sic approbante Reverendissimo ipso P. Generali; prout in ejus literis Romæ datis sub die 28. Decembris 1674. & sub die 2. Januarij 1675.) illud subiecit Censuræ Illustrissimi Domini Caroli Casali Equitis, Egregijque I. V. D. ex Collegio Dominorum Juristarum Bergomi, rogans eum, ut super quibusdam particularibus ejusdem Operis punctis peculiarem adhibere dignaretur animadversionem. Id, quod ille, pro sua eximia humanitate, lubenter præstitit, Opusque examinatum cum Epistola, & Approbatione, Auctori remisit.

EPISTOLA.

Mto. Rev. Padre, & Sig. mio Osservandissimo

IO son stato poco di parola, lo confesso; e se basta la confessione del reo per conseguire la gratia, io la merito. Dovevo con più velocità compire la lettura del libro, e dovevo capitar fuora, come ne havevo data l'intentione. La lettura è compita, ne jo hò havuto à far altro che commendarè l'Opera, ed encomiar l'Autore.

Sopra li motivi dalla P. V. fattimi in voce jo non hò saputo conoscer cosa, che basti à far obietto, & ad impedir al libro il corso à quella gloria, alla qualleè destinato. Hò fatto cio, hò stimato conferente all' attestatione ricercatami, ne mi son diffuso in lodi, ò panegirici ò dell' Autore, ò dell' Opera; poiche à me non piacciono usati in tal' occasione; essendomi contenuto nella nuda, è semplice verità: Tuttavolta, se la desidera più diffusa, e prolissa, commandi, che sarà servita; perche jo non hò verun' altro riguardo, oltre all' accennato. Jo addimando il perdono della dilatione. Bergamo Carlo Casale.

APPROBATIO.

OPus, cui titulus: *De Morientium Eleemosinis &c.* per adm. R. P. Cyrillum de Robeis Concionatorem, & Sac. Theolog. lectorem, Capuccinorum Religioorm profitentem confectum, sedulò, & accuratè legendo, (sic approbante, ratumque habente Reverendissimo P. Stephano à Cæsena ejusdem Ordinis ministro Generali) Virtutem, Elegantiam, ac eruditionem inveni; auctoritates tam legales, quam Canonicas propriè ac mirabili usu adhibitas observavi; &, si, ut ad tanti Operis judicium accederem vocarer, ipsum elegans, ipsum notabili, ac eximiâ Doctrinâ plenum, ipsum Seraphicæ Paupertatis tuendæ zelo redundans, ipsum proindè prælo, typisque dignum, atque eidem Religioni ad sedandas difficultates, & controversias perutile, atque honorificum ulla absque hæsitatione affirmarem. Bergomi 3. Maij 1675.

Carolus Casalus I. V. D. ex Collegio D.D. Juristarum Bergomi.

IMPRIMENDI OPERIS FACULTAS A REVERENDISSIMO PATRE GENERALI CONCESSA.

CUm Opus, quod inscribitur: *De Morientium Eleemosynis*: à R. P. Cyrillo à Bergomo nostri Ordinis Prædicatore, & Sac. Theolog. jam lectore compositum, duo ejusdem Ordinis sapientes Viri recognoverint, atque in lucem dari posse probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, si & ijs quibus id competit, ita placuerit.

Dat. Romæ 20. Februarij 1676.

Loco ✝ Sigilli.

Fr. Stephanus Minister Generalis.

APPROBATIO.

HAnc de Morientium Eleemosinis & paupertate Minorica Quæstionem tractarunt bene-multi, licèt non tam benè multi: Alij namque laxiorem, strictiorem alij viam sequuti; utrique vel excessu, vel defectu à scopo sibi proposito aberrarunt: Nam qui non est in orbita, est extra orbitam. Multi itaque currunt, sed unus bravium accepit; nempe R. Pater CYRILLUS Rubeus Minorita Capuccinus Sacræ Theologiæ Lector Emeritissimus atque Eloquentissimus; Mediam ipse, tutissimámque BONAVENTURA Duce semitam reperit, quæ ducit ad Veritatem. Quod ad utramque Jurisprudentiam spectat, Opus istud singulari eruditione refertum esse, nemini, qui legerit, ambigere licet; inveteratum de caducitate legatorum Minoribus relictorum errorem planè ac plenè discutit, dúmque Morientium votis, Gravatorum conscientiæ, Legatorúmque necessitatibus, plurima sacrorum Canonum & legum supellectile adducta satisfacit, Doctorum omnium oculis oblectationi & utilitati fore censeo Lugduni Idib. Julij 1680.

Nicolaus Antonius
Lotharingus I.V.D.

LECTOR

LECTOR BENEVOLE.

DUO sunt, quæ in ipso Opellæ istius meæ vestibulo me tecum præfari oportet, ne de me, vel de ipsa minùs benignum judicium è vestigio pronuncies. Siquidem in primis vereor, ne abs te, pertenuis meæ forsan facultatis conscio, impudentiæ, ac temeritatis nota mihi inuratur. Quomodo enim, inquies, propositum *de Morientium Eleemosynis* (quod est dicere *de Legatis*) subjectum enucleandum promittis, & aggrederis, qui à Foro, & Prætorijs, à Juristarum Subsellijs, Rostris, Curijsque quorum non nisi Jurisprudentiæ apicibus hujus materiæ nuclei aperiri queunt, procul exulare profiteris? Aut qua fiducia docere alios præsumis, quæ tu vix didicisti? Illud etiam deindè suspicor te mihi illicò objecturum. Quid porrò novi hac tua nobis lucubratione proponis? Rem sanè antiquam; ab innumeris pene ex omni statu, & professione Scriptoribus non pietate solum, sed insuper doctrinâ præstantissimis pertractatam, Tu, qui nullo inter eosdem ordine censeri promereris, fastidiosa, rudique repetitione recantas, opesque alienas, tanquam tuas, superbo ostentas, venditasque mendacio; quasi vel spondeas, aliquid abs te in hoc subjecto præstitum iri, quod illi non præstiterint; intelligendum, quod non intellexerint; dicendum quod non dixerint.

Atque hæ sunt voces, quibus me abs te, candide Lector, crisim fortè passurum, sugillandumque præsentio, meumque isthunc laborem, quasi & temere, & frustra fuerit à me susceptus, convellendum. Veruntamen quæso, ut hic primùm pro tuamet humanitate me audias, dein pacatus ipsam, sis, legas Opellam, priùsquam vel de me, vel de ipsa sententiam feras, in memoriam revocans prudens illud monitum Celsi I. C. expressum *L. 24. ff. de Legibus* hisce verbis: *Incivile est nisi tota Lege Perspecta, unâ aliquâ particulâ ejus propositâ, judicare, vel respondere.* Pro quo facit & quod habetur *in L. Argentarius: §. edi: ff. de edendo:* Non posse scilicet rationem intelligi, nisi à capite inspiciatur. Expende igitur, quod ad primam attinet objectionem, excusationem meam; pensita, quod ad secundam, Opellam ipsam, & tunc denique animi tui sensum proferas, quem malueris.

Quod ideò primo loco objectum est, non aliter diluere mehercle possum, quam ingenuè fatendo, mihi penitus ex mea Professione, ac statu interdictum, Curijs me aut litigiosis functionibus Juristisve in Foro actitantibus immiscere; vel Jure ipso Canonico id mihi inculcante; (*Clementina Exivi: § Proinde: vers. Amplius: & Clement. Ne in agro: §. Qui vero: de statu Monach.* & ibi Gloss.) meque vix aliam evolvendorum sacrorum Canonum, Codicumvè, aut Digestorum, cæterorumque cùm Pontificij tùm Cæsarei Juris Librorum praxim habere, (quæ tamen quàm mihi exilis, fereque nulla sit, probè scio, & fateor) quàm eam utique, quæ mihi ex occasione hujus eventilandæ materiæ, aliarumque nonnullarum consilij gratiâ exhibitarum, reliqua facta est. Id, quod mihi, intra Claustra, sicut & alijs Monachis, & Religiosis, nequaquam vetitum (Leges nimirùm non Pontificias tantum, sed & Cæsareas inspicere, & earum intellectum addicere, ad occurrentes consciæ tuæ casus solvendos) aut per Alexandrum III. *in Concilio Turonensi,*

cap.

cap.non magnopere per Honotium III. *c. super specula* : *Extra, ne Clerici, aut Monachi sæcul. negot. se immisc.* neque indecorum ; sed laudabile affirmat Layman *lib.* 1. *tract.* 4 *& cap.* 8. *num.* 9. immo necessarium ostendit Navarrus *in cap.* 1. *§. Caveat : num.* 9. *& seqq. de Pœnitent.dist.*6. & notavit etiam Abbas *in d. cap. super specula in fine:* & alij. Ea propter discentem discipulum, & me ipsum erudientem, dum scribo, non docentem Magistrum, me profiteor: nam mutuò ista fiunt ; ut nimirum dum docent homines, discant, aut saltem peritiores fiant ; juxta versus, quos refert Gloss. *in L. artifices: C. de excusat. artific. lib.* 10. & Abbas *in Proœm.* 1. *Gregor. in* 2. *col.*

Discere si quaris, doceas ; sic ipse doceris :
Nam studio tali tibi proficis, atque sodali.

Neque pigebit me (ut & verbis loquar D. Augustini *Ep.* 7. *ad Marcellinum*) sicubi hæsito, quærere ; sicubi erro, discere ; ac proindè quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum ; ubi pariter hæsitat quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me ; ubi meum, revocet me. Et meminerit, Legalem scientiam esse infinitam;quod non ita contingit in alijs Artibus,*argum.L. neque leges: & l. non possunt, ff. de Legib. & Senatusconf. & l.* 2. *§. sed quia : C. de vet. Iure enuncle.*) infinitam, inquam, non quoad jus in scriptis redactum, siquidem hoc habet caput, seu principium & finem : sed quoad Juris æquitatem, (*In Proœm. Instit* §. *cumque in fin.* & ibi Gloss. & *in l.*2. *ff. de juris, & facti ignorant.*)dignoscendam scilicèt in dijudicandorum casuum contingentia, quorum sive possibilium, sive futurorum nulla apud homines extat determinata veritas, aut forma.

Ad illud etiam quod secundò objicitur, sanè item fateor, rem antiquam à me proponi ; quæstionem scilicet ab incunabulis Seraphicæ Familiæ excitatam; scioque non unam sed plures esse Doctorum ; ut ita dicam, miriades de ipsa agentium : simul tamen aliquid novi promere de mea Minerva profiteor, modum nempè germanum dissitarum adeò sententiarum, in ea resolvenda occurentium, conciliandarum,quem hactenùs Doctorum nemo plurimorum, quos perdius, pernoxque lectitando consului, mihi expressit:tametsi fortè ipsorum plerique eundem reapse noverint,atque adeo in suis scriptis insinuare voluerint;qui tamen,subobscurè admodum præstiterunt ideò perperam à nonnullis aliis intelliguntur, exponuntur, recensentur, haud absque Veritatis præjudicio; quin & cum eorumdem censura, & sugillatione.

Hanc itaque Opellam meam non omninò inutilem, neque frustraneam, aut sine pretio reor : siquidem in rebus dubiis & controversis, qui distinguit proximè accedit ad scopum veritatis : Surd. *decis.* 58. *num.* 5. vbi sic concludit : Tenenda autem est opinio quæ concordat distinguendo contrarias sententias , ut post alios Beroas *cons.*100. *num.* 3. *vol.* 1. Socin. *cons.*66. *num.* 28. *vol.*1. Ripa *in l. ita stipulatus, num.*6. *ff. de verb. obl.*Osasc.*decis. Pedem.* 162. *num.* 8. Neviz. *in sylu. nupt. lib.* 5. *num.*32. quas authoritates cum alijs similibus etiam allego *in* 2. *Casu* , §. 6. *num.* 3. *Opellam* voco exilitatis ingenij mei conscius. *Meam* appello,Deo tamen dante;unde nec glorior, quasi non acceperim. *Meam* , inquam ; quia, etsi plerasque alienas opes in ea profeream, non eas tamen vendito, tanquam meas ; sed eatenùs tantum ascisco, quatenùs tenuitatem meæ facultatis, authoritatisque suffulciunt, singulas singulis suis dominis, ne quis de repetundis me arguat, fideliter tribuens ; quorum tamen Nomina meo gaudeo succenturiare. *Meam*, inquam , utpotè quam edere intendo, non ut merè Scriptor ; scribendo scilicet alienam materiam, nihil addendo, vel minuendo ; neque ut *Compilator*, scribendo scilicet aliena , & addendo , sed non de meo; neque ut *Commentator*, scribendo scilicet & aliena , & mea , sed aliena, tanquam principalia, mea autem tanquam annexa , ad evidentiam; sed verè scripsisse intendo, Deo auspice, comiteque ut *Auctor*; (secundùm doctrinam sancti Bonaventuræ *quæst.* 4. *Prologi in libros sentent.*) scribendo scilicèt & aliena ; sed mea tanquam

quam principalia, aliena tanquam annexa, ad confirmationem. Firmamenta siquidem mea non pauca nova prorsùs pono, quippè quæ recens ego profero, atque huic materiæ primus adapto; aliena discutio, quà refutans, quà acceptans: dein meas altruo Conclusiones, pro ut lectio tibi monstrabit, sicque tibi profero, Lector si lubet, candido, quo nites, animo excipere, de exili thesauro meo nova, & vetera. Nemo etenim alius, quod sciam, hanc Spartam hactenus ita ex professo, ut ego, sibi adornandam putavit; nemo hujusmodi argumentum ita medullitùs, quemadmodum molior ego, operæque pretium est, emedullavit.

Neque ignoto, ut sunt varia Lectorum ingenia, ita non ab omnibus probatum iri Auctorum non tantùm nomina à me appellati, cum Veterum, tùm Recentiorum, sed ipsa quoque eorumdem verba frequenter referri, describique quasi inopiæ meæ argumentum apertum sit, tam sæpe aliena obtrudere; neque obscura satiscentis intelligentiæ confessio, tàm crebrò stipem ab aliis emendicare. Verùm ego, sicuti facile indulgeo cum Apost. Paulo *ad Rom* 14 ut unusquisque in suo sensu abundet; ut suum scilicet cuique pulchrum videtur, qua quisque opinione imbutus est semel, eam constanter tueatur, ita clarè denuncio, me in contrariam prorsùs, quoad hoc, libentissimè abire sententiam, cum Alberto de Albertis *in Præfatione ad sua Paradoxa Moralia de ornatu mulierum*: cujus utique vel ipsa verba inpræsentiarũ usurpare libet, pro æquitate hujus placiti indicanda. Cum enim crebrò doctores sæpenumero inter se actitet certare, mutuoque se se invadentes expostulare, quod vel sua ipsorum, vel cujuspiam alterius opinio minus fideliter exposita sit, aut relata, sed variata, aucta vel imminuta, amplificata, aut truncata, multisque centonibus in medium allatis ex propriis utrinque monumentis complures paginas operosè infarcire, frustraque occupare, neque ullo alio quàm laboris, ac temporis inaniter consumpti operæ pretio, quo tandem scilicet Lectori persuadeant, sibi aut alteri factam injuriam: Ego sanè ut omnes has contestandi, litigandique ansas, quoties aliquod controversandi periculum imminet, omnino præcidam, soleo ipsissima Auctorum uerba fide germanissima de industria repræsentare, oculisque Lectoris subjicere: ubi verò nihil talis discriminis ingruere videtur, quoniam præcipuas in, de quo scribo, subjecto difficultates, nonullasque alias incidentes passim quæstiones ab aliis præclarè enodatas animadverto; alienis ideo verbis jure optimo identidem in his quoque uti malo, quàm meis, necesséque prorsùs duxi ea usurpare, ut Veritates ab aliis jam probè (quod ad meum attinet intentum) exploratæ, Operi quod ego molior, famulentur. Eo vel maximè quod nullo etiam negotio Lectori indè constat, quid alij ædificare cæperint, & quousque processerint; quid autem à me insuper extructum, additumque sit. Neque ego profectò lauream ullam hoc in Mustaceo mihi quærendam duco, ut Auctorum sententias alijs reddam verbis, quasi curtæ alioqui, & perangustæ latinitatis suspicione, nisi totidem alia meo de penu vocabula appendam, extemplò laboraturus. Habeat enim sibi, quicunque vult, hanc palmam, & gloriam, ego certè, nec ambio, nec invideo; facileque, ut reor, ab humano Lectore impetrabo, ne putet, tàm malignam styli facultatem mihi suppetere, ut nequeam si coner, eandem orationem alia verborum specie conformare. Cæterum, si quæstio, punctusvè occurrens commodè ab alijs, si distinctè, si accuratè explanatur, quid, rogo, attinet, cum alijs verbis, aut jejuniùs, quàm par est, aut copiosiùs, quàm opus sit, aut secùs, vel deteriùs, quàm res ferat, ac postulet, vertere? Quid quod sæpenumerò verba ipsa Doctorum, ut de genuino eorum sensu nullus sit altercandi locus, singulatim repetere necesse est? Mihi sanè ita placet; placeat alijs, ut malunt; & unusquisque in suo sensu abundet, ut supra ex Apostolo indultum est; & ut ex *Persio* insinuat Gloss. *in l. Barbarius: ad V. multo magis ff. de officio Prætoris* hisce versibus:

Mille

Præfatio Ad Lectorem.

Mille hominum species, & rerum discolor usus;
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Neque verò idcircò facturum me reor contra sententiam Navarri *in Præludio ad Tract. de redit. Eccles. num.* 32. ubi à nimia, & inutili allegatione textuum, glossarum, dictorùmque Auctorum agglomeratione abstinendum insinuat, & sibimet, proponit. Nam id ad unguem duntaxat præstabo, quod & ipse Navarrus *ibid. in fin.* se præstiturum *in eo tractatu* profitetur, hisce verbis, quæ proindè libens per os meum assumere in præsentiarum gestio. Quamobrem enitar, (inquit ille) quoad ejus fieri poterit, & propter morem eorum, qui numero magis, quam sententiarum ponderi deferunt, confirmare, quæ dixero, Canonibus, Legibus authenticis, & in earum Glossis, Classicisque, & receptioribus (quorum copia ubique est, & auctoritas illustrior) Auctoribus; interdum tamen, præsertim cùm argumenta utriusque partis æque, vel quasi urgentia videbuntur, & cùm res postulaverit, debita cum observantia, ad Recentiorum cumulationes recurrendo, maximè cum ab eis primùm speciatim res ipsa tangitur.

Hujus porrò (ut & hoc noveris, atque intentionem scribentis) incundæ lucubrationis ea fuit occasio. Scripsere de hoc ipso argumento, & quidem egregiè, duo ex nostra Congregatione illustrioris notæ, illibatæque observantiæ Theologi, qui tamen in suis Assertionibus contrarij sibi invicemè regione extiterunt. Hinc, cum tantorum Virorum Nomen, auctoritas, pietas, doctrina, zelusque ingentis mihi ponderis, ut par est, ex una parte fecerit uniuscuiusque sententiam, maximique ex altera pendenda materia sit, circa quam illæ versantur, diutina, studiosaque trutinatione usus sum in iisdem librandis, ut si tandem assequi id potuissem, dijudicarem, utra utri apud me Veritatis pondere prægravaret. Post nullum itaque non motum lapidem factum est, (opitulante Deo, quem terque, quaterque rogavi, ut doceret me hanc Veritatem) ut pari utramque sanè intellectam, Veritatis, rationumque pondere gravem mea lance invenerim. Placuitque datum hunc mihi à Deo Optimo Maximo tandiu optanti sensum scriptis editum (de superiorum licentia, & benedictione) dicere ex sententia, non ut tantæ auctoritatis, ac sapientiæ Viris, quorum non sum dignus sandaliorum corrigias osculari, me pusillum, nulliusque eruditionis homunculum, hac de re iterum differendo, intermiscerem: (novit Deus, quòd haud mentior) sed ut, siquis cum eo Sapientiæ, ac Veritatis spiritus in me invocantem venisse, Deo ipso largiente, contigerit, hunc meis præsertim in Christo Fratribus sine invidia communicatum relinquerem, & honestatem illius non absconditam.

Jam verò & typis edita mea hæc lucubratio ampliorem prodit in lucem; & tibi sistitur. Qualis ea cumque sit; Tu eam, quisquis es, æqui, rogo, bonique consulens serena excipe fronte: & si quid boni, Veritati consonum, tibique arridens in ea deprehenderis, in Deo mecum, omnium largitori bonorum acceptum referas, si quid verò minùs gratum, tuo minus dignum ingenio offenderis, saltem cum venia dissimules, quia (ut benè D. Hieronymus *Comment. in Ioan. circa fin.*) carpere, & detrahere vel imperiti possunt; Doctorum autem est, qui laborantium novere sudorem, vel lassis manum porrigere, vel errantibus iter ostendere. Quod si absre obtinere minime possim, & animam tuam nauseare dicas super cibo isto levissimo, (quem tamen non ut Manna tibi exhibeo) certè nil aliud audies ex me, quàm illud ejusdem D. Hieronymi: (*Epist.* 50. *seu Apologia ad Pammachium cap.* 8.) Aut profer meliores epulas, & me convivâ utere; aut qualicumque nostra cœnula contentus esto. Vel illud cujusdam Poëtæ:

Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

CARDINA

CARDINALIUM
Articulorum, Casuumque Elenchus, quibus absolvitur præsens Consilium.

ARTICULUS PRIMUS.

AN Fratres Minores sint capaces legatorum præsertim verò annuorum, etiam perpetuorum; quorum etiam, & quomodo; conditione, seu Professione, & statu suæ ipsorum specialis Paupertatis consideratis.

ARTICULUS SECUNDUS.

An, & quomodo protestari teneantur Fratres Minores Hæredibus, vel Gravatis, Executoribusvè Testamentarijs, cùm Legatarios sese noverint institutos. An scilicèt, Quando, seu in quibusvè, terminis, seu verbis declarare se debeant cum prædictis personis circa Legata, præsertim annua, atque perpetua pro se ipsis facta.

ARTICULUS TERTIUS.

An legatum annuum rei mobilis, etiam perpetuum, pro Fratribus Minoribus relictum, simpliciter gravando Hæredem; ab ijs tamen minimè acceptatum, hoc est acquisitum civiliter, quemadmodùm in præcedentibus Articulis explicatur: solvendum nihilominùs adhuc sit ab Hærede, vel gravato; atque ita solvendum, ut Hæres ipse, vel gravatus teneantur obligatione, non politica; vel civili, & in foro conscientiæ, illud iisdem Fratribus Minoribus signatim præstare, juxta ordinationem Testatoris; atque an Fratres ipsi possint illud absque ulla suæ ipsorum specialis Paupertatis, & status prævaricatione, accipere cum moderaminibus requisitis; nec ne.

CASUS PRIMUS.

Lentulus Pater habens Filium Professum inter Fratres Minores Capuccinos, cessu uti vitâ testatur, mandatque Hæredi suo, ut certam Eleemosynam in singulos annos præstet Fratribus ejus Conventus, de cujus gremio, seu familia pro temporum vertigine fuerit Filius suus prædictus, donec vixerit; quo tandem vitâ functo, declarat suprimam suam mentem eam esse, ut eadem eleemosynæ per prædictum Hæredem tali determinato Conventui eorumdem Fratrum quotanis in perpetuum exolvatur. Quæritur, An quod ex vi talis ordinationis testamentariæ hujusmodi respectivè Conventuum Fratribus exhibetur, possit ab ipsis, salva eorumdem Professione annuatim accipi, secundùm moderamina requisita.

CASUS ALTER.

Dominus Joachim, dum viveret, curavit singulis septimanis in certo sacello Legi Missam unam per Capuccinos; quibus propterea dedit hebdomadatim Eleemosynam carnis aut pis-

cium. Ut eadem Miſſa poſtmodùm perpetuo diceretur, moriens teſtamento firmavit, aſſignans celebranti annuatim viginti Florenos, cum his conditionibus,

I. Ut hujus fundatio nulli unquam alteri Beneficio incorporetur.

II. Curatores hujus fundationis curent, quantùm fieri poteſt, Miſſas illas legi per Capuccinos; quibus idcirco detur Eleemoſyna, prout ipſe Teſtator conſueverat vivens, pro rata pecuniæ, quæ Miſſis illis aſſignata eſt.

III. Quod ſi Capuccini Miſſas tales nolint, aut nequeant dicere, Magiſtratus conſtituat alium, ſeu alios Sacerdotes exemplaris vitæ, qui eas perſolvant.

IV. Applicatio Miſſarum ſemper fiat juxta Fundatoris intentionem.

Quæritur, Quid in præfato Caſu Capuccinis liceat.

Acceſſit quoque

CASVS TERTIVS

Ejuſdem Argumenti, de cujuſdam Morientis Eleemoſyna, vel Legato, extra tamen Fratres Minores, cujus Facti ſpecies initio proponitur.

PARAGRAPHORUM OMNIUM, QUIBUS Cardinales hujus Operis Articuli, Casusque partiuntur, Indicium.

ARTICULI PRIMI

ARTICULI SECUNDI

ARTICULI TERTIJ

CASUS PRIMI

CASUS ALTERIUS

CASUS TERTIUS.

PROLEGOMENON,

QVO

SCRIBENDI OPERIS, EIUSDEMQVE

dividundi, simulque excitandarum in terminis, quibus per singulos Articulos proponuntur, cardinalium quæstionum ratio demonstratur.

BENEDICTUS XI. *in Extravag. Inter cunctas: de Privilegijs,* post exemptos §. *Porrò*: Fratres Prædicatores, & Minores ab omni Canonica portione, etiam Episcopali, super quibuscumque relictis eis factis per ultimas decedentium voluntates; §. *Circa tertium* hæc subjungit, rationem reddens, notabilia, eaque ipsissima verba

Circa tertium vero Articulum diligenter intelligant, quod Fratres ipsi hoc per Privilegia Romanorum Pontificum eis benignè concessa, ante Constitutionem eandem hactenùs habuerunt. Quodque sunt pauperes, nil habentes singuli in communi, rustica prædia, immò nec urbana, vel mobilia, eorum alteri, vel etiam universi mendicant victum, quærunt vestitum, & eatenùs sustinere possunt, quatenus vel vivorum pietas, aut Morientium Charitas eis necessaria subministrat. Quis ergo non misereatur eorum, qui omnia, voluntatem habendi etiam reliquerunt? Quis non compatiatur eisdem operantibus tàm utiliter in agro prædicto? (scilicet Ecclesiæ.) Certe nullus, nisi qui triturantis bovis os impiè alligare velit, aut eos, subtractis alimentis, necare. Inopes patrimonij onera ipsa non habendi necessitate non sustinent, & à Curialibus res Ecclesijs, vel pijs locis donatas, à Quartæ præstatione, seu lucrativorum inscriptionibus Lex facit immunes. Relicta pauperibus non patiuntur Falcidiam. Et legata ad fabricam, vel pro ornamentis Ecclesiæ, aut ad Divinum cultum perpetuum, solutioni non subjacent Canonicæ portionis. Pauperes autem (ut dictum est) sunt Fratres: & quod eis relinquitur, aut in sua alimenta erogant, aut in fabricam, sive in cultum Divinum, & Ecclesiæ ornamenta convertunt. Propter quod Nos, qui debemus intelligere super egenum, & pauperem, & non oblivisci eorum; cum humanitatis sit etiam secularis Principis, prospicere egenis, & dare operam, ut pauperibus alimenta non desint; non tàm piè, quam quodammodo justè in eodem Articulo egimus, egenos eosdem (ut præmittitur) reddendo ab onere Canonicæ portionis exemptos. Hactenùs ille Pontifex.

Premo illa verba: *Et eatenùs sustinere possunt, quatenus vel vivorum Pietas, vel Morientium Charitas eis necessaria subministrat.*

Atque hinc in primis colligo Operis Inscriptionem: *De Morientium Eleemosynis.* Legata siquidem, vel decedentium relicta nil aliud reipsa sunt, si ad pias causas fiant, quam Morientium Charitates sive Eleemosinæ à Morientibus missæ. Qua in re præ zelo offendunt (ne dixerim scandalizantur) multi etiam ex Nostris, plusæquo abhorrentes à nomine *Legatorum*. Sed zelus decipit, quem modus

modus non condit, ut optimè ait Hugo *ad cap. 7. Reg in fine.* Morientium igitur Eleemosynæ, vel Charitates, in *utroque Iure* vocantur Legata pia: ac proindè quæ Fratribus Minoribus relinquuntur, sunt Morientium Eleemosinæ, sive Eleemosinæ à Morientibus missæ: sicut & alia omnia, quæ ad pias causas à Morientibus eroganda ordinantur. Quare, quocunque nomine nuncupentur,

Inde etiam, sicut ex *toto contextu ejusdem Paragraphi, & præcedentis*, colligo secundò, Fratres Minores esse capaces Eleemosynarum Morientium nempè à Morientibus missarum; (quemadmodum & Eleemosynarum ex Viventium pietate delatarum) quod est dicere Legatorum saltem aliquorum, & aliquo modo, ut putà de facto, & titulo Charitatis, & Eleemosynæ, sin minus de jure, & titulo Legati civiliter acquisito; quatenusque illorum indigent subsidio ad sui sustentationem, & ad alia, quæ à prædicto Pontifice exprimuntur. Cumque eorumdem Fratrum indigentia prædicta possit esse, immò de facto sit, ut potè nil habentium, etiam in communi (ut loquitur idem Pontifex) diurna, menstrua, annua, perpetua; ob id cardinalis primi Articuli, atque adeò totius Operis Quæstio hisce terminis excitatur: *An, Quorumnam, & Quomodo Legatorum, præsertim annuorum, etiam perpetuorum, sint capaces Fratres Minores, attenta sua ipsorum speciali Professione, ac Statu Paupertatis.*

Cumque iterum Minoricæ, ejusque Altissimæ Paupertatis Professio, ac status talis sit ut de facili lædi possit, non solùm in quærendis, sed etiam in spontè oblatis percipiendis Eleemosynis, præsertim pecuniarijs, (quibus utique per Nicolaum III. *in cap. Exijt: §. Adhæc quia: de verb. signific. in 6.* comparantur in omnibus, & per omnia, quoad cautelas, & moderamina adhibenda, Eleemosynæ legato relictæ) nisi cautelæ ipsæ, & moderamina requisita diligenter observentur: Hinc exquirendum sequitur, quod in principali titulo *secundi Articuli* quæritur, *circa modum* scilicèt, *quo se gerere debent prædicti Fratres, ut cautè, & sine offendiculo incedant, cum hujusmodi Eleemosinæ Morientium, vel Lagata denunciata sibi fuerint, vel delata.*

Denique & illud exindè necessariò quærendum fuit, de quo est *tertij Articuli* præcipuum institutum: nempè *de obligatione Hæredum, Executorum, vel Commissariorum, aut quomodolibet Gravatorum, quibus hujusmodi Morientium piæ Voluntates, & Leges implendæ incumbunt.*

Quidni igitur æqui, bonique fiat, immò utilissimum censeatur vel à ferventioribus Seraphicæ Paupertatis Zelatoribus, ubi res ista, quæ frequenter usuvenit, & adeò conscientias plerumque angit, & torquet, fuerit enucleata? Quid reformident Fratres inopes, & pauperculi, ubi Morientium Charitas (sicut & Viventium Pietas) eis necessaria subministrat; quæ aut in sua erogent alimenta, aut in fabricas, (cum opus fuerit) sive in cultum Divinum, & Ecclesiæ ornamenta convertant? Quid, inquam, trepident, ubi non est timor; modò hujusmodi Eleemosynas sibi relinqui à Morientibus non procurent? modò vel spontè relictas non recipiant ad copiam, & superfluitatem, minùs verò (quod absit; sed & in primis nobis est interdictum) ad thesaurizationem, vel provisionem in futurum? modò hujusmodi legata, vel Eleemosynæ, ejus non sint naturæ, quæ in *Iure* Usum, vel Usumfructum importent alicujus boni immobilis, vel inter immobilia à Jure computati? modò denique ea ipsa, quæ licitè, ut præfertur, ab ipsis percipi posse perhibentur, humiliter, & piè & de facto tantum recipiant, absque ulla Juris Civilis prætentione, & cum cautelis ac protestationibus, necnon moderaminibus requisitis? Hæc igitur omnia, juxta declarationes prædicti Nicolai III. *in d. cap. Exijt:* & Clementis V. *in Clement. Exivi: de ver. significat.*

necnon

necnon ad mentem, atque expressam sententiam Seraphici Doctoris S. BONAVENTURÆ, enucleatiùs pertractantur *in hoc Opere*, obiterque ferè alia omnia, quæ in œconomia Minoriticæ familiæ apprimè sunt scitu digna: quæ proindè æqui, inquam bonique ducenda, immò perutilia censenda spero, nec dubito, vel apud ipsos Altissimæ Paupertatis Æmulatores, si candido in primis, & condito (ut decet, rogoque) zelo ad legendum, & expendendum accesserint. Si cui autem (concludam verbis Seraphici mei Doctoris S. BONAVENTURÆ *in 2 sent. dist. 44 quæst ult. ad ult.*) aliter videtur, & fortassis, meliùs, in hujus quæstionis determinatione, immò explanatione eorum omnium, quæ in hac quæstione obiter introducuntur, non invideo: sed hoc rogo, ut si quis aliquid in ipso Opusculo invenerit approbatione dignum, agat gratias Deo largitori bonorum: In a iis verò locis, ut invenerit vel falsum, vel dubium, vel obscurum, scribentis insufficientiam benignè indulgeat, qui absque dubio, (teste conscientia) vera, & aperta, immò communi dicere concupivit. Quidquid enim sit de verbis, quæ foliis comparantur, hoc summoperè attendendum, & in inquisitione qualibet est observandum, ne quis adeò lætetur in sententia oris sui, & sic ei inhæreat, ut oris alieni verba despiciat; aspiciens ea oculo minus sano, & sic per tumorem, & livorem, sibi veritatis aditum præcludat; & de numero horum sit, de quibus dicit Apostolus 2 *Timoth.* 3. Quod semper sunt dicentes, & nunquam ad scientiam Veritatis pervenientes: quod avertat Deus ab omnibus inquisitoribus Veritatis. Hanc autem Veritatem infatigabiliter quærere, infallibiliter invenire, inamissibiliter apprehendere, & tenere, concedat nobis ille, qui est Via, Veritas, & Vita; qui cum Patre, & Spiritu Sancto unum existens in essentia, & ab eis distinctus in persona, hominem rectum facit, qui se infinitis quæstionibus immiscuit, secundum quòd series manifestat hujusmet lucubrationis, & experientia quotidiana demonstrat: Cui est omnis honor, & gloria, laus, & imperium, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

DE MORIEN

DE MORIENTIVM ELEEMOSYNIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN FRATRES MINORES SINT CAPACES Legatorum, præsertim verò annuorum, etiam perpetuorum; quorumnam, & quomodò; conditione, seu Professione, & Statu sua ipsorum specialis Paupertatis consideratis.

§. I.

Quæstionis status proponitur; variarúmque in ea decidenda sententiarum causa aperitur.

SVMMARIVM.

1 *Quæstio, An Fratres Minores Ordinis S. Francisci, sint capaces legatorum, jamdudum tum à Theologis, tum à Iurisperitis ventilata est.*

2 *Varij referuntur tituli, sub quibus præsens quæstio à diuersis Doctoribus agitata fuit.*

3 *Verborum proprietates, vis, & differentia in primis attendi & perpendi debent, tum in hac tum in cæteris id genus quæstionibus decidendis. Ius omne in verborum interpretatione, & in Æqui, vel Iniqui discrimine maximè consistit.* ibid. & num. seq.

4 *In omni actu humano & morali intentio præcipuè facientis spectanda. Intentio, vbi de ea constat, verbis præfertur.* ibid.

1 CELEBERRIMA quæstio hæc est, quæque vel ab ipsis primordiis Minoricæ Familiæ eventilari consueuit; vtporè quæ de re identidem in praxi occurrente, haudquaquam flocci facienda. Variæ circa eam propterea lectitantur cum Veterum tùm Recentiorum, & quidem tàm Moralis Theologiæ, quàm Iuris vtriúsque Doctorum sententiæ; atque adeò, vt lectitantibus penè ingerant confusionem: siquidem implere licet illud Apostoli *ad Roman. c. 14. Vnusquisque in suo sensu abundet.* Alios tamen ab aliis sic diuersimodè, vt plerúmque ex aduerso, asseruisse arbitror; quia nimirùm; aut ideò maximè, quia diuersimodè ab inuicem pro suo quisque placito quæstionem ipsam instituit, si non quoad terminos, quoad eorundem saltem terminorum vim, ac significationem.

Quod vt patulum fiat, operæ pretium erit notare titulos, quibus inscripta communiter circumagitur præsens hæc quæstio. Sunt autem hi: *Primus*, An Fratres Minores possint acceptare legata. *Secundus*, An Fratres possint cognoscere, seu agnoscere legata sibi facta. *Tertius*, An Fratres Minores possint capere ex Testamento. *Quartus*, An Fratres Minores possint accipere legata. *Quintus*, An Fratres Minores possint recipere legata. *Sextus*, An Fratres Minores sint capaces legatorum. *Septimus*, An Fratres Minores possint institui legatarij. *Octauus*, An Fratribus Minoribus possit legari. *Nonus*, An Fratres Minores possint habere legata. *Decimus*, An Fratres Minores sint capaces legatorum, censuum, seu redituum annuorum. *Vndecimus*, An Fratres Minores sint capaces legati cuiuscúmque rei mobilis. *Duodecimus*, An Fratres Minores sint capaces cuiuscúmque legati. Et alij huiusmodi si qui sunt. 2

3 Non itáque modò miror, vbi tot tricis, ac præpedieulis obsitam viam veritatis offendo, atque adeò, vbi semel inventa Veritas ipsa, tot difficultatum, obiectionúmque nodis obstrictam se se mihi in hoc subiecto exhibet intuendam. Faciléque nihilominùs erit, Deo auspice, & duce, germanum reperire, obseruandúmque tradere modum omnia disseminandi, enodandi, si verba scilicèt, non vt ore tenùs sonant, sed vt apud scribentes mente tenùs significant, potissimum attendamus. Vocum enim, ac terminorum proprietas, significatio, atque interpretatio quanti in Ciuili maximè, & Canonica Prudentia sit momenti, hoc ipso fit manifestum, quòd vtriúsque Iuris Consulti ferè simul ac Edictum aliquod propositum est, mox ad verborum vim, & significationem properant. Neque in Edictis modò id obseruari perhibent, sed in cæteris quoque ferè omnibus Iuris Tractatibus, ac consultationibus ad praxim reuocare consueverunt. Hinc Labeo Antistius, teste *Gellio*, hujusmodi Verborum significationem egregiè callens, eâ præcipuè scientiâ ad enodandos plerósque Iuris laqueos vtebatur. Hinc M. Fabius Quintilianus Romanæ Togæ decus, & ornamentum, quem omnibus absque controuersia ingeniis anteposuit Vallensis, exactissimi Vir iudicij, quæstionem omnem Iuris verborum proprietate, aut Æqui disputatione, aut Voluntatis coniecturâ contineri asseverabat. Omne enim Ius, aiebat ipse, aut in Verborum interpretatione positum est, aut in Æqui prauique discrimine.

4 Non igitur, nisi diligenti, exactáque adhibitâ, ad terminorum, quibus proponitur, significationẽ, animaduersione, ferendam præsentis quoque iudico resolutionem quæstionis. Qui enim (teste Philosopho 1. *Eccles.*) virtutes vocabulorum ignorant, de facili paralogizant: hoc est, in suis ratiocinationibus decipiuntur ipsi, aliosque simul decipiunt. Sed, & expressè moneor quòd scire Leges, non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem: *L. scire leges, ff. de legib. & Senatusconsul.* Et sæpè Legislatores, contrahentes, testatores, & scripta condentes vtuntur verbis ambiguis, & varia significata habentibus; vt *ff. de legat. 3. l. non aliter & ff. de reb. dub. l. in ambiguo sermone:* Itemque verbum semel positum sumitur propriè, & impropriè: *Extra de Postulat. Prælat. Cap. Bonæ & de Testamentis cap. Raynaldus: & ff. de offic. Proconsul. & legati, l. 2.* & ibi Doctores. Atque hinc est, quod verborum sonum considerans magis, quàm mentem reprehenditur, vt notat *in summ.* Ostiensis *de verborum signifient.* §. 1. *versic.* 6. & 10. quem allegat Albericus à Rosate *in suo Dictionario Iuris & initio Proæmij, & in lit V.* Ratio autem esse potest; quia magis res, quàm verba, sunt intuendæ, vt ait Gloss. *l. qui testatur: & ff. de heredib. instituen.* ex *Azone*, allegans etiam *l. 3. § conditio & ff. de adimend. legat. & l. promittendo: & in princip. ff. de iure dotium, & l. si in testamento: ff. de legat.* 1. Et quia præfertur intentio verbis; vt not. Gloss. *in cap. si postquam de electione, electi potestate, in 6.* & ibi plura; sicut in aliis vtriusque Iuris locis quæ videri possunt *ff. de verborum, & rerum significat. & C. eod. tit. & ff de regul. iuris, l. in ambiguis orationibus:* tex. *in cap. intelligentia: extra de verb significat.* & *cap humana aures: 22. quæst. 5.* & ibi Gloss. Vnde etiam in *l. fraus: ff. de legibus* iuxta Græcum proverbium dicitur: *Dictum à sententia:* siue, *Verbum ab intellectu*, (quasi dicat: *interpretandum est*; vt peritiores vertunt.) Et est textus clarus in *l. in ambiguo ff. de rebus dubiis*; hisce verbis: *In ambiguo sermone non vtrumque dicimus, sed id dumtaxat quod volumus.* Itaque qui aliud dicit, quàm vult (in ambiguo scilicet sermone) neque id dicit, quod vox significat, quia non vult; neque id quod vult, quia id non loquitur. Quòd autem semper in omnibus, & publicis, & priuatis dispositionibus; siue sit lex, siue statutum, siue pactio, & contractus, siue priuilegium, siue excomunicatio, siue testamentum, siue mandatum, siue rescriptum, siue iuramentum, siue testium dictum; anteponenda sit scripto mens, & ratio disponentium, eleganter, & copiosè tractat, Tiraquellus *ad l. si vnquam: C. de revoc. donat. verb. Libertu:* confirmatque variis iuribus, ac Doctoribus, & vtriusque Quintiliani sententiâ, ac specioso discursu M. T. Ciceronis *in Oratione pro Aulo Cecinna.* Vide etiam Rebellum 1. *part. de obligat. iustitia, lib. 1. q. 6. sect. 2. num.* 10.

---

§. II.

Recensentur Doctores hac de quæstione agentes, duæque opposita omninò sententiæ.

SVMMARIVM.

1 *Varij referuntur Doctores de legatis FF. Minoribus relictis tractantes.*

2 *Duæ Neotericorum sententiæ inuicem aduersantes, proponuntur.*

3 *Neutra admittitur, quòd vtraque legitimos tramites excedere videatur.*

4 *Autor, Inter vtramque volat, mediâ tutissimus ibit.*
Ad quod mentem suam aperit, & nodum simul quæstionis proposita.

Doctores autem, qui in subiectam quæstionem, materiamve siuè ex professo, 1
siuè

siuè incidenter, & per transennam scripta condidère ex sententia, ordine alphabetico recensiti, non secundùm eorum antiquitatem, aut sanctitatem, aliamve excellentiam, solóque insuper agnomine, vbi id non exposcat distinctio, quòd nomen apponatur, compendiosioris albi causâ; sunt isti, videlicèt: Abbas Siculus; seu Panormitanus; Alexander, Alvarus Pelagius, Ananias, Ancharanus, Angelus, D. Antoninus, Aretinus, Armilla, Azorius, Baldus, Barbosa, Bassæus noster, Bartolus, Bertrandus, D. Bonaventura, Bonacina, Bosellus, Bonagratia noster, Butrius, Calderinus, Castro Palao, Capistranus, Corduba, Crassus, Cucchus, Crousers noster, Cynus, Decius, Cotonius, Duegnas, Diana, Dicastillus, Fagnanus, Felinus, Farinerius, Federicus, Franciscus de Torano, Fulgosus, Gabrielius, Geminianus, Glossæ, & textus plures Iuris Canonici, *in cap. Quorundam: de electione, & in cap. 1. de religios. domib. in 6.* præcipuè *Clement. Exiui: & cap. Exiit: de verborum significat. in 6.* Gomesius, Gomez, Grassus, Gualdensis, Hermannus Bussembaum, Homobonus, Iason, Ioannes Andreæ, Ioannes de Ligniano, Imolensis, Ioannes à Fano noster, Ioannes Franciscus Soarez, Iulius Clarus, Lantusca, Layman, Lezana, Lessius, Lorichius, Ludouicus Parisiensis noster, de Lugo Card. Mantica, Menochius, Molina, * Navarrus, Oldradus, Parasius, Parisius, Pelizzarius, Peregrinus, Portel, Petrus de Palude, Politius noster, Patres Ordinis, Quatuor Magistri ex Vniuersitate Parisiensi, nimirùm F. Alexander de Hales, F. Ioannes de Rupella, F. Robertus de Vascia, & F. Reginaldus; Quesada, Rodericus primus, scilicèt Emmanuel, Rodericus alter, nempè Hieronymus, Ribadeneira, Redoanus, Romanus, Rosella, Serena Conscientia, Sà, Sanchez, Sanctes, Romanus noster, Sayrus, Sorbus noster, Socinus, Suarez è S. I. Surdus, Taddæus Piso, Tamburinus, Tabiena, Taxeda, Thomas à Iesu Maria, Vbaldus, Villalobos, Vincentius Filliuccius, VVadingus; aliíque I. V. Consulti, ac Theologi, præsertim Minoricæ Regulæ Expositores, tandémque Decisiones plures, Rescripta, ac Statuta Dominorum de Rora, Sac. Congregationis Cardinalium, necnon Generalium Ordinis Capitulorum, quorum omnium respectiuè loca vel in decursu Operis indicantur à me ipso, vel ab aliis Doctoribus, quos ego allego fide germanissima.

2 Nouissimè verò hanc eandem, & quidem sub eodem titulo, quæstionem luculentissimè tractarunt duo eodem tempore consulti ex nostra Congregat. egregij nominis, eximiæque authoritatis cùm præ obseruantiæ in primis zelo, tùm etiam præ doctrinæ, dignitatisque excellentiâ Theologi; quorum primus ità conclusit: *Fratribus Minoribus non est prohibitum recipere annua legata perpetua siuè simpliciter, siuè cum onere Missarum celebrandarum, siue de rebus ad sustentationem, siue ad Ecclesiam attinentibus, & ad diuinum cultum; siuè denique legata huiusmodi fiant ipsis Fratribus, siue grauando hæredem; ex vi sua ipsorum mendicitatis, siue Paupertatis.* Ita ille. Alter verò hisce verbis. *Fratres Minores nullius annui legati sunt capaces.*

Hæ sententiæ, quia vergere ad extrema, ad nimiam scilicèt laxitatem prima, altera autem ad nimium rigorem, videntur; ideò & minùs veræ nonnullis forsitan apparebunt; tametsi vtrâque suos ex nostris habuerit, quà verbis, quà scriptis, Assecias. Neutram tamen ego sic audeo adiudicare in præsens; quinimò sensum enucleare intendo, quò ambæ mihi visæ sunt veritati conformes, ita vt vtrámque meis hic conclusionibus sim amplexurus. 3

Antequàm tamen eas astruam, summum operæ pretium duco, nonnulla prænotare; quibus, veluti faculis prævijs faciliùs mentis oculus creatam Veritatem, quam ad maiorem Increatæ, eiúsque æternæ, gloriam quæritat, intuebitur. Et primò quidem summorum scita Pontificum, seu canones ponam huc attinentes, quibus, quasi Heraclio lapide, aurum omnium in hac materia sententiarum probandum erit; quarum etiam pleráſque sequentibus paragraphis, velut Corollaria statim breviter insinuabo. Deindè quidditatem, seu essentiam, & naturam legati, ex Legum nucleis eruam, per plures alios paragraphos. Tertio statum, seu Professionem specialem Paupertatis Fratrum Minorum in palam faciam, per nonnullos item paragraphos. Tùm denique terminorum acceptiones, significatio nesvè ex Iure, Iurisſtísque notabo ad titulum præsentis quæstionis attinentium, quò nimirùm tùm hic à me ipso, tùm aliàs ab aliis eadem quæstio cietur; ibique totus ero in explanando textu illo *§. Cùmque annui reditus: Clementinæ, Exiui:* qui omne vtique in controversia hac dirimenda facessit negotium. 4

§. III.

Summorum scita Pontificum, seu Canones in subjecta materia apprimè obseruandi.

SVMMARIVM.

1 *Nicolaus III. Pontifex, author constitutionis*, Exiit qui seminat: de verb. sig. in 6.

2 *Constitutio*, Exiit: de verb. sig. in 6. *magni facienda est: vbi ratio assignatur.*

3 *Textus prædictæ Constitutionis ad literam refertur*, in §. Ad hæc, quia Fratribus.

4 *Sequitur ejusdem constitutionis textus in* §. Cæterum: *& in* §. Et quia oportet: *& in* §. Ad maiorem autem.

5 *Constitutionem Nicolai III. declarauit Clemens V. in* cap. Exiui de paradiso: in §. *Porro, cum aliis seqq.* de verb. sig. in Clement.

6 *Textus præfatæ constitutionis*, in d. §. Porro: *refertur ad literam. & in* § Proinde cum Vir sanctus, & in § *Licet verò*.

1 OMnium ex Summis Pontificibus primus fuit Nicolaus III. qui hanc Legatorum materiam pro Fratribus Minoribus relictorum, omnibus absoluta numeris, tametsi breui, Declaratione, & Constitutione elucidauit; vt habetur in *cap. Exijt qui seminat: §. Ad hæc, quia Fratribus, de verborum significatione in 6.*

2 Quanti autem habenda sit ea huius Pontificis in hac re declaratio, sicut & in aliis Fratrum Minorum ambiguitatibus, & hæsitationibus, tunc temporis circa Regulam Seraphicam contingentibus, quas ibi resolvit; ex eo maximè perhibendum est, quod ipse de se testatur in § *Nos autem eiusdem capitu*, vbi disertis exprimit verbis, & ferè hisce; nimirum, se cum aliquibus Beati Francisci sociis, quibus eius vita, & conversatio nota erat, super ipsa regula, & sancta ipsius Beati Patris intentione frequenti collatione tractasse; ac postmodùm fuisse Cardinalem Gubernatorem, Protectorem, & Correctorem eiusdem Ordinis, tunc autem conditiones prædicti Ordinis ex imminenti sibi cura sensibiliùs palpasse; tandem que in Apostolatus Officio ex prædictis, longâ etiam experientiâ informatum tam de pia intentione Beati Patris Francisci, quàm de his, quæ Regulam ipsam, & eius obseruantiam contingunt, maturitate plena discussisse Regulam ipsam, & eam contingentia; atque adeò seriosiùs, & clariùs statuisse, ac declarasse ea, quæ ibi in *dicto capite* statuit, & declarat.

3 Quod igitur ad præsens attinet, ea, quæ in *dicto §. Ad hæc, quia Fratribus*: statuit, & declarat, hisce verbis comprehenduntur; videlicet.

§. Ad hæc, quia Fratribus ipsis interdum in vltimis Voluntatibus sub diversis modis nonnulla legantur; nec expressè, quid de his agendum ut, in Regula, vel Prædecessorum nostrorum Declarationibus continetur: ne in ipsis dubitari contingat: in posterùm, providendo legantibus, & Fratrum conscientiis præcavendo, Declaramus, ordinamus, & dicimus, quòd, si Testator modum, secundùm quem Fratribus (eorum conditione inspecta) recipere non liceret, exprimat in legando; vt, si legaret Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel similia verba in similibus proferret, aut modos similes in relinquendo servaret; à tali legato, & eius receptione per omnem modum Fratres abstineant. Si verò modum licitum Fratribus in legando Testator expresserit; vt, si diceret: Lego pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, & similia, ad hoc, quòd per certam personam, vel personas idoneas distrahantur, & pecunia de rebus ipsis accepta, in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertatur: aut in legando similibus modis, vel verbis vtatur. In hoc casu illud in omnibus, & per omnia, (consideratis eorum necessitatibus, & modeï xminibus supradictis) quantùm ad Fratres, servari decernimus, quod per Nos est superiùs in concessis pecuniariis eleemosynis declaratum. Ad quæ legata solvenda tàm hæredes Testatorum, quàm executores se liberales exhibeant: & etiam Prælati, & sæculares, quibus de iure, vel consuetudine provisio ista competeret, (cum expedierit) si ex officio suo promptos exhibeant ad pias Voluntates deficientium adimplendas. Nam & nos etiam per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos intendimus providere, quòd Hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur; ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur. Si verò Fratribus ipsis generaliter aliquid absque modi expressione legetur; in hoc legato sic indeterminatè relicto in omnibus, & per omnia intelligi, ac servari volumus, & in perpetuum præsenti Constitutione iubemus, quod supra in pecunia, seu eleemosyna Fratribus indeterminatè oblata, vel missa, voluimus, ac expressimus observari: videlicet, vt sub modo licito Fratribus intelligatur esse relictum; ita quòd nec legans merito, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur. Hæc Pontifex ille;

Qui, quia in his consideranda, atque observanda meminit, & præcipit moderamina omnia, necessitates, & modos, quæ in pecunia à vivente oblata, aut etiam procurata considerari, & observari voluit, & expressit; ideò ea quoque omnia, quæ circa ipsam pecuniam in *dicto cap. Exiit*: superiùs immediatè ad mox notata declarat, & statuit, hic verbatim describere non abs re puto; quinimmo necessarium censeo, pro eorum amussi statuenda; quæ plura in sequentibus dicenda occurrent, præcipuè *Articulo tertio* circa procurationem pecuniæ &c. Igitur à §. *Cæterùm* exordiendo, & per integros duos alios paragraphos sequentes, § *Et quia oportet*: & § *Ad maiorem autem*: eam rem idem Pontifex sic declarat. 4

§. Cæterùm, cum in eadem Regula sit sub præcepti districtione prohibitum, ne Fratres recipiant, per se, vel per alios, denarios, vel pecuniam

cuniam vllo modo; idque Fratres in perpetuum servare cupiant, & velut iniunctum, necesse habeant adimplere; ne ipsorum puritas in huiusmodi observatione præcepti maculetur in aliquo, & ne Fratrum conscientiæ aliquibus aculeis stimulentur; Articulum istum propter detrahentium morsus profundiùs, quàm nostri Prædecessores fecerint assumentes, ac ipsum clarioribus determinationibus prosequentes, dicimus in primis, quòd Fratres ipsi à mutuis contrahendis abstineant, cum eis mutuum contrahere (ipsorum statu considerato) non liceat: possint tamen ipsi pro satisfactione facienda pro eorum necessitatibus, quæ pro tempore occurrerint; (cessantibus eleemosynis, de quibus satisfieri commodè tunc non possit) citra cuiuslibet obligationis vinculum dicere, quòd per eleemosynas, & alios amicos Fratrum ad solutionem huiusmodi faciendam intendant fideliter laborare. Quo casu procuretur à Fratribus, quòd ille, qui dabit eleemosynam, per se, vel per alium non nominandum ab ipsis, si fieri poterit; sed ab eo potiùs, iuxta suum beneplacitum, assumendum, huiusmodi satisfactionem faciat in totum, vel in partem, pro vt sibi Dominus inspirabit. Si tamen ipse hoc nollet facere, vel non posset, vel quia recessus eius immineat, aut quia quibus hoc velit committere, notitiam non habet fidelium personarum, seu quacumque alia occasione, vel causâ: Declaramus, & dicimus, quòd in nullo Regula puritas infringitur, aut quomodolibet ipsius observantia maculatur, si Fratres ipsi alicuius, vel aliquorum sibi curent dari notitiam, vel aliquos, seu aliquem nominari, aut etiam præsentari, cui, vel quibus, si eleemosynam facienti placuerit, committi possit executio prædictorum; ac ipsius habeatur assensus super subrogationibus infrascriptis. Ita tamen, quòd, penès ipsum dantem dominio, proprietate, ac possessione ipsius pecuniæ cum libera potestate revocandi sibi pecuniam ipsam semper vsque ad conversionem ipsius in rem deputatam, plenè, liberè, ac integrè remanentibus, in ipsa pecunia nihil omninò Fratres iuris habeant, nec administrationem, seu dispensationem; nec contra personam nominatam, vel non nominatam ab eis, cuiuscúnque conditionis existat, in iudicio, vel extra, actionem, persecutionem, aut aliquod aliud ius intentent, qualitercunque persona prædicta in commissione huiusmodi se habeat. Licet tamen Fratribus, suas necessitates insinuare, ac specificare, vel exponere personæ prædictæ, ac eam rogare, quòd solvat. Possunt etiam personam eandem exhortari, ac inducere, quòd fideliter in re commissa se habeat, & animæ suæ saluti in commissa sibi executione provideat: ita tamen, quòd ab omni eiusdem pecuniæ administratione, seu dispensatione, & contra prædictam personam actione, seu persecutione (vt prædictum est) Fratres abstineant omni modo: Si verò personam huiusmodi nominatam, vel non nominatam à Fratribus (quo minùs per se possit exequi, quod prædicitur) contigerit per absentiam, infirmitatem, voluntatem, seu locorum distantiam, ad quæ ipsa nollet accedere, in quibus esset solutio, seu satisfactio facienda, vel per occasionem aliam impediri: liceat Fratribus cum conscientiæ puritate quandam aliam personam subrogandam ad præmissa, in nominando, & aliis (si ad primum dantem non possint, vel nolint habere recursum) cum ista persona facere, sicut supra proximè declaravimus eis licere cum prima. Duarum enim ministerium personarum per viam subrogationis (vt dictum est) communiùs, & generaliùs videtur posse in prædictorum executione sufficere; cum prædicta satisfactio præsumatur posse celeriter expediri. Si tamen (vt interdum dictum est) propter locorum distantiam, in quibus esset satisfactio facienda, & conditiones, seu circumstantias alias, casus emergeret, in quo videretur plurium personarum subrogandarum ministerium opportunum; liceat ipsis Fratribus in hoc casu iuxta negotij qualitatem, (servato modo prædicto) plures personas assumere, nominare, seu præsentare ad istud ministerium exequendum.

§. Et quia oportet, & expedit Fratrum necessitatibus, non solùm illis, pro quibus iam esset solutio, seu satisfactio facienda, (ut superiùs proximè dictum est) sed etiam imminentibus, sive tales necessitates ingruentes immineant, quæ brevi tempore expediri valeant; sive tales, (licet paucæ comparativè) quarum provisio ex sui conditione necessariò tractum temporis habet; ut in libris scribendis, Ecclesiis, seu Ædificiis ad vsum habitationis ipsorum construendis, libris, & pannis in locis remotis emendis, & aliis similibus, si quæ occurrerint, cum moderamine supradicto salubriter provideri. Sic in istis necessitatibus clarè distinguimus, sic in eis Fratres posse tutè, & salvâ conscientiâ procedere, declaramus; videlicet, ut ingruente, vel imminente necessitate, quæ brevi tempore, vel quæ interdum ex aliquibus circumstantiis non sic brevi (ut supra in proximo casu dictum est) valeat expediri, tam quoad dantem eleemosynam, quàm quoad nominatum, vel substitutum, in omnibus, & per omnia (sicut in articulo solutionis pro necessitatibus præteritis facienda supra proximè declaravimus) procedatur. In ea verò necessitate quantumcunque præsentialiter ingruente, quæ tamen ex qualitate sui (vt prædicitur) tractum temporis habet annexum (seu innexum) quia in eo casu verisimile est, quod tàm ratione distantiæ locorum, quæ expeditio necessitatis ipsius ex sui conditione requireret; tùm etiam circumstantiarum ipsius necessitatis ratione pensata, frequenter casus acciderent, in quibus ad expeditionem necessitatis huiusmodi oporteret, quòd per diversas manus,

& personas transiret pecunia necessitati huiusmodi deputata; quarum omnium personarum impossibile quasi esset Dominum principalem pro ipsa necessitate pecuniam deputantem, seu etiam substitutum ab eo, & Tertium etiam ab ipso substituto (si casus talis accideret) postea subrogatum, habere notitiam: Declaramus, & dicimus, quòd in hoc articulo præter dictos duos modos in necessitatibus præteritis, & ingruentibus, quæ possint brevi tempore, vel interdum non brevi (ut supra exprimitur) expediri (ut prædiximus) observandos, ad observandam ipsius Regulæ, ac Professorum eius omnimodam puritatem: quòd si præsto sit eleemosynæ huiusmodi elargitor, vel eius nuncius, qui possit hoc facere, & velit, expressè illi prædicatur à fratribus, quòd sibi placeat, ut (dominio talis pecuniæ cum libera potestate revocandi sibi pecuniam ipsam penès ipsum semper vsque ad conversionem ipsius in rem deputatam liberè remanente, ut in aliis duobus casibus superiùs dictum est) per quorumcùnque manus pecunia, seu eleemosyna ipsa tractetur, sive personas ab eo, vel à Fratribus nominatas, totum suo consensu, voluntate, ac autoritate procedat: quo assensum suum præbente prædictis, securè Fratres re empta, vel acquisita de illa pecunia per quemcùnque (iuxta modum annotatum superiùs) uti possint.

§. Ad maiorem autem prædictorum omnium claritatem, hac in perpetuum valitura provisionis serie declaramus, quòd Fratres (præfatis modis, ut prædicitur, circa pecuniam in supportandis eorum præteritis, & ingruentibus necessitatibus observatis) non intelliguntur, nec dici possint, per se, vel per interpositam personam pecuniam recipere contra Regulam, vel Professionis sui Ordinis puritatem: cum manifeste pateat ex præmissis, ipsos Fratres non solùm à receptione, proprietate, dominio, sive usu ipsius pecuniæ, verùm etiam à contractatione qualibet ipsius, & ab ipsa pecunia penitus esse alienos. In eo verò casu, quando (antequam ipsa pecunia in licitum rei habendæ, vel utendæ commercium sit conversa) concedentem pecuniam mori contigerit; si concedens, in concedendo dixerit, vel expresserit, quòd persona deputata pecuniam ipsam in necessarium usum Fratrum expenderet quidquid de ipso concedente vivendo, vel moriendo contingeret; sive concedens huiusmodi hæredem reliquerit, sive non; possint Fratres ad personam deputatam (non obstante concedentis morte, vel hæredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere, sicut poterant ad ipsum Dominum concedentem.

Quia verò puritatem ipsius Ordinis intima cordis affectione zelamus; cum in prædictis casibus ad determinatam necessitatem (ut prædicitur) per aliquem pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari possit à Fratribus, quòd si quid de pecunia ipsa (habita necessitate determinata) supererit, consentiat ipse concedens, quòd residuum præfatæ pecuniæ in res alias pro alijs ipsorum Fratrum prædictis necessitatibus convertatur: quo non consentiente prædictis, ipsum residuum (si quòd fuerit) restituatur eidem. Caveant tamen Fratres, quòd sollicitè se coaptent, ut non plus scienter concedi consentiant, quàm verisimiliter æstimari possit, rem necessariam, pro qua pecunia ipsa conceditur valituram.

Et quia in prædictorum seriosa expositione à dante, vel recipiente de facili posset errari; ut clariùs utilitati dantium, puritati Ordinis, simplicitati aliquorum simplicium, saluti animarum hinc indè securiùs consulatur; intellectum illum, qui satis in hoc casu à sanè intelligente percipitur, præsentis, ac in æternum valituræ Constitutionis serie lucidamus, volentes illum ad communem deduci notitiam; videlicet: Quòd semper, quando pecunia Fratribus ipsis mittitur, vel offertur (nisi expressè per mittentem, vel offerentem aliud exprimatur) prædictis modis prorsùs oblata intelligatur, & missa. Non enim verisimile est, aliquem eleemosynæ suæ sine expressione modum illum præfigere, per quem, & donans merito, & illi, quorum necessitatibus intendit per dona huiusmodi providere, vel effectu doni, vel suæ conscientiæ puritate fraudentur.

Hactenùs Nicolaus III. in *illo cap. Exiit: de verbor. signific. in* 6. quod ad præsens attinet.

Iam verò, quid ad rem item nostram sanxerit Clemens V. in *cap. Exivi de Paradiso: Clement. de verborum significat.* inchoando à *§. Porrò, cum dictus Sanctus:* vsque ad §. *Ex præmissis autem:* exclusivè, in omnibus, & per omnia Declarationes mox suprà allatas Prædecessoris sui Nicolai III. approbans, & confirmans, ijsdémque sese coaptans, prosequamur. Edidit autem Clemens ipse V. Decretalem illam, *Exivi:* (quæ est declaratoria in aliquibus *prædicti cap. Exijt:* Nicolai III. simúlque provisoria contra quosdam excessus, qui in Ordine irrepserant, (vt patet *in eius Rubrica, & Textu*) in Concilio Viennensi, conversis studiis ad diligenter peragendum, quod petebatur à Fratribus ferventer affectantibus ad purum, & ad plenum suam Regulam firmiter observare; atque adeò mandans, ut sibi in hoc negotio à consilijs adessent, plures Archiepiscopi, Episcopi, ac Theologiæ Magistri, alijque Literati providi, & discreti, qui ad illud Concilium convenerant, dubiis illis, & excessibus occurrentibus diligenter examinatis; ut ipse *ibi in textu, §. Nos igitur:* apertè testatur. Ex quo patet, quàm ingentis ponderis sit Constitutio illa: cuius propterea declarationis cum declarationibus Nicolai III. *in dicto cap. Exijt:* in nostra Capucinorum

Reforma

Reformatione specialiter acceptantur pro singulari, & vivo Commentario nostræ Regulæ; alijs omnibus Privilegijs, Glossisve eam relaxantibus, & à pura ejus observantia abducentibus; simúlque à pia, iusta, ac sancta Christi mente, & intentione, qui in Seraphico Patre Francisco Regulam ipsam instituente loquebatur, abdicatis in posterum.

6 Quæ igitur & Clemens ipse V. ad rem nostram declarat, & statuit, sunt sequentia; videlicet:

§. Porrò, cum dictus sanctus volens Fratres suos super omnia, à denarijs seu pecunia esse totaliter alienos, præcepit firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam: istúmque articulum declarans idem Prædecessor noster, casus, & modos posuerit, quibus servatis à Fratribus, non possint dici, nec debent, per se, vel per alium pecuniæ receptatores contra Regulam, vel sui Ordinis puritatem: Dicimus Fratres teneri cavere summoperè, quòd pro alijs causis, & sub modis alijs, quàm ponat dicti Prædecessoris nostri Declaratio, ad dantes pecunias, sive deputatos nuncios non recurrant, ne (si secus ab ipsis attentatum fuerit) transgressoris præcepti, & Regulæ meritò possint dici: Nam, ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatam. Quo circa quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio in Ecclesia, vel alibi, Cippi, vel trunci ordinati ad offerentium, seu donantium pecunias reponendas; necnon & quicunque recursus alius ad pecunias, seu habentes ipsas, qui per decretalem prædictam non conceditur: hæc inquam, omnia sunt eis simpliciter interdicta. Cum etiam recursus ad amicos speciales, expressè tantùm in duobus casibus, secundùm Regulam, concedatur; videlicet, pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis: idque piè; & rationabiliter, considerata necessitate vitæ, ad alias necessitates Fratrum pro tempore occurrentes, cessantibus eleemosynis, seu etiam ingruentes sæpè dictus Prædecessor duxerit, extendendum: Attendant Fratres præfati, quòd pro nullis causis alijs, quàm prædictis, vel similibus, in via, vel alibi recurrere licet eis ad amicos huiusmodi, sive sint dantes pecunias, seu deputati per ipsos sive nuntij, vel depositarij, seu quovis alio nomine appellentur; etiamsi concessi per eandem declarationem modi circa pecuniam integrè servarentur. Denique cum idem Confessor summè affectaverit suæ Regulæ professores totaliter esse abstractos ab affecta, & desiderio terrenorum, & specialiter à pecunia; & eius usu totaliter inexpertos, sicut probat prohibitio de recipienda pecunia in Regula sæpiùs repetita: curare Fratres vigilanter necesse est, quòd cùm ex causis prædictis, & modis ad habendas pecunias deputatas pro ipsorum necessitatibus recurrere oportebit ad tenentes ipsas, quicúnque hi fuerint, principales, vel nuncij, in omnibus sic se gerant, quod se cunctis ostendant in dictis pecunijs (sicut nec habent) penitus nil habere. Quapropter præcipere, quòd, & qualiter pecunia expendatur, compotúmque exigere de expensa, eam quomodocúnque repetere, sive deponere, aut deponi facere, capsulam pecuniæ, vel eius clavem deferre, hos actus, & consimiles sibi Fratres illicitos esse sciant: prædicta enim facere ad solos dominos pertinet, qui dederunt, & eos, quos ipsi deputaverunt ad hoc ipsum.

§. Proinde, cum Vir Sanctus paupertatis præmissæ in Regula modum exprimens dixerit in eadem: Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter: Sicque declaratam extitit per nonnullos Prædecessores nostros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali, quàm etiam in communi; propter quòd, & rerum omnium concessarum, oblatarum, & donatarum Fratribus (quas, & quarum usum, facti scilicet; Ordini, vel ipsis Fratribus licet habere) proprietatem, & dominium in se, & Romana Ecclesia receperunt; dimisso ipsis Fratribus in eis tantummodò usu facti simplicis. Ad nostrum fuerunt deducta examen, quæ in Ordine fieri dicebantur, & videbantur prædicto Voto, & puritati Ordinis repugnare: videlicet, (ut ea prosequamur ex ipsis, quæ remedio credimus indigere) Quod se institui hæredes, non solùm sustinent, sed procurant. Item, quòd Reditus annuos recipiunt interdum in tàm notabili quantitate; quòd Conventus habentes totaliter inde vivunt. Item, quòd cum ipsorum negotia etiam pro rebus temporalibus in Curijs agitantur, assistunt Advocatis, & Procuratoribus, & ad instigandum eosdem se ibidem personaliter repræsentant. Item, quòd executiones ultimarum suscipiunt voluntatum, & gerunt, séque instromittunt quandóque de usurarum, vel malè ablatorum dispositionibus, seu restitutionibus faciendis. Item, quòd alicubi non solùm excessivos hortos, sed etiam vineas magnas habent, de quibus tam de oleribus, quàm de vino multum colligitur ad vendendum. Item; quòd temporibus messium, vel vindemiarum sic copiosè granum, & vinum mendicando, vel aliundè emendo colliguntur à Fratribus, & in Cellarijs, & Granarijs reconduntur; quòd per anni residuum, & absque eorum mendicatione possunt transigere vitam suam. Item, quod Ecclesias, vel alia ædificia faciunt, vel procurant fieri in quantitate, & curiositate figura & forma, ac sumptuositate notabiliter excessiva, sic quòd non videntur habitacula pauperum, sed Magnatum: Paramenta etiam Ecclesiastica in plerisque locis tam multa habent, & tam notabiliter

biliter pretiosi, quòd excedunt in his magnas Ecclesias Cathedrales. Equos insuper, & Arma eis oblata in funeralibus recipiunt indistinctè. Tamen Communitas Fratrum, & specialiter Rectores ipsius Ordinis asserebant, quòd prædicta, seu plura ex ipsis in Ordine non fiebant: quòd & si qui reperiuntur rei in talibus, rigidè puniuntur; necnon contra talia, ne fiant, sunt facta pluries ab antiquo Statuta in Ordine multum stricta. Cupientes igitur Nos ipsorum Fratrum providere conscientijs, & cuncta dubia (quantùm possibile Nobis est) de ipsorum pectoribus removere, ad prædicta, modo, qui sequitur, respondemus. Cum enim ad veritatem vitæ pertineat, ut id quod exteriùs agitur, interiorem mentis dispositionem, & habitum repræsentet; necesse habent Fratres, qui se expropriatione tanta à temporalibus abstraxerunt, ab omni eo, quòd dictæ expropriationi esset, vel posset videri contrarium, abstinere. Quia igitur in successionibus transit non solùm usus rei, sed & dominium suo tempore in hæredes: Fratres autem præfati nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possunt, etiam in communi: declarando dicimus, quòd successionum huiusmodi, quæ etiam ex sui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia, se extendunt, (considerata sui puritate Voti) nullatenùs sunt capaces: nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quòd præsumi posset hoc in fraudem fieri, quasi sub modo, & forma legati, sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere: quin potiùs ista sic fieri ab ipsis simpliciter prohibemus. Cúmque annui reditus inter immobilia censeantur à Iure, ac huiusmodi reditus obtinere, paupertati, & mendicitati repugnet, nulla dubitatio est, quòd prædictis Fratribus reditus quoscúnque, sicut & possessiones, vel earum etiam usum (cum eis non reperiatur concessus) recipere, vel habere (conditione considerata ipsorum) non licet. Ampliùs, cum non solùm, quòd malum esse dignoscitur, sed & omne, quòd speciem habet mali, sit à viris perfectis specialiter evitandum: ex talibus autem assistentijs in Curijs, & instigationibus, cùm de rebus agitur in ipsorum commoda convertendis, creduntur verisimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines foris iudicare) in ipsis rebus Fratres assistentes aliquid quærere, tanquam suum: nullo modo debent huiusmodi Voti, & Regulæ Professores se talibus Curijs, & litigiosis actibus immiscere, ut & testimonium habeant ab his, qui foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, ac evitetur per hoc scandalum proximorum. Verùm etiam, cum dicti Ordinis Fratres non solùm à receptione, proprietate, Dominio, sive usu ipsius pecuniæ, verùm etiam à contrectatione qualibet ipsius, & ab ea sint penitus alieni, quemadmodum sæpè dictus Prædecessor noster in declaratione huiusmodi Regulæ planè dixit. Cúmque dicti Ordinis professores pro nulla re temporali possint in iudicio experiri, prædictis Fratribus non licet, nec competit, quin potiùs (considerata sui puritate status) debent sibi scire interdictum, quòd huiusmodi executionibus se exponant: cum sæpiùs absque litigio, & contrectatione, vel administratione pecuniæ nequeant expediri. Veruntamen in his exequendis dari consilium, ipsorum Statui non obsistit; cum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla iurisdictio, sive actio in Iudicio, sive dispensatio tribuatur.

§. Licet verò non solùm sit licitum, sed & multum conveniens rationi, quòd Fratres, qui in laboribus spiritualibus orationis, & studij sedulò occupantur, hortos, & areas habeant competentes ad recollectionem, vel recreationem sui, & interdum ad seipsos post labores huiusmodi corporaliter deducendos, nec non ad habenda necessaria hortalitia pro seipsis: habere tamen hortos aliquos, ut colantur, ac olera, & alia hortalitia pretio distrahantur, necnon & vineas, repugnat suæ Regulæ, & Ordinis puritati, secundùm quòd dictus Prædecessor noster declaravit, ac etiam ordinavit: Quòd si talia ad usus proximè dictos, ut putà agrum, vel vineam ad colendum, & consimilia Fratribus legarentur, per omnem modum Fratres à receptione talium abstinerent; cum etiam præmissa habere, ut pretium fructuum suis temporibus habeatur, ad naturam, & formam proventuum appropinquet. Rursùs, cum prædictus Sanctus tàm in exemplis vitæ, quàm verbis Regulæ ostenderit, se velle, quòd Fratres sui, & filij divinæ Providentiæ innitentes suos in Deum jacerent cogitatus, qui volucres cæli pascit, quæ non congregant in horrea, nec seminant, nec metunt: non est verisimile voluisse ipsum, eos habere granaria, vel cellaria, ubi quotidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam. Et ideireò non ex timore levi relaxare se debent ad congregationes, & conservationes huiusmodi faciendas: sed tunc tantùm, cùm esset multùm credibile ex iam expertis, quòd non possent vitæ necessaria aliter invenire. Hoc autem Ministrorum, & Custodum simul, & separatim in suis administrationibus, & Custodijs (cum Guardiani, & duorum de Conventu loci Discretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum consilio, & assensu) duximus iudicio relinquendum, eorum super hoc specialiter conscientias onerantes. Hinc est etiam, quòd cùm Vir Sanctus Fratres suos in Paupertàte summa, ac humilitate fundare voluerit, quoad affectum pariter, & effectum, sicut ferè Regula tota clamat: convenit ipsis quòd nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia quæcúnque ædificia, quæ (considerato Fratrum inhabitantium numero) excessiva in multitudine, & magnitudine, debeant reputari. Ideóque

volumus

volumus, quod ubique in suo Ordine deinceps temperatis, & humilibus ædificiis sint contenti, ne huic tantæ Paupertati promissa, quod patet oculis, contrarium foris clamet. Quamvis etiam Paramenta, & vasa Ecclesiastica ad honorem divini nominis ordinentur propter quem omnia fecit ipse Deus: tamen qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum: nec per illa sibi vult serviri, quæ suorum conditioni servitorum, & statui dissonarent: propter quod sufficere debent eis vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia, in numero & in magnitudine sufficientia competenter. Superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quæcunque curiositas in his, seu aliis quibuscunque non potest ipsorum Professioni, vel statui convenire: cum enim hæc sapiant thesaurizationem, seu copiam, paupertati tantæ, quoad humanum iudicium, derogant manifestè. Quapropter præmissa servari à Fratribus volumus, & mandamus. Circa equorum verò, & armorum oblationes, illud decernimus, ut omnibus, & per omnia observandum, quod per declarationem prædictam in pecuniariis noscitur eleemosynis diffinitum. Hactenùs Clemens V. *in illa Clement. Exivi*:

§. IV.

Corollarium primum.

SUMMARIUM.

1 *Fratres Minores tum in communi, tum in particulari, sunt aliquo modo capaces legatorum ipsis relictorum.*
Non sunt tamen capaces hæreditatis adeundæ ibid. & num. 2.
Explicatur Iuris regula: Qui non potest hæres institui, non potest quoque capere legatum, ibid.
2 *Privilegium & dispensatio supponunt legem & regulam esse in contrarium.*
Decretum Concilij Tridentini sess. 25. c. 3. de Regularibus, *refertur, & exponitur, quatenus Religiosi fiant capaces bonorum etiam immobilium, sive per hæreditariam successionem, sive per legatum relictorum ibid.*
3 *Proponitur declaratio Nicolai III. circa legata Minoribus Fratribus relinquenda, ut valeant, vel non valeant.*
4 *Similiter alia declaratio Clementis V. refertur.*
5 *An liceat Fratribus Minoribus percipere legatum annuatim, ut sic, relictum remissivè.*
6 *Constitutio.* Exiit: §. ad hæc quia de verb. sig. in 6. *expenditur.*
Legatum pecuniæ pro necessitatibus Fratrum Pontifex approbat, ibid.
Neque distinguit an valeat pro una vice tantum, an verò annuatim, semper, vel ad tempus, ibid.
Indefinita oratio æquipollet universali, ibid.
Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, ibid.
Constitutio. Exiit: de verb. sig. in 6. *literaliter prout verba sonant, intelligenda est*, ibid
7 *Rubrica generalis indicat Nigrum esse generale in his quæ non excipiuntur expressè*, & num. 8.
Exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis, ibid.
8 *Ex Rubrica arguere licet ad ipsius textus declarationem.*
9 *Legata annua Fratribus Minoribus relicta valent, dummodo naturam annui reditus non retineant.*
Incapax hæreditatis, interdum legatum capere potest, ibid.

Illud igitur ante omnia, tanquam certissimum, in præsenti quæstione scitum volo, & suppono, ut expressè diffinitum, & constans *in allatis Canonibus*, præsertim Nicolai III. *in eo §. Ad hæc, quia*: Posse nimirùm Fratres Minores (sui puritate status, ac Professionis incolumi) tùm in communi, tùm in particulari institui Legatarios, ita ut sint aliquo modo capaces, quòd sibi legetur, seu legatorum: prout ex *eodem cap. Exiit*: observat, & tradit Lezana *in Sum. tom. 2. cap. 19. num. 45.* Non obstante, quòd nullatenùs possint institui Hæredes, ita ut nullatenùs sint capaces hæreditariæ successionis, seu fideicommissi universalis; ut habetur expressum *in Clementina Exivi: §. Cum enim suprà allat.* Regula enim illa communiter à Doctoribus assignata ex *§. Legari Institut. de legatis: & ex L. Regia 1. tit. 9. part 6.* quòd videlicet qui nequit hæres institui, nequeat etiam institui legatarius, neque sit capax legati: Veritatem habet in Iure, seu in foro fori, quoad illos tantùm, qui ob iuris communis prohibitionem, ratione scilicet, aut turpitudinis, seu damnationis natalitiæ, aut delicti, vel ob capitis diminutionem, nequeunt hæredes institui: huiusmodi enim pariter, nec legatarij institui quibunt, aut esse capaces legatorum; nisi fortè hæc eis fiant ad alimenta; ut alibi dicetur *allatis legibus*, præsertim *in Casa 2. §. 4.* Secùs verò, quoad illos, qui ob solum paupertatis votum incapaces sunt hæreditariæ successionis; quales sunt Fratres Minores: quippe potest id voti ex voventium intentione, & Statutis (ut aiunt plerique) seu ex natura sua (ut maluerim ipse) & ex Regula, solam

solam hæreditariæ successionis capacitatem, atque immobilium vsum penitùs, omnimodéque excludere; non sic autem simplicis legati impropriè dicti; ptovt de facto contingit in Fratribus Minoribus, tùm in communi, (ut dixi) tùm in particulari. Eadem enim est ratio de singulis Fratribus, ac de tota simul Fratrum Communitate; ut bene novit Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.26. num.*10. & expressit Benedictus Papa XI. *in Extravag.1. de privilegys, § porro, ut circa Sepulturam:* quam allegat idem Sanchez *cit.* cum Bart. *lib.2 Minorit. qq. dist.5. cap.1. n.28. & cap 2. n.31. & in l. servos n.2. ff. de alim. & cibar. leg.* Imola *cap.2. n.42. de Testamentis*; ubi & Ancharanus *n.*30. Parasio *cap. In præsentia: n.*175. & 178. *de probat.* & Roderico *tom.2. qq. Regular. q.*125. *art.*6. Et idem tradit Lezana *tom 4. Sum. tit. legata Regularibus relicta, n.*6. ubi etiam *n.*5. excipit à prædicta regula communi filios spurios: (fortè ob allatam rationem alimentorum, & quidem in Iure etiam debitorum; ut alibi dicitur:) allegátque Sylvestrum *in Sum. V. Legatum* 1. Laymannum *lib.3. de iustit. & iure, tract.5. cap.*10 *n* 2. & Molinam *tom.1. tract.2. disp.*195. *§. Spurius.*

2 Dixi, mihi magis placere, quòd Fratres Minores sint incapaces, ut præfertur, hæreditariæ successionis, habendíque bona immobilia, ex natura ipsa sui ipsorum voti paupertatis, & mendicitatis, potiùs, quàm ex intentione ipsorum in vovendo. Hócque expressè colligo ex Conc. Trid. *sess.*25. *cap.*3. de *Regularibus*, juncta *Clement. Exivi*; ubi (Minoribus de Observantia, & Capucinis exceptis) alijs omnibus Regularibus conceditur dispensatio, & privilegium succedendi in hæreditatibus, & habendi bona immobilia in communi. Nam, si privilegium hoc est, & dispensatio antiqui rigoris, & puritatis voti mendicitatis; ut omnibus compertum est, & testatur Castro Palao *Sum. mor. p.3. tract.*15. *disp.*3. *punct.*8. *n.*1. cum Suarez *tom.3. de Relig. lib.*8. *cap.*17. *n.*1 néque illud decretum continet vim præcepti, & legis obligantis, vnde & quælibet Religio potest eidem privilegio renunciare, & paupertatem, seu mendicitatem vovere, & promittere in sua puritate, & vigore, provt vovent ex Regula Fratres Minores de Observantia, & Capuccini prædicti, clarè deducitur, quòd ex ipsius voti natura talis incapacitas oriatur in voventibus, non ex voventium intentione, & statutis; nisi id velimus dicere in ijs Religionibus, quæ tali privilegio renunciaverunt; ut inclyta, & sanctissima Societatis Iesu Religio, seu Domus Professæ. Quare aptiùs, veriúsque dici posset, quòd in omnibus alijs Religionibus, quæ vel in dicto Privilegio non excipiuntur, vel quæ illi non renunciarunt, ex intentione voventium oriatur capacitas ad prædicta; quia vovere censendi sunt ij Religiosi cum intentione gaudendi dispensatione, & privilegio Tridentini. Vide quæ dicuntur *infrà §.13. n.1. & 2.*

Iterùm autem hic statim valdè advertendum censeo, ad rem nostram; quòd scilicet in legatis, quorum (ut præfertur) tùm in communi, tùm in particulari sunt capaces suo modo (ut *infrà* explicabitur) Fratres Minores, nulla alia exceptio præscribitur per Nicolaum III. & Clementem V. nisi illa per primum, (scilicet Nicolaum, *eo §. Ad hæc, quia:*) si videlicet testator modum, secundùm quem Fratribus (eorum conditione inspecta) recipere non licet, exprimat in legando; ut si legaret Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel similia verba in similibus proferret, aut modos similes in relinquendo servaret: putà si relinqueret, vel legaret Fratribus ipsis directè jus aliquod, titulumvè politicum census, seu reditus, ut, eo retento, & manente sive apud ipsos Fratres, sive apud alium quempiam pro ipsis se habentem, ipsi annuas pensiones perciperent. Esset enim tunc vsusfructus legatus; ut ex dicendis, *allatis legibus infra §.22. n.27. & seq.* constabit; cujus Fratres Minores secundùm suæ puritatem professionis, nullatenùs sunt capaces, neque quoad simplicis facti vsum. Quo casu declarat Pontifex ille, quod à tali legato, & ejus receptione per omnem modum (idest tùm de Iure, tùm de facto) Fratres abstineant: quod etiam confirmatur per Clementem V. *in Clem. Exivi: eo §. licet verò:* Atque hanc Nicolai III. doctrinam, & legatorum differentiam exactè calluit, docuítque Bartholomæus de Pisis *lib.1. Conformitatum, fructu, & Conformit.9. p.2. in exposit. cap 4. Reg. fol. mihi* 120. *col.*3. vbi non damnat annua legata simplicia, sed ea duntaxat, quæ importat vsum, vel vsumfructum alicujus rei immobilis, vel inter immobilia computatæ à Iure. 3

Illa verò per Clementem ipsum V. additur legatis, quæ Fratribus Minoribus, tanquam aliquo modo capacibus, fieri posse supponit, vnica item exceptio, si videlicet legatum ipsum (cæteroqui absque vllius modi illiciti à Nicolao III. ut præfertur, cauti in legando expressione factum) tantæ foret quantitatis, aut summæ, ut præsumi posset in fraudem fieri, scilicet vel hæredis, idest relinqui hæreditatem sub nomine, & palliata forma *legati*; vel *Paupertatis*, ita ut nimirum ejus perceptio magis sapiat thesaurizationem, quàm pro præsentibus, aut imminentibus necessitatibus subsidium, aut provisionem: pro ut etiam diffinitur *in cap. Exyt:* per Nicolaum III. *§. Insuper:* Fratribus autem Minoribus tùm in communi, 4

tùm

tùm in particulari posse, duabus hisce cautionibus, seu exceptionibus servatis, modóque ipsi nihil vnquam sibi approprient, aliqua relinqui iure seu titulo legati, pro ipsorum necessitatibus, tradunt Abbas *ex Clement. dudum: de sepulturis*; & ex eo, quod *ibi* notat Gloss. *2. p. Consiliorum, cons. 27. n. 3.* & Card. Zabarella *in Gloss. super Clement. Exivi: ad d. §. Proindè:* Immò Ludovicus Molina *tom. 1. de Iust. tract. 2. disp. 195.* asserens Communitatibus Fratrum Minorum, quæ nullatenùs possunt hæredes institui, posse tamen legata in eleemosynas relinqui; nullam aliam præfinit limitationem, nisi mox *suprà* allatam ex *Clement. Exivi:* cum tamen addere debuisset, & illam primam ex Nicolao III. tanquam necessariam puritati status, & Professionis eorundem Fratrum. Et cum Molina, quoad hoc, sentit Iodocus Lorichius *in suo Thesauro novo vtriusque Theologiæ, tom. 2. lit. L. tit. legatum, num. 8.* Sed fortè hi Doctores loquuntur de legatis sub modo, & forma simplicis legati relictis; non sub modo, & forma vsusfructus legati. Et sic eam dumtaxat limitationem bene assignant.

5 An verò recipere annuatim, ut sic, & ex quacúnque obligatione, vel certitudine de rebus sub modo, & forma simplicis legati relictis, cum limitationibus, aliísque moderaminibus requisitis, repugnet Conditioni, & statui Fratrum Minorum; ex dicendis constabit, etiam ad hominem, contra Sanchez, *infrà, art. 3. §. 7.* Sanè autem ex Nicolai textu *eo cap. Exyt:* aut ex Clementis *ea Clement. Exivi:* hactenùs minimè apparet, quòd sic.

6 Illud equidem ex *primo textu* dilucidè habetur, *in §. Ad hæc, quia:* quòd si quis leget v.g. pecuniam pro Fratribus, seu pro Fratrum necessitatibus expendendam; vult Pontifex, quòd ad tale legatum solvendum tàm hæredes testatorum, quàm executores se liberales exhibeant, ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur. Neque exprimit, aut distinguit Pontifex de hujusmodi legata pecunia, an scilicet vno anno, vna vice tantùm, an verò annuatim, pluribus vicibus, aut annis, sive determinatis, putà ad decennium, vel quinquennium, vel ad vitam alicujus personæ; sive indeterminatis, & in perpetuum, pro Fratrum necessitatibus expendenda sit: Sed generaliter loquitur, aut saltem indefinitè: & indefinita oratio prolata à lege æquipollet vniversali: *l. si ita relictum: ff. de leg. 2. & l. si pluribus: ff. de leg. 1.* & ibi Bartol. & *l. Cæsar: ff. de publicanis:* Decius *in l. 1. ff. de reg. iur.* Iason, Gomez, & communiter Doctores *in dictis l. l.* Gloss. *in cap. ut circa: in principio, de elect. in 6.* sed latissimè Dynus *in Rubric. ff. de reg. iur.* ubi & Ancharanus, & Philippus de Franchis: tametsi non æquipolleat de proprietate sermonis, sed ex interpretatione; ut appositissimè observat Christophorus Torniola *1. par. Consilior. cons. 26. num. 14.* cum Bartolo, Curtio, & Corneo. Ubi autem lex, Canónve non distinguit, aut excipit, aut limitat, vel gravat, sed generaliter loquitur, vel indefinitè; nec nos distinguere, aut excipere, aut limitare, vel definire aut gravare, sed generaliter, vel indefinitè (ut loquuntur) eos textus intelligere debemus; provt tradit *Torniola cit.* & famigeratum est apud Iuristas, ex *l. de pretio: ff. de publiciano in rem act.* ubi Gloss. & Bartolus; itemque ex *l. non distinguemus, ff. de receptis arbitris; l. preces: ff. de offic. Præsidis; l. 2. §. convenire: ff. de Iudicijs; l. in fraudem: §. vlt. C. de testam. militis; & l. 1. ff. de aleatoribus;* (ut refert Antoninus Diana *p. 4. tract. 4. Miscellan. resolut. 243. & p. 6. tract. 1. resolut. 5. §. Ad 2. argumentum:*) & ex Gloss. *in cap. consuluisti: 2. q. 5.* (teste etiam Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 22. num. 5.* (Nisi addantur in ipsa lege verba limitantia illam. Concordat Michael Ferro *in suis quæstionibus moralibus, & Vicarialibus p. 2. quæst. 50. n. 3. & q. 3. n. 2. & q. 118. n. 3.* ubi etiam ait: Qui se fundat in limitatione, illam ostendere, & probare debet: ex Rota; ut per Seraphinum *decis. 116. n. 9.* qua non ostensa, illæsa remanet regula (seu lex, Canonvè) simpliciter, & indefinitè posita quæ ubi non distinguit, nec nos distinguere debemus; ex *regula Iuris*, & quod non mutatur, quoi sum stare prohibeatur? Et ratio est, quam affert Suarez *in tract. de legibus lib. 3. cap. 13. n. 8.* quia scilicet lex indefinitè lata, & nihil distinguens, per se loquendo, extenditur ad omnia, quæ sub verbis ejus comprehenduntur. Vel (ut ait Torniola *dicta p. 1. cons. 82. n. 3.*) ubi lex non excipit, nec separat, nec reservat, omnia veniunt, quæ sub verbis ejus concipi possunt: *l. Gallus: §. quidam rectè: ff. de liberis & posthum.* Videatur etiam Gloss. *in cap. quòd si dormierit: 31. quæst. 1.* ubi expressè habetur, quod non licet alicui definire, vel determinare, vel excipere, quod Canon non excipit, vel definit, vel determinat. Denique sicut ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur; intelligitur denegatum; ut est Regula *in Clement. Exivi: §. Porrò:* ita è contrario, ubi aliquid generaliter & indefinitè conceditur, quòd expressè non prohibetur, in eodem genere, intelligitur concessum, & non negatum. Quod eò, vel maximè in præsentiarum locum habere perhibetur; quia Nicolaus ipse *eo cap. Exyt: §. Itáque sub pœna:* districtè præcipit, ut ea sua ipsius Constitutio, cum legi eam contigerit, sicut prolata est, sic fideliter exponatur ad literam: prohibens etiam, ne super ea Glossæ fiant; (nisi forsan per quas verbum, vel

vel verbi sensus, seu constructio, vel ipsa Constitutio, quasi grammaticaliter ad literam, vel intelligibiliùs exponatur) nec intellectus ipsius per legentem depravetur in aliquo, seu distorqueatur ad aliud, quàm litera ipsa sonat.

7 Præterea Rubrica hujus Decretalis est generalis: vtrùm scilicet (inquiens quod ad nos spectat) Fratres Minores aliquid proprium habere, & pecuniam recipere; legatáque sibi relicta agnoscere valeant? Ergo etiam Nigrum, seu lex ipsa debet intelligi generaliter, in ijs scilicet, quæ in ipsa non excipiuntur: Exceptio enim ipsa firmat etiam regulam in omnibus alijs casibus non exceptis: 32. q. 7. *cap. Dominus:* & notat Decius *in reg. 1. ff. de reg. iur.* cum Bartolo, Alciato, Alexandro, Angelo; & Turniola *consilior p. 1. cons. 6. num. 122. & cons. 9. num. 3. & cons. 84. num. 21.* ex *l. quæsitum: §. Denique:* ubi Bartol. *ff. de fundo instructo:* & ex *cap. cum dilecta:* ubi Abbas, & Decius, *de confirmat. vtili, vel inutili:* not. Gloss. *in l. 1. C. de condictione indebiti:* cum *concord.* ut per Decium *in d. l. col. 3. in fin. & col. penul. de regul. iur.* Alexander *cons. 130. col. 3. lib. 4.* Ripa *in l. si constante: num. 80. & 81. ff. soluto matrim. quemadmodum dos pet.* & Covarruvias *variar. resol. lib. 2. cap. 5. col. 7. in fin.* Jason *in l. si is, qui: ff. de vsucapion. n. 51.* Et licèt eam non amplietur ut tradit idem Jason, ex *l. illud elegantes: ff. Quod quisque iuris: num. 9.* & Turniola *cons. 9. cit. num. 16.* ex *l. generali: §. vxori:* ubi Bart. *ff. de vsu, & vsufructu legat.* & not. Bart. per illum text. *in l. Lucius: §. 1. ff. ad Senat. consul. Trebellianum*, cum *infinitis concord.* ut per Decium *cons. 379. col. 2. in fin.* tamen illam declarat, in quibus terminis loquatur: *l. nam quod liquidè: § fin. ff. de pœna legata*, Bart. *cons. 52.*

8 Quòd autem, quando Rubrica est generalis, seu indefinita, etiam Nigrum, seu lex debeat generaliter, seu indefinitè intelligi, ubi non excipit; not. Bart. ex Gloss. *in l. vnic. C. de capitat. Civium censib. eximen.* & latè traditur per Jasonem, quem allegat Gomez, *de Action. §. Rubrica: n. 5.* & per alios Doctores *in l. 1. ff. si certum petatur.* Et ex verbis Rubricarum licitum est arguere; ut ex Glossis, Angelo de Aret. Bart. Baldo, Burrio, Ioan. Andr. & aliis latè prosequitur Jason *super tit. de Actionibus, §. Rubrica: à n. 8. & seqq.* non solùm autem, quando Rubricæ habent orationem perfectam, & decisivam quæ possunt allegari pro decisione sicut textus, sed etiam quando nun habent orationem perfectam, sed tantùm formant quæstionem, (ut in præsenti) quæ quamvis non possint allegari, ut textus, ad decisionem causarum, potest tamen ex ipsis argui multipliciter: Primò scilicet ex ordine earundem Rubricarum: Secundò ad declarationem Nigri, ita ut, si verba Nigri sunt dubia, declarentur per Rubricam: Tertiò potest argui pro elicienda veriori lectura ipsius Nigri; ut quando lex habet plures lecturas, illa approbetur, & verior censeatur, quæ magis convenit, & adaptatur Rubricæ. Videatur *Iason cit.* quoad hoc latiùs disserens; sed & Joannes Oitocomus *super Instit. Imper. lib. 4. tit. 6. in Rubr. & princip. tit. de Action. n. 14.*

Quoad intentum verò nostrum in præsenti Corollario, videatur etiam Augustinus Barbosa, *de officio, & potest. Episcopi, p. 3. allegat. 82. num. 36* ubi, quantum ex præcipuis recensens privilegium, quæ specialiter favore piæ causæ legatis hujusmodi supra cætera legata communiter à Doctoribus, & Iuribus conceduntur, ait: Ei, qui hæres institui de iure non potest, quandóque tamen legari potest ad pias causas; veluti Religiosis, qui nec in communi proprium obtinere non possunt, & ideò nec hæredes institui: legari tamen eis potest, ita tamen ut non videantur hæredes institui: Quare non poterunt eis bona immobilia legari, (intellige tamen cum expressione modi in legando, ita ut ea ipsi retineant; secundum declarationem Nicolai III. *eo cap. Exijt: §. Ad hac quia:*) nec tantæ pecuniæ quantitas, quæ in bonis stabilibus magnæ æstimationis possit impendi; nisi pro fabrica, aut alio certo casu relinqueretur. Ita ille, allegans *Clement. Exivi: §. Cupientes: de verb. significat. in 6.* Sanchez, & Rotam *in Romana Computorum 10. Aprilis 1630. coram R. P. D. Merlino.* Ubi vides, nullatenùs excludi annua legata, nisi fortè ea talia fuerint, ut rationem habeant annuorum redituum, ac proindè bonorum immobilium, ideóque eorundem sub appellatione excludantur. Quæ qualia censenda sint, ampliùs in sequentibus enucleabitur. Interim ex his facilè hic obiter quisque colliget, quàm immeritò, & frustrà sese cum suis asseclis arctent qui hac de re agentes supponunt, Fratres Minores ad ea tantùm legata posse institui legatarios, quæ vnica solutione, seu præstatione, implenda relinquuntur.

9 (margin number beside "Quoad intentum")

§. V.

Corollarium alterum.

SVMMARIVM.

1 *In legatis piis Fratribus Minoribus relictis ni valeant salva puritate status paupertatis, quid attendi & fieri debeat, tam circa mobilia, quam immobilia.*

2 *Legatum rerum mobilium Minoribus relictum dupliciter consideratur: & vtroque modo sustineri potest, prout declaratur,* ibid.

Idemque

Idemque est de donatione pia inter vivos. ib.

3 *Legatum rerum immobilium dictis Fratribus relictum modò testator expresserit modum licitum, valet.*

Idemque dicendum de donatione inter vivos. ibid.

Et quis dicatur modus licitus in hac materia. ibid.

In dubio modus licitus intelligi debet, ibid.

Et qua ratione rès legatæ, vel donatæ, retineri, aut vendi, aut permutari possint aut aliàs converti & impendi pro necessitatibus Minorum, ibid. & n.4.

4 *Quid de legato, vel donatione pecuniæ numeratæ? Et qualiter impendi debeat vel ad necessitates expressas, vel ad alias.*

5 *In transmutationibus rerum Minoribus legatarum, vel donatarum, requiritur consensus Benefactorum, seu hæredum, aut Executorum ad id deputatorum.*

Et licentia Ministrorum Provincialium, aut Custodum.

6 *Quid si legetur, aut donetur Missale Fratri laico? vel prædium Fratribus in communi, quod ipsis non convenit, seu quo uti non possunt? Declaratur.*

De legatis præsertim pys subducitur impossilitas, vel modus impediens eorum executionem, & mutuatur in alium possibilem, ibid. & n.7.

7 *D. Bonaventuræ authoritas adducitur in confirmationem prædictorum.*

8 *Distinctio inter legatum annuum simpliciter relictum, & usumfructum annuum, omnino observanda in hac materia legatorum Minoribus relictorum.*

Pecunia in Montibus pietatis, vel aliàs collocata ad censum annuum inter bona immobilia reputatur, ibid.

9 *Vsusfructus Armentorum, gregum, aliarumve rerum pretiosarũ, FF. Minoribus est interdictus. Quod declaratur remissivè,* n.10.

11 *Legatum annuum pecuniæ Parocho vel alteri Sacerdoti relictum sub onere celebrandi Missas in perpetuum sub certo annuo reditu, validum est.*

Fratribus tamen Minoribus est interdictum, ut declaratur, ibid.

1 QVoniam igitur Fratres Minores, sul puritate status salva, ac professione incolumi, aliquo modo, ut præfertur, capaces eorum perhibentur, quæ ipsis interdum in vltimis voluntatibus legato relinquũtur, nisi modus illicitus (eorum conditione inspecta) in legando exprimatur; aut ea, quæ legantur, excessivæ sint quantitatis, vel æstimationis, ita ut in fraudem præsumi possint aut hæreditatis, aut suæ ipsorũ paupertatis; ut dictum est: Ea verò, quæ à morituris legantur, vel immobilia sunt; hic quoque statim adijciendum censeo, qualiter tùm circa mobilia, tùm circa immobilia hujusmodi, Fratribus ipsis relicta, (vel etiam donatione inter vivos exhibita) habere ipsi se debeant, juxta prænotatorum Canonum amussim.

Mobilia igitur (ut ab his exordiamur) in 2
duplici possunt differentia considerari, respectu Fratrum Minurum: Quædam enim sunt, quorum usus in propria substantia, sive specie Fratribus, vel necessarius est, vel licitus; cujusmodi sunt ex. gr. pannus, corium, panis, vinum, caro, pisces, oleum, & similia: rerum igitùr hujusmodi sibi relictarum subsidium possunt Fratres recipere cum moderaminibus requisitis, juxta præsentes, vel imminentes necessitates, temporumque, & locorum exigentiam: Si autem legata sint de ijs rebus, quarum usus in propria specie aut Fratribus in Regula est interdictus, aut suapte naturâ non convenit; ut sunt v.g. denarij, equi, arma, & alia hujusmodi; possunt Fratres ejusmodi res legatas admittere, in suas necessitates præsentes, vel immineutes per congruas personas extra ordinem, auctoritate testatoris legantis (vel largitoris inter vivos dunantis, si hujusmodi res à quopiam dono dentur) convertendas; ita ut scilicet equi, vel arma, vel alia hujusmodi, quæ denarij non sunt, distrahenda sint, & convertenda, ut mox dictum est; sive illa redigendo ad denarios expendendos, ut suprà; sive commutando ratione pecuniæ in res Fratribus necessarias.

Et idem dico de rebus immobilibus, si mo- 3
dum licitum Fratribus in legando, vel inter vivos donando, testator, vel donans expresserit: putà si dixerit: lego, vel dono Fratribus Minoribus domum ad inhabitandum, hortum ad olera indè habenda, vel ad se recreandos; aut vineam, vel agrum per idoneas personas distrahendum, & in alia Fratribus ipsis necessaria convertendum; ut in ædificia, vestes, & similia necessaria. Si verò Fratribus ipsis generaliter aliquid hujusmodi absque modi ullius, sive liciti, sive illiciti, expressione legetur, aut inter vivos donetur, illud sub modo licito intelligendum est Fratribus esse relictum, aut donatum; atque adeò de ipso agendum uti mox dictum est, ex declarationibus allatis Nicolai III. & Clementis V. & tradit apertè speculator *in tit. de statu Monach.* §. 1. *vers.* 3. ita ut, si Fratribus relinquatur titulo legati, aut donationis inter vivos detur, verbi gratia domus ad inhabitandum, aut hortus Conventui ipsorum fortè contiguus ad habenda indè olera, vel ad se recreandos; si indigent, possint recipere: si verò jam domum habeant, & horrum sufficientem, possit domus illa, vel hortus per

congtuas personas vendi,& pretium converti in alias Fratrum necessitates; ut benè post Nicolaum III. sustinent Bartol. *lib* 2. *Minoric.qq. dist.*4.*c.*1.& alibi,& *in l.Iulianus:§ constat:ff.de legat.*3.*versic. item adverte* : & facit Gloss. *in c.*1. *de religiosis, domibus V. Domum* : Abbas *in cap.in præsentia,de probat.*& in *Clement.Exivi:* & Petrus de Anchar.*in d.Clement.Exivi:*& in *cap.*2.*de Testamentis:* Angel.Aret.*in l.Stichum: §.stipulatio:ff. de verbor. obligat.* & in *Authent. de Ecclesiast. titulis*, §. *Si quis autem : in fin.* & Imola,& Romanus in *d l.Stichum.* Baldus item *in Authent.ingressi:* & alij,quos allegat Felinus *in d. cap. in præsentia* : qui quamvis videatur contrarius,tandem subscribit sententiæ *Bartoli,& Petri de Anchar. cit.* cum moderaminibus requisitis ut cautum est *suprà.* Concordat Rota apud Butatt.*decis.*245. quam affert Cæsar Carena *resol* 199.*n.*6. quippe quæ in casu simili, cujusdam scilicèt census, seu annui reditus legati sine alia expressione Domui Professæ Societatis Jesu,censuit,decrevítque,tale legatum factum ad effectum vendendi talem censum, seu annuum reditum, & pretium convertendi in necessitates religiosas. Atqui idem tenent expressè, quoad Fratres Minores, Bartolus, Paulus de Castro, Alexander, Calcan. Parisius, Cynus, Bertrandus, Petrus de Ubaldis, & Corneus, quos allegat, & sequitur Antonius Gabrielius *lib.*4.*de Legatis*, *concl.*1.*n.*1.*&* 3.

4 Atque idem dico, si Fratribus Minoribus relicti sint, vel donatione inter vivos exhibiti denarij pro aliqua causa,cui jam satis per aliam eleemosynam factum sit: posse videlicet denarios illos in alias Fratrum præsentes, vel imminentes necessitates expendi; ut cum *Politio*, & *Bartolo*, tradit Cyprianus Crousers noster *ad cap.*6. *Reg. lect parænet.*7. Et iterum quoad prædicta de domo, vel alia re immobili Fratribus legata, vel donata, cujus usus in propria specie non sit ipsis aut necessarius, aut conveniens,favet Abbas 2.*p.Consilior.consil.*17. *n.*3. ex Speculatore *in d. tit. de statu Monach.* §.1.*vers.*3. & Joannes Andreæ *in addit.* & ex Gloss. notab.*in cap.*1.*de relig.domib.*super verbu, *Domum*; quæ dixit, quòd si domus legetur istis Mendicantibus (scilicet Prædicatoribus, & Minoribus) possunt capere, ut vendant; cum ex eleemosynis vivere debeant. Et facit (inquit) quod legitur, & notatur in *l. filius* : §. *si quid* : *ff. de lega* : 1. *& l. mortuo* : §. *Labeo* : *ff. de lega* : 2. *& l. ab administratione* : *C. de legatis*; *& l. apud Iulianum* : *in fin.* cum *l.seq.ff. de lega.*1. in quibus legibus habetur, quòd si legetur res alicui, cujus commercium sine culpa ipsius non habetur, debetur æstimatio. Et hanc opinionem *Speculatoris* apertè etiam sequitur Antonius de Butrio *in cap. in præsentia:de probation.*& Gaspar de Calder. *ibi* : ita ut debeatur dicta æstimatio, sin minus de jure actionis civilis Fratribus competentis, saltem ut implorent Judicis officium, scilicet notabile, non mercenarium. Consentit Cynus *in l.Deo nobis : C.de Episcop. & Cleric.* & Baldus exquisitè prosequitur *in Authent.Si qua mulier : C. de sacrosanct. Ecclesijs.* Et quidem hi omnes docent conformiter ad mentem, & declarationem Nicolai III. *eo* §. *Ad hæc quia* : ut scilicèt nec legens, aut donans merito; nec Fratres ipsi pauperes opportunis subsidijs fraudentur.

Veruntamen cavendum est, ne hujusmodi transmutationes rerum legatarum, aut donatarum(causa occurrente ut suprà)in alias necessitates fiant à Guardianis, vel Fratribus privatis, quibus casus contigerit, sine consensu donantium, aut hæredum, vel executorum, qui in huc funguntur vicibus Testantium mortuorum; minùs autem sine licentia Ministrorum Provincialium, aut Custodum: quibus solis, nō autem Guardianis, etiam cum tota Familia, vel Conventu, de Fratrum necessitatum exigentijs judicare competit, ut alibi dicetur *ex cap.Exijt: §.Insuper nec vtensilia:* & docent communiter nostræ Regulæ Expositores, Crousers *cit.* Politius, Sanctes Romanus, & alij. Immò nullatenùs debent Fratres, neque per Syndicum, intromittere se in hujusmodi transmutationibus, vel distractionibus; sed eæ debent omninò per hæredes, vel executores fieri, ut alibi docemus, §.22.*n.*32. 5

Ex dictis etiam colligitur, quòd si legetur, aut donetur Fratri laico v.g. Breviarium, vel Missale, vel aliud quidpiā, quo ipse uti nō possit; quia scilicet repugnat cōditioni, & statui ipsius; cum tamen non repugnet statui, & conditioni Fratrum in communi, acceptari illud poterit, & Fratrum, quibus convenit, usibus applicari, ut præfertur. Itemq; si legetur Fratribus in communi ex.gr. domus ad inhabitandum, aut fundus aliquis, ad domum conventualem, vel Ecclesiam ædificandam, in aliquo oppido, in quo propter ejus tenuitatem nunquam essent Fratres habitaturi, vendi posset hujusmodi domus, aut fundus, & in alia loca Fratribus aptiora, vel in alias ipsorummet necessitates sublevandas converti, modo prædicto. Atque hæc doctrina, tanquam in Jure fundata, benè traditur à *Crousers cit.* ex Politio *ad c.*6.*Reg.n* 64. Nam, secundùm jura, omnis de legatis, præsertim pijs, subducitur impossibilitas, vel modus impediens eorum executionem; ut *l.obtinuit : ff.de conditionibus,& d monstrat.quæ in testam.scribuntur: & l. reprehendenda : ff.de institutionib. seu restitut. sub conditione factis.* Et debet transmutari in alium modum possibilem, & non impedientem : *l. legatum : ff. de vsufruct. leg.* Quod adhuc ampliùs à nobismet tradetur *Artic.*3. §.8. 6

Videatur

7 Videatur in confirmationem dictorum S. Bonaventura *in libello apologetico contra eos, qui Ordini Fratrum Minorum adversantur, q.14. in respons.* ubi sic loquitur: Quædam dantur nobis, quibus nunquam in illa specie uti volumus; ut vestes sæculares, & libri nobis non apti; vel etiam aliqua superflua victualia, quibus fortè non indigemus ad præsens: Ista si nolunt Fratres recusare propter devotionem dantium, potest Procurator vice illorum (idest illorum substitutus) servare, sicut pecuniam pro Fratribus ei commissam, ut suo tempore indè provideat eis, quibus indigent, ex parte (idest auctoritate) illorum, scilicèt dantium. Ita Seraphicus concordat Clemens V. *in Clem. Exivi: §. Licet verò: vers. Circa equorum verò:* Vide dicta *infrà hîc*, §.23. *vers. decimò, si quæratur num.*18. *&* 19.

8 Præterea valdè advertendum, distinguendúmque hîc est, inter legatum annuum simplex de aliqua re mobili quotannis per hæredem, vel gravatum legatario præstanda; & legatum annuum, quod est annuus ususfructus legatus: lõgè quippè alterum ab altero differt; ut probè norunt, tradúntque Juristæ. Aliud ea propter erit, si legentur Fratribus Minoribus fructus annui certi cujuspiam fundi, aut annuæ pensiones alicujus census, seu reditus annui certi, & constituti: aliud verò erit, si ijsdem relinquatur simplex annuum legatum, cujuscúnque scilicèt rei mobilis, ut panis, vini oleivè, aut carnis, vel hujusmodi rerum, præsertim in propria specie Fratribus utibilium; gravando hæredem, vel Executorem illud quotannis solvere. Nam hoc secundum legatum erit de re Fratribus ipsis licita, quoad usum, etiam in propria specie. Unde seclusa acceptatione politica, & acquisitione juris, seu tituli legati ad talem rem legatam in futurum percipiendam; sola manente obligatione hæredis, vel gravati, propter ordinationem, & dispositionem testatoris, poterunt Fratres annuatim percipere talem rem sibi præstitam, cum moderaminibus requisitis: (& idem dic de annuo subsidio certæ denariorum summæ annuatim ex legato solvendæ, & convertendæ in Fratrum necessaria) pro ut ampliùs probabitur *in sequentibus*. Primum verò illud legatum erit de re inter immobilia computata à Jure, cujus idcircò vel simplicis facti usus est Fratribus interdictus (conditione considerata, & statu ipsorum) & quidem ex Regula, cùm in ea ipsis non reperiatur concessus; secundùm declarationem Clementis V. *in eo §. Proinde: Vers. Cùmque annui reditus:* Neque ideo desinit inter immobilia computari, ususque illius esse verè ususfructus legatus, secundùm formam legandi, à testatore servatam; quia nullum Ius Civile ad annuos illos fructus, annuasve pensiones indè provenientes percipiendas, Fratribus, aut cuipiam alteri ex parte ipsorum acquiratur. Atque adeò Fratres ipsi, vel sic, hujusmodi annuos fructus, pensionésve annuas percipientes per se, vel per alios, censerentur de facto, sin minùs de jure, usufructuarij illius fundi, vel censualistæ, aut censitores illius census, seu reditus. Et de hujusmodi legatis loquitur P. Joannes de Fano *in suo brevi discursu super observantia minoritæ Paupertatis*; ubi ait: de reditibus annuis dicit Clementina, *Exivi:* & Bartolus *in Minoricis quæstionibus*, & Panormitanus *in cap. nimis prava: de excessibus Prælatorum*, quòd Fratres nullo modo sunt capaces. Et dat exemplum de legatis factis Hospitali S. Mariæ de Scala de Senis, cum perpetua obligatione danti certum quid Fratribus; cujus Fratres non sunt capaces. Confirmat hoc Capistranus *c.6.* Hæc ille. Et quidem jure optimo; quia pecunia non otiosa, sed fructuosa, qualis est, quæ in Montibus collocatur, vel alicui Censuario, aut hospitali datur, vel relinquitur, cum pacto censitæ annuæ pensionis solvendæ, est apud Iuristas verum bonum immobile, ut bene tradit Filliucius *tom.2. in Append. de statu Ecclesiast. tract.*44. *de alienatione rerum Ecclesiasticarum, cap.*4. *num.*26. ex Alexandro, Jasone, & Ripa *in l.1. §. quæsitum: ff. ad senatusconf. Trebellianum.*

Idem dic, si legentur Fratribus Minoribus armentorũ, gregumvè fructus annui: licèt enim hujusmodi armentorum fructus, putà butyrũ, agni, vituli, lana, &c. in se res mobiles sint, sintq; etiam fructus rerum in se mobilium, nõ autem immobiliũ, aut inter immobilia computatarũ (nisi fortè armenta illa, jumenta, gregesvè fuerint affixa prædijs: quo casu, tanquam ipsorum prædiorum partes computantur, ac proindè immobilia bona censentur à Iuristis, ut tradit Vincent. Filliuc. *cit. c.5. n* 27. & Mol. *tract.2. de Iust. disput.*465. *n.*3.) sunt tamen adhuc fructus bonorum mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt; ut placet Ludovico Molinæ *cit. num.*4. contra *Filliuc. cit.* Cúmque usus vel simplicis facti, non solùm immobilium, aut inter immobilia computatarum rerum, sed etiam pretiosarum, sit Fratribus Minoribus interdictus per altissimam, quam profitentur, Paupertatem; ut declarat Clemens V. *eo §. Licet verò:* & patet ex *testamento Seraphici Patris Francisci*; & *brevi discursu P. Ioan. de Fano cit.* & ex communi consensu Expositorum Regulæ: hinc est, quòd vel simplicis facti usus hujusmodi armentorum (qui prætereà, si legato relinqueretur Fratribus, esset ususfructus legatus, cujus ipsi Fratres sunt penitùs incapaces, etiam quoad simplicẽ usum; ut benè Quesada *in suis Quæstionibus varijs juris, c.*22. 9

n.21.& 22. apud Sanchez *in Decal. lib.7. c.26. num.36.*) est Fratribus ipsis illicitus.

10 Proindè in legatis annuis, præsertim perpetuis, quæ pro Fratribus Minoribus relinquuntur, valde in primis attendendum est ad modum, seu formam, quam testator tenuit in exprimendo legato; ut ritè judicari possit, an Fratres sint capaces, néc ne: an debeat tale legatum à Fratribus respui, an verò vendi, & pretium in ipsorum necessaria expendi. Quæ omnia *in sequentibus* dilucidabuntur; præsertim verò *in limitatione primæ conclusionis*, §.23. ubi enucleabitur modus dignoscendi, quonam sit simplex annuum legatum, quis verò usus-fructus legatus annuus? Vide etiam *in Append. Pract. Cas. alt. §.6. per totum.*

11 Hic interim denuò advertendum moneo alium casum, qui contingere facilè potest: ut si legetur pecunia Parocho, vel Beneficiario alicujus Ecclesiæ, aut alteri cuipiam Sacerdoti, ut perpetuò singulis mensibus, vel hebdomadis tot Missæ pro anima legantis dicantur, & quòd ex lucro illius denariorum summæ ad rationē quinque pro centum quotannis dici poterunt: est quidem legatum tale licitum in se; quia licet legare usumfructum pecunię: *l.1.& 3.ff. de usufructu earum rerum, quæ usu consum.* & quia tale onus licitè adijcitur: *arg. c. significatum: de Præbend.* ut tradit Navarr. *tom. mihi 1. Comment. in 2.p. Decreti, de 7. præcep. Decal. c.17. n.257. §. Ad quæsita:* At non est licitum Fratribus Minoribus, etiamsi ea pecuniæ summa relinquatur alteri, putà Xenodochio, aut cuipiam privatæ personę, quę stipendium, seu eleemosynam ex tali lucro teneatur solvere quotānis Fratribus ipsis; modò legatum hujusmodi fructus, vel lucri factū sit directè ipsis Fratribus. Et ratio est, quia sic est ususfructus pecuniæ Fratribus legatus, cū onere Missarū, cujus Fratres sunt incapaces, nō solū de jure, sed etiā de facto. Unde ab ipsis est respuendū, nec possūt recipere, nisi prout dicetur etiam de hæreditate *in sequentibus in responsione ad primā objectionē, §.29. & 31.*

12 Atque hæc de legatis, quæ pro Fratribus Minoribus relinquuntur, hic per transennam indicâsse sufficiat: quæ tamen adhuc apertiùs per totum istud Consilium in palam fient.

---

§. VI.

Corollarium Tertium.

SVMMARIVM.

1 *Minores regulariter sunt incapaces bonorum immobilium, vel etiam mobilium quæ pro immobilibus habentur.*

2 *Minores sunt capaces possidendi hortalitia, dūmodo non transeant in reditū annuum.*

3 *Minoribus non licet ex vinis, aut olivis, vinum aut oleum conficere, etiam ex proprijs hortis provenientibus, & ad suos usus.*
Neque ex pomis siceram, vel ex hordeo cervisiam, num.4.
Secus si uva exprimerentur ad condimentum cibi, vel synapis, num.5.

6 *Minores non possunt hortos monasterijs suis non contiguos possidere*, & n.7.
Nequidem ad usum ægrotantium, aut convalescentium, ut declaratur, n.7.
An liceat habere sylvam contiguam cæduam ad usum Conventus, ibid.

8 *Minoritæ an possint serere legumina ad proprios usus in hortis Conventus contiguis.*

9 *Minoritæ non possunt licitè serere frumentum, vel hordeum in suis hortis, ut maturescant usque ad messem.*
Secus si in herba consumantur ad aliquem usum ipsorum Fratrum, n.10.
Quid de Alvearibus pro usu & necessitate Fratrum, num.11.

12 *An liceat Minoritis nutrire gallinas in suis hortis, ad percipienda ova pro suis necessitatibus repentinis: & similiter pullos pro infirmis.*
Quid de columbis, turturibus, alijsve id genus animalibus, ibid.
Quid de porcis, sive de jure, sive de consuetudine quorumdam locorum, n.13.

14 *Minoritæ an possint habere piscinam, ad instar Domus Professæ Societatis Iesu, saltem ad honestam recreationem.*

15 *Domûs Professionis Societatis Iesu, multa possidere possunt absque præjudicio voti paupertatis, quæ Minoritis denegantur, ut ex dictis constat*, in toto hoc §. 6.

EX superioribus liquet, Fratribus Minoribus (suæ ob ipsorum Regulę, obque ordinis puritatem) non esse licitum usum, etiam de facto simplici bonorū immobiliū, aut eorū quę inter immobilia cōputantur: ut sunt annui census, vel reditus formaliter sumpti; aut etiā fructuū, redituūvè materialiter sumptorū qui ad naturam, & formam proventuum, bonorumque immobilium appropinquant: exceptis Ecclesia ad divinum cultum exercendum; domo, seu Conventu ad habitandum, hortóque, vel area competenti ad recollectionem, vel recreationem sui, & interdum ad seipsos post speciales labores orationis, ac studij corporaliter deducēdos, necnō ad habēda necessaria hortalitia, seu olera pro se ipsis. Qua in re aliqua sūt certa: aliqua verò in dubium revocari possunt. 1

2 Certū est primò, posse Fratres Minores vesci ex hortalitijs, oleribus scilicèt, & fructibus hujusmodi horti sibi concessi; (& hoc absque ulla alia limitatione, nisi ne ejusmodi hortalitia, seu fructus pretio distrahantur, ita ut naturam,

&

& formam præferant redituum, vel proventuum, videanturque Fratres uti illo borto, tanquam Possessione, seu fundo adinstar divitum hujus sæculi) comprehendendo etiam vuas, olivas, & fructus alios, qui etiam per totam byemem conservantur, fructúsque hyemales nuncupantur.

3 Non tamen liceret ex vuis, (etiam superfluis, quæ caveri debent, ne adsint) aut olivis, vinum, vel oleum exprimere; quia hæc expressè probibentur, & redituum nomine comprehendantur, quippè quæ appropinquant ad naturam, & formam proventuum, etiãsi non vendantur, ut observat Cardin. Zabarella *in Gloss. ad illum §. Licet verò: Clem. Exivi:* & benè; qui enim triticum, & vinum, quorum nomine panis, & potus usualis venire perbibetur, ex fundo aliquo habet, is dicitur habere Possessionem, ex qua reditus babet ad ea, quæ potissimùm ad victum exiguntur, qui quamvis propriè proventus non sint, ut notat *Gloss. cit.* ad eorum tamen naturam appropinquant. Vide *infra num. 9.*

4 Quare ob eandem rationem idem dicendum, censerem, si ex pomis sicera fieret, vel ex hordeo cervisia, quæ in multis regionibus est potus usualis, & loco vini sumi solet; sicut & sicera, atque adeò viderentur proventus contra declarationem prædictæ Clementinæ.

5 Non tamen crederem esse contra eam, si ex aliquibus vuis fieret sapa (vulgò, *Vin cotto, Sapor di vino*) sive ad condiendũ aliquem cibum, sive ut cum sinape misceretur, & fieret condimentũ cum pomis, aliisvè frugibus, quod vulgò *Mostarda*, vel *Composta* appellatur: sicut licitum est etiã ex floribus, herbis, vel rosis aquã odoriferã vel medicinalem conficere, & alia hujusmodi.

6 Certum est secundò, hortum, vel aream ad prædictam Fratrum recollectionem, & recreationẽ, ac corporalem exercitationẽ post spirituales labores principaliter concessam, & licitã; secũdariò verò ad babẽda bortalitia necessaria; secũdùm cõmunem zelatorũ Regulæ sensum, atq; hactenùs constantẽ Religionis praxim, intelligi Cõventui Fratrũ contiguã, & annexam. Quod de facto paret; quia cùm Patres de Observãtia Brixiæ extra civitatẽ hortũ haberẽt, ab eorũ Superioribus provisum fuit, & ordinatũ, ut illud omninò abdicarent, tanquã Regulæ contrariũ. Cùm enim, ut dictũ est, secũdariò tãtùm & nõ principaliter possint Fratres babere hortos pro hortalitijs familiari usui cõgruẽtibus, si eos nõ babẽt Cõvẽtib⁹ cõtiguos, vel annexos, neq; possunt babere extra civitates, vel oppida, ubi Cõvẽt⁹ eorũ sũt. Cõcordat Portel. *infra cit.*

7 Quapropter habere vineolã, vel villulam aliquã à Conventu sejunctã in usum ægrotantiũ, aut ex morbo cõ valescentiũ, vel etiã ut Fratres animi recreandi gratiã in eam ad tẽpus se recipiant, ut videtur Fratribus Minoribus admittere Sanch. *lib. 7. in decal. c. 26. n. 19.* juxta praxim suæ Societatis; nequaquã est admittendũ apud nos. Videtur enim mihi superfluũ; cùm ad hoc sufficiant nobis Monasteria ruralia, vel suburbana aëris salubrioris, ad quæ mittatur ex morbo cõvalescẽtes. Præterquã, quòd id nõ exprimitur à Clemẽte *in eo §. Licet verò:* neq; ita omnes Doctores docent; ut ait *Sanch. cit.* nisi fortè Scriptores suæ ipsius Societatis, putantes eandem, quoad hoc, declarationem, sive Pontificũ, sive Patrũ Ordinis in suis constitutionibus, esse apud Fratres Minores, quæ in sua ipsorum est Societate; ut refert Joan. Card. Delugo *respons. moral. lib. 4. dub. 10. n. 1.* & Suar. *t. 3. de Relig. lib. 8. c. 17.* & Sanch. ipse *cit. c. 27. n. 4. allegatu Constitut. Societ. p. 6. c. 2. §. 5.* & *ibi in declarat. lit. L.* quibus concordat Castro Palao *Sum. mor. p. 3. tr. 15. disp. 3. pu. 10. n. 2.* Cæterùm ex Minoritis, neminem adhuc vidi, vel audivi, hoc suis Fratribus permittẽtem; quinimmò, ut dixi, ex communi praxi colligitur non esse eis permissum. Videatur Doctores nostri *locis cit.* & Corduba *ad c. 6. Reg. q. 10.* & alij cõmuniter. In nostro tamẽ Capitulo generali anni 1633. declaratũ fuit ex Doctrina Sanctis Romani *in c. 6. Reg.* per Clem. V. *§ Licet verò:* posse Fratres extra situm, & clausuram babere sylvam contiguam ad ligna præscindenda pro usu Conventus. Idem autem ipse dicerem, & quidem libentiùs concederem de horto ad habenda bortalitia, & olera pro Fratribus, extra situm quidem, & clausuram Conventus posito, sed contiguo, præsertim si ad illum pateret, vel daretur aditus, seu ingressus per ostium in ipso clausuræ muro confectum; & horrus coleretur à Fratribus. Atque hæc sunt certa, & citra controversiam.

Dubitari potest primò, an in prædicto horto Cõventui, ut præfertur, Fratribus, contiguo liceat si locus sit, legumina nõnulla ad usum ipsorum Fratrum, v. g. Ciceres, lentes, fabæ, pisi, & similia seminare? Ipse autem crediderim, hoc non esse contra mentem Clementis *in eo §. Licet verò:* Sunt enim & hujusmodi legumina fructus ipsius borti, pro quibus habẽdis ad vescendũ bortus ipse Fratribus est licitus, & cõcessus: neque deserviunt, nisi ad juscula, quæ ex ijs fiunt, sicut etiam ex caulibus, cucurbitis, & alijs oleribus, quorum aliqua, nempè radices cæpe, & allia, per totam hyemem conservantur. Quare non magis videntur ad reditus, aut proventus naturam, seu formam appropinquare, quàm alia olera; dum tamen non vendantur, sed in usum Fratrum tantummodò, & quidem in sua specie consumantur, nec superflua reponantur. Concordat Portel. *infra cit.*

Nequaquam tamen consentio ego *eidem Portello*, dum admittit, posse ex cicere, vel alio legumine panem fieri ad Fratrum esum, in locis v. g. ubi hujusmodi panis in usu est; sicut nec 8

potest in eodem horto seminari hordeum, vel frumentum, granumve aliud ad eundem finem; ut concedit ipse *Portel.* Eo modo quo dictum est *suprà*, non posse ex pomis, aut fructibus fieri siceram, vel cervisiam, neque ex uvis, aut olivis, vinum, vel oleum; etiam pro Ecclesia; propter rationem ibi allatam, contra eundem *Portel.* quia sapit Possessionum usum; ut ait Corduba *cit. part.* 2. qui & *part.* 3. refert in quodam Capitulo generali iussum esse, omnes vineas divelli, ex quibus Fratres vinum suo potui colligebant: teste etiam Sanchez *cit.* Quemadmodum & ipsemet audivi, censuisse aliquando veteres hujus nostræ provinciæ Patres succidendas esse in quodam nostro Monasterio aliquot olivas, ex quarum fructibus oleum, licet in parva quantitate, fiebat: sed toleratas fuisse, prout etiamnum tolerantur, ob parvitatem materiæ, & ob vitandum scandalum sæcularium. Quapropter saltem non licebit novas ibi olivas plantare. Videatur Laurentius à Portel. *in dubys Regul. V. Redditus annuales.*

10 Dubitari potest secundò: An possit in prædicto horto aliquid hordei, vel tritici seminari, non ut crescat ad messem, sed ut in herba adhuc deservire possit veris tempore ad aliquem usum, aut Fratrum servitium; & quidem in sua specie vel substantia? Crediderim, & id licere; quia sicut licet plantare vineam, & vesci uvis, modò ex ijs vinum non fiat; non video, cur minùs liceat ibi seminare aliquid hordei, vel tritici, vel similium, non ut fiat panis fratribus ad vescendum, neque ut granum pretio distrahatur; sed herba simpliciter, putà pro jumento aliquo, quod quandóque commodatam Fratribus, vel eorum necessitatibus deservierit. Hujusmodi enim iumenta, sicuti possunt alijs herbis, vel graminibus, quæ ex se in eodem horto nascuntur, vesci; quid ni poterunt herbâ etiam ex tritico, vel hordeo seminato productâ, ubi ratio aliqua id suaserit? Favet Card. de Lugo *cit. num.* 4. & Portel. *cit.*

11 Dubitari potest tertiò: An in eodem horto possint unum, aut alterum haberi apum alvearia, pro usu, & necessitatibus Fratrum; an verò hujusmodi apum fructus, mellis nempè, & ceræ censeantur proventus Fratribus ipsis illiciti? Et quidem, sicut de oleribus, & alijs horti fructibus, quibus in propria specie vtuntur Fratres, respondendum censeo: quòd scilicet haberi possint; ut mel & cera ad usus Fratrum tantùm deservire possint, cùm maximè, mendicando, eorum provisio necessaria ægrè fieri potest; ne Fratres adeò molesti sæcularibus sint, illa mendicando. Sanè autem id contra Regulam minimè esse putat Crousers noster *lect. parænet.* 6. *ad cap.* 6. *Reg.* Ita etiam censet de Lugo *cit. num.* 11. pro sua Societate Professa, quæ in hoc eandem cum Minoritis profitetur abdicationem. Apes enim (inquit ille) pascuntur floribus horti, & circumvicinis, earúmque fructus multùm plus videtur habere de industriali, quàm de naturali; cum neque sint bona stabilia, neque horto affixa, sed se moventia, & quæ in omnia loca possunt transportari; neque aliud ferè ad eos fructus habendos ab homine fiat, quàm præparare vas, seu alveare, in quod ipsæ sponte se recipiant, & ibi favos suos operentur, ut tempore opportuno extrahi possint, sicut extraherentur, quando in arbore campestri invenirentur. Ita de Lugo *cit.* Concordat etiam Corduba *cit. part.* 2. cum cautionibus, & causis assignatis. Veruntamen, cùm in nostro Capitulo, Generali anni 1633. proposita quæstione, vtrùm meliùs sit habere, & alere alvearia, & apum examina pro cera facienda, quàm pro illa recurrere ad amicos spirituales? responsum, & resolutum fuerit à Patrum Congregatione ad id deputatorum; quòd cum iste recursus sit pro re necessaria, & consequenter licitus, melius sit recurrere, quàm abusum illum introducere. Ad hanc resolutionem me remitto.

Dubitari potest quartò. An in eodem horto liceat Fratribus nutrire aliquas Gallinas ad habenda pro infirmis ova recentia, vel alijs necessitatibus repentinis, quibus commodè per mendicationem provideri non potest? Itémque an liceat nutrire pullos aliquos pro ijsdem infirmis: qui non ita commodè semper, cùm necessitas adest, sed certo tantùm tempore per mendicationem comparari possunt è sæcularibus? Affirmant communiter Regulæ Expositores; Corduba *cit part.* 2. ubi docet, non esse quidem Fratribus licitum nutrire agnos, oves, ut Fratres carnes edendas habeant, aut nutrire Gallinas, & columbas, porcos, vaccas, apes ad suum usum; sive illa ipsi nutriant, sive sæcularibus nutrienda tradant; nisi quando ratione necessitatis prudenter iudicaretur, talia esse moderatè nutrienda pro aliquali necessitatum levamine, ne adeò molesti sæcularibus sint: at licet nutrire gallinas pro infirmis. Hæc ille, cui concors est noster à Politio *ad cap.* 6. *Reg. num.* 44. modò (inquiens) scandalum etiam caveatur; itémque Crousers noster *cit.* qui neque contra Regulam esse putat, habere aliquas columbas, aut turtures, aliásve aviculas ad recreationem: tametsi ipse non probet; quòd Fratres hujusmodi rebus occupentur, alijsve animalibus ad recreationem, propter consequentias malas proprietates, & turbationes scilicet Fratrum, quæ plerumque tandem hujusmodi occasione occurrunt; prout optima rerum magistra experientia docet. Concordat 12

etiam

etiam Suarez *tom.3.de Relig.cap.17.n.14.* ubi in simili proposito pro Domibus Professis Societatis suæ loquitur hisce verbis: Parum pro nihilo reputatur; & ideo non est contra paupertatis votum in toto rigore, habere domesticas aves nonnullas, dummodò sint in parvo numero, ita ut ex eis non redundent fructus, qui simpliciter possint reditus appellari, nec absolutè pro sustentatione computari; sed magis ad recreationem, vel, ad summam, ad occurrendum alicui necessitati repentinæ: hoc enim, nisi in aliqua speciali regula sit expressum, non videtur absolutè repugnare Paupertati in communi, nec intentioni sic voventium. Sicut etiam non repugnat Religioni profitenti paupertatem hanc, ex domestico horto fructus aliquos colligere, vel olera ad proprium usum, quamvis ea vendere non liceat; ergo similiter dicendum videtur in prædicto casu. Hæc *Suarez*, quem scrupulosè (immeritò tamen) locutum censet Card. de Lugo *cit.n.5.* ac proinde minùs ipse scrupulosè incedens benignior, laxiorque est in multis concedendis pro eisdem domibus Professis Societatis suæ in hoc proposito. Ibidem enim statim *num.6. 7. & 8.* admittit in domibus ipsis Professis, posse ali in suis hortis gallinas ad habenda ex eis ova, & pullos pro toto etiam anno, non solum pro infirmis, aut valetudinarijs, sed etiam pro alijs necessitatibus, usibusvè occurrentibus; modò non vendantur; ut cavet *num.9.* Et probat hoc à priori; quia scilicet domui Professæ solùm prohibentur bona stabilia, & reditus, seu proventus. Gallinæ autem, præsertim in parvo numero, non possunt nomine bonorum stabilium comprehendi, nec earum ova, aut pulli dici possunt reditus, seu proventus, propriè loquendo. Quamvis enim greges armentorum, aut pecorum soleant inter bona mobilia pretiosa computari; & ideo non possunt sine facultate alienari à Religiosis domibus; ut tradunt Molina *tom.2. de iust disp.465. in fine*, & alij communiter; immò immobilibus æquiparantur, vel annumerantur; ut notavit Suarez *tom.4. de Relig.tract.8. lib.2. cap.27. num.19.* id tamen est; quia greges illi sunt fructiferi, ut reditus proprios habeant; atque ideò non minùs censentur, & dicuntur divites, qui multa millia armentorum, quàm qui alias possessiones, aut prædia fructifera habent. Non tamen fit idem iudicium de eo, qui gallinas aliquas domi habet, licèt ova, & pullos ea occasione lucretur. Hæc de Lugo *cit.* qui *num.seq.* idem cum proportione licitum asserit de aliquibus columbis: & quidem eò magis, (inquit ipse) quo in has minùs juris videtur habere dominus, quàm in gallinas; cum liberiùs possint evolare, & ad alia columbaria transire. Sicut ergo, si ipsæ spontè venirent, dum Sylvestres sunt, ut in domo, vel horto Societatis Professæ nidificarent, possent illis pabula apponi, nec esset obligatio ea expellendi; cur non possunt ad hunc finem aliundè asportari, dum non sint in numero ita exorbitanti, ut ex pullis viderentur reditus simpliciter resultare? Atque hæc iterum ille: cui concordare videtur etiam Castro Palao *Sum. mor p.3.tract.15.disp.3.pu.9. n.9.* quæ tamen ego pro Fratribus Minoribus non admitto, nisi quatenùs admittuntur ab allatis, alijsque Minoricæ Regulæ Expositiunibus. Alia enim adhuc, & quidem longè distans est ratio paupertatis Minoricæ, quoad usum, & provisiones in futurum; alia Iesuiticæ.

13 Minùs verò, ob præfatam rationem, audiendum censeo à Fratribus Minoribus (audiant, ut malunt, Patres, Jesuitæ) eundem de Lugo *cit.n.12.* ubi (ut ipse loquitur) nec scrupulum habet, quin etiam liceat in eodem borto domus Professæ vel in ipsius villa suburbana porcus aliquos, sex, vel octo, nutrire; qui, dum parvuli sunt, facili pretio comparantur, & posteapaulatim erescunt, & pinguescunt, ut grandiores, & pinguiores facti occidantur, & pro toto anno deserviant ad usus necessarios domesticos. Ita ille. Vnam tamen Suculam in Conventu nutrire, ut grandior facta concedatur à Fratribus, in aliqua Provincia nostri Ordinis consuetudo permittit; si tamen permittenda est consuetudo ipsa à superioribus. Et quod dictum est de suibus, idem dicendum de aliquibus ovibus, aut agnis, vel aliis hujusmodi animalibus.

Immo idem de Lugo *num.13.* asserit, licere etiam domui Professæ habere tum in horto domestico, tum in subvrbana villa (quam ad recreationem Religiosorum, maximè convalescentium, eis licere probat *ibid.num.1.* ex Sanchez *lib.7.in Decal.cap.27.n.3.* id colligente ex *Bulla Iulij III.* quâ confirmavit Societatis Jesu institutum; & ut habetur expressè declaratum *in 6.p.Constit. Societ.cap.2. §.5.*) Piscinam, in qua pisces etiam nutriantur; mittique ad hunc finem posse in eam pisciculos, ut grandiores facti possint in cibos domesticos capi; modò id cum debita moderatione fiat. Ait enim piscinam hujusmodi pertinere ad honestam quandam recreationem, ad quam hortus ipse, etiam intra ambitum domus Professæ contentus, vel subvrbana villa ordinatur. Neque majorem arbitratur esse difficultatem de piscibus, quàm de gallinis; immò minorem: quia (inquit) pisces non sunt fructuosi, sicut gallinæ, quæ ova interim ministrant: tùm etiam quia pisces aliquando sine vlla industria in ipsa aqua generantur, & videntur esse fructus aquę, sicut olera sunt fructus terræ: quare, sicut licitè olera seminantur in horto, non apparet, 14

cur non possint pisces in piscina seminari, (ut ita dicam) prujiciendo illuc parvulos pisciculos, qui grandiores fiant.

1 Debitam autem moderationem (inquit ipse *ibid. n.* 14.) excederet piscina hujusmodi, essétque in fraudem, & præjudicium paupertatis, si in ea pisces haberentur, & nutrirentur, qui sufficerent ad usus totius quadragesimæ, & aliorum dierum, quibus carnibus vesci non licet: esset enim hoc magnam victus anni partem ex fructibus talis piscinæ habere, ad quod non sunt per se institutæ piscinæ communes, quæ ad recreationem habentur. Quemadmodum in fraudem paupertatis esset, si prætextu recreationis haberetur villa, quæ duo, vel tria milliaria contineret, aut quæ contineret lacum magnæ piscationis: ut ait ipse *ibid. n.* 15. Secùs verò, si villa, vel hortus domesticus esset ad ripam fluminis, aut lacus, ita ut vicinitas daret commoditatem piscandi, & jus piscandi esset commune. Hæc ille, qui *ibidem* nonnullas alias prosequitur explanare difficultates circa prædictam villam sibi licitam; à quibus adducendis supersedeo, cum apud Fratres Minores occurrere nequeant, quibus quippe hujusmodi villa non censetur esse concessa. Hæc tamen pauca notare ad rem facientia, quæ ille citra scrupulum admittit domibus suis Professis opportunum, operæque haud leve prĕtium duxi; ne fortè ex paritate Professionis alicui suaderetur, eadem posse habere locum, admittique etiam apud nos Fratres Minores; quod iterum ipsemet, priscorum mei Ordinis Patrum leges custodiens, censeo denegandum, propter districtatem Paupertatis, quoad usum (ut dixi) rerum, & provisionem earundem, etiam vitæ sustentationi necessariarum; ad quam utique arctiorem tenentur Fratres Minores, quàm domus Professæ Societatis Jesu; ut ex dicendis alibi constabit, præsertim *art.* 3. §. 9.

§. VII.

Legati quidditas, seu essentia & naturà enucleatur.

SVMMARIVM.

1 *A definitione exordium cujusque dissertationis dicendum est.*
Quatuor olim erant legatorum genera, sed hodie una est omniũ natura & definitio, ib.
Legatario triplex competere potest actio ad consequendum legatum, realis, personalis, & hypothecaria: ut declaratur, ibid.
2 *Legata hodie in omnibus & per omnia exæquata sunt fideicommissis, ut & effectu; licet formâ differant, seu modo relinquendi.*
3 *Legata & fideicommissa communem habent juris effectum.*
Legatum unde denominetur, & quomodo definiatur, ibid.
4 *Legatum vel à Lege, vel à Lego deducitur.*
Leges dicebantur olim Rogationes, ibid.
5 *Legati definitio per singula verba explicatur*, & num. seqq.
6 *Legatum bene definitur*, donatio quædam, *seu donationis species, non hæreditatis, sed à cujus rei certa & determinata.*
7 *Legatum debetur tantum post mortem testatoris seu defuncti legantis.*
Testamenti definitio ibid.
8 *Legatum ab hærede regulariter præstandum est legatario, qui propria authoritate illud occupare non debet.*
9 *Legatum quatenus donatio dicatur? Remissivè.*

CVm (ut benè observat Paulinus Berti Lucensis *in sua praxi criminali tit.* 1. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. (quæ est *tom.* 4. *qq. reg. Roderici*) omnis institutio de re aliqua, quæ à ratione suscipitur, debeat à definitione proficisci; ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur: Marc. Tull. 1. *offic.* & inter Iuris Consultos notat Ulpianus *in l.* 1. *ff. Si certum petatur*: Angelus *cons.* 110. *num.* 1. incip. *Sanctissima*: Quod etiam colligitur ex *l.* 1. *ff. de iust. & iure*: Quia definitio est substantia rei demonstratæ: Abbas *in rubr. de sent. excommũic. n.* 3. Baldus *in l. Cum quis: num.* 5. *in fin. C de iur. & fac. ignorantia*: Quibus omnibus in locis Doctores rectè procedendo, à definitionibus exordium desumpserunt. Sic igitur procedendum duximus in præsenti legatorum tractatione, ut scilicet à definitionè, & quidditate legati exordiamur. 1

Quatuor igitur olim fuère Legatorum genera, seu formulæ, ex quibus singulis certa oriebatur in Legatario actio civilis, ut *Instit. de legat.* §. 2. & 3. & *l.* 1. *C. communia de legatis, & fideicom.* & apud Covarruviam *tom.* 1. *in cap. Raynutius*: §. 10. *n.* 1. quibus tamen omnibus, cum in unum redacta illa sint, una est hodie natura, una atque eadem definitio. Vnde quibuscunque verbis, vel sub quacunque formula aliquid relictum sit, licet Legatarijs id persequi non solùm per actiones personales, sed etiam per in rem, & insuper per utilem Servianam, idest hypothecariam, super his, quæ fuerant derelicta, in res mortui, scilicet legantis. Quæ quidem hypothecaria pro legato competit legatario, tàm contra tertios possessores, quàm contra hæredes; ut benè docet Cæsar Carena *resol.* 137. *n.* 5. allegans Mantic. Medic. & Martam, reprobantes Cæphalum. Quamvis enim hyppothecaria (ut ait Carena *cit. n.* 7.) oriri nequeat sine personali, potest tamen 2

tamen ab ea separata postea conservari, ubi semel unà cum personali contra hæredes fuerit acquisita : *l.2. C. de luitione pignoris :* ubi D.D.& propterea datur hypothecaria contra Tertios, cum quibus nihil fuit contractum: semel enim orta supponitur cum personali in legatario contra hæredes, cum quibus ipse contraxisse reputatur in aditione hæreditatis: præterquàm, ubi rei legatæ dominium ad legatarium ipso jure, mortuo testatore, minimè transierit: tunc enim solùm, cùm scilicet ita transit ad legatarium dominium rei legatæ, personalis, & hypothecaria actio eidem conceditur; secundùm Communem, quam latiùs prosequuntur Doctores, quos allegat, & sequitur Covarruvias *cit. n.2.* & Jason *in l.1. ff. de leg.1.* ubi *à n.21. vsque ad* 110. disertè tradit de actionibus, quæ legatarijs competunt. Interim indicasse sufficiat, tres actiones legatario competere, ratione legati, ad legatum ipsum consequendum; quas sic enumerat Bonacina *tom. mihi 2. de contractibus, disp.3.q.17.pu.8.§.4. num.*20. Prima est personalis; cùm enim hæres, adeundo hæreditatem, videatur quasi contrahere cum legatarijs, & alijs creditoribus testatoris defuncti, séque obligare ad persolvenda illius debita, legatarius acquirit ius contra hæredem ad consequendum legatum, quod sibi à defuncto relictum fuit : *l.2. C. communia de legatis.* Hoc tamen intelligitur, modò hæres adeat hæreditatem ex testamento : nam si alia ratione adeat, non competit legatario ista actio; sed datur illi actio Prætoria in factum. Secunda est actio hypothecaria : nam si alicui factum sit legatum speciei, seu certæ rei, res illa remanet hypothecata legatario. Immò si legatum non sit speciei, seu certę rei, sed quantitatis, legatarius habet jus hypothecæ in omnia bona testatoris; ita disponente Iure *in l.1. C. communi de legatis.* Tertia est rei vendicatio: cùm enim legatarius acquirat dominium, vel quasi, rei legatæ à die mortis testatoris, ita disponente Jure *in l. à Titio : in fin. ff. de furtis:* sequitur, legatario acceptanti legatum competere rei vendicationem contra hæredem, & alios rei legatæ possessores; & consequenter posse implorare officium Judicis, aut Salvianum interdictum intentare. Ita *Bonac. cit.* allegans etiam Cardinalem Tuscum *V. Legatarius, concl.*147. Seraphinum *in decisionibus Rotæ Rom. decis.*818. Mantic. *de conject. vlt. volunt. lib.7. tit.*10. Molsesium *in Sum. p.2. tract.*13. *c.5. n.*113. *& seqq.*

3 Non solùm autem quatuor, quæ mox innui, legatorum genera unita modò sunt inter se in natura, & juris effectu, sed etiã per omnia exæquata sunt fideicommissis; & quidẽ universalia universalibus, particularia particularibus: ut habetur ex nova constitutione Cæsarea Justinianea *Instit. eo : tit.* §.4. & notatur *ibi ad marginem*, & tradit Jason *in Rubric. ff. ad senatusconf. Trebellian. n.*8. nec differt hodiè legatum à fideicommisso, nisi verbis solùm : *l.1. ff. de legat.1. & l.2. C. communia de legatis:* Si enim Legatum in forma, verbo ad legatarium dirigitur; ut si legator dicat : *Lego Petro : vel Do Petro :* vocatur legatum : Si verò legator dicat: *Iubeo hæredi :* vel *Hæres meus damnas esto :* vel *Rogo hæredem meum, ut det talem rem Petro :* vocatur fideicommissum; ut benè Joannes Baptista Lezana *tom.4. sum. tit. Legata Regularibus relicta, n.2.* post Sylvestrum *in Sum. V. Legatum 1. n.1. & 2.* Laymannum *lib.3. de iust. & iure tract.5. cap.10. n.1.* & communiter Doctores : Filliucius item *tom.2. tract.34. cap.7 n.*146. ubi etiam appositissimè observat, legatum dici præstandum ab hærede legatario mediatè, vel immediatè : immediatè, quando hæredi ipsi committitur, directo ad ipsum verbo : mediatè verò, quando committitur legatario, directo ad ipsum verbo; provt mox *suprà* explicatum est : quod est dicere, secundum differentiam nomenclaturæ, Fideicommissum præstandum esse legatario ab hærede immediatè; legatum verò mediatè : Molina *de iust. & iure, disp.*139.

Fraternizant igitur nostris hisce temporibus post Iustinianum, (prout etiam ante illum receptum erat apud Juris Consultos authore Vlpiano *in l. per omnia : ff. de legatis:* 1.) & communes habent actiones, eundémque juris effectum, & naturam, tum legata quæcunque tùm fideicommissa, ut præfertur, & ampliùs videre est apud *Iasonem cit. Rolandinum infra citan. & alios*; consequenterque fraternizare item debent in definitione, illámque quoad essentialia saltem, habere communem, quã apud omnes scribentes, *ex Institut. de legatis §.1.* & ex *l. legatum : ff. de legatis* 2. & ex *l. Regia 1. tit.9. part 6.* sic habetur : Legatum est donatio quædam à testatore, seu defuncto relicta, & ab hærede præstanda. *Florentinianus* tamen I. C. delibationem hæreditatis : Alij deminutionem hæreditatis, legatum compendiosiùs definiunt : qua videlicèt delibatione vel deminutione testator ex eo, quod universum hæredis foret, alicui quid velit esse collatum : *l. legatum est : ff. de legatis* 1. Vnde & *Vlpianus*, quod legis modo, idest imperativè relinquitur, legatum appellat. Dicitur enim legatum à lege; ut ex Eutychio *lib.2. de discernend. conjug.* observat Hieronymus Verrutius *in novo suo Lexico vtriusque Iuris, V. Legatum.* Vide Menoch. *de præsumpt. lib.4 præsumpt.*105 *n.17 & præsumpt.*131. *n.1.* August. Barbos. *de appellat. verb. Iuris signific. Appellat.*127.

Primo igitur *Legati* nomen videtur deductum, vel à *Lege*, ut dictum est ex *Eutychio*

vel à verbo *Lego, legas, legare*; quod & mittere significat, (unde & Legati Apostolici, sive sint de latere, sive nati, sive missi, ita appellantur; quia sunt missi à Pontifice; ut patet ex textu *cap. officij nostri: de offic. legati, in 6.* & *ibi* Gloss. Sylvest. *in Sum. V. Delegatus, n.* 1. *§. Legatus verò*: Goffr. Ioan. Andreæ, & alij communiter *in Rubr. eod. tit.*) & testamento quidpiam alicui relinquere. Consuevit etiam Legatum appellari Fideicommissum; quia illud quidpiam, quod alicui legatur, seu relinquitur, fidei aut hæredis, aut Executorum testamenti plerúmque committitur; qui aliàs ideò dicuntur Fideicommissarij, ut exequantur: Joduchus Lorichius *in suo Thesauro novo utriúsque. Theolog. tom.* 2. *V. Legatum, n.* . . cum Sylvest. *in Sum. V. Legatum, in princip.*

6 Prorsùs autem Legatum à *Lege* dictum esse tradit novissimè Marcus Aurelius Galvanus *in suis dissertationibus varijs de Usufructu, lib.* 10. *c.* 9. ex Eutychio *supra cit.* & ex Ulpiano *tit.* 24. clarè ajente: Legatum est, quòd Legis modo, idest imperativè, testamento relinquitur. Atque ob hanc causam testamentariæ dispositiones olim fiebant dumtaxat verbis directis, & imperativis: *Hæres esto; Vindica tibi, Damnas esto; Præcipito; Sinito; Tutor esto*, & ut infinita exempla confirmant apud elegantissimum Brissorium *de Formul. lib.* 7. Et proindè à Veteribus dispositiones prædictæ dicuntur Leges, Mandata, Jussa, Imperia Mortuorum. Valerian. & Gallien. *in l.* 2. *C. quinam possunt ad libertatem pervenire*. Equidem autem testamentum (ait doctissimus Galvanus *cit.*) est quædam Lex, cum ad Legis similitudinem fieri cœperit, in calatis comitijs; hoc est populo non solùm convocato, sed etiam rogato. (Rogationes enim istæ nil aliud erant, quàm Leges; unde & Leges appellabantur Rogationes; ut passim produnt Veterum Auctorum testimonia.) Quò pertinent verba duodecim Tabularum: *Uti legassit quisque de re sua, ita ius esto.* Quæ passim occurrunt apud Cicero *lib.* 2. *de Iuventute*; Auctorem ad Herenn. *lib.* 1. Pomponium *in l. verbis* 120. *ff. de verb signif.* Ulpianum *tit.* 11. Iustinianum *in §.* 1. *ff. de lege Falcidia*; & *Novella* 22. Significat enim, *Legem dixerit*: ut legare tuæ rei, sit legem dicere tuæ rei. Docetque hanc interpretationem Paulus *in l. qui in testamento*: 14. *ff. qui testament. facere poss.* & firmiorem reddit eandem interpretationem Justinianus *in d. Novell.* 22. *cap.* 2. hisce verbis: *Disponat unusquisque super suis, ut dignum est, & sit Lex ejus voluntas.* Fundatur autem dictum Imperatoris in Lege duodecim Tabularum, ubi dicitur: *Uti legassit quisque de re sua, ita Ius esto.*

7 Dicitur autem, *Donatio*; & hoc stat loco generis, in quo legatum convenit cùm cæteris donationibus, quæ omnes sunt specie tres, donatio scilicèt inter vivos, Donatio mortis causâ, & Legatum.

8 Dicitur, *Quadam*, ad innuendam prædictarum donationum pluralitatem: quamvis ista particula non placeat Marginistæ *ad l. legatum: ff. de legatis* 2. quippè quæ, ut ipse ait, non reperiatur in Pandectis Florentinis. Ast alijs communiùs placet, & mihimet: dicitur enim benè legatum, donatio quædam; quia legatum non est omnis donatio, neque omnis donatio legatum est; sed illa tantùm, quæ quidem locum habet solùm in ultima voluntate, quale est legatum. Unde ly, *Quadam*, insinuat pluralitatem prædictam, & necessariam differentiam assignandam inter hanc donationis speciem, & alias, ut benè observat Petrus de Boaterijs *in summam Rolandini, Comment. p.* 2. *cap.* 8. *de testam. & ult. volunt. §. de legatis, & fideic.* Placet prætereà eadem particula: quia per eam denotatur, quod legatum debet esse donatio alicujus rei particularis, seu alicujus portionis, quæ ab hæreditate delibatur, seu detrahitur: nam, si sit donatio omnium bonorum, potiùs est hæreditas sub palliato colore, & forma legati, quàm legatum: ut optimè animadvertit Lezana *tom.* 4. *Sum. tit. Legata Regularibus relicta, num.* 2. Et facit text. *Clement. Exivi: §. Proindè*: ubi, cum Pontifex ille, consentiens Nicolai III. declarationi *in capit. Exijt: §. Ad hæc, quia*: capaces cæteroqui suffragij legatorum per modum eleemosynæ judicarit Fratres Minores, nullatenùs autem hæreditatum, seu successionum universalium; advertit, & cavet, ne recipiant hæreditates sub modo, & forma legati; illis verbis *Nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quòd præsumi possit hoc in fraudem fieri, quasi sub modo, & forma legati, sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere; quin potiùs ista sic fieri ab ipsis simpliciter prohibemus.* Hæc ille Pontifex. Et ecce hic quàm optima ratione, ac jure, hæc particula, *quadam*, justificetur.

9 Dicitur, *A testatore relicta*: quod stat loco differentiæ propriæ legati ab alijs donationibus; ut consideranti patet. Neque enim aut legatario quasi acquiritur legatum, aut ab hærede præstandum illi est, quandiù mors non intercesserit testatoris, qui sic legatum post se relinquat ab hærede præstandum juxta Canonem Apostoli, *ad Hebræos cap.* 9. ajentis: *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Quod non est dicere in alijs donationibus; ut omnibus compertum est. Unde alij dicunt, *A defuncto relicta*. Rolandinus *cit.* Colligi etiam potest ex ipsa definitione testamenti, in quo

legata

legata ordinantur; quæ talis est. Testamentum est testatio mentis, qua disponitur, quid de rebus suis aliquis velit fieri post suum decessum, 13.q.2.cap. *Placuit*: § *sed aliud*: *extra de celebrat. Missar cap. cùm Martha*: *& Institut. de testam. ordinand. in princip.* ut tradit Gloss. *in cap. quia ingredientibus*: *de Testamentis*: & ibi communiter Doctores. Pende ly, *post suum decessum.*

10 Dicitur: *Et ab hærede præstanda*: quia (ut quidam Glossantes addunt) debetur post mortem testatoris, & post aditam hæreditatem ab hærede. Et per hoc clariùs distinguitur legatum non solùm ab alijs donationum speciebus, sed etiam ab hæreditate: hæc enim non præstatur, nisi à testatore, & immediatè capitur per hæredem sine alterius licentia. Unde etiam *Roland. cit.* ait: *Sed* (non est,) *ab hærede præstanda*: nam hæres debet dare, seu solvere legata legatarijs, adita hæreditate: & regulariter legatum traditur ab hærede. Quamvis enim legatarius, mortuo testatore, acceptóque legato, fit quasi dominus rei sibi legatæ; undè & habet actiones, quas diximus *suprà*, contra hæredem vel negligentem, vel renuentem solvere: Si tamen apprehendat legatam rem sine licentia hæredis, auctoritate sua, sibi præjudicat, & quidem, si ante aditam hæreditatem ab hærede id faciat, præjudicat sibi in possessione, & tenetur rem apprehensam hæredi restituere, & ab eo petere; salva tamen sibi manente proprietate: si verò id faciat post aditam ab hærede hæreditatem, præjudicat sibi non in possessione tantùm, sed etiam in proprietate; nam ipse perdit utrámque; scilicet usumfructum, seu possessionem, & proprietatem; ut tradit *Petrus de Potater cit.* Verum tamen est; quòd prædicta particula, *Et ab hærede præstanda*: neque explicatur *in Gloss.* neque *ibi* Marginistæ probatur: videntur quippe ei hæc verba ascititia (ut ipse ait) ab aliquo adsuta, nec ea (inquit) Modestinus habet, *in l. legatum*: *ff. de legatis* 2. quo ex loco definitio legati communiter tradita, desumpta esse perhibetur: neque item ea verba hic adjecit *Theophilus* Græcarum Institutionum Author. Ab hisce enim Doctoribus legatum dicitur tantùm donatio quædam testamento, seu à testatore, vel defuncto relicta. At quidquid sit de his, quæ mihi tamen cum Recentioribus sanè arrident; maximè propterea, quæ Vlpianus ait *in l. 1. ff. Quorum legatorum*, & ibi *Gloss.*

11 Id, quod à me potissimùm, atque adeo ferè unicum in explicatâ hactenùs definitione, pro præsenti instituto, notatur, est modus ille prædicandi in abstractione, cum dicitur: *Legatum est Donatio.* Donatio, inquam, à *dono*; hoc est quasi doni datio: *ff. de donat. caus. mor. l. Senatus* §.1. Vide Iulium Clarum *lib. 3. Pract...* *eiu* §. *Donatio*, *q.* 1. Sylvestrum *in sum. V. Donatio*, *n.* 1. Angelum *eo tit.* Barbos. *cit.* & passi... Doctores; signanter autem vide Commentaria Io: Oinotomi I.C. *in quatuor lib. Instit. In... per. lib. 2. de legatis, tit. 20. per totum* pro hact... nùs *in præsenti paragrapho* notatis, atque *in s...quentibus* adhuc notandis. Jam verò quæ &... singulari ista mox posita observatione ip... colligam, sequentibus Corollarijs stati... subdo.

§. VIII.

Corollaria valdè in præsenti subjecto notand... ex mox supra posita observatione deducta.

SVMMARIVM.

1 *Legatum, quatenus donatio est, si relictu... sit ad sublevandam inopiam & miseria... legatarij, an dicatur Eleemosyna.*

Eleemosyna unde denominetur? & qua ra...tione dicatur opus pietatis seu misericor...diæ, & Charitatis.

2 *Legatum est liberalitas ad quam nemo cog...tur, nec requirit causa, ob quam fit, ex...pressionem.*

3 *Differentiæ quædam inter legatum, & dona...tionem tam inter vivos, quàm mortis cau...sa, observantur.*

Legatum ab ipso testatore solutum transit i... donationem inter vivos, & sic irrevoca...biliter, nec subjacet faleidiæ.

Donatio non acquiritur nisi volenti & acce...ptanti: si tamen Ecclesiæ facta sit, statim... ei acquiritur, etiam Prælato ignorant... ibid.

4 *Qualis interpretio facienda sit tam in dona...tione, quam in legatis.*

5 *Vtrum stricta, vel lata interpretatio fiat i... legatis tam piis, quàm prophanis*, & n. 6... 7. 8. & 9. *ubi variæ Doctorum sententiæ re...feruntur, & latè hæc quæstio discutitur a... resolvitur.*

10 *Legatum dicitur donatio per latam interpre...tationem, secùs ex stricta.*

11 *Authoris sententia, ut natura donationi... conveniat legato in sua essentiali generi... ea ratione: licèt circa accidentalia quæ...dam differant.*

12 *Legatum est largitio ex liberalitate testato...ris procedens & vera meráque donatio.*

13 *Hæres, vel Executor testamentarius præstan... legatum, fungitur vice, persona, & actio...ne testatoris.*

14 *Hæres fictione juris censetur eadem persona... cum defuncto.*

15 *Hæres tenetur voluntatem defuncti in testa...ment...*

mento vel codicillis declaratam religiosè adimplere.

16 *Legatum pium relictum à defuncto in statu gratiæ, illi prodest, quamvis solvatur ab hærede existente in peccato mortali.*

Idem de eleemosyna à famulo nequam jussu Domini præstanda.

Actus tribuitur ordinanti illum, non exequenti, ibid.

17 *Si quis disponat & testetur in favorem animæ eo tempore quo extitit in peccato, si postea moriatur in statu Gratiæ, utrùm illi prosit? Author negativè resolvit*, num. 18. & 20. & 21.

19 *Aliud tamen est in legato pro Missis celebrandis, nam si testator postea in Gratia decesserit, prodest sacrificium animæ in purgatorio detentæ.*

Sacerdos qualiscunque sit, dum celebrat, gerit personam Christi, ibid.

Sacrificium Missæ suum semper habet effectum ex opere operato: sive Sacerdos sit bonus, sive malus, ibid.

Suffragia pia alicui commissa, an & quomodo prosint animæ committentis, ex doctrina D. Bonaventuræ, ibid.

20 *Opera pia facta in statu peccati mortalis, mortua sunt, nec reviviscunt per reditum ad statum Gratiæ.*

Testator debet facere suam piam dispositionem in statu Gratiæ, ut illi prosit; aut saltem illam postea renovare & offerre Deo ante mortem in statu Gratiæ. ibid.

Præstat suffragia seu opera pia per se ipsum exequi in Gratia, quàm hæredibus relinquere exequenda, ibid.

21 *Charitas, & Gratia, an sint duo & diversi habitus, & quomodo differant, & conveniant.*

22 *Opus pium ordinatum formam recipit à proximo agente, seu disponente; qualiscunque sit executor.*

Qui per alium facit, per se facere videtur. ibid.

23 *Legatum semper censetur liberalitas, vel eleemosyna ab ipso testatore facta.*

Finis propositus in opere faciendo, illud specificat, ibid.

1 INdè ergò ad rem colligo primò; quòd, cum ea, quæ de altero prædicantur in abstractione; intelligantur convenire ei non solummodò ratione suppositi, seu materiæ, vel subjecti, verùm etiam ratione formæ; ut optimè tradit Sanctus meus ter Seraphicus Doctor Bonaventura *in* 3. *Sent. dist.* 8. *art.* 1. *q.* 1. Legatum sic definitum unius, ejusdémque formæ atque adeò naturæ essentiæ, & quidditatis esse perhibetur cum donatione, seu doni datione; atque ideò sumptum etiam in concretione, seu pro materiali (ut malis dicere) quod legatur, formaliter tale censendum est, scilicèt donum, seu donu datum, vel etiam eleemosyna; (ut bene noster à Politio *ad cap.* 6. *Reg.*) si tamen eleemosynaliter detur, sive relinquatur à testatore; hoc est in finem sublevandi miseriam, inopiamvè legatarij: quo tamen casu non erit propriè, & simpliciter donum; ut ex dicendis constabit. Propriè enim Eleemosyna (ut docet S. Bonavent. *in* 4. *sent. dist.* 15. *art.* 1. *q.* 4. & ex ipso Angelus *in sum. V. Eleemosyna*) est opus pietatis, quod proximo impenditur ad relevandam indigentiam corporalem: dicitur autem (ut observat etiam Cotonius *controv. celebr. lib* 1. *contr.* 7. *cap.* 1. *n.* 1. (ab ἐλεῶ, verbo, Græco, quod Latinè idem est, ac *Misereor.* Et quod dictum est de Eleemosyna, quatenùs immediatè est opus pietatis, seu misericordiæ corporalis, mediatè verò charitatis; ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 1. & cum ipso Cotonius *cit. n.* 2. congruit proportionaliter etiam eleemosynæ, quæ est opus pietatis, vel misericordiæ spiritualis; mutato scilicet ly, *corporalem*, in *spiritualem*. Atque hîc notatu dignissima est sententia illa D. Augustini *lib.* 50. *Homiliarum, Homil.* 6. (quæ etiam habetur *dist.* 45. *in cap. duæ sunt eleemosynæ:*) ajentis: Charitatis eleemosyna sine substantia terrena sufficit sibi; illa verò, quæ corporaliter datur si non benigno corde tribuitur, omninò non sufficit. Quia (inquit Gloss. *in d. cap. duæ sunt eleemosynæ: ad V. benigno corde:*) qui dat pauperi eleemosynam non ex charitate, sed ideò ut removeat à se importunam petitionem; rem perdit, & meritum, & venialiter peccat: Sicut & ille, qui dat eleemosynam ad vanam gloriam; ut notat *ibi* Marginista.

Dixi, legatum esse formaliter donum, seu etiam donationem, & quidem causâ mortis: vel etiam Eleemosynam, juxta finis diversitatem, ad quem à legante ordinatur. Unde & *Petrus de Boat. cit.* ex eo, quòd legatum dicitur donatio, notandum advertit, quòd ille, qui legat, donat; quia legatum est donatio; & ideò non cogitur quis legare; sicut nec cogitur donare. Atque adeò, cùm legatum sit mera donatio, ideò nullam requirit causæ expressionem; ut ait Cæsar Carena *resol.* 73. *n.* 5. 2

Scio nihilominùs differentiam circa aliqua, in rigore Juris reperiri, assignarique à Doctoribus inter donationem sive causâ mortis, sive inter vivos, & legatum; videlicet penes ista: Primum, quòd legatum fit etiam nescienti, & absenti imò & nolenti: sufficit enim, quòd assensum præbeat, & acceptet legatum post mortem testatoris, cum scilicet testamentum aperitur, ut executioni mandetur: sed non donatio causâ mortis, sicuti nec donatio inter vivos; 3

vivos: quarum neutra poteſt fieri ignorantis; ut *in l. abſenti: ff. de donation.* niſi in caſu, quo donans mittat rem donatam per ſervum donatarij, & ea mente, ut ſtatim fiat ipſius: *d. l. abſenti*: Syluest. *in ſum. V. donatio* 1. *num.*4. *in fin.* Hoc enim excepto caſu, debet eſſe præſens perſona, cui fit donatio, vel alia, quæ vice ipſius donationem acceptet, vel non. Unde qui etiam causâ mortis donare vult Eccleſiæ, vel pauperibus, regulariter donare debet Notario ſtipulanti, & recipienti nomine pauperum, vel Eccleſiæ; ut *l inter: ff. de mortis causâ donat.* Syluest. *cit. V. Donatio.* 3. *n.*4. *in fin.* & communiter Scribentes. Secundum, quòd donatio mortis causâ quandoque traditur donatario ab hærede, quandóque ab ipſo donatore, à quo etiam ſemper traditur donatio inter vivos: non ſic autem legatum, quod ſemper traditur legatario ab hærede; ita ut, ſi tradatur à teſtatore, perdat rationem legati, tranſiens in ſimplicem donationem inter vivos: de quo eſt ſingularis *Gloſſ.* de qua Dynus feſtum facit *in l. legatum: ff. de legatis* 2. dicens, ex hoc ſequi duos effectus, ſcilicet quia teſtator amodò revocare non poterit, & ampliùs Falcidia de hoc non detrahetur; ut *l. ubi: ff. de mort. cauſ. donat.* quod Bart. in *d. l. legatum*: dicit tenendum menti, licèt ipſe de hoc dubitet; ut tradit Syluest. *cit. num.*3, *circa med.* Sicuti, & donatio mortis causâ, ſive traditione, ſive pollicitatione, ſive ſtipulatione; ut *l. ſenatus: ff. de don. cauſ. mor.* niſi exprimatur, quòd fiat causâ mortis, vel alterius periculi talis; cenſetur à Juriſtis donatio ſimplex inter vivos, quantumcunque fiat in mortis articulo; quia non eo ipſo, quòd quis moriens donat, donare mortis causâ videtur; ut *d. l. ſenatus*: ſecundùm *Azonem*; ſecundùm *Hoſtienſem* autem, hoc æſtimandum erit ex verborum affectione, & qualitate perſonarum, ac ſtatus: Et ſi nihil apparet, præſumitur inter vivos ſimpliciter facta donatio, ut dictum eſt; & tradit Syluest. *cit. n.*4. Tertium; quòd donatio in ſingulos annos eſt vna; legatum verò item in annos ſingulos, ſive annuum, eſt multiplex, ut probabitur *in ſequentibus.* Sunt, & aliæ multæ differentiæ tùm inter legatum, & utramque donationem, ſive inter vivos, ſive mortis causâ; tùm etiam inter has duas donationes ipſas, de quibus videre eſt apud *Scribentes.* Pro allatis vide Angel. *in ſum. V. Legatum* 2. & Julium Clarum *lib.*4. *§. Donatio. q.*5. *per totum*, & iterum Syluest. *V. Alienatio, n.*18. ubi in confirmationem primæ differentiæ *ſuprà* allatæ ait; quod in donatione non acquiritur dominium donatario, niſi volenti, & non ignoranti: ſed in legato ſufficit factum teſtatoris ſolius; quia acquiritur etiam ignoranti, licet revocabiliter: *l. cum pater: §. Surdo: ff. de legatis* 1. *& l. magis pato: §. fundum ff. de reb. eor. qui ſub tut.* & conſequenter legatum eſt quæſitum per dominium, vel quaſi, ipſo facto. Et huic ſententiæ hæret Angel. *in ſum.* Excipe tamen ab hac regula donationem factam Eccleſiæ; quippe quæ, etiam facta ſub modo, ſtatim ipſi Eccleſiæ acquiritur, etiamſi ignorante Prælato, vel adminiſtratoribus ejus; nec revocatur, modo non ſervato, niſi hoc expreſſum ſit in contractu: ita ut hujuſmodi donatio ſtatim teneat, ſicut & legatum, & conſequenter jus ſit Eccleſiæ ipſi acquiſitum, etiam ignoranti, licèt revocabiliter, ſi videlicet ipſa volet; id eſt ejus Gubernatores.

Scio etiam, quod ait Panormitanus *tom. mihi 6. in cap. cum dilecti: de donationibus, n.*2. *&* 3. quòd ſcilicet legatum non per omnia ſortitur naturam donationis; licèt lex civilis dicat, quòd legatum eſt quædam donatio à teſtatore facta: nam in legato non fit ita largiſſima interpretatio, ſicut in donatione purè facta: quemadmodum etiam in alijs contractibus, præter donationem, non fit ita larga, ſicut in legato, & vltimis voluntatibus. In contractibus enim non fit ſtricta interpretatio, ſed plena; nun tamen plenior, nec pleniſſima; in vltimis verò voluntatibus fit plenior, & non pleniſſima; atqui in donationibus, vel beneficio, fit non ſolùm plena, & plenior, ſed pleniſſima. Et ratio diverſitatis, ſecundùm Doctores, eſt; nam contractus inducit obligationem vltrò, citróque; ut in *l. labeo: la* 2. *ff. de verbor. ſignific.* ideò debet ſervari æqualitas: vndè non debet fieri ſtricta interpretatio in favorem unius, & in odium alterius; nec nimis larga, ſed plena: in legato autem, res deponitur in favorem legatarij tantùm; undè eſt quiſi quoddam beneficiū; & ideò fit interpretatio largior, quàm in contractu: donatio verò exercetur pro quadam liberalitate, & munificentia; ut *l.* 1. *ff. de donation.* & ideò præſumendum eſt, quòd ſicut donator fuit largus in donando, ita intellexerit verba ſua largiſſimè: nam potuit iſte reſtringere diſpoſitionem ſuam, ſi voluiſſet; ſed teſtatur, quandóque impeditus cogitatione mortis, non valet omnia ſubtiliter deliberare. 5

6 Per allatam hanc autem *Panormitani* doctrinam optimè temperari, atque adeò conciliari poſſe arbitror varias Doctorum, ſed & ipſarummet Legum ſententias, circa difficilem illam, & valdè (ut fatetur Bardi *mox infrà citan.*) implicitam quæſtionem; Strictamne in dubio, an verò latam poſtulent legata interpretationem; Ita ut qui docent, omnia legata, etiam pia, preſsè, hoc eſt ſtricta interpretatione, eſſe explicanda; quia odioſa exiſtimari debent, cum in damnum cedant hæredis, intelligi, & explicari poſſint de interpretatione ſtricta quidem,

non tamen absolutè, sed respectivè, idest respectu interpretationis plenissimæ, seu largissimæ, quæ adhibetur in donationibus. Sunt autem hi, *Decius, Alciatus, Natta, Rolandus à Valle, Molina, Menochius*, hic tamen cum aliqua limitatione) *& Trullench*, quos allegat Franciscus Bardi *disceptat. 6. de Conscientia, dubia, cap.* 10. §. 22. *n.* 2. Qui verò è contra sustinent, omnia legata, non solùm pia, verùm etiam profana, amplè, hoc est larga interpretatione, esse declaranda; quia nimirum favorabilia, cum in favorem legatarij cedant; intelligi item, & explicari possint de interpretatione larga, non absolutè, sed respectivè; idest respectu interpretationis dumtaxat plenæ, quæ fit in contractibus, servata æqualitate, & justitia. Atque hi sunt *Bartolus, Sanchez, Mantica, & Merolla*, quos refert Bardi *cit. num.* 3. En, quomodo sic temperatæ opiniones istæ, quæ sibi invicem contrariæ videntur, in vnam, eadémque coëant, quæ est *Abbatis*, *sententiam*.

6 Ipse tamen Bardi *ibid. n.* 6. *&* 8. tertiam, & mediam inter utramque dictarum constituens opinionem, prædictos hinc indè opinantes Doctores alio temperamento adhibito, conciliat, & sequitur; dicens nimirum *num.* 6. se adhærere Authoribus primæ opinionis, quoad legata profana: *n. verò* 8. adhærens Authoribus secundæ opinionis, quoad legata pia, dicit; Quando legata sunt pia, & redundant in Dei obsequium, & in vtilitatem spiritualem testatores, censeri debent favorabilia, ac proindè in dubio amplam admittunt interpretationem. Hæc est sententia valdè recepta, & præter Authores pro secunda opinione superiùs laudatos, eidem adhæret Menochius *lib.* 4. *præsumption.* 106. qui licèt velit, legata esse strictè explicanda, quibusdam exceptis casibus, excipit *n.* 33. pia legata, in favorem animæ, & Religionis. Ita ille, probans hanc opinionem sententiâ Scævolæ I. C. *in tex. l. Titia testamento: §. Seja: ff. de auro, & argento legat.*

7 Ecquidem autem apprimè mihi probatur sententia *Bardi*; vtpotè saltem favens pietati, ac Religioni: nequaquam tamen recedendum censeo à doctrina, & sententia *Abbatis*; quippè quę meliùs consonat decisioni illi Scævolæ *in d. §. Seja*: quam allegat, & sequitur etiam *Bardi*. Ibi enim recensetur, quòd cùm Seja illa legasset, & jussissétque fieri per suus hæredes, nisi ipsa fecisset, dum viveret, (quod utique non fecit) Signum Dei, (ut ait textus) hoc est Statuam, vel Imaginem vnam sacram in quodam Templo, in quo nonnisi aut ærea, aut argentea dona reperiebantur; quærebatur à Judice, An hæredes Sejæ deberent dare signum illud ex auro, & argento, an verò æreum? Iudex autem Scævola decrevit, quòd argenteum. Ex qua decisione clarè patet, quòd licèt in illo Templo non essent, nisi ærea, & argentea dona; cum tamen Signum illud à Seja legatum potuisset, secundùm largissimam interpretationem, fieri etiam ex auro tantùm, vel ex auro & argenteo simul; & de facto dubitaretur, & proponeretur quæstio: An ex auro, & argento, an verò ex ære fieri deberet? ut patet ibi in textu: nihilominùs Judex ille, mediocritate inspecta, adhibuit interpretationem mediam, & secundùm ea, quæ proponebantur, (juxta allatam *Panormitani* doctrinam) respondit, fieri debere argenteum. En quomodo respectu auri tantùm, vel respectu auri, & argenti simul, interpretatio fuit stricta; respectu verò æris, fuit larga. Proponebantur autem hæc omnia, nempe aurum, & argentum, & æs.

Sanè autem ex *Panormitani* doctrina, & *Scævolæ* sententia prædicta rationabilis, discretáque comperitur. Nam, cum (ut ipsemet Bardi fatetur *ibid. n.* 5.) dari non possit una certa, & universalis regula pro interpretandis hujusmodi ultimarum voluntatum dubijs dispositionibus; quia omnes Doctores (inquit ille) in hoc conveniunt, quòd legatum aliquando largè, aliquando strictè sit interpretandum; & quando est obscurum, sit recurrendum, ut mens legantis deprehendatur, ad conjecturas; nempè ad consuetudinem patriæ ipsius testatoris, inspiciendo scilicet, quo pacto verba illa, sub quibus sit legatum, in ea regione soleant explicari, vel intelligi: rursùs ad conditionem, & dignitatem ipsius legatarij; ad dilectionem legantis erga legatarium; ad conjunctionem sanguinis inter ipsos; ac denique ad antecedentia, & consequentia, ut ex ipsis colligatur, quantùm fieri potest, testatoris intentio; ita tamen semper, ut interpretatio talis esse debeat, ne legatum inutile efficiatur. (Et de his conjecturis latè edisserit *Menochius cit.*) Cùm, inquam, hæc ita sint, & nihilominus contingere possit, quòd prædictis omnibus conjecturis accuratè perpensis, mens dubia adhuc maneat, ita ut nequeat dignosci, quid sit verisimilius, & secundùm illud, judicium ferri: & propriè in tali casu locum habeat difficultas, & quæstio præsens; ut ait *Bardi cit.* Quis non videat, & fateatur, prædictam mediam interpretandi viam, quam tradit *Abbas*, rationi in primis, æquitati, pietati, ac discretioni esse conformem; & quidem in omnibus omninò legatis, sive pijs, sive profanis? Non igitur ab illa recedendum puto. Eò vel maximè, quòd legatum, quale illudcúnque sit, sive pium, sive profanum, semper est quoddam testatoris depositum in favorem legatarij tantùm; ut ait *Abbas*: undè hæres non est illius Dominus, Dominio aut pleno, & perfecto, aut 8

aut imperfecto directo, sed tantùm utili; & simul, & semel acquirit jus ad hæreditatem, acceptando, & adeundo illam, atque obligationem veram & certam, ex justitia erga Testatorem, reddendi, seu præstandi legatum legatario acceptanti; ac per consequens æquè, eodémque tempore, saltem per fictionem, & retrotractionem juris, possidet jus legatarij ad legatum, ac jus hæredis ad hæreditatem; ut patebit ex dicendis *§ seq.* unde non valet ratio primæ opinionis faventis hæredi, deducta ab illo Axiomate: *Melior est conditio possidentis:* quam vide apud *Bardi cit.*

9 Præterea nec hæredis gravamen est adeò attendendum, ut favor legatarij, quem solùm in legando testator intendit, notabiliter lædatur strictâ plus æquo interpretatione adhibita: nam, si hæres per legatum oneratur, honoratur etiam per hæreditatem, cujus profectò honorem non acceptat, nisi adeò excedat onus legati; ut spontè illud subire consentiat; ac proindè, cum se onerari consenserit, & testatoris mandatum de onere implendo, solvendo legatum, acceptaverit, onus aliquod ferat, (ne inutile reddatur legatum) & mandatum exequatur necesse est; juxta Justini sanctionem *Instit. de mandato, §. penult.* & juxta Regulam *Bonifacianam* 55. Qui sentit commodum sentire debet & onus: *de Reg. Iur. in 6.* Quòd si dubium occurrat, ut præfertur, quidni æquum ab omnibus censeatur, ut mediocritatem inspiciat in adhibẽda interpretatione, postquam in primis quæsierit per conjecturas, ut *suprà*, quod est verisimilius; ut tangit Gloss. *in Reg.* 30. *Bonifacianam, In obscuris: de reg. Iur. in 6.* ubi etiam *Dynus:* ita ut non quidem plenissimam interpretationem adhibeat; at nec simpliciter plenam; sed pleniorem, seu largiorem, & mediam; juxta doctrinam *Abbatis?* Certè ita interpretandum in tali casu expressè decernit (& est Regula Juris) Paulus I.C. *in l. in testamentis*, ubi Gloss. cum multis concordantibus, *ff. de reg. juris* ibi: *in testamentis plenius voluntates testantium interpretamur.* En! Non ait: *plenè*, aut *plenissimè*; sed *plenius*; quod est medium. Et *Gloss. cit.* pleniùs in testamentis, quàm in contractibus interpretamur in dubijs. Ad hoc etiam est textus bonus Justiniani *in l. si duobus: §. sed & si quis: C. Communia de legatis.* Sic igitur tenendum censeo tam in profanis legatis, quàm in pijs, & etiam tàm in speciebus, & artificijs, quàm in quantitatibus (quamvis Gloss. *in d. Reg. In obscuris:* quantitates excipit) Nam *d. reg. in testamentis:* non distinguit, aut excipit: ergo nec nos distinguere, aut excipere debemus; ut ostensum est *sum. §. 4. n. 6.* Regula autem illa Bonifaciana. *In obscuris:* procedit in stipulationibus, & alijs contractibus; (excepta donatione) non autem in ultimis voluntatibus; sumptâ enim est (ut observat *ibi* Gloss. *ex reg. Vlpianea 9. semper in obscuris: ff. de reg. iur.* quæ eodem modo intelligenda est; ut apertè se declarat Vlpianus ipse *in reg. 35. semper in stipulationibus: ff. eo: tit.* quam vide, si lubet. Atque hæc pro ista adeò implicata quæstione obiter dixisse sufficiat.

Neque item me latet Francisci Niconitij sententia, *Repetit. in Rubr. de Testamentis n. 208.* ajentis, quòd licèt legatum sit donatio, *l. legatum: ff. de legatis 2.* & *l. fideicommissum: ff. de legatis 3.* tamen illud est ex larga significatione ex stricta enim & propria, secus est; quoniam in pluribus differt alterum ab altero; ut plenè colligit omnes differentias Gloss. Magistra, & melior de jure, *in §. 1. vers. Ferè: Instit. de donation.* Quo sensu (idest ex larga significatione) intelligo etiam Jasonem *in l. 1. ff. de leg. 1. num. 9. & 24.* dicentem, quòd legati appellatione, & fideicommissum, & donatio causâ mortis continentur: largè enim sumpto vocabulo, donatio causâ mortis dicitur ultima voluntas, secundùm Gloss. *in l. tam his: §. 1. ff. de donat. causa mort.* & facit *l. fin. C. de Codicillis; & l. 1. C. de mort. cau. donation.* ut tradit Philippus Franchi de Perusio, *in Repetit. Rubr. de Testamentis n 111.* & ultimæ voluntati æquiparatur, ut tradit Gomesius *in Repetit. in cap. si pater: de Testamentis: n. 5.* allatis juribus, quæ congerunt Moderni in hoc argumento.

11 Hæc omnia mihi ritè patent, & probantur, & alia multa, quæ in juribus, Glossis, & Scriptoribus habentur, quoad differentiam tùm donationis inter vivos, & ejus, quæ mortis causâ dicitur, adinvicem, tùm legati, ab utraque earum. Veruntamen horum nullum, omnimodam, aut ab ea donationis ratione, quæ pro meo facit instituto, distrahentem differentiam suadet: sed tantùm penès aliqua extrinseca, & quasi accidentaria; quoad juris scilicet dispositionem, seu effectum praximvè in singulis hujusmodi donationibus, salva semper in ijsdem manente essentiali generica ratione, atque adeò natura donationis, ut sic: tametsi non omninò comparentur ad invicem; ut est textus Clarus *Institut. de donationibus, §. Hæ mortis causâ: & §. Alia autem:* Et si multis differunt, in multis etiam conveniunt; maximè in essentiali, ut ita dicam, gradu donationis; ut patet ex tradita definitione legati, quam etiam observat Gloss. *in d. l. unic. d. §. hæ mortis causâ:* Videantur Doctores citati, & *l. Marcellus: §. Paulus:* & *ibi* in margine, *ff. de mort. caus. donat. & captionib. & l. 1. §. Si quis ex mortis causa:* ubi Gloss. & marginista: *ff. quorum legatorum.* Natura autem rei potiùs considerari debet, quàm accidens; ut tradit Decius *in Rubr. super ff. Si certum petatur: n. 15.* ex Gloss. *in l. certi condictio: in princ.* & ex text. *l. item veniunt:*

niunt : §. cùm prædiximus : ff. de petitione hæreditatis.

12 Prædictis igitur non obstantibus, Legatum adhuc verè est (quòd potissimùm intendo) largitio ex liberalitate Testatoris procedens (cùm legare nemo cogatur; ut dictum est *suprà* ex *Pet. de Boater.*) & mera donatio, (cum Carena *item sup. cit.*) hæredis, seu alterius executoris fidei commissa: seu (cum Panormit. *suprà alleg.*) liberale Testatoris depositum ad favorem legatarij in manibus hæredis, vel alterius executoris, aut gravati. Atque hinc.

13 Colligo secundò, quòd hæres, executor, vel gravatus solvens, seu præstans legatario legatum, non solùm præstat rem eadem a testatore legatam, seu missam; verùm etiam fungitur actione, & auctoritate, quin etiam personâ testatoris legantis, seu mittentis. Si enim benè attendamus definitionem legati traditam, non solùm debet dici hæres, vel alius executor, aut gravatus præstare rem legatam; sed etiam ipsam donationem, quæ est propria actio testatoris legantis, hæredi tamen impropria, utpotè aliena, eique à testatore commissa.

14 Et patet; quia hæres, adita hæreditate, (ut notat Alexand. *cons. 26. num. 2. lib. 4.* & latiùs *Deetus citand.* allatis Legibus, & Doctoribus) repræsentat personam testatoris, adeò ut una, eadémque persona cum ipso fungatur, & censeatur apud Iuristas; ut tradit Jason *super tit. de Actionibus, §. Actiones autem : num. 1.* ex *Authent. de jurejuran. à mor. præstito, §. 1.* & Philipp. Decius *in reg. 50. ff. de reg. jur* & *cons. 162. col. 2.* & iterum Jasun *in l. re conjuncti : num. 117. ff. de legatis 3.* & communiter Ductores: habétque potestatem liberam ipsius, cujus etiam idcircò sortitur hæreditario jure actiones omnes personales tam activas, quàm passivas, idest obligationes; tradit Jason *mox cit.* & *toto tit. C. de hæred. action.* & ex *l. unica C. ut actiones ab hæredib. & contra hæredes :* Decius item *in l. Bonorum : C. Qui ad bonor. possess. admitt. poss. num. 26. & §. 1. Authent. de jurejuran. à mor. præstito :* & docet Gloss. *in cap. fin. de sepulturis, ad ver. sed & ejus hæredes :* & Rebellus *part. 2. de obligatione Iustitiæ, lib. 8 quæst. 16. sect. 1. num. 1. vers. Prima conclusio :* & *sect. 2. ibid. num 3. vers. Resolutio sit :* juxta *l. hæredem : 60. vel* (secundùm alios) 65. mihi verò 59. *ff. de regul. juris;* quæ ait: *Hæredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat.* Atque idem docet Azotius *Instit. moral. part. 1. lib. 1. cap 18. vers. Septimò quæritur :* & *versic. Secundò dicimus :* & testatur de communi sententia Doctorum in *l. cùm à matre : Cod. de rei vendicatione.* Gomesius etiam *de Actionib. §. Actiones : numero 3.* docet, hæredem, & defunctum censeri eandem personam in his, quæ fecit; idest disposuit defunctus in vita; secùs autem in his, quæ non fecit: allegátque *Gloss. Baldum, & Dynum.* Quia scilicet (inquit) res defuncti apud eum reperiuntur, in quibus administrandis fingitur esse idem. Sicque factum hæredis reputatur factum defuncti; ut notat Decius *in cit. Regula 59. ff. de reg. iur. num. 4.* ex Ang. *in cons. 185.* & Brunello allegante *l. uxorem : §. Agri plagam : ff. de legatis 3.* Et addit *ibi* Cuchalon, quòd quando hæres aliquid facit, vel exequitur ex dispositione defuncti, quod hæres necesse facere habet, tunc dicitur à defuncto, & non ab hærede procedere: *l. adoptivam : §. 1. ff. de jure dotium :* Barbat. *in repet. Rubric. de rebus Eccl. non alienan. col. 66. versic : Et ex istis : sequitur* & in *cap. literis : column. 2. de rescriptis.* Vide *infrà*, §. 24. quæ ibi dico cum *Sanchez* ex textu legis optimo.

Atque hinc est primò, quòd potest hæ- 15
res liberè disponere de bonis sibi à testatore relictis: cum hac tamen limitatione, ut nimirùm ita sit in ijs tantùm, in quibus defunctus voluntatem suam minimè expresserit. Ubi enim eam expresserit, debet hæres tandem inviolatam, illæsámque servare; neque ei ullo modu licet illam deludere; ut bene Joan. Bapt. de Barbobus, *de filysfamilias, quæst. 4. numero 8. argum. tex. in l. Si id quod : ff. de liberatione legata.* Neque ad ipsum transit poiestas; quam defunctus habebat, hujusmodi voluntatem in testamento, aut aliàs expressam revocandi, vel mutandi, aut declarandi, seu interpretandi: ut tradunt Decius *in d. l. Bonorum : numero 7.* cum Bartolo in *l. edita : Cod. de edendo;* & in *l. inter stipulantem : §. 1. ff. de verbor. obligat.* & facit text. *in l. quia tale beneficium personale : ff solato matrimon. quemad. dos pet.* & in *l. 1. Cod. de Privileg. dotis.* Vide etiam text. *l. omnimodo : Cod. de inoffic. testam. & l. fin. Cod. de revoeandis donationib. & l. 3. ff. de servis exportandis :* & tradit de Barbobus *cit. quæst. 47. numero 7.* ex Alexand. *in l. si per altum : §. hoc iudicium : numero 7. ff. Ne quis eum, qui in ius vocab.* Et hoc maximè procedit in ijs, quæ testator ordinavit, & exequenda expresserit pro anima sua; ut benè Card. de Lugo, *de Iust. & jure, tom. 1.* & alij, quos alibi allego. Omne autem relictum ad pias causas, dicitur relictum pro anima; ut in Gloss. *in l. si quis Titio : in verb. ut ministrum : ff. de legatis : 2.* Castr. in *l. 1. Cod. de sacrosanct. Eccles. numero 6.* apud de Barbobus *quæst. 17. num. 5.* Et relicta ad pias causas loco armorum sunt testatoribus in articulo mortis contra Diabolum pugnantibus pro salute æterna; ut benè idem de Barbobus *ibid. n. 4.*

16 Hinc est secundò, quod (ut benè D. Bonaventura *in 4. sentent. dist. 45. art. 2. q. 2. in corp.* & in *Compend. Theologiæ. Veritatis lib. 7. cap. 5.*) Hæres existens in peccato mortali, solvénsque legatum à testatore relictum in suffragium sui ipsius, verè illius animæ suffragatur, atque illi prodest hujusmodi suffragium; si tamen anima illa testatoris verè in charitate decesserit, sitque in Purgatorio. Ratio autem Seraphici Doct. *ibi* est; quia opus illud, licet sit mortuum, quoad ministrum; non tamen est quoad auctorem: malitia siquidem ministri non nocet operi boni auctoris; sicut patet in domino justo, dante eleemosynam per servum malum. Idipsum docet S. Thomas *in 4. dist. 45. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3.* Paludanus, & Navarrus, quos affert, & sequitur Suarez *dist. 45. de Pœnitent. sect. 8. n. 15.* & est communis sententia Doctorum: quinimmò & communis sensus Fidelium, qui ea suffragia fieri præcipiunt, propter utilitatem, quam ex illis sperant. Vide Card. de Lugo *disp. 26. de Pœnit. sect. 3. num. 31.* ubi appositissimè observat, aliud esse eleemosynam præcisè ab hærede, testatoris jussu, solutam; aliud actionem ipsius hæredis, qua eleemosynam sibi commissam solvit. Et quidem (inquit ille) ad offerendam Deo eleemosynam ipsam pro defuncto testatore, qui eam ipsi commisit, tenetur hæres; (scilicet in conscientia saltem, ex fide data, acceptando hæreditatem, executionem, vel gravamen) ad offerendam autem actionem suam, qua eleemosynam, ut præfertur, solvit, nequaquam tenetur: Unde (concludit ille) regulariter defuncto perindè est, quòd opera pia mandentur executioni per hæredem, aut executorem testamenti, qui sit, vel qui non sit in statu gratiæ. Faciuntque ad hoc Juristarum etiam sententiæ: quòd scilicet actus attribuitur ordinanti, non exequenti: *argum. l. 2. §. omnia: C. de veteri jure enucleando: & §. 8. Cùmque hoc in Proœmio Instit.* & actus non à faciente, sed ab eo, cujus contemplatione, jussúque fit, nominatur: *arg. l. Profectitia: in princ. ff. de jure dotium.* Concordat & Bonacina *tom. mihi 2. de contractibus, disp. 3. quæst. 17. punct. 8. §. 6. num. 3.*

17 Atque hic, ob mox dicta, aliam moralem reflexionem facere, in gratiam Testantium, & hujusmodi legata, seu eleemosynas ordinantium, non incongruit; quia libens facio, estque ista: An scilicet Legata pia, vel suffragia prosint animæ testatoris, si is, tempore, quo testatus est, & legata hujusmodi, vel suffragia pro anima sua ordinavit, existebat in peccato mortali, sed postea ante mortem rediit ad statum Gratiæ, in eóque obiit.

18 Respondeo enim, veriorem, & communiorem sententiam esse, quòd non prosint. Et ratio est; quia illa fuerunt opera mortua, quæ per charitatem subsequentem non vivificantur, nec sunt satisfactoria. Ita D. Bonavent. *in 4. sent. dist. 15. p. 1. art. un. q. 4.* qui & ait, esse tutiorem; D. Thomas *3. p. q. 14. a. 3.* Navarrus item *mox citand.* qui testatur de communi; Toletus etiam *lib. 4. cap. 8. num. 3. Vers. Primum, ad finem:* quos novissimè sequitur noster Gregorius à Marasalia *in sua practica morali undecim casuum reservatorum: tract. 1. pag. mihi 90.* Accedit, & oraculum Apostoli, quod utique divinum est, *1. ad Corinth. cap. 13.* ajentis: *Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quapropter securiùs, & tutiùs agent, qui testari volunt, & hujusmodi legata ordinare, si in primis Sacramentalem confessionem peragant, sacróque Christi corpore reficiantur, quo Gratia, & Charitas augetur, & ignescit; & deinde testamentum condant.

Advertendum tamen est, quòd non est 19
idem dicendum de Missis, quas quis in peccato mortali existens pro se in testamento relinquit. Nam testatori hujusmodi, si in gratiam redeat post conditum testamentum, in eáque moriatur, cùm postea post ejus mortem Missæ illæ celebrantur, prosunt pro satisfactione pœnæ Purgatorij, si in eo detineatur. Et hoc verum est; etiamsi celebrentur à sacerdote existente extra gratiam. Et ratio est; tùm quia Sacerdos celebrat, & orat in persona Ecclesiæ, quæ semper est in gratia, & chara Deo, velut Christi sponsa dilecta, gloriosáque, sancta, & immaculata, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; ut ait Apostolus *ad Ephes. cap. 5.* tùm etiam quia Sacerdos, qualis ipse cùmque sit, sive bonus, sive malus, & celebrat, & conficit Sacramentum Corporis, & sanguinis Domini, (quod est substantiale in Sacrificio Missæ; ut docet S. Bonaventura *in 4. sent. dist. 13. art. primo quæst. 4. in corp.* & communiter Theologi) in persona ipsius Christi, cujus verba, & sermo illud conficiunt Sacramentum; ut ait Divus Ambrosius *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* & ideò ab eodem *ibidem*, & à D. Bonaventura *in 4. dist. 8. part. 2. art. 1. quæst. 1.* & à D. Thoma *part. 3. quæst. 78. art. 5.* non enunciativus tantùm, aut significativus, sed etiam operativus, & factivus sermo appellatur, quippè quod in ultimo instanti suæ prolationis idipsum efficit, & operatur quod enuntiat, figurat, vel significat. Vide & D. Joan. Chrysostomus *hom. 60. ad populum Antiochenum*, ait: *Et tu laice, cùm Sacerdotem videris offerentem, ne ut Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum*

invisibiliter extensam. Ideóque sacrificium Missæ semper habet effectum ex opere operato : licèt quandóque hic, & nunc, ex opere operantis non habeat. Ita D. Bonaventura *dist.* 13 *cit.a.*1.2.*&* 3.D.Thom. *cit.q.*82. *art.*6. & est communis Orthodoxorum Doctorum, & Ecclesiæ sententia. Alioquin, ut benè loquitur D.Bonau.*q.*1.*cit.* si requireretur bonitas in Sacerdote ad hoc, ut conficeret Sacramentum, & Sacrificium Missæ, cum nemo sit certus de bonitate , neque unquam esset, quempiam conficere,& salus nostra a Christo nobis in Sacramentis tàm misericorditer præparata,in manu alterius posita esset. Nunquam igitur Sacrificium Missæ , etiamsi ordinatum à testatore existente in peccato mortali, & celebratum à malo Sacerdote (ubi tamen fuerit respectu hujus, Ordo, intentio,verbi prolatio, & debitum elementum, seu materia)cum opus Dei sit, Christi scilicèt Dei, & hominis ; nunquam,inquam, potest esse mortuum : ut benè iterum D.Bonaventura *in* 4.*sent.dist.*4.*p.*2.*q.*3. qui adhuc enucleatiùs hanc rem evolvit *in eo: lib.dist.*45.*art.*2.*q.*2. ubi ex professo de suffragijs agens, de quo ijs signanter, quæ per malos fiunt, an prosint, necne ? ait distinguendum; quòd suffragia facta, aut sunt opera sacramentalia, ut celebratio Missæ; & tunc,quia opera Dei sunt, ratione contenti prosunt, sive fiant à bonis, sive à malis : Aut sunt alia opera ; & hoc dupliciter : aut enim fiunt purè à malis,sicut si aliquis malus orat, aut se affligit pro aliquo ; & tunc non credo , quòd valeant defunctis:aut fiunt à malis ad imperium alicujus boni, ut ipsius defuncti, vel amici ejus, de re, quæ illius est, in eleemosyna : vel ad consortium alterius, ut quando duo legunt Psalterium, unus existens in charitate, alter non;& in alijs operibus; ut quando datur eleemosyna justo, ut oret pro mortuo : & tunc valent ratione doni charitatis homini conjunctæ. Hæc S. Bonaventura.

20 Et secundùm hanc observationem intelligendum censeo Navarrum *tom. mihi* 2. *Comment.in* 2.*p.Decreti,cap.*26.*n.*36 ajentem : Debet item Testator operam dare, ut in statu Gratiæ testamentum faciat ; quia id faciens in statu peccati mortalis,nullam gratiam,nec gloriam meretur , jubendo suffragia , & alia pro sua anima fieri;quamvis postea in statum Gratiæ redeat , & in eo moriatur : sicut nec ad illum effectum alia opera in peccato mortali facta prosunt : *cap nihil : de Consecrat. dist.*5. Gloss. *in cap. quod quidam: de Pœnitent. & remission.* Immò nec ad satisfactionem pœnarum, quas in Purgatorio luere debet; ut significant Magni Auctores in id citati à Magistro *in* 4. *dist.*15.& affirmant S.Thomas 3.*p.q.*89.*art.ult.* D. Bonau. Richardus, & communis, *dist.*16. licet contra teneat Scotus , & Mayor ; quos sequuti fuimus *in cap.*1.*in princ.n.*46. *de Pœnit. dist.*6. ad effectum magnificandi misericordiam Dei : dicentes tamen,utilius esse uti opinione S.Thomæ ad animarum nostrarum requiem. Quare consulendum est Testatori, ut cùm probabiliùs existimat se in statu Gratiæ, qui ut plurimùm videtur esse post Confessionem, & Communionem, testamentum antea factum (si fortè illud condidit in statu peccati mortalis) cum omnibus in eo contentis ratificet , & offerat Deo ad gratiam ejus pet remissionem peccatorum promerēdam,juxta mentem omnium. Ita Navarrus *loco cit.* ubi etiam pro eadem sententia se ipsum citat *in d. cap.*1. *in princip.n.*45.*de pœnit.dist.*6.*& in tract.de Indulgen.super §. In Levitico:not.*19.*n.*9.Concordat Ludovicus de Beja *p.*1.*responsionum casuum conscientiæ casu* 57. ubi latè edisserit rem hanc à fundamentis , cum S.Bonau. D.Thoma, Richardo, Paludano, & communi. Alia multa de hoc eodem subjecto videre est apud Gabrielem *in can.lect.*58.*& lect.*26.ubi etiam latè ostendit, quantò sit salubriùs legata per se ipsum instituere & in vita exequi , quàm instituenda, vel exequenda hæredibus relinquere: & ex omnibus suffragijs nulla præstantiora esse , quàm quæ per officia Ecclesiæ, ut per Missas, & exequias funerales instituantur, & fiant. Atque hæc satis in gratiam testantium,& legantium dicta sint.

Ut autem ex facta hac reflectione ad rem 21 nostram redeamus,observo rationem,seu fundamentum, quo Seraphicus Doctor *cit.dist.*45. *a.*2.*q.*2.utitur pro sua doctrina, contra eos,qui generaliter asserebant, suffragia Ecclesiæ(idest suffragia, quæ fiunt à Fidelibus secundùm doctrinam Ecclesiæ dictantis ; non autem suffragia illa tantùm,quæ fiunt à Ministris Ecclesiæ, vel etiam à Fidelibus quandóque unitis nomine peculiari Ecclesiæ) prodesse ei animæ, pro qua fiunt , si sit in charitate, & in Purgatorio, sive fiant à bonis, sive à malis : quia scilicèt(ut illi ajebant) tàm boni , quàm mali faciunt secundùm doctrinam Ecclesiæ , & faciunt pro eo, qui est in charitate : & ubi deficit charitas facientis, supplet charitas Ecclesiæ dictantis, & mortui suscipientis. Ubi adverte , quòd S. Doctor hic , & alibi sæpiùs, quamvis ipse magis inclinet in eorum sententiam , qui volunt, Charitatem , & Gratiam esse distinctos , & diversos habitus per essentiam, Charitatem pro Gratia ponit , seu Gratiam appellat Charitatem : tùm quia nihilominùs non improbat, sed satis rationabilem dicit esse etiam illorum opinionem , qui asserunt , quòd Gratia, & Charitas , idem sunt per essentiam , & differentes sola relatione : ut videre est apud ipsum *in* 2. *dist.*27.*art.*1.*q.*2.*in corp. &* 3.*dist.*27.*art.*1.*q.*3.

& 4.

& 4. aut solum formaliter, ut tenet Scotus *in* 2. *dist.* 27. q. 1. tum etiam quia Charitatis habitus non potest unquam esse informis, idest privatus Gratia, ut cum communi Theologorum consensu tradit idem S. Doctor *in* 3. *cap.* 4. *mox cit.* Et ideò, sicut Charitas nominatur plerúmque nomine Gratiæ ut testatur idem S. Doctor *ibidem*; ita vicissim ab ipso Gratia nominatur nomine Charitatis. Ratio autem, quâ S. Doctor illam sententiam refutat, inquiens: *Sed non credo breviter, quòd oratio peccatoris aliquid mereatur apud Deum, nisi solùm dispositivè:* est ista: quia (inquit) opus formam recipit à proximo agente.

22 Premo igitur pro meo instituto hanc rationem: & aio: Si opus suffragij legato relicti formam recipit à proximo agente; & nihilominus opus factum à malo v.g. hærede, vel executore, aut gravato, ad imperium, & ordinatum defuncti, qui testatus fuit in statu Gratiæ, huic prodest; etiamsi non sit opus Sacramentale: consequens est, quòd proximum talis operis agens censeatur defunctus ipse, non autem hæres, aut executor, vel quipiam alius gravatus: hocq; ad regularum amussim utriúsque Juris: *cap. qui facit: de reg. iur. in* 6. *& l. qui jussit alterius: ff. eod. tit.* Unde & facinus per mandatarium perpetratum imputatur mandanti; ut famigeratum est in omni foro. Uide Julium Clarum *in Pract. criminali*, *lib.* 5. §. *fin. q.* 89. *n.* 1. *& seqq.* Atque per hoc roboratur id, quod statim subdo, & suapte naturâ ex eo fluit, quod in *Secundo hoc Corollario* ab exordio ex prioribus notatis deduxi. Jdcircò.

23 Colligo tertiò, legatum etiamsi ab hærede præstitum legatario, semper esse verè, ac propriè liberaliter, seu dono, aut etiam eleemosynaliter datum; ut *in superioribus* explicatum est. Et ratio est; quia, cùm formam recipiat à proximo agente, qui utique testator censetur, non autem hæres; aut alius executor: testator verò in legando finem habeat semper (finis autem specificat opus, & dat ei formam: ut commune est apud Theologos) vel sublevandæ inopiæ, & corporalis indigentiæ legatarij, vel & plerúmque simul, ostendendæ erga ipsum munificentiæ, & liberalitatis suæ, pro bono animæ suæ maximè in legatis, quæ fiunt pauperibus, & egenis, quales sunt Fratres Minores; consequens est, quod dixi, legatum scilicet, etiamsi ab hærede præstitum legatario, semper esse verè, & propriè aut donum, aut eleemosyna; & quidem ad piam causam, si fiat vel in finem expressum pro anima, vel talibus legatarijs, ut absque alia expressione hujus finis suapte naturâ censeatur tale, idest ad piam causam: de quo alibi in sequentibus.

§. IX.

Sequitur idem argumentum, ut tandem innotescat, quàm frustra requiratur à Sanchez, & de Lugo (gratis asserta prohibitione speciali) quòd, ut Fratres Minores licitè accipiant ab hærede aliquid annuum sibi à Testatore legatum, etiam cum expressa declaratione, quòd illud relictum est, & præstatur eis solo titulo eleemosynæ; debeat hæres ipse agnoscere, se nullam habere obligationem dandi; sed gratis, & libenter id dare, seu liberaliter; ita ut ipse censeatur rem illam Fratribus donare, seu eleemosynaliter dare.

SVMMARIVM.

1 *Legatum est propriè donum.*

2 *Donatio est rei licitæ, nullo jure cogente, collatio alicui facta.*

3 *Donatio est datio quæ supra rationem dati, habet seu addit rationem liberalitatis sine retributione.*

Donatio remuneratoria non est propriè donatio, ibid.

Donatio seu donum à munere distinguitur, ibid.

4 *In quo consistit objectum formale donationis.*

5 *In solutione legati duplex actio consideratur, testatoris scilicet, & hæredis, seu executoris voluntatis defuncti.*

6 *Legati præstatio ab hærede facta est implementum oneris sibi à testatore injuncti.*

In necessitatibus nemo liberalis existit: & qui præstat aliquid ex necessitate, non dicitur donare, ibid.

Obligatus naturaliter tantum, si solvat, non dicitur donare, propriè loquendo, ibid.

In quibusdam casibus aliquis potest donare invitus impropriè, ibid. *remissivè*, & n. 7.

7 *Hæres solvens legatum Minoribus relictum, an solvat ex aliquo juris vinculo saltem naturali.*

8 *Ad rationem Doni duo requiruntur; primò, ut fiat ex mera liberalitate donantis; secundò, ut procedat ab habente authoritatem seu potestatem.*

Doni definitio ex S. Bonaventura, ibid.

Donum, & Donabile distinguntur, ibid.

9 *Alienatio non nisi à Domino fieri potest.*

Dominus interdum alienare prohibetur: & è contrà, non Dominus interdum alienare potest, ibid.

1 Dixi, rationéque firmavi, legatum etiamsi ab hærede præstitum legatario ex obligatione sibi incumbente ob mandatum, seu ordinationem testatoris acceptatam in aditione hæreditatis; semper esse verè, & propriè liberaliter, seu dono, aut etiam eleemosynaliter datum. Dixi; jam verò & iterum dico, & nova ratione confirmo, eáque robustissimâ, ex donationis definitione deducta, quam idcirco præmitto supposita etiam definitione Eleemosynæ tradita *in principio §. praecedentis*.

Donatio, seu doni datio (dicitur enim donatio à dono, quasi doni datio, nam ita Græci dicunt, ut testatur Paulus *in tex. l. senatus: §. donatio: ff. de mort. cau. donat. & capionibus*) secundùm Ostiensem apud Angelum *in Sum. V. donatio*, & secundùm Azonem apud Sylvestrum *in Sum. eod. tit. n. 1.* est rei licitæ, nullo jure cogente, mera liberalitate facta collatio: *l. 1. ff. de donation.* & *ibi* Gloss. & Doctores; Card. de Lugo *tom. 2 de just. & jure disp. 23. sect. 9. num. 131.* Concordat & D. Thomas *in 1. sent. dist. 18. a. 1. q. 3.* & ibi sparsim *per totam illam distinctionem*; & communiter Theologi *eò loci*. 2

Ex quo liquet, quod donatio propriè est datio liberalis, seu (ut aliqui loquuntur, signanter S. meus Doctor *cit. in corp.*) est datio, quæ supra rationem dati, habet rationem, seu addit conditionem liberalitatis, sive irreddibilitatis; hoc est, quòd non fiat in commutationem pro re aliqua, quæ retribuatur; seu recompensationem non intendens. Quòd etiam traditur ab Aristotele 4. *Ethic. c. 2.* Unde Julium Clarum *Pract. Civ. lib. 3. §. donatio, q. 1.* & *ibi* Addition. *n. 18. & seqq.* Unde donatio remuneratoria, aut antidoralis, est impropriè donatio; juxta *d. l. 1. & l. Aquilius: ff. de donationibus*; & utrobique notatur per *Gloss.* & tradit Christophor. Torniola *p. 1. Consilior. cons. 32. n. 21.* & communiter Doctores. Neque enim donatio propriè dicta aliud objectum formale habet, quàm meram voluntatem, liberalitatémque, & munificentiam donantis: *d. l. 1. ff. de donat.* ut tradit Torniola *cit. cons. 1. n. 9.* & I.C. omnes. Unde etiam est Lex, & regula Juris *ff. eod. tit. l. donari*: quod donari videatur id, quod nullo jure cogente cōceditur. Et *l. Munus 214. §. dona: ff. de verbor. significat.* habetur: *Dona autem propriè sunt, quæ nulla necessitate juris, sed sponte præstantur; quæ si non præstentur, nulla reprehensio est; & si præstentur, plerúmque laus inest*: Et donum propriè est semper sine causa (ut ibi observat Gloss.) munus verò, & cum causa, & sine causa: & propriè dicitur id, quod necessariò subimus lege, more, imperiovè ejus, qui jubendi habet potestatem; ut *ibi* textus: qualis est testator in hæredem suum acceptantem hæreditatem. Ita ut non quodcúmque munus idem donum accipiatur; at quod donum fuerit; id munus ritè dicatur; ut concludit *ibi* textus. Uide Gloss. *in legib. citat.* & in *l. munus tribus modis 18. & l. Inter donum, 194. ff. de verb. signif.* & *cap. 1. extra: de donationib.* & *ibi* Glossas.

Hisce porrò rationibus liberalitatis, munificentiæ, 3

ficentiæ, & spontaneitatis, quæ unicam rationem formalem, seu objectum formale constituunt donationis, ut dictum est; si addatur finis misericordiæ, jam donatio induet aliam formalitatem, eritque propriè Eleemosyna; (ut dictum est §. *præcedente*) quæ quidem propriè donum non est; cum nec propriè possit dici donare is, qui facit eleemosynam, etiamsi sponte; ut bene notatur per Albericum de Rosate *supra cit. lit. D.* ubi allegantur Albertus *in opere Statut. Rubr.* 122. *in* 1. *p.* Io. Bapt. Cast. & alia iura.

5 His de natura donationis in genere prælibatis, hic etiam reficio doctrinam Card. de Lugo *in § præcedente* relatam, quòd scilicet in solutione legati ab hærede præstita, aliud est eleemosyna ipsa, vel donum jam testatoris ab ipso solutum; & in hoc reputatur actio, & intentio ejusdem testatoris jubentis, quem repræsentat hæres, ut ostensum est *in superioribus*: aliud est actio propria ipsius hæredis solventis. Et primum quidem, etiamsi fiat ab hærede hic, & nunc, factum tamen videtur ab ipso defuncto; ut patet ex dictis, & iterum docet Abbas *in Clement. Dudum: de sepulturis, n.* 39. affirmans esse bonũ textum, ad hoc, cum *ibi* notatis, *in l. unum ex familia: ff. de legatis* 2. & in hoc hæres nullum acquirit meritum apud Deum, aut gratiam apud legatarium. Secundum verò est proprium factum hæredis; & in hoc, si promptus sit, & fidelis, & liberalem se ostendat meritum apud Deum, si cum debita dispositione, & intentione operetur, acquirit; & gratiam apud legatarium; sicuti è contra tùm Dei, tùm legatarij offensam incurrit, si fuerit negligens, & infidelis. Et de hac hæredis actione, seu quoad hanc hæredis actionem intelligendus est Nicolaus III. *in cap. Exiit: eo §. Ad hæc quia:* (ut infra etiam monstrabimus) ubi ait: *Ad quæ legata solvenda tam hæredes Testatorum, quàm Executores se liberales exhibeant.* Denuò dico, legatum, etiamsi ab hærede præstitum, semper esse verè, & propriè quid liberaliter, & spontè datũ, sive in ratione eleemosynæ, juxta finem intentum à testatore in eo relinquendo. Patet ratio ex dictis: quia licèt, quantùm ad actionem propriam ipsius hæredis solventis, non sit, quin immò nec possit esse verè donum; quippe quod aliquo jure (& quidem non naturali tantùm, sed etiam civile, vel prætorio, si legatarius sit juris capax) cogente, & non ex mera liberalitate, vel spontaneitate sit collatum; hæres enim id solùm solvit, & præstat quòd suæ ipsius fidei fuerat à testatore commissum, creditum, vel depositum, ut solveret: cum tamen in hoc præstet factum ipsius Defũcti, quod nullatenus revocare potest, prout defunctus poterat, ut ex dictis patet, & ampliùs tradit M. Antonius Peregrinus *Decis.* 110. *n.* 6. allegans Jasonem *cons.* 168. *col. fin.* Gramm. *Decis.* 93. *n.* 9. & Menochium *cons.* 10. *n.* 25. Ideò id, quod præstat, verè, & propriè dicendum est, etiamsi ab ipso præstitum, liberaliter, seu spontè datum, donúmque, vel Eleemosyna, secundùm finem, quem testator mandans intendit.

Cæterùm id dati, quà se tenet, seu quatenùs 6 procedit ex parte actionis propriæ ipsius hæredis, nec est, nec potest dici donum, ex liberalitate & spontè procedens, ut dictum est. Et probatur: Nam mera liberalitas non potest dici onus, nec causa onerosa; ut benè ex *cap.* 1. *de donationibus*, tradit Jason *super* 2. *p. ff. de Verbor. obligat. l. qui Romæ §. Flavius n.* 6. ergò frustra quæritur liberalitas, & spontaneitas in actione largitionis rei legatæ, provt ab hærede procedit; quia est onus à testatore ei impositum, quod ipsum obligat saltem in conscientia, maximè si legatum sit pium; atque adeò nunquã potest hæres ipse agnoscere, se nullam habere obligationem dandi, & nisi gratis, & libenter, seu liberaliter se dare; ut gratis volunt *Sanchez* & *de Lugo* in præsenti materia, quoad Fratres Minores. Facit text. *l. rem legatam: ff. de adimen. & transfer. leg.* quod nemo in necessitatibus liberalis existit: Et hoc etiam dicit Gloss. *in cap. sedes: circa medium, extra, de rescriptis:* ut notat ibi Marginista *ad d. leg. rem legatam* qui si dicat: (ut exponit ibi Gloss.) Qui dat aliquid ex necessitate, non dicitur id donare: allegátque *l. si quis ff. de donation. inter virum, & uxorem, & l. hac ignorans C. de donationibus* & *l. donari: ff. de donationibus.* Gloss. item in *l. donari ff. de reg. iur.* aperte ait: Naturaliter obligatus si solvat, nun videtur donare: *allatis juribus.* Quia naturalis obligatio impedit donationem; ut loquitur Gloss. *in l. hoc jure: ff. de donation.* id est facit, quod id, quod datur, non dicatur in jure donari, seu dari sub ratione & titulo donationis. Quandóque tamen (subdit eadem Gloss. *in d. l. donari: ff. de donation.*) dicitur liberalitas, vel donatio, etiam quæ necessariò fit; sed impropriè, & allegat jura, quæ ibi videri possunt: sicut & Gloss. *in d. l. donari: ff. de reg. jur.* quæ ait, quòd in aliquibus casibus donat quis invitus; sed impropriè in eis dicitur donatio: cùm illa sit propriè, quæ nullo jure, vel naturali, vel ciuili, vel prætorio cogente conceditur.

Et quamvis, secundùm quosdam, intelligatur donari id, quod nullo jure (scilicèt civili 7 tantùm aut civili juncto naturali) cogente præstatur, vel conceditur: nihilominùs id nec probatur Glossæ *in l. donari: ff. de don.* neque officit, quò minùs adhuc hæres solvens v. g. legatum Fratribus Minoribus, debeat agnoscere, quòd dat, & solvit ex obligatione naturali, & vincente in foro conscientiæ, sed & patiente officium judicis nobile; ut patet ex

textu

textu *cap. Exiit : eo §. Ad hac, quia :* & ampliùs alibi palam fiet. At malit quisque hanc sententiam renere, quòd scilicet, etiamsi ex necessitate naturalis juris quis quid alteri præstet, & dare, & donare dici possit; ut tenent Albertus, & Imola, *in d. l. donari*: Ioan. Andr. *in l. 1. si non sortem : §. Indebitum : ff. de condict. indebiti :* & alij dicentes, debitum naturaliter non dici propriè debitom, sed abusivè: ex *l. fidejussor obligari : §. fidejussor : ff. de fidejussoribus :* Ego illam non sequor; nisi sit sermo de donatione impropriè, & latè dicta : tametsi faceret ad meum intentum; haberem enim in probatis, quòd hæres solvens annuum quid Fratribus Minoribus, cùm non solvat nisi ex obligatione naturali, & ex conscientia, seclusa omninò civili, verè det, & donet, absque ulla declaratione.

8 Sequor autem (præter *Glossam cit.* cujus sententia est communior) doctrinam S. Doctoris mei *in 4. sent. dist. 18. art. 1. q. 4.* docentis, ad rationem doni non solùm requiri, quòd sit secundùm rationem liberalitatis, seu quòd procedat actu à dante ex mera liberalitate, seu irredibilitate; sed etiam, & primò quidem, quòd sit ab authoritatem, seu potestatem habente: unde, secundùm Seraphicum Doctorem, definiri potest benè, & propriè donum, quòd sit id, quod secundùm rationem liberalitatis ab aliquo auctoritatem habente procedit. In qua definitione illud etiam advertendum est, quòd donum definitur per actum, seu per actualem processionem à donante; non autem per potentiam : sicuti per actum, & non per potentiam definitur etiam à Philosopho 3. *Topic. cap. 9.* dicente; quòd donum est datio irreddibilis, idest liberalis, & gratuita. Quapropter definitio doni, quam tradit P. Forestus noster *in tract. de ineffab. Trinitatis Mysterio, q. 15. c. 1.* cum alijs ajentibus, donum esse id, quod primo sub alicujus potestate, & auctoritate in alterum ex liberalitate in usum, vel fruitionem translatum est, vel potest transferri : hæc, inquam, definitio non probatur : quia superfluit illud, quod in eo additur ; *vel potest transferri :* nisi forte ita definientes intenderint definire non solum donum, sed etiam donabile. Nam v.g. pecunia in ærario alicujus domini existens, & recondita, etiamsi ab ipso ex auctoritate, & liberalitate possit in alterum transferri, nondum tamen propriè donum, sed tantùm potest dici donabilis, quandiù ejus dominium in alterum non transferatur actu ; post quem actum semper dicetur donum in habitu, secundùm S. D.

9 Quamvis autem hæc doctrina tradatur à S. Doctore, & alijs ibi, pro eo, quod attinet ad divina, scilicet ad divinas Personas ; quarum tertia nempè Spiritus sanctus, dicitur propriè *donum* ; quia ejus processio à Patre, & Filio, est secundùm rationem liberalitatis, tùm quantùm ad emanationem æternam, tùm quantùm ad temporalem, & ex auctoritate utriusque : non sic autem Filius; quia, quamvis rite procedat à Patre auctoritatem habente in ipsum (sicut, & ipse cum Patre habet in Spiritum sanctum) secundùm rationem liberalitatis, quantùm ad emanationem temporalem, seu ad extra ; non tamen quantùm ad æternam, seu ad intra ; ut sciunt Theologi. Quamvis, inquam, hæc doctrina tradatur pro eo, quod attinet ad divina ; seu ad rationem doni in divinis ; quadrat nihilominùs, quin & necessaria est pro eo, quod attinet ad rationem doni etiam in humanis : éstque juxta aliam ejusdem S. Doctoris doctrinam *in 4. sent. dist. 15. art. 2. q. 1. in fundam.* quà docet ex jure, non posse alienari possessionem nisi à domino; quod est dicere, ab habente proprietatis dominium (& quidem plenum, seu perfectum ; non autem imperfectum; hoc est dicere, vel directum, quod solam proprietatem vel utile, quod solam rei vtilitatem continet : quale competit usuarijs, & usufructuarijs :) tametsi accidat aliquando, ut qui dominus sit alienare non possit ; & contrà, qui dominus non sit, alienandæ rei potestatem habeat ; ut est textus *in princip. & § 1. Instit. quibus alienare licet, vel non:* ubi Jason, & alij, & communiter norunt Iuristæ, sed & Theologi, *tract. de just. & jure,* ubi de Dominio agunt.

Cum igitur is, qui donat, dominium jam quæsitum, sibique competens, in donatarium transferat ; ut compertum est : hæres autem in rem legatam, & per testatoris voluntatem, æquè ac per legem : *arg. l. sancimus: C. de rebus alienis non alienan.* ubi Gloss. dispositam legatario, & ab hæreditate delibatam, seu detractam, non habeat potestatem, vel auctoritatem, quam habebat testator, quandiù fuit, condito testamento, superstes ; neque illius rei requisierit dominium, nisi utile ; sed immò legatarius ipse dominium ipsum, vel quasi acquisierit, (si capax sit acceptetque civiliter) vel sibi, vel ei, cui per ipsum acquiritur obligatio, & jus (juxta textum *Instit. per quas personas nobis oblig. acqui, & C. per quas pers. nobis acqui.*) ipso jure post mortem testatoris, & aditam hæreditatem ab hærede ; ut patet ex dictis : cùm, inquam, hæc ita sint ; quomodo quæso poterit vnquam hæres solvens legatum dici, quòd verè, & propriè donat, quantùm ad actionem suam propriam? Sanè autem hanc veritatem novit, docuitque ipsemet Sanchez *tom. 1. de matrim. lib. 6. disp. 4. num. 1.* ubi docet, quod si testator relinquat hæreditatem suam alicui, v.g. marito, rogans eum, ut ipsam ex fideicommisso restituat uxori suæ, dum hic hæreditatem

reditatem ipsam sine deductione Quartæ Trebellianicæ restituit uxori, non est censendus donare: En ipsissima ipsius verba: *Similiter si rogatus hæreditatem uxori restituere: sine deductione Quarta Trebellianica restituat*, (docet autem ibi, validam esse donationem inter conjuges, ex qua donans non redditur pauperior, licèt recipiens fiat ditior:) *quia maritus magis videtur functus pleniori, officio præstandæ fidei, quàm donare: magis enim fidem exolvit in hoc casu, quàm donat: nec de suo putat proficisci, quod de alieno pleniùs restituit, voluntatem defuncti secutus.* Hæc ille. Quæ profectò omninò dicenda sunt de hærede solvente legatum, vel fideicommissum particulare; ut luce meridiana clarius apparet.

11 Prætereà neque unquam (quod suaptè naturâ ex præcedenti sequitur etiam ad hominem contra Sanchez) vel post quamcúmque protestationem à Fratribus Minoribus factam in suis casibus, quæ quomodo, & quo sensu facienda ab ipsis sit alibi dicetur *Art. 2.*) poterit dici idem hæres iisdem Fratribus eleemosynam legatam solvens, quòd ipse eleemosynaliter det. Ut enim ex Canonistis habetur, quorum loca citantur latè ab Angelo *in Sum. V. Eleemosyna*, & alijs, & ex Theologis, signanter ex Seraphico meo Doctore *ea q. 1. mox suprà cit.* non dicitur eleemosynaliter dari, nisi id, quod est propriũ ejus, qui dat; quodvè sibi ipsi à dante adimitur. Patétque ex sacro textu, *Tob. c. 4.* ajente: *Ex substantia tua fac Eleemosynam.* Stat ergo à primo ad ultimum id, quod asserui, quòd scilicet legatum, etiamsi ab hærede præstitum legatario ex vi ordinationis testatoris, non sit verè, & propriè liberaliter datum, & donum; aut eleemosynaliter, vel eleemosyna; neque hanc rationem induere possit, facta à Fratribus Minoribus in casu ipsorum, quacúnque protestatione. Quin & dixerim facta ab iisdem quacúnque respuitione: legata enim pia, qualia censenda procul dubio sunt, quæ fiunt Fratribus Minoribus, etiamsi fiant cum expressione modi ipsis illiciti; atque adeò ab ipsis respuenda, juxta superiùs dicta ex *cap. Exyt: eo §. Ad hæc, quia:* numquam cedunt hæredibus, sed debent alijs pauperibus, vel in alias pias causas erogari, ut voluntas testatoris aliquo modo impleatur: quippe cum in hujusmodi legatis non habeat locum jus accrescendi, neque unquam ipsa fiant caduca; ut alibi late ostendam: immò, & legata ipsa profana, quæ sola possunt hæredibus accrescere ob respuitionem, seu renunciationem à legatarijs factam, vel ob aliam causam; ita illis accrescere in hujusmodi casibus censenda sunt, ut si habeant injunctum onus, illud teneantur hæredes fideliter implere.

12 Hactenùs autem hîc dicta pro præsenti intento, confirmantur per ea quæ habentur apud Julium Clarum *cit. lib. 4. §. Donatio, q. 1. in additon.* Joan. Harprecti, *num. 6.* Ibi enim, allata definitione donationis in genere, quòd scilicet donatio sit actus, quo res propria, ex liberalitate, à volente proficiscitur, & in volentem confertur; in ejusdem explicatione notantur ista; videlicet: dicitur in definitione: *Quo res propria:* argum. *l. si filius: 14. l. si avia: 19. C. de donation. l. 1. C. de bonis maternis, & materni generis*; Res siquidem alienæ donari nequeunt, quia non sunt in patrimonio donantis; & quia non possunt ejus fieri, cui donantur: *l. in adibus: 9. in fi. ff. de donation. l. nemo plus: 54. ff. de regul. juris.* Nec liberalis rectè appellatur, qui de alieno est liberalis; sed ille, qui quod alteri donat, sibi detrahit; teste Seneca *lib. 1. de Clementia.* Dicitur, ex *liberalitate, à volente:* nemo quippe donare cogitur: (coactione tamen, intellige, sufficiente, non autem efficiente, seu inducente; de quo infra) *l. donari: 29. ff. de donation. & l. donari: 82. ff. de reg. juris.* Vide etiam S. Thomam *in 4. sent. dist. 15. art. 1. 2. 3. 4. & 5. q. 2. & 2. 2. q. 23. art. 1. & seqq.* Patet autem, quòd hæres potest cogi ad solvendam rem legatam legatario, coactione etiam sufficiente, per officium Iudicis, sive mercenarium, ad actionem politicam legatarij, qui capax sit civilis actionis; sive nobile, ex officio, sine ulla actione civili legatarij, hujusmodi actionis incapacis, quales sunt Fratres Minores: ut constat *ex eo §. Ad hæc, quia cap. Exyt.*

Hisce omnibus concors accedit Antonius Corsetus Siculus *in Repetit. in cap. Grandi de supplenda negligen. Prælat. num. 21. & 22.* ubi ex eo, quòd vera, & propria donatio illa censetur à Iuristis, ad quam donator movetur, nulla aliâ causâ præcedente, nisi ut exerceat magnificentiam, & liberalitatem quandam: docet quòd ubi intervenit, vel præcedit obligatio naturalis, aut antidoralis, non est propriè donatio. Unde donatio remuneratoria conceditur à Doctoribus J. C. atque Theologis ei, qui simpliciter prohibitus est donare; ut latè ostendit ille *ibi*, allatis juribus, & Doctoribus. 13

Cum igitur, ut constat, non possit ullo modo leges, quantùm est præcisè ex parte actionis suæ propriæ, intendere se donare id, quod præstat legatario, dum ei simpliciter solvit rem legatam; (esto, quòd possit offerre Deo opus suum, diligentiam, & promptitudinem in solvendo, & per hoc legatarij sibi animum devincire) minùs poterit intendere, dare se eleemosynam, si legatarius sit pauper, ut sunt Fratres Minores: sequeretur enim; cùm erogare intenderet de non sua substantia, seu de re non propria, quòd de alieno eleemosynam largiretur, quòd tamen ipsiusmet Dei prohibitione, 14

bitione, & Iuris communis præscriptis vetari prohibetur: 14.q.5. *cap. eleemosyna*: cum *alys Capit.seqq.& praeced. ibid. &* 1.q.1. *Cap. non est putanda*: *Extra de decimis, cap. ex transmissa*: ubi Gloss. apertè docet, quod nemo potest ritè facere eleemosynam de his, quorum dominium non habet, cùm non sint illius, quia aliena non potest quis concedere præter domini voluntatem: species enim injusti lucri est ex alieno largiri, & beneficij sibi acquirere debitorem amovet, ut eam alij donet: *l. si pignore*: §.1. *ff. de furtis*. Et ità furtum facere perhibetur, qui dat de non suo simulans se dominum, sicut qui falsus creditur existens, & simulans se verum, si quid acceperit: *l. falsus creditor*: §.1. *ff. eod. tit.* ubi Baldus. Videatur S. Doctor *ea q.1. cit.*

15 Jam verò audiamus Card. de Lugo *lib* 4. *responsmoral.dub.*7. & Sanchez, (quem ipse citat, & benè,) *lib.*7. *in Decalogum cap.* 26. *n* 49. ad quorum refutandam insinuatam in hoc subjecto sententiam, hactenus dicta ordinantur.

16 Primò igitur repræsentat hujusmodi casum factum, non fictum. N. Testator jussit, ut ejus hæres singulis annis daret Domui Professæ Societatis certam summam in eleemosynam, & singulis vicibus declararet, se illam summam dare solo titulo eleemosynæ, & non propter jus aliquod, quòd Domus Professa haberet ad illam petendam. Patres tamen nolebant illam recipere: quia videbatur ipsis, sub eo titulo palliati reditus annuus, cujus Domus Professa incapax est.

17 Secundò ponit resolutionem suam: Dixi, (inquit) in illa Testatoris dispositione nihil reperiri quod repugnet constitutionibus Societatis, vel Paupertati Domus Professæ, quæ quidem nullum jus civile, vel naturale requirit ad illam eleemosynam accipiendam, vel petendam: Hæres tamen ex obligatione non erga Societatem, sed erga Testatorem, debet illam erogare. In quo conveniunt omnes Scriptores Societatis, Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*10. *lib.*4. *cap.*9.*n.*9. & clariùs *to.* 3. *lib.*8. *cap* 17. *num.* 19. Sanchez *lib.*7. *in Decal. cap.*27. *n.*9. Castro Palao *to.*3. *tract.*16 *disp.*3 *p.*10. *n.* 5. & Ego idem asserui *to.*1. *de just. & jure disp.*3. *sect.* 5. *num.* 106. Verba sunt prædicti Cardinalis de Lugo.

18 Tertiò rationem reddens hujusmodi resolutionis, ait: Ratio est; quia licet, quoad Fratres Minores de Observantia, dubitetur, an possint pecuniam illam annuam sic relictam accipere; quibusdam id affirmantibus, quos affert Sanchez *d. lib.*7. *in Decal. cap.*26. *n.* 48. alijs id negantibus, quos sequitur idem Sanchez *ibi*, *n.*49. id provenit ex prohibitione speciali illis facta acceptandi, nisi hæres agnoscat, se nullam habere obligationem dandi, & nisi gratis, & libenter id dare; (seu sponte sua, ut loquitur *Sanchez cit.*) Societati autem hæc prohibitio non est facta; sed potiùs contrarium ex ejus Constitutionibus clarè colligitur: nimirum 6. *p.cap.*2.*n.*2. *lit.B.margin.* in quo loco solùm aufertur à Domo professa jus, vel actio ad illas pecunias petendas, non tamen potestas eas acceptandi, si testator jubeat hæredi eas dare. Hæc ille, & alia plura *ibi, n.*3. *&* 4. quem tamen ego miror, cæteróqui pro suis Domibus Professis tàm dilucidè difficultatem suorum Patrum solventem, pro parte autem Fratrum Minorum cum suo Sanchez deceptum, quoad illam rationem ex parte eorumdem Fratrum.

Sanè etenim ratio illa non subsistit, neque ullo fundamento sufficiente sustineri potest. 19
Numquid enim recipere res legatas, secundùm indigentias, & moderamina requisita, ab hæredibus in conscientia obligatis, & erga testatorem, ex quasi contractu fidei datæ in aditione hæreditatis, ut alibi ostendo: quin & officio judicis nobili compulsis, Fratrum Minorum statui, ac Paupertati repugnare perhibetur? Id certè Nicolaus III. qui tanto zelo, & scientia, ut alibi diximus, hujusmodi legatorum difficultates explanare intendit *eo* §. *Ad hæc quia: Cap. Exyt*: non declaravit, sed potiùs contrarium, ut legenti textum ipsius luce meridiana clariùs apparet. Quinimò nec repugnat accipere annuatim quid ab hæredibus solventibus ex obligatione naturali erga Fratres ipsos, si tale fuerit legatum, quod talem inferat obligationem; ut alibi latiùs edissero; nisi adsit modus in forma legandi Paupertati Fratrum repugnans. Numquid verò legatum illud in eo casu positum à *de Lugo* modum aliquem continet hujusmodi? Ego certè non video; quinimmò modum licitum expressissimum. Modus namque hujusmodi non potest aliussesse, ut ostensum est *in superioribus*, nisi qui inferat Fratribus, & si non de jure, saltem de facto, usum, aut usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter immobilia in jure computati: Sed neque legatum illud supponitur tantæ quantitatis, quòd præsumi possit in fraudem aut hæreditatis, aut Paupertatis, atque ideò sit Fratribus ipsis interdictum ex declaratione Clem. V. *in cap. exivi*: *eo* §. *Proindè*. Neque demum recipere annuatim illud, eo maximè titulo præstitum, reperitur alicubi ijsdem Fratribus prohibitum: & frustra, quoad hoc allegatur à de Lugo, Sanchez, & aliis, *Clement. Exivi: in* §. *Cumque annui reditus*: ut alibi latè ostendo.

Quin etiam addo, legatum illud adhuc fore Fratribus Minoribus, æquè ac Domibus Professis societatis, licitum, si factum fuerit tùm ipsis Fratribus, tùm simpliciter gravando hæredem, (hoc est dicere tum sub forma propria 20
legati,

legati, tùm sub forma fideicommissi absque illa expressione tituli Eleemosynæ. Siquidem adhuc esset intelligendum (nisi inferret usum, aut usumfructum, ut supra) factum sub modo licito, & proveniens Fratribus titulo doni, aut eleemosynæ ex parte Testatoris; ut clarè docet, & statuit intelligendum esse in casibus occurrentibus Nicolaus III. *ubi suprà.* Quapropter potuisset *de Lugo* illud dubium ita resolvere pro Fratribus Minoribus, sicuti explanavit egregiè pro sua Societate Professa: nam omnes rationes, & modi explicandi, quibus ipse egregiè utitur ibi pro ista, usquequaque adaptantur statui etiam, ac professioni Fratrum Minorum; ut alibi ostendam §.24. Interim satis sit ostendisse rationem illam à de Lugo ipso, & Sanchez assertam penitùs inanem, nec ullatenùs subsistentem, gratisque eam aliquos etiam ex nostris reformidare.

§. X.

Quomodo possit dici eleemosynaliter datum Fratribus Minoribus id, quod ex ordinatione, & mandato Testatoris ab hærede, ideò in conscientia obligato, ipsis præstatur; etiam spectata actione ipsius hæredis, & prout ab ipso procedit. Et, an, & quomodo requiratur, possitque dici adesse in tali solutione spontaneitas, & revocabilitas à quibusdam Doctoribus cum de Lugo, & Sanchez incedentibus requisita, ad hoc, ut habeat rationem Doni, vel Eleemosynæ.

SEGMENTI PRIMI SUMMARIUM.

1 *Qui donat, vel eleemosynam facit, de propriis bonis justo titulo possessis id facere debet*, & n.4. & n.21.

2 *Deus solus ut pote Dominus & Creator rerum omnium dicitur propriè bonorum omnium largitor: homines verò Ministri tantum ipsius & dispensatores.*

3 *Homines, Deo ita ordinante, habent dominium rerum, cum facultate de illis disponendi.*

5 *Hæres jussus à testatore annuum quid dare Fratribus Minoribus, quantùm ad actionem suam propriam dici potest eleemosynam facere.*

6 *Hæres seu executor testamentarius in exequendo testatoris mandato se liberalem exhibere potest quantum ad actionem propriam licèt à testatore imperatam erga Fratres Minores.*

Etiam nulla protestatione facta, n.7.

8 *Ly* Gratis & spontè datum, *quomodo intelligatur*, & num.9. cum alijs seqq.

11 Spontè, *&* Voluntariè, *an & quomodo differant.*

Reus in tormentis confessus, non dicitur spontè confessus; licèt voluntariè confessus dicatur, ibid.

12 *Constitutiones Iustiniani* in l. sancimus: *&* in leg. Si quis pro redemptione: Cod de donat. *declarantur: & ad quam usque summam nostris temporibus donatio fieri possit citra insinuationem*, & n.13.

13 *Insinuatio quid sit? quomodo fiat? quæ sint partes Iudicis in ea? & quid ex ea inferatur circa legatum Minoribus relictum.*

14 *Vtrum omnimoda libertas sit de ratione essentiali donationis: & quid inde inferatur pro legato eleemosynario ab hærede præstando*, & n.15. cum alijs seqq.

15 *Fratres Minores recipiant res legatas titulo doni seu eleemosynæ à testatore, non autem ab hærede nisi quatenùs repræsentat personam testatoris.*

16 *Quæ fuerit ratio introductiva insinuationis donationis.*

Insinuationis defectus non reddit donationem ipso jure nullam, ibid.

Insinuatio est tantum de solemnitate extrinseca donationis, non de ratione substantiali ejusdem, ibid.

Donatarius rem donatam tuta conscientia retinere potest, donec donator repetat ex defectu insinuationis, ibid. & n.18.

17 *Donatio ad pias causas ad quamcunque summam valet absque insinuationis solemnitate.*

18 *Donatio ad quamlibet quantitatem etiam ad non pias causas valet in foro interno.*

Donatio causa mortis non indiget insinuatione, ibid.

19 *Contractus regulariter requirit consensum partium tanquam causam efficientem.*

Vtrum consensus metu extortus, vel ex mandato alterius præstitus, reddat actum involuntarium & nullum, ibid. & n.21.

20 *Referantur varij actus, seu contractus; qui ipso facto sunt nulli & irriti propter metum gravem.*

21 *Hæres solvens legatum Fratribus Minoribus ex obligatione conscientiæ, dicitur libera voluntate solvere, ut ibi explicatur.*

22 *Revocabilitas doni seu eleemosynæ constituens Benefactorem in libertate illam præstandi, nec ne, in disceptationem revocatur.*

23 *Revocabilitas eleemosynæ excludens necessitatem illam præstandi, an sit legitimus modus acquirendi Fratribus Minoribus, salva lege stricta paupertatis.*

D *Affirmat*

Affirmat Castro Palao ibid. *&* n.24. *ubi eius doctrina refertur.*

1 IN præcedente §. probatum est, hæredem, quantùm ad actionem suam propriam, non posse dici verè, & propriè eleemosynaliter, aut dono date, dum solvit legatum Fratribus Minoribus, quacunque ei ab his facta etiam protestatione. Nam, ut iterum loquar cum Seraphico meo Doctore *ea quæst.1. in corp.* ad hoc, ut eleemosyna (idem dic de dono) ritè sit facta, necessarium est, ut ille, qui tribuit, iusto eam titulo habeat, & tenere, & possidere possit: si enim aliter habeat, injusto scilicet titulo, aut mala fide possideat, & retineat (ut si hæres, aut alius executor testamentarius de expilata substantia legatorum, maximè piorum, dare intenderet eleemosynam pro anima sua) potiùs tenetur reddere, quàm dare atque adeò necesse est eleemosynam dare de proprio, de eo scilicet, cujus sit dominus ipse dator. Quid verò, si in præsenti ostendam, hæredem ipsum, etiam quantùm ad actionem suam propriam, & quidem prout ab ipso elicitam, ad impetium tamen voluntatis testatoris, seu etiam ad imperium suæ ipsius voluntatis parentis mãdato testatoris, liberè ab eodem acceptato in aditione hæreditatis; posse adhuc verè dici, ritè, & propriè facere eleemosynam, vel etiam dono dare; nulla ei facta à Fratribus protestatione; quinimmò manifestata ei, vel per ipsos Fratres, vel per alium, obligatione, qua in foro conscientiæ tenetur, ad illud præstandum; tametsi non satisfactoriè pro se ipso sed pro defuncto, cum ipse propriè non sit dominus illius rei, quam dat? En igitur, jam & istud ostendo sic:

2 Verum quidem est, quòd solus Deus optimus maximus, (ut benè de Lugo *tom.1. de Iust. & Iure disp.6. sect.1. num.4.* & alij communiter) cùm solus sit verè, & propriè, essentialiter, & per naturam Dominus omnium, (utpotè Creator) dives in omnes, qui invocant illum; verè quoque propriè, & per essentiam est omnium largitor bonorum, & Pater luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum: Homines verò quantalibet in hoc mundo polleant auctoritate, potestate, jure, ac dominio, in rigore, reique veritate attenta, quæ & fidei est; sunt tantùm Ministri Dei, ut dispẽsatores multiformis gratiæ ipsius, quam ab ipsomet secundùm diversas mensuras, & secundùm ordinem suæ Providentiæ, singuli eorum acceperunt; dicuntúrque idcircò Domini; Principes, Reges, Imperatores solùm per quandam participationem, seu impropriè: (præscindendo à Legum cùm Canonicarum, tùm Cæsarearum politia) à Deo namque est omnis dominatio, atque potestas, & præsidendi potentia in cœlo, & in terra; (ut tradit S. Bonaventura *in 2. Senten. dist.44. art.2. quæst.1. in corp.* & communiter Theologi *ibid.* cum Magistro; & est de Fide) etiam illa, quæ data est Christo, secundùm humanam naturam, quoad præsidentiam universalem, & temporale dominium omnium rerum, quæ sub Deo sunt, propter merita ipsius; ut ipse restatus est, post Resurrectionem suam Apostolis suis loquens, hisce verbis, *Matth. cap. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra;* quæ à S. Doctore *in 3. sent. dist.14. dub.4. litera li*, utique intelliguntur de potentia præsidendi Christi, secundùm humanam naturam ad Dei dexteram exaltatam. Et ita communiter docent Theologi, S. Thomas *in 4. sent. ubi suprà, & in 3. part. quæst.19. art.3.* Suarez *in 3. part. disp.48. sect.1.* Card. de Lugo, *de Incarnat. Myst. disp.30. sect.1.* & alij.

3 Illi nihilominùs in hujusmodi scena, Deo ita ordinante, Domini personam (& quidem propriè, juxta Legum præscripta) præseferunt, qui supra hujus mundi res, secundum earum divisionem, exercent, vel habent jurisdictionem: quæ secundùm *Azonem* apud Angelum *in Sum. V. Iurisdictio*, dicitur à ditione, (quod est Potestas) & *Iuris*; quasi justa, & legitima potestas, sive dominium: quod utique est jus habendi, possidendi, fruendi, utendi, ac disponendi de aliqua re pro libito, & voto voluntatis, vel secundùm aliquem determinatum modum à quadam superioritate diffinitum; seu (ut alij loquũtur) secũdùm modos à Lege non improbatos. Sicque dominium, ejúsq; divisio, sicut & rerum, facit ad conservationem ordinis naturalis, secundùm statum Naturæ lapsæ, ad removendas contentiones, & lites; ut benè S. Bonaventura *ea dist.44. cit. quæst.2. ad 4.* tametsi dominandi potestas largissimè dicta, (ut ait idem S. Doctor *ibidem, in corp.*) prout scilicet dicitur respectu omnis rei, qua homo potest ad libitum, & votum suum uti, communis sit omni statui Naturæ institutæ, & Naturæ lapsæ, & Naturæ glorificatæ; excellentiori tamen modo fuerit in statu naturæ institutæ, quàm in statu naturæ lapsæ: & adhuc excellentiori modo futura sit in statu naturæ glorificatæ, quàm in statu naturæ institutæ. Sed vide omninò Navarrum *in Propugnaculo Apologiæ sui tractatus, seu libri de reditibus Ecclesiasticis, num.31.* ubi pulchrè de hoc rerum dominio tùm profanarum, tùm maximè Ecclesiasticarum, tàm quoad Deum, quàm quoad homines.

Atque hinc iterum patet, quod superiùs 4 ostensum est, non posse scilicet quempiam ritè de re aliqua pro suæ voluntatis voto disponere, putà sibi retinere, alteri vè donare, aut, etiam eleemosynaliter dare, vendere, aut commutare;

mutare; nisi ejusdem ipse sit dominus, & super illam, tanquam propriam, habeat jurisdictionem: ita ut si illam donò, aut eleemosynaliter dat, eam sibi adimere dicatur; & si fortè perdit, seu amittit, ipse amisisse dicatur: Neque enim videtur rem amittere, cujus propria non fuit; ut est Regula in jure, *l. non videtur: ff. de regul. juris*; Papiniano authore.

5 Veruntamen ad intentum præsens facit egregiè doctrina, quam tradit S. Doctor meus *in 4. dist. 15. art. 2. qu. est illa 1. sæpiùs recitata*, inquiens: Quod ergò quæritur, utrum necesse sit eleemosynam dare de proprio? Dicendum, quòd aut dicitur proprium, quia habet principale dominium alienandi; aut quia ab alio habet sibi commissum officium administrandi. Primo modo simpliciter potest ille facere, qui habet proprium: Secundo modo non potest facere, superiore prohibente; ut Monachus qui administrat res, & bona Monasterij ex mandato Abbatis, potest utique eleemosynam dare; si autem iste vetet, non potest, nec debet. Ita S. Doctor: cui concordat etiam Filliucius *tom. 2. tract. 34. cap. 2. num. 38*. Tùm ego sic in proposito: Si Monachus, cujus nulla est in rem aliquam jurisdictio, proprietas, vel dominium; habeat tamen commissum sibi officium administrandi, & multò fortiùs si habeat ab Abbate mandatum ad aliquid hic, & nunc eleemosynaliter dandum; potest, & dicetur ritè, & verè, quandiù Abbas non vetet, aut revocet mandatum, eleemosynam dare: quidni & hæres, vel executor testamentarius dono, vel eleemosynaliter dare dicatur, dum solvit, testatore mandante, annuum quid Fratribus Minoribus, etiam quantùm ad actionem suam propriam, quatenùs à voluntate testatoris imperatam, & limitatam? Præterea, si Monacho non officit quo minùs verè det eleemosynam, minúsve officit pauperi recipienti, quin eleemosynaliter recipere dicatur in casu posito, etiamsi hic illi, non protestetur, nullum se ad id accipiendum, quod sibi præstatur, jus habere, neque eum teneri ad præstandum, nisi ex obedientia erga Prælatum: ita & in casu Fratrum Minorum nihil hæredi, solventi de mandato testatoris rem legatam, protestantium. Res mihi satis comperta videtur. Atque hoc satis, quoad primam tituli partem: hoc enim adhuc ampliùs ex alibi dicendis patebit.

6 Unum addo: quòd scilicet hæredes, vel executores hujusmodi possunt etiam, quantùm ad actionem propriam ostendere se liberales; etiamsi in solutione ipsa non erogent de suo, sed de eo, quod adhuc censetur esse in bonis testatoris defuncti pro ipsius anima erogandis, non alteri acquirendis; quódque ideò non possunt sibi citra furti reatum retinere, & citra defuncti injuriam propriè dictam; & tenentur in conscientia erogare. Id autem mihi suppetit ex *eo §. Ad hac, quia: cap. Exijt*: ubi, non obstante obligatione naturali, & in foro conscientiæ, quam ibi clarè insinuat Pontifex ille Nicolaus III. hæredibus hujusmodi, vel executoribus incumbere ad solvendum; ait: *Ad quæ legata solvenda tàm hæredes Testatorum, quàm executores se liberales exhibeant*. Ubi premo loquendi modum Pontificis. Ait enim: *Ad quæ legata solvenda*: non autem dicit: *In quorum legatorum solutione*: in solutione enim non dant de suo, & ideo non possunt exhibere se liberales; Ad solvendum verò possunt utique exhibere se liberales, quantum ad actionem suam, etiamsi à testatore imperatam; si videlicet prompto animo, fideliter, liberalique charitatis, & misericordiæ affectu erga Fratres Minores pauperculos, sed & erga animam ipsius testatoris defuncti, exequantur ejusdem mandatum, & intentionem; ut decet. Secundam tituli partem prosequamur.

Ad primam igitur ejus particulam quod attinet, est: An, & quomodo in solutione legati ab hæreде in conscientia obligato præstita Fratribus Minoribus, possit ipse hæres dici gratis, & spontè dare, quod dat, etiam quantùm ad actionem suam? Suppono autem, quòd Fratres ipsi nullam ei faciant protestationem, seu declarationem, quæ an, & quomodo sit ab ijsdem facienda, dicetur ex instituto, per *totum Artic. 2*. primò, ly *Gratis*; & *Spontè*, posse quidem supponi pro eodem; mihi tamen magis placet, quòd ly *Gratis* supponatur pro eo, ac *Liberaliter*, seu *ex liberalitate*. Ita placet etiam Filliucio *tom. 2. tract. 34. cap. 2. num. 28*. Quod si placet, & alijs Doctoribus id requirentibus, inter quos est *de Lugo cit.* jam satisfactum est per mox dicta cum Nicolao III. Si verò quis malit, quod ly *Gratis* supponatur pro eodem, ac *spontè*; non eo inficias, sed libens assentior: nam quod pro uno edisseram, idem erit pro altero. 7

Dico ergo secundò, quòd ly *spontè* confunditur hic à Doctoribus cum eo quòd est, *voluntariè*, & *liberè*; quemadmodum etiam à Morando *in tractatu de Actibus humanis, q. 1. num. 52*. & à Filliuc. *cit. tract. 33. cap. 2. num. 19*. confunditur *Voluntarium*, cum *spontaneo*, sive vltroneo. Et patet ex definitione donationis, quam *suprà* attulimus ex Julio Claro dicente, quòd donatio est actus, quo res propria, ex liberalitate, à volente proficiscitur, & in volentem confertur. Patet etiam ex textu *l. nec ignorans: Cod. de donation.* ubi dicitur, quòd *Nec ignorans, nec invitus quisquam donat*. Intellige tamen de donatione propriè dicta; ut explicat *ibi* Gloss. *& in l. donari: ff. de reg. juris*: & de coactione quæ tollit Voluntatem, de qua *infrà*. 8

Quæ cum ita sint, spontè profectò, & gratis dare perhibetur hæres id, quod dat Fratribus Minoribus, dum præstat eis legatum; nam voluntariè implet mandatum testatoris, & obligationem conscientiæ, quam voluntariè, & liberè subijt, & acceptavit in aditione hæreditatis. Frustra tamen cæteroqui quæri potest, quid donet, cum non det de suo; nisi eo sensu quo *suprà* ex S. Doctore.

10 Quòd si quis contendat, ly *spontè*, & *gratis* intelligendum esse de voluntate motu proprio assumente, & vltroneè; is profectò à veritate exorbitat: nam quisque potest precibus, officiisvè induci ad donandum (hoc enim non est cogi) eritque vera, & propria donatio: quin etiam potest quis cogi aliquando ad eleemosynam dandam; ut alibi dicetur, *art.* 3. *§.* 16. *num.* 12.

11 Verùm enimverò hic non me latet differentia, quam notat optimè Jason *in l. qui in aliena: §. Celsus: num.* 35. *ff. de acquiren. heredit.* inter ly *Spontè*, & ly *Voluntariè*: ita ut si reus constitutus in tormentis fateatur crimen, & Notarius scribat eum fuisse spontè confessum; tunc instrumentum illud, seu processus est falsus: si autem adhibita fuerint tormenta, non præcedentibus legitimis indicijs, neque famâ, tunc etiamsi reus in tali confessione perseveraret extra tormenta, ad bancum Notarij, scriptura processus est falsa, tùm confessio ipsa est nulla, quia non legitimè extorta, neque est spontanea: undè ex ea non potest sequi condemnatio, nec pœna imponi; ut est textus *in l. penult.* secundùm unam lectionem *Gloss.* quam etiam notat, & sequitur Bartol. *ff. de quæstionibus.* Et istud etiam sequuntur Imola, Paulus de Castro, Alexander, & Aretinus *in d. l. qui in aliena.* Si autem Notarius in prædicto casu scriberet, reum fuisse voluntariè confessum, tunc instrumentum est verum; quia voluntas, licèt coacta, tamen voluntas est: *l. Si mulier: § penult.* & ibi Gloss. notab *ff. Quod metus caus. & l. si patre cogente: ff. de ritu nuptiarum; & l. velle non creditur: ff de regul. juris.* Quapropter clarè constat, non esse de ratione donationis, quòd fiat *Spontè*, sive *Vltroneè*; (saltem necessariò) sed sufficit, si *Voluntariè*.

12 Verum quidem est, in omni donatione (exceptis antidorali, reciproca, mortis causâ, ad pias causas, quæque est à Principe, & alijs; prout latè apud Doctores mox allegandos) sicut, & in omni remissione debitorum liquidorum (quippè quæ censetur in Iure donatio, *l. in ædibus: ff de donation.*) una vice, & uno animi metu, uni aut pluribus facta, vltra summam trecentorum solidorum, constitutionem in *l. Sancimus: C de donation.* esse servandam: quæ summa posteà ab eodem Imperatore in *l. si quis pro redemptione: C. eod. tit.* extensa est vsque ad solidos quingentos; ita ut hodie, secundùm communem, magisque receptam interpretationem, summa quingentorum illorum solidorum Imperialium, vsque ad septingentos, vel secundùm quosdam vsque ad septingentos & quinquaginta scutos Aureosvè Romanos, ex decem Julijs pro scuto, Aureovè, excurrere perhibeatur; ut ex Claro *Pract. Civil. lib.* 4. *§. Donatio, quæst.* 15. *num.* 1. Covarruvia 1. *variar. resolut. cap.* 11. *num.* 3. Molina *disp.* 278. & Lessio *cap.* 18. *dubit.* 13. notat Filliucius *tom.* 2. *tract.* 34. *cap.* 4. *num.* 34. Layman quoque *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 12. *n.* 15. apud Hermannum *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 2. Quin & vltra excurrere traditur ab aliquibus, vsque scilicet ad octingentos, & quinquaginta, & etiam vsque ad mille scutos Italicos, ut ipsi ajunt, inter quos Devegnas *de regul. juris, reg.* 224. *limit.* 19. cui videtur subscribere *Clarus cit.* teste mihi Rebello *de obligation. Iust. part.* 2. *lib.* 18. *quæst.* 6. *num.* 5. & alij apud *Filliucium cit.* quibus, & ipse libens assentior, si tamen sit sensus de scutis Italicis, ex septem circiter, vel octo Iulijs pro scuto. Solidi enim, de quibus Ius Cæsareum loquitur in *d. l. Sancimus*: & *d. l. si quis pro redemptione*: apud nos Italos sunt aurei nummi Castellani, vel Ungari, vel *Zecchini Veneti*; ut docent eum communi Doctorum sententia *Filliuc. cit.* & Covarruvias *de collatione numismatum*, *§.* 2. *num.* 10. apud Rebellum *cit. num* 3. ex quibus quingentis quot scuta resultent, pro diversitate regionum cùm in prædictorum aureorum nummorum, tùm in scutorum valore assignando, ubique terrarum facilè ratiocinari potest. Concordat Joan. Oinotomus *super Instit. Imperial. lib.* 4. *tit.* 1. *de obligat. quæ ex delicto nasc. & de furt. § fin. n.* 7. ubi docet quòd de jure Saxonico nullum est dubiū, quin fures ultimo supplicio sint afficiendi, laquei scilicet suspensione; modò furtum eorum excedat summam quinque aureorum solidorum; si verò dictam summam non attingat, virgis cæsi relegentur: ait; quòd de consuetudine accipitur hoc casu Solidus pro Aureo Ungarico.

Verum inquam est, in donatione, vel remissione hujusmodi regulariter requiri, propter 13
jus Cæsareum allegatum, insinuationem; alioquin donatio, vel remissio, quæ eam summam excedit, invalida est, & repeti in judicio potest, citràque temeritatem revocari à donante, vel remittente; quoad excessum tamen tantùm, non quoad reliquum. Ejusmodi autem insinuatio nil aliud est, quàm simplex mentis declaratio, qua donans, vel remittens, sive per se, sive per procuratorem, sive viva voce, sive redacta donatione, vel remissione in scriptis, notificat, & declarat Iudici, etiam extrà locum Iudicij existenti, se liberè, donare, vel remittere huic tantum, vel tantum. Non requiritur

quiritur tamen causæ cognitio, vel facultas, seu decretum à Iudice; sed sufficit ejus præsentia & consensus; ut docet Clarus *cit. num.* 5. & habetur *ex l. donatio: in fin. l. donationibus: & l. in hac: C. de donationibus*, est enim hujusmodi Insinuatio non contentiosæ, sed voluntariæ jurisdictionis; ut tradit Filliuc. *cit. num.* 82. cum Gomez *tom.* 2. *cap.* 4. *num.* 70. Unde non est necesse, quòd partes sint de jurisdictione ipsius Iudicis, sed sufficit quicúnque Iudex; dum tamen habeat jurisdictionem ordinariam; ut *in l. data: in fin. & l. in hac: Cod. de donationibus.* Vide Bartol. in *l. Modestinus: ff. de donationib.* ubi ille plenè scripsit de hac materia Insinuationes. Vide etiam Joannem Petrum de Ferrarijs *in Practica Aurea, super forma libelli, pro donatione, ad V. Solemniter, num.* 2. Iudicis ergo tantummodò est inquirere, An donatio, vel remissio illa sit omninò libera, an coacta.

14 Hinc autem videri posset alicui, quòd de essentiali, & necessaria ratione donationis sit omnimoda libertas; ita ut spontè, & vltroneè à donante procedat: adeóque quòd Fratres Minores non possint ab hærede recipere rem legatam, si velint illam recipere titulo doni, aut eleemosynæ, nisi hæres ipse se noverit omni omninò obligatione solutum, omninóque liberè, spontè, & vltroneè dare id quod dat.

15 At falsa omninò esset ista deductio. Fratres enim Minores recipiunt res legatas, titulo doni, aut eleemosynæ à testatore, qui vtique spontè, nullóque omninò jure cogente legavit; non autem ab hærede, nisi quatenùs repræsentat personam ejusdem testatoris; & quatenùs fungitur illiusmet actione. Cæterùm ab hærede, quantùm ad ipsius actionem propriam, recipiunt titulo legati, civiliter tamen non acquisito, impropriéque dicto, & ex obligatione, qua hæres ipse erga testatorem tenetur ut *suprà*, & in conscientia. Neque unquam potest hæres verè dicere, aut cognoscere se vltrò, & spontè dare, quantùm ad actionem suam, nisi det de suo; ut patet ex dictis. Fratres autem Minores posse recipere titulo legati (citra jus acquisitum) rem ab hærede præstitam, dummodò legatum non contineat modum ipsis illicitum, aut fraudem vel hæreditatis, vel paupertatis, & cum moderaminibus requisitis; probatum est suprà, & ex dicendis ampliùs enucleabitur.

16 Neque tamen me piget solvere etiam fundamentum ejusdem deductionis, quod nimirum est insinuationem illam ideò Iudici faciendam esse ex legum præscripto, ut Iudex cognoscat, an donatio sit omninò libera, & spontanea, an coacta. Dico igitur, rationem statuendæ ejusmodi insinuationis eam fuisse quidem, ne homines vi, metu, fraude, aliavè coactione, vel inconsulta temeritate ducti, se donationibus exhaurirent; ut benè Filliucius *cit. n.* 83. Veruntamen libertas illa omnimoda, quæ inde arguitur, & fortè, etiam fuit ab ipso Justiniano intenta *in illis sanctionibus*, non est substantialis donationi, aut remissioni; sed est tantùm solemnitas extrinseca juris, voluntariæque (ut dictum est) jurisdictionis, non contentiosæ; atque adeò tantùm conditio, sine qua donatio ipsa, aut remissio, quoad illum excessum in foro externo non tenet; ac per consequens, Lege ita statuente ad bonum commune, & ad præcavendas fraudes, potest à donatore, aut remittente, pro arbitrio ipsius repeti, & rescindi. Quare si reperiatur quod absque insinuatione, aliisve conditionibus vltra dictam summam datum est, tenetur donatarius, vel cui facta est remissio, tùm in externo, tùm in interno foro reddere donatori, aut remissori ipsi, aut ejusdem hæredibus repetentibus. Quandiu autem non repetitur, tutè retinetur in vtroque foro à donatario. Illa enim donatio, vel remissio valida est jure naturali, & solùm jure civili reddita est nulla; ideóque meritò, qui ejus titulo aliquid acquisivit, eodem jure naturali adjuvante, retinere illud poterit, donec qui donavit utatur favore juris Civilis prædicti, facultatem tribuentis cuicúnque donanti contra ipsius præscriptum, ut possit donationem rescindere, quando voluerit: quòd si noluerit, nulla ei fit à donatariu retinente injuria; ipse tantùm sibi imputare potest, si bonorum inopiâ laborans, ex stupiditate non repetens, silet, & expoliari se sinit.

Quòd autem ejusmodi insinuatio, ac proinde omnimoda libertas non spectent ad essentiam, & necessariam rationem donationis; patet primò ex eo, quòd quælibet donatio ad pias causas valida est, & solvenda, quoad vtrúmque forum, sive fit inter vivos, sive mortis causâ, sive parvæ, sive magnæ quantitatis, & summæ; etiamsi facta fuerit sine insinuatione prædicta; ut secundùm communem Iuris Consultorum, ac Theologorum sententiam, docent Rebellus *part.* 2. *de Obligat. Iustit. lib.* 18. *quæst.* 7. Card. de Lugo *tom.* 2. *de Iust. & Iur. disp.* 23. *sect.* 10. *num.* 59. Hermannus *cit.* & apud istos alij, Molina scilicet, Lessius, Turrianus, Devegnas, Angelus, Sylvester, post Bartol. Felinum, & alios communiter: atque est textus expressus, hujusmodi donationes ad pias causas excipiens, *in d. l. Sancimus: C. de donation.* ubi etiam Gloss. Et ratio est, (præter alias, quas affert Rebellus *cit. num.* 2.) quia in donationibus ad causas pias non exigitur civilis solemnitas, ut colligitur ex *cap. Relatum: 1. de Testamentis*; asserúntque Panormitanus *ibi, num.* 4. Felinus *in cap. Ecclesia S. Mariæ: de Constit. num.* 82. Iulius Clarus *cit. quæst.* 17. dicens communem, & Filliucius *cit. cap.* 4. *n.* 93. qui vnum Gomesium 17

sium *tom.2. cap.4. num.10.* contra sentientem refert. Vide Rebellum *cit. num.3.*

18 Patet secundò ex eo, quòd si in donatione (etiam ad causas non pias, sine tali insinuatione facta) non repetatur à donatore, vel hæredibus ejus id, quod ultra præscriptam in Iure summam datum est donatario, potest donatarius ipse illud sibi tutâ conscientiâ retinere; ut probatum est *suprà*. Adhuc enim hujusmodi donatio verè donatio est; (esto in ea contigerit, aut præsumi possit aliqua fraus, aut vis inducens, & efficiens;) solùmque in foro judiciali, non autem in foro conscientiæ irritatur per dictas leges. Vide Authores citatos, præcipuè Rebellum *quæst.6.* Addo, quòd in foro etiam judiciali sustinetur donatio mortis causâ facta, sive ad causas pias, sive non, etiamsi non fuerit legitimè insinuata; quia videlicet insinuatione non indiget ad rationem donationis conservandam: *l. si mortis causâ: ultima C. de mortis caus. donat.* & probat textus *in l. apud Celsum: §. Iulianus scribit: ff. de doli mali exceptione:* & tradit Romanus *in l. quæ dotis: ff. soluto matrim. quemadm. dos petat.* per Regulam *l.3 C. de Testam. militis*, & *l. quoties: ff. de reg. Iur.* cum *similib.* & Socinus sequitur *cons.130. col. penult. lib.2.* Corneus *consil.124. lib.4.* Ripa *respons. lib.3. cap.9. dub.2.* & alibi: & Cravett. *cons.139. ad fin.* apud Torniolam *consilior. par.1. cons.47. n.20.* & Filliuc. *cit. num.92.* apud quem vide alios casus, in quibus donatio subsistit in utróque foro, etiam absque insinuatione facta.

19 Hisce addo communem regulam, seu doctrinam, quam tradunt Hermannus *cit. dub.1.* Petrus à S. Joseph Fuliensis *in sua Idea Theolog. Moral. lib.4. de Iust. cap.10. resol.2.* Filliuc. *cit. tract.33. cap.2. num.32. & 33.* affirmans de probabili, & communi, cum Soto, Richardo, Paludano, Lessio, & Sylvestro, & alijs apud istos. Quòd nimirum contractus, etiamsi regulariter requirat, tanquam causam efficientem, consensum aliquo signo expressum, eúmque liberum, (hoc est sponte elicitum, seu præstitum, ut ait *Filliuc. cit.* iterum confundens liberum cum spontaneo) nulla vi, aut metu cogente; licet possit esse liber, & simul debitus, seu legitimus, cùm scilicet aliqua lege, vel mandato (putà testatoris, cujus voluntas ultima est legis ad instar) tenetur quis velle aliquid, etiamsi actu voluntatis formalis, seu elicitæ, quæ propriè efficit sponte, & ultroneè volentem illud nolit: qui omnes modi consentiendi sufficiunt ad efficiendum contractum validum; licet primus sit ille, qui communiter requiritur: quod, inquam, nihilominus non censetur ipso jure invalidus contractus, sive gratuitus, sive onerosus, in quo quis consentit ex metu, licet gravi, & injustè incusso; cum adhuc simpliciter sit liber, & voluntarius: *arg. l. si mulier: §. penult. ff. Quod met. causa:* neque irritetur aut jure naturali, aut positivo: non naturali, quia adest consensus sufficienter voluntarius, & necessarius; & quia metus ille, quantumlibet injustus, non est causa immediata contractus, sed solum consensus necessarij ad contractum: Neque positivo; ut patet *Instit. de exceptionibus: initio:* Si metu coactus stipulanti Titio promisisti: palam est, jure Civili te obligatum esse: & *l. ult. Cod. de his, quæ vi:* & *d. l. si mulier:* poterit tamen tutâ conscientiâ hujusmodi metum passus agere coram Iudice, ut per ejus sententiam rescindatur contractus, cùm maluerit: hic enim habet Ius ob illatam sibi ab alio injuriam, ad petendam, actione injuriarum, restitutionem in primum statum. Et patet ex *cap. Abbas:* & ex *cap. Ad audientiam: extra, de ijs, quæ vi, metusvè causâ fiunt:* & ex pluribus textibus *ff. quod metus causa:* & ibi Gloss. & Doctores communiter: dummodò tamen metus ille incussus non solùm fuerit injustè, sed etiam ad finem faciendi talem contractum illatus, ut cum communi advertit Filliuc. *cit. n.33.* Quapropter si metum passus,

Sicque volens factus, cum nollet velle coactus;

(ut ei adaptem versum, quem ad hoc refert Gloss. *in d. l. si mulier: §. Si metu: ff. quod met. cau.*) judicis opem non imploret, nec repetat, cum ejus actio sit arbitraria, non tenetur judex rescindere contractum, aut cogere alterum contrahentem ad reddendum; poteritque idcircò hic licitè in tali casu sibi retinere id, quod tali contractu lucratus est, ut dictum est *suprà:* neque enim tenet ut fur; prout decernit Ulpianus ex Iuliani sententia *in l. si cum exceptione: §. quivim: ff. de eo, quod met. cau.*

Quamvis autem ab hac regula, vel doctrina 20
excipiantur nonnulli contractus, qui ipso facto sunt initi, & rescissi, saltem per Ius positivum sive Pontificium, sive Cæsareum, si ex metu gravi sint facti; ut Contractus matrimonij, etiamsi iuramentum accesserit, ex *cap. cùm locum: & ex cap. veniens: 2. extra de spons. & matrim.* Professio Religiosa, ex *cap.1. Perlatum de his, quæ vi, metusvè cau. fi.* In aliis etiam quibuscúnque votis. Item contractus dotis promissæ, vel solutæ, qui in hoc sequitur naturam contractus matrimonij, cujus est accessorius, ex *d. l. si mulier: §. si dos: ff. quod met. caus.* Promissio, vel traditio rerum Ecclesiæ, etiam addito juramento, ex *15. quæst.6.* & ex *cap. pervenit: 1. de jurejurando*, & ex *d. cap. Abbas:* & *d. cap. ad audientiam: de ijs, quæ vi, metusve:* ubi Gloss. Itemque authoritas Tutoris per metum extorta, ex *l.1. §. ult. ff. de authorit. tutor.* & Iudicis sententia, quando scilicet judex invitus metu cogitur judicare; non tamen simpliciter, quoad actum judicandi, sed quoad specifica-

tionem

tionem actus judicandi sic, vel sic ad placitum incutientis metum; ut tradit Joan. Segura Devalos *in suo directorio Iudicum Eccles. fori p.2. cap.15. num.56. pag. mihi* 113. allegans Gloss. in *cap. quatuor. 1.1. quæst.* 3. Bartolum *in l.1. Cod. de sent. ex breu. recit.* & Baldum *in l. non solùm: §. necessitatem: num.7.* Et hæc supradicta patent in his versibus, quos addit Gloss. *in d. cap. Abbas:*

Tutor, Iudicium, Dos, Sacrum, Copula, Votum;
Hac sex vi facta, de Iure scias fore nulla:
Cætera jus patitur; sed postea restituentur.

Quibus aliqui addunt Promissionem, & donationem gratuitam, renunciationem beneficij, Ecclesiastici, & jurisdictionem per metum extortam. Hi tamen casus controvertuntur apud Doctores; & quidem adhuc magis, quàm sex prædicti, de quibus controvertitur in *Gloss. cit.* & videndi omninò sunt Azorius *tom.1. lib.1. c.11.* Lessius *cap.17. dub.6.* Card. de Lugo *de just. & jure disp.22. num.115. & seqq.* & alij. Quidquid autem sit, non officiunt casui nostro.

21 Et ecce iterum ex hisce omnibus comprobatum, hæredem solventem legatum Fratribus Minoribus ex sola obligatione conscientiæ, & erga testatorem, etiamsi id clarè sciat, se scilicet ita obligatum, & nullo jure erga eosdem Fratres; libera adhuc voluntate solvere; ea nimirum, quæ à Filliuc. *cit. num.* 17. vocatur voluntas debita; (vel etiam necessaria, ut ipse loquitur *tom.1 tract.20. cap.1. num.5. & cap.5. num.131:*) ab alijs, ut ipse testatur, legitima; quæ est cùm quis teneatur aliquid lege velle, vel præstare, etiamsi actu elicito voluntatis suæ formalis, seu sponte sua nollet; estque sufficiens ad rationem contractus in genere, adeóque ad rationem etiam donationis, ut dictum est *suprà*: in eo tamen, qui dat de proprio; quod quidem essentiale est in donatione, & semper deficit in prædicta solutione hæredis. Sanchez autem, & de Lugo *cit.* possunt esse contenti in eo, quod requirunt, ut dictum est *suprà*.

22 Venio jam ad alteram secundæ partis tituli particulam; quæ est Revocabilitas: An scilicet, & quomodo requiratur, possitque dici adesse revocabilitas in eo, quod solvit ex obligatione, ut *suprà* hæres Fratribus Minoribus, ut hi possint dici illud recipere titulo doni, vel eleemosynæ.

23 Ut autem hinc exordiar: scio Ferdinandum de Castro Palao *part.3. tract.15 disp.3. punct.9. num.21.* & ante illum Sanchez *lib.7. in Decal. cap.26. n.53.* post D. Antoninum 3. *part. tit.16. cap.1. §.12. notab.9.* Rotellam *in Sum. V. Legare, num.20.* & Sylvestrum *in Sum. V. Legatum 2. q.3. in fin.* & alios, hujusmodi revocabilitatem adducere tanquam modum, sub quo liceat Fratribus Minoribus percipere aliqua sibi exhibita, quæ si irrevocabiliter provenirent, non possent admittere. Atqui (ut observo) casus, in quibus Doctores præfati hanc exigunt revocabilitatem, non faciunt contra nostram primam Conclusionem statuendam *infrà*, §. 23. *num.25.* in qua sermo est præcisè de simplici legato annuo, etiam perpetuo, rei Fratribus Minoribus quoad usum licitæ, vel etiam alicujus summæ pecuniariæ quotannis in eorundem subsidium, juxta exigentias præsentium, vel imminentium necessitatum erogandæ, expendendæ; dummodò forma legandi à testatore servata, non inferat modum Fratribus ipsis illicitum, ut usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati: neque legatum ipsum respectu quantitatis præsumi possit in fraudem aut hæreditatis, aut paupertatis.

Ut igitur evidentiùs mea appareat observa- 24
tio, & veritas deprehendatur, operæ pretium est recensere hic fideliter tùm Casus, tùm responsiones prædictorum Doctorum.

Et primò quidem, Quæres (inquit Castro Palao) qualiter possis Minoribus Possessionem, vel Censum tradere, non quoad dominium, sed quoad usumfructum, ipsisque liceat accipere? Et quidem (respondet) si revocabiliter tradas, & semper à tua voluntate dependenter, non est dubium illis licere; quia est quædam continuata eleemosyna, absque ullo jure perpetuo, vel ad tempus in ipsos translato: At, si irrevocabiliter tradas singulis annis fructus colligendos, etiamsi hæc traditio ad breve tempus fiat; censeo probabiliùs, non licere: sicuti dixi de legato relicto annuorum redituum: quia verè hi fructus, sunt annui reditus. Quod à fortiori procedit, si propriâ industriâ, & labore, vel cura (scilicet Fratrum) fructus illius Possessionis, aut Census comparandi essent: non enim negotiatione parare sibi possunt sustentationem. Quapropter solùm poteris Minoribus facultatem, & jus irrevocabile concedere, ipsisque licebit accipere (transeunte jure ad Pontificem, tanquam ad ipsorum Patrem specialem) ad fructus una vice colligendos. Hæc ille; quibus ait consentire Suarez *tom.3. de Relig. lib.8. cap.17. à n.34.*

SEGMENTI II.

SUMMARIUM.

25 *Alia ratio seu fundamentum ex plena liberalitate & libertate Principis, vel testatoris concedentis deductum & positum à Sanchez.*

26 *Sententia Ferdinandi de Castro refellitur; & n.27.28. & 29.*

28 *In omnibus relictis Fratribus Minoribus ſemper cavendum eſt ne forma conceſſionis contineat modum acquirendi eorum ſtatus repugnantem.*

29 *Sententia Authoris exponitur.*

30 *Doctrina Sanchez admittitur quoad ſubſtantiam ſeu aſſertum; ſed ipſius ratio refutatur*, & n.31.

32 *Revocabilitas non eſt vera ratio cur liceat, aut non liceat Fratribus Minoribus aliquid annuum recipere*, & n.34. & 41.

Eleemoſyna ex voto promiſſa, irrevocabiliter præſtanda eſt: quæ tamen irrevocabilitas non impedit ejus effectum, ibid.

33 *Ratio diſparitatis inter votum, & legatum, conſideratur & refellitur, in materia dandi eleemoſynam Fratribus Minoribus.*

34 *Irrevocabilitas legati ex mandato teſtatoris vel eleemoſyna ex voto promiſſa, æquiparantur.*

35 *Revocabilitas non intrat definitionem Doni, aut Eleemoſynæ.*

Quæ ſit intrinſeca Doni ſeu Eleemoſynæ ratio, ibid.

Omnis actus humanus ſpecificatur principaliter à fine, ibid.

Donum, & Datum, differunt ab invicem, & ab eleemoſyna, ibid.

36 *Eleemoſyna aliquando cadit ſub præcepto.*

37 *Irrevocabilitas eſt de ratione formali Doni.*

Donatio de ſui natura eſt contractus irrevocabilis: licèt per accidens ex poteſtate legis interdum revocari poſſit, ibid.

38 *Legatum, licet à teſtatore, dum vivit, revocari poſſit, tamen poſt ejus mortem fit irrevocabile.*

Legata pia nullam patiuntur falcidiam, ſeu diminutionem, & n.39.

Falcidiæ appellatione etiam Trebellianica continetur, in relictis ad pias cauſas. ibid.

Niſi Pia cauſa fuerit hæres inſtituta, & num.39.

39 *Quid ſi hæreditas non ſit ſolvendo?*

Legata pia præ cæteris prophanis prælationem obtinent & prærogativas juris, ibid.

Privilegiatus, contra ſimiliter privilegiatum, non utitur ſuo privilegio, ibid. in fin. & ſuprà n.38.

40 *Relicta ad pias cauſas patiuntur diminutionem ex defectu bonorum teſtatoris.*

Summus Pontifex habet plenitudinem poteſtatis in rebus Eccleſiæ adminiſtrandis, ibid.

42 *Annuum legatum an ſit modus acquirendi illicitus, vel prohibitus, reſpectu Fratrum Minorum.*

25 QVod autem ſecundò ait *Sanchez*, per deductionem ex ſententia, quam *ibi n.*49. tanquam probabiliorem ſequitur, quòd ſcilicet hæres debet dare ſponte ſua, certúſque factus, ſe nulla teneri obligatione ad dandum: de qua *ſuprà*; biſce verbis ibi exprimitur: Secundò deducitur, licere Fratribus Minoribus recipere eleemoſynas annuas, quas à Principibus aliquando gabellarum exactores, alijque famuli jubentur Fratribus Minoribus quotannis dare. Quòd ea elargitio ſit omninò liberalis ex parte Principis jubentis, ab ipſóque ad nutum revocabilis: quamvis famulus ex Principis præcepto teneatur dare. Hæc ille cum *D. Antonino, Roſella, & Sylveſtro citatis.*

26 Jam verò obſervo primò, quod attinet ad caſum, & reſolutionem *Caſtro Palao*, Caſum illum, poſſe etiam contingere in diſpoſitione teſtamentaria, ſi ita ordinaret teſtator; qui ſi in forma legandi relinqueret directè tale legatum Fratribus Minoribus, profectò in jure cenſeretur legaſſe ipſis non ſimplex annuum legatum, ſed uſumfructum annuum, ut contrahit, *allatis juribus*, ex dicendis *infrà in limitatione prima Concluſionis*, §. 23. *à num.*27. & interim poteſt colligi ex dictis *ſuprà*, §.4. & 5. Eſſetque perindè, ac ſi legaretur Fratribus Minoribus Poſſeſſio illa, vel ager, aut vinea ad excolendum; qui eſt modus, ſecundùm quem Fratribus ipſis (eorum conditione ſpectata) recipere non licet; ut expreſsè habetur ex declaratione Nicolai III. *eo* §. *Ad hæc quia: cap. Exijt*: ac proindè à tali legato, & ejus receptione per omnem modum (ut ait Pontifex ille, ipſiſſimis verbis) Fratres abſtinere debent. Hic autem primo verba illa Pontificis: *Per omnem modum Fratres abſtineant.* Unde colligens,

27 Obſervo ſecundò, non ſuffragaturam in tali caſu revocabilitatem: hæc enim dicit modum aliquem recipiendi tale legatum: Pontifex verò ait, *Per omnem modum à tali legato & eius receptione Fratres abſtineant.* Et eadem ratione ductus cenſeo, neque ſuffragaturam temporis limitationem, etiamſi ad unius anni tantùm, una vice fructus hujuſmodi colligendos facta fuiſſet vel à vivente conceſſio, vel à moriente legatum. Nam eo ſaltem anno, ea vice haberent Fratres ipſi Minores uſumfructum illius poſſeſſionis, agri, vel vineæ, perciperéntque proventus, vel quæ ad proventuum formam appropinquant; putà ſi fructus illi minimè diſtraherentur, ſed ad victum Fratrum frumentum haberetur, & vinum tantùm.

28 His obſervatis, addo, declarationem illam Nicolai III. *in eo recitato* §. *Ad hæc, quia*: quoad illa, quæ Fratribus Minoribus à morientibus quandóque legantur, ſervandam omninò eſſe, etiam quoad illa, quæ vel mortis cauſâ, vel inter vivos irrevocabiliter donantur, ſive

etiam

etiam revocabiliter conceduntur; ita ut semper cavendum sit, ne donandi, aut concedendi forma modum contineat ijsdem Fratribus (eorum conditione spectata) repugnantem, & illicitum. Quare

29 Concludo, resolutionem illam *Castro Palao* nullatenùs mihi probari: cum sit expresse contra declarationem allatam Nicolai III. Secùs autem censerem, si quis non traderet quidem, seu concederet v. g. Vineam Fratribus ad colligendum Vinum pro vsu suo ipsorum sed à se ipso destinaret vinum, quod colligit ex illa vinea, ad usum Fratrum, ipsisque illud identidem mitteret: tunc enim ipsi possent recipere, etiamsi per totum integrum annum suppeditaretur, nihil ijsdem Fratribus agentibus quoad talem provisionem. Et idem dico, si quis idipsum ordinaret hæredi suo jussione testamentaria: jam enim sic non censerentur Fratres percipere usumfructum legatum, sed simplex legatum, & quidem vnica vice, si ad vnicum annum relictum fuerit; annuum verò, si annuatim; ut ampliùs alibi patebit. Et de hoc legatu annuo, vel etiam cujuscunque alterius rei Fratribus, quoad usum licitæ, vel etiam pecuniæ erogandæ, ut *suprà*, quæritur hic, an, & quomodo requiratur in eo revocabilitas, dum ab hærede præstatur, ut possit dici à Fratribus recipi titulo doni, vel eleemosynæ. Ad quam quæstionem statim respondeo, post ponderatam allatam ex *Sanchez* doctrinam.

30 Sanè autem eam ipse pensitans minùs habentem invenio. Nam assertum illud quidem, seu deductionem illam, quod Fratribus liceat ejusmodi eleemosynas accipere: libens affirmo. Rationi tamen, quam affert, Revocabilitatis, non assentior. Quippe quæ vera ratio non est ejus veritatis.

31 Dico igitur primò, veram ejus Asserti; germanamque rationem eam esse, quam mox *suprà* adduximus. Quia nimirùm eo modo recipientes Fratres ejusmodi eleemosynas, quæ alioqui, cum sint Gabellæ, vel Census, sunt ex natura sua civiles pensiones, annuique reditus, vel proventus propriè dicti, adeóque inter immobilia computati illius Principis; non censentur ipsi recipere annuos reditus, vel proventus; aut civiles pensiones, quasi de facto usumfructum habentes supra jus Principis ad tales exactiones: nam recipiunt à Principe, qui est verus Dominus vsum habens legitimum illius juris, per manus ministrorum ejus, qui nomine ipsius civiles illas pensiones, vel Census, seu Gabellas exigunt. Censerentur autem ipsi Fratres usumfructum talis juris habere, atque annuos census, vel reditus sibi interdictos in *Clem. Exivi: eo §. Cùmque annui reditus*: recipere, si, resignato ipsis à Principe hujusmodi titulo, vel jure, non quoad dominium, sed quoad usumfructum, & quidem de facto tantùm, ministri jam non illas pensiones nomine Principis, sed nomine Fratrum exigerent, quibus à Principe fuerint resignatæ, & traditæ ad exigendum; etiamsi revocabiliter, & semper ab ejusdem voluntate, dependenter; quemadmodum in superiori casu ex *Castro Palao* dictum est. Hócque clariùs ex *Iure* monstrabitur *infra*, *eo loco supra cit.* §. 23. *à num.* 27. Atque hæc, inquam, est vera, & germana ratio illius asserti. Cæterùm.

Dico secundò, Revocabilitatem (ut jam dixi) non esse veram rationem. Si enim esset vera ratio, profectò excludere deberet ab omni annua receptione cujuspiam rei Fratribus ipsis præstitæ, vel exhibitæ Irrevocabilitatem; atqui, sicut revocabilitas non suffragatur resolutioni casus, quem mox *suprà* perpendimus ex *Castro Palao*; ita Irrevocabilitas asserto huic, aut receptioni refragari non perhibetur. Quid enim, quæso, officeret, quominùs liceret Fratribus ejusmodi eleemosynam accipere per Ministros Principis, qui ex voto se se obligaverit ad illam quotannis dandam, quandiù vixerit? Nunquid non est ex natura sua irrevocabile votum, quod immobiliter applicat voluntatem nostram, ejúsque deliberatum propositum firmat ad bonum, addita promissione; unde non est licitum ampliùs dissentire: ut docent S. Bonaventura *in 4. sent. dist.* 38. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. & ibi passim, & D. Thomas item *in 4. sent. ea d.* 18. *&* 22. *quæst.* 88. & communiter Theologi? Nunquid per consequens non est irrevocabile id, quod ex voto præstatur? Certo certius irrevocabile, & firmum est. Hac tamen minimè obstante irrevocabilitate, posse licitè à Fratribus Minoribus admitti ea, quæ ex hujusmodi obligatione ipsis præstantur, ipse Sanchez non inficiatur *ibid. n.* 49. ubi sententiam suam cum alijs ita sentientibus, quos affert *num.* 48. coaptat; minùs verò id dubitat *num.* 57. ubi expresse loquitur hisce verbis: Demùm infertur, diversum esse in voto, quo quis Deo se obligaret ad elargiendam quotannis in perpetuum certam eleemosynam Fratribus Minoribus: absque dubio enim teneretur non ex aliqua obligatione, aut ex jure Minoribus indè acquisitis, sed ex obligatione fidelitatis, & Religionis acquisita Deo per votum illud; & ita Fratres poterunt accipere eam eleemosynam, non ut sibi debitam, sed ut debitam Deo; quòd Pontifex non interdixerit illis eleemosynam annuam voto promissam recipere, sed legatò relictam; ut constat ex verbis relatis *num.* 48. Nec recipere hanc eleemosynam sine aliqua actione, aut jure, repugnat eorum mendicitati. Atque idem erit dicendum, si vovens ille gravet suum hæredem ad illam eleemosynam quotannis dandam Fratribus: quia, & si Testa-

tor non gravaret, tenebatur hæres ad eam, sicut ad cætera realia defuncti vota : atque adeò præceptum testatoris nullam vim novam adjecit, & ideò illi non capient tanquam legato relictam, quod est illis interdictum, sed tanquam voto debitam. Hactenùs *Sanchez*.

33 Non tamen obstat disparitas, quam ibi asserit ille inter receptionem annuæ eleemosynæ ex obligatione voti, & receptionem annuæ eleemosynæ legato relictæ, atque adeò ex obligatiune legati in hærede erga testatorem : quòd scilicet prima non reperiatur Fratribus interdicta; secunda verò utique. Jam enim satis, pro nunc, ostensum est *supra, §.4.* ex Nicolai III. declaratione *eo §. Ad hæc, quia : cap. exyt:* & ex Gloss. *in Clement. Exivi :* nullam adesse hujusmodi prohibitionem. Quid vero ? Numquid non esset modus Fratribus illicitus, si vovens Deo spopondisset resignare, seu tradere Fratribus censum aliquem, aut vineam, non quoad dominium, sed tantùm quoad pensiones annuas, vel fructus percipiendos ? Certe hic esset iterum casus ex *Castro Palao* recensitus, addita tantùm obligatione voti in tradente, vel exhibente; atque adeò per omnem modum (etiam in sententia *Castro Palao*, qui irrevocabilitatem excludit in sua resolutione) tenerentur Fratres à tali traditione, & hujusmodi possionum, vel fructuum perceptione abstinere, ne annuos reditus ex tali usufructu de facto habere, vel recipere viderentur contra Clementis prohibitionem, seu declarationem *eo §. Proinde: vers. cumque annui reditus.*

34 Non ergo revocabilitas adducenda erat pro ratione illius deductionis, vel asserti, neque exigenda in præstatione hæredis ex mandato testatoris, ad hoc, ut Fratres possint licitè præstationem ipsam admittere. Neque enim magis repugnat Professioni, & statui Fratrum Minorum irrevocabilitas in præstatione rei legatæ ab hærede facta ex obligatione irrevocabilis mandati testatoris, quàm irrevocabilitas in præstatione rei ab eodem hærede facta ex obligatione irrevocabilis, seu immobiliter firmi voti realis testatoris ipsius. Nam, si Fratres possunt rem ex hac secunda irrevocabilitate præstitam, etiam ab hærede, recipere; quia non recipiunt, ut sibi debitam, sed ut debitam Deo; quidni & possint recipere rem ex illa prima irrevocabilitate præstitam, ab hærede scilicèt, non Fratribus, sed testatori obligato, atque adeò tanquam debitam animæ testatoris in suffragium, non autem sibi? Certè ad hominem, satis convictus est *Sanchez:* jámque patet resolutio quæstionis, quam molimur. Cui idcircò ...

35 Respondeo, nullo modo requiri rationabiliter posse revocabilitatem in solutione simplicis legati annui Fratribus Minoribus ab hærede gravato præstita, ad hoc, ut res soluta habeat rationem doni, aut eleemosynæ. Quod ità ostendo, deducto argumento à definitione; quæ à Quintiliano etiam *Finitio* dicitur, eò quòd quodammodo finiat, terminet, & circumscribat naturam, seu essentiam rei, assignando ejusdem rei genus proximum, & differentiam ultimam; ut docent Logici, & S. Bonaventura *in 3. sent. dist. 23. art. 1. q. 5. in corp.* Revocabilitas non stat loco aut generis, aut differentiæ (ex quibus unumquodque quod est, intrinsecè constituitur,) in definitione Doni, aut Eleemosynæ. Et patet; quia de intrinseca tùm Doni, tùm Eleemosynæ ratione, sunt hæc : Quòd nimirum utrumque procedat ab auctoritatem habente, sive propriam, quæ est in eo, qui habet supra rem dominium, cum administratione, quæque dicitur auctoritas independens, sive alienam, & dependentem; & à volente, sive is velit voluntate formali; eliciente, & spontanea, sive voluntate debita, legitima, & necessaria, sive etiam coacta vi, aut metu, etiam gravi, & cadente in constantem virum; ut dictum est, & probatum *suprà*. Atque hæc stant loco generis, in quo donum, & Eleemosyna conveniunt tùm ad invicem, tùm etiam cum dato. Differentia verò specifica, essentialis, & constitutiva Eleemosynæ est, quòd fit in finem sublevandi proximum à miseria; ut explicatum est *in superioribus*. Omnis siquidem actus humanus specificatur, saltem principaliter, à fine, qui propriè est objectum interioris actus voluntarij, estu etiam pendeat à causa efficiente, objecto, & circumstantiis; ut ex communi Theologorum sententia docet Morandus *in tract. de Actib. human. q. 23.* Et Intentio (tentio scilicèt voluntatis in finem) se habet quodammodo formaliter, (idest ad modum formæ) quantùm ad exteriorem actum: ut hene D. Bonaventura *in 2. sent. dist. 40. art. 1. q. 1. & 2. in corp.* D. Thomas *1. 2. q. 18. art. 6. & q. 19. art. 8.* & cum his communiter Thelogi. Donum verò, & Datum differunt essentialiter tùm ab invicem, tùm ab Eleemosyna, atque in suo esse, seu gradu specifico constituuntur per hoc, quòd Donum ad nullum alium finem est, quàm liberalitatis, & munificentiæ ostendendæ; ut item ex superioribus compertum est : Datum verò est intuitu retributionis: dicitur enim: Do, ut des; Do, ut facias; Do, ut omittas hoc, vel illud. Ita communiter ex Iuris Consultis, ac Theologis.

Eleemosyna porrò aliquando cadit sub præcepto, & quidem Legis, tùm Naturæ, tùm divinæ, tùm etiam Canunicæ; (quidni etiam sub præcepto testatoris ad hæredem suum, vel Executorem ?) undè & possunt aliquando Laici compelli Officio judicis eleemosynam facere; ut notat Marginista *in cap. Exyit : ad §.* 36

Nec

Nec quisquam: de verb.signif.in 6. citatis Gloss. & Abbate. Confirmaturque ibi *ex textu.* Quod etiam docet Angelus *in Sum.V. Eleemosyna*, allegatis Richardo, Canonibus, & scripturis sacris. Nosmet etiam de hoc ipso agimus *infrà, art. 3. §. 16.* Patet ergò responsio comprobata.

37 Quid vero, si ego è contra dicam, ad rationem doni potiùs requiri Irrevocabilitatem? Aderit autem mihi cum universo Iuris Consultorum Senatu Iulius Clarus *in Pract. Civil. lib.4.§. Donatio, quæst.1. à num 6.* clarè docens, quòd sicut cæteri contractus nominati non possunt per pœnitentiam revocari, ita etiam donatio est de sui natura contractus irrevocabilis, & in quo pœnitentia non admittitur. Est Clarus textus *in l.1. ff. de donation. & in l. 1. §. Alia autem: Instit. de donation.* ubi & Gloss. Non posse temerè donationem revocari. Et ad hoc idem (ait Clarus ipse) solet allegari textus *in l. Aristo: §.1 ff de donation.* ubi nempè statuitur, etiam contractum innominatum, quatenùs continet donationem, non posse ex pœnitentia revocari; ut ait ibi *Rubrica.* Et hanc opinionem dicit esse communem Bertachinus *in verbo, Donatio revocatur: vers.17.* Et quòd donatio perfecta regulariter revocari non possit, dicit esse communem regulam, Imola *in cap.fin. post num.26. vers. secundò potest: de donationib.* Quam tamen regulam limitat quidem ipse Clarus *ibid.* sed nihil habet, quod nostro intentui facessat negotium. Illi enim Casus, in quibus donatio patitur revocationem, non sunt ex natura donationis, aut ex contrahentium potestate, sed ex potestate Legis ita rationabiliter disponentis; ut benè Gloss. *in d.l.1. ff. de donation.* Vide Torniolam *part.1. consilior. cons.47. à num.22.* & apud *Clarum citatum* Additiones Hieronymi Giacharij *lit. G.*

38 Præterea (ut adhuc rectiùs ad nostrum scopum novissimus iste ictus collimetur) etiam donationes, quæ legato in testamentis, codicillisvè relinquuntur, cum non habeant effectum; nisi cum testamentis, codicillisvè ipsis, morte interveniente testatorum; revocabiles quidem sunt, & ademptionem patiuntur à testatoribus ipsis, quandiù ijdem agunt inter vivos: nam testatoris voluntas vsque ad vltimum vitæ spiritum ambulatoria est: *l.4. ff. de adimend. legat.* & hujusmodi donationes sequuntur naturam legati, & vltimæ voluntatis revocabilis; ut optimè, & latè *Torniola cit.* cum *Bartol. & alijs:* quin & faciliùs revocatur legatum, quàm institutio; ut benè tradit Jason *in l. si pluribus: ff. de legatis 1. num.6.* Atqui, ubi semel è vivis cesserint testatores, irrevocabiles illicò fiunt, & immutabiles, ita ut, si sint ad pias causas, nullam patiantur detractionem, seu ademptionem, aut diminutionem per Falcidiam, vel Trebellianicam, ut tradunt Emmanuel Costa Lusitanus *in Repetit. in cap. si Pater: num.12. & 28.* Carolus Pelliciolus Bergomensis *super lib.2. Instit. civil. tit.21. de leg. Falcidia*, ex *Authent. similiter: C. ad Falcidiam:* & Tiraquello: & Jason *in C. de senatusconsf. Trebelliano, num.2.* & in *Authen. Si qua mulier: C. de sacrosanct. Eccles. num.4.* & in *l. Marcellus: ff. ad Trebellian. num.19.* & novissimè idem sustinet Cæsar Carena *resolut.249.* ubi *num.7.* testatur, hanc sententiam communissimam esse, eámque in primis sequi Doctores, (quos allegat) Bartolum, Baldum, Covarruviam, Zanchum, Franchum, Costam, Crotum, Bertrandum, Marzarium, Cravettam, Eugenium, Crassum, Gabrielium, Riminaldum, Tiraquellum, Hundedeum, Caballum, Fusarium, Gratianum, Marescottum, Mangilium, Balthasarium Tomas, Menochium, Modern. Bellonum Taurinens. Franciscum de Barry, Martam, Andream Molfesium, Joan. Petrum Monettam, Antonium Merendam, & Camillum Borrellum: & *n.1.* ait, hanc conclusionem nedum ab omnibus Doctoribus esse approbatam, sed etiam expressè ab Imperatore decisam *in Authent similiter: Cod. ad Leg. Falcidiam:* & *num.2.* addit habere locum etiam in Trebellianica id, quod dicitur de Falcidia, quoad hoc, cum Bartolo *in d. l. Marcellus: num. 5. ff. ad Trebellian.* contra Gloss. *in cap. si pater: in verbo, Trebellianica: de testamentis: in 6.* Joannem Andr. Salicetum, & Jasonem. Quia (inquit ipse Carena *cit. n.3.*) Falcidia accipitur quandóque in lure nostro pro Trebellianica; ut notant Scribentes omnes *in Rubric. ff. ad l. Falcidiam:* qui etiam notant, Imperatorem *in Autheut. de Ecclesiasticis titulis: §. Si autem hæres:* dixisse, omni Falcidia vacante &c. quia voluit prohibere Falcidiam genericè sumptam, prout comprehendit etiam Trebellianicam. Ita Carena: qui *num.2.* hanc sententiam cessationis scilicet Falcidiæ, & Trebellianicæ in relictis ad pias causas, in Tribunalibus præcipuis totius orbis canonizatam affirmat. Intellige tamen, nisi fortè concurrat alia pia causa, tanquam hæres; ut tradit Philippus Franchi *in repetit. in cap. si pater: de testamentis: num.197.* cum Angelo Aretino, Raphaële Cumano, Alberico de Rosate, contra aliquos ibi allegatos, sequentes Nicolaum Abb. *in cap. in præsentia: de probation. in gloss. fin.* Ratio tamen bona est; quia una pia causa non exercet, vel non habet privilegium contra aliam; sed stat dispositioni juris communis; ut tradit Costa *cit. num.12.* cum *Decio* ita resolvente, & testante de communi *in cap. in præsentia: num.51. de probationibus:* & sequitur Barthol. Socinus *in l. Marcellus: §. quod autem: num.8. ff. ad Trebellian.* & plures alij, quos congerit Tiraquellus *in tract. de privilegiis piæ causæ, in privileg.*

privileg. 26. contra nonnullos *ibi* allegatos, contrariam sententiam tenentes, inter quns referendus est etiam Ludovicus Gomesius *in §. Rursus n. 27. Instit. de Actionibus.* Favet tamen novissimè Pelliciolus *cit.* sequutus Card. Tuschum, *concl.* 380. & Covartuviam *in cap. legatum: de Testamentis.*

39 Quare, quamvis sit Regula, quòd, si hæreditas non est solvendo, pro rata inter omnes legatarios est facienda divisio; ut latè tradit Cevallos *comm. contra comm. to.* 1. *q.* 103. *nu.* 32. *& seqq.* Tiraquellus *de privileg. piæ causæ, privil.* 72. & D. Marcus Antonius Genuensis *in suo tract. de Ecclesia, sive de Practicabilibus Ecclesiasticis, quæst.* 329. *num.* 1. quos allegat, & sequitur Michaël Ferro *in suis quæstionibus Moralibus, & Vicarialibus part.* 1. *quæst.* 69: *num.*..... Fallit tamen hæc regula non solùm in legatis pijs, quæ absque defalcatione ex cumulo hæreditatis sunt persolvenda, defalcatis duntaxat cæteris profanis; sed etiam in legato speciei, quod integrum (integram scilicet speciem legatam) consequitur legatarius, ex clara, & expressa voluntate testatoris, qui illam seorsim, & divisim manifestavit, & expressit in re ipsa legata, non generica quantitatis, sed speciei, quæ proinde divisionem, seu defalcationem, & ratam non patitur: & sic tenet tanquam verissimum Cevallos *cit. nu.* 35. cui consentit *Ferro cit.* contra nonnullos alios, quos allegat, & sequitur *Tiraquellus cit.* Vide etiam Genuensem *cit. num.* 4. Et quod attinet ad legata pia in hac parte, quamvis Tiraquellus illud piæ causæ privilegium quasi problematicè tractasse, & dubium reliquisse videatur, contrarium scribens *in d. priv.* 26. *n.* 9. & referendo Doctores ex adverso opinantes *in d. privil.* 72. nihil tamen ultimò resolvendo: cum nihilominùs per *Carenam cit.* canonizatum affirmetur privilegium ipsum, ut vidimus *suprà*, in Tribunalibus præcipuis totius Orbis, assertumque à tot tantisque Doctoribus, quos ipse congerit, & allegat ad saturitatem, à pronunciata sententia non recedo; quidquid sit de placito *Tiraquelli.* Præterquam quod novissimè hanc quæstionem explanavit Genuensis citat. *ea quæst.* 329. ubi positis aliquibus medijs, hanc opinionem judicat benigniorem, magisque consonam rationi, & æquitati, quam contrariam. Æquum etiam, & rationabile est, quòd legata pia, in quibus aliqua satisfactio testatoris intervenit, aut pro peccatis Deo, aut pro debitis animabus in Purgatorio existentibus, aliquam prælationem obtineant præ cæteris legatis profanis, in quibus neque quid pium, neque satisfactorium consistit, sed mera donatio ad liberalitatem, & munificentiam ostendendam, (nisi aliquando sit donatio antidoralis, ad grati animi monumentum) & fortassis vana bonorum alienatio, inanisque ostentatio. Atque hanc *Genuensis* sententiam sequitur Ferro *cit. part.* 2 *q.* 77. cum Spino *in spec. testam. gloss.* 8. *num.* 92. quin & *primo loco cit.* idem Ferro affirmat, se in practica aliquando sic judicasse; cui propterea & ipse adstipulor omnibus votis. Illud tamen cum eodem Ferro, & Genuense, & alijs *suprà cit.* refricatum volo, quòd si forte vel omnia legata sint pia, vel concurrant cum pia causa hærede instituta, tunc tanquam paria sunt accipienda; juxta communem regulam, quæ habet, Privilegiatum non posse privilegio uti contra alium æquè privilegiatum, sed stare debere dispositioni juris communis.

Tantummodo, ergò diminutionem seu defalcationem patiuntur relicta ad pias causas, 40
qualibet alia etiam pia concurrente, propter defectum facultatum testatoris, ut docet Iason *in l. si quis testamento: §. Apud Iulianum: ff. de legat.* 1. *num.* 2. ubi communiter Doctores. Hoc tamen non nisi per moderationem summi Pontificis, cui secundùm plenitudinem Clavium, & Ecclesiæ administrationem, in qua Petro succedit, & Vicarius est Jesu Christi, omnia licent, præter peccatum; ut ait Ostiensis *in cap. Magnæ: de Voto, & voti redempt in* 6. Et potest æquare quadrata rotundis, & rotunda quadratis; ut dicit idem Ostiensis, & cum eo Abbas *in cap cum venissent: de judicijs, in* 6. nam facit unum, & idem consistorium cum Deo; ut idem Ostiens. notat *in cap. Quanto: de translat. Episcopo.* quem allegat Ludou. Gomesius *in Repetit. in cap. licet de constitut. num.* 38. & Philippus Franch. *in repet. Rubr. de Testamentis num.* 188. quem vide etiam pro dictis *suprà.*

Et ecce iterum, quàm frustra exigatur à 41
Sanchez, & alijs Revocabilitas in solutione simplicis legati annui pro Fratribus Minoribus relicti sine expressione modi ipsis illiciti, facta ab hærede in conscientia obligato: ad hoc, ut habeat rationem Doni, aut eleemosynæ; & Fratres ipsi possint licitè recipere, secundùm suæ professionis, & status puritatem.

Scio tamen, Sanchez, ità exigere, quia in ea 42
etiam sententia est, quòd annuum legatum ex se simpliciter contineat modum Fratribus Minoribus illicitum; & ideò esse irritum, & pro non scripto habendum, atque ut tale accrescere hæredi, ut tradit ipse *eo lib.* 7. *cap.* 16. *n.* 18. *&* 49. *& alijs.* Sed de hoc alibi agemus, ubi sustinebimus contrà. Nicolaus enim III. quod attinet ad legata cum expressione modi Fratribus Minoribus illiciti facta, (quale non est simplex annuum legatum; ut probatum est *suprà*, & amplius probabitur alibi) determinans *eo §. Ad hæc, quia: cap. Exijt:* non irritat legata ipsa; (quod est valdè observandum) sed tantummodo declarat, quòd Fratres per omnem modum ab hujusmodi legatis, & eorum receptione

receptione abstineant: relinquens de cætero eadem legata dispositioni juris communis, quoad legata pia, qualia ipsa procul dubio sunt. Atque hoc satis sit pro præsenti refutatione sententiæ Sanchez, & sequacium.

---

§. XI.

Theologicis etiam Doctrinis enucleatiùs ostenditur idem argumentum, quoad secundam partem tituli §. præcedentis, quantùm ad spontaneitatem, seu libertatem.

SVMMARIVM.

1 *Qualis libertas & spontaneitas requiratur ad rationem Doni, & Eleemosynæ.*

2 *Triplex libertas distingui solet tam circa Donum quam votum emittendum.*

3 *Violentia duplex, sufficiens, & efficiens; ex S. Bonaventura: & utraque explicatur.*

4 *Liberum arbitrium potest aliquando pati coactionem sufficientem, sive vim absolutam, quoad actus exteriores, non verò quoad interiores.*

Voluntas si se sinat flecti ad malum vi, metu, aut dolo, peccat, ibid.

Votum ex metu emissum, an & quomodo obliget voventem, ibid.

5 *Vis & metus interdum pro eodem accipiuntur.*

Vis, & metus, propriè loquendo, differunt, ut declaratur, ibid.

6 *Sub ratione doni aut eleemosynæ qualis libertas sufficiat*, & n.7.

Verbum, Exigere, *quid importet.*

8 *Quis dicatur liberè aliquem actum celebrare, aut quid præstare, apud Iurisconsultos.*

9 *Aliquid voluntarium esse potest tripliciter.*

10 *Legatum etiam annuum ab hærede, aliove gravato præstitum, semper dicitur verè, propriè, & liberaliter, vel etiam eleemosynaliter datum, secundùm finem à testatore intentum.*

11 *Refellitur iterum doctrina Sanchez requirentis revocabilitatem in solutione annui legati puri Fratribus Minoribus relicti, ut licitè accipere possint.*

12 *Neque necessaria est protestatio Fratrum Minorum quod legatum annuum capere intendunt titulo doni seu eleemosynæ.*

13 *Non potest quis duobus debitis ex diversis causis, putà ex voto, & ex legato, unica solutione satisfacere.*

14 *Inter donationem & legatum magna est affinitas.*

1 Dictis hactenùs *in præcedenti §.* pro responsione ad illud, quòd scilicet ad rationem Doni, & Eleemosynæ, requiratur Spontaneitas, seu libertas, quæ (ut vidimus) à Doctoribus promiscuè usurpantur: ut iterum fatetur Thomas Tamburinus *lib.1 in Præcepta Decal. cap.2. §.1. num.2.* & Suarez *in 1.2. quæst.6. & tom.2. de Relig. lib.1. cap.6.* dicens, hæc duo aliquando ita esse conjuncta, ut non possit unum sine alio explicari: præsentissima est doctrina ejusdem Suarez *cit. cap.6. & 7.* quam idcircò unà cum doctrina D. Bonaventuræ haud inutiliter adjiciendam censeo, ut evidentiùs responsa jam data innotescant, nevè fortassis, quæ ibi dicta sunt, Theologicis regulis minùs amussitata cuipiam videantur.

Solet igitur (ait Suarez *eo cap.6. num.1.*) 2
distingui triplex libertas: nempè ab obligatione, à necessitate, à coactione & metu. Et de prima quidem concludit *ibid. num.3.* eam non esse de intrinseca ratione Voti: (agit quippè *eo lib.* de essentia, & honestate Voti) ergo neque Doni, (infero ego) aut Eleemosynæ: non enim verisimile mihi videtur, quod perfectior libertas, majorvè requiratur ad intrinsecam rationem Doni, & Eleemosynæ, quàm Voti: quod utique secundùm substantiam, est Promissio, sive sit simplex, sive solemne; ut docet D. Bonaventura *in 4. sent. dist.38. art.1. quæst.1. in corp.* atque adeò contractus quidam quoque est inter Deum, & hominem, per modum scilicet pacti cum Deo ab homine initi, Deo ipso acceptante; ut docet Fillincius *tom.2. tractat.26. cap.3. num* 75. Quinimmò cadere possunt sub obligatione tùm Votum ipsum, ut ostendit *ibi* Suarez; tùm Donum, & eleemosyna, ut vidimus *suprà*. De secunda verò, quæ est libertas à necessitate, à S. quoque Doctore meo sic nuncupata *in Compendio Theolog. Verit. lib.2. cap* 56. dicitúrque etiam libertas indifferentiæ, sic concludit ille *num* 4. De intrinseca ratione, & essentia Voti, quoad libertatem ad illud requisitam, tantummodò esse, ut sit actus simpliciter liber, ea saltem libertate, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, & ad alios contractus humanos; ut ait illemet *ibid cap.9. num.7.* Quod & tradit Tamburinus *lib.3 in Decal. cap.10. §.1.* Ad peccandum autem mortaliter sufficit libertas à necessitate, & à violentia, seu coactione.

Valdè tamen extemplo advertendum mo- 3
neo, ex Seraphico Doctore meo *in 2. sent. dist.41. dub.1.* duplicem dari violentiam, seu coactionem: aliam scilicet, quam ipse sufficientem; aliam quam non sufficientem appellat: seu ut loquitur idem S. Doctor *ibid. dist.25. part.2. quæst.4. ad 1.* aliam esse violentiam coactionis sufficientis; aliam coactionis inducentis: seu iterum, ut ipse etiam docet *in compend. Theol. Verit. lib.2. cap.56.* aliam esse

coactionem sufficientem, aliam efficientem. Ad peccandum autem mortaliter sufficit, & requiritur libertas à coactione, & violentia sufficiente. Unde benè S. Doctor *ult. loco cit.* Nota, inquit, quòd libertas liberi arbitrij, est libertas à coactione sufficiente, non libera à coactione efficiente; (hæcque est eadem cum non sufficiente, & inducente, ut *suprà* loquebatur S. Doctor) nulla enim coactio exterior est causa sufficiens, ut aliquid fiat; licet quandóque sit efficiens, ut patet in multis, qui coacti sunt negare Christum per tormenta: quoniam in hujusmodi coacta voluntas, voluntas est; ut ait Augustinus. Hæc S. Bonaventura. Quamvis autem talis voluntas coacta, non dicatur esse voluntas simpliciter, sed voluntas conditionalis; ut volunt Bartolus *in Extravag. Ad reprimendum:* (quos nonnulli undecimam Collationem appellant; ut not. *ibi Rubr.*) ad *V. Videbitur:* (ibi tamen *Bartolus* potiùs appellat Voluntatem regulatam, scilicet à Iure vel civili, vel naturali, aut ratione, quam ego dixerim, juxta dicta superiùs, obligatam, debitam, seu legitimam; & de ea loquitur, ad distinctionem voluntatis liberæ idest ad placitum volentis, sive ad rationis amussim velit, sive non; non autem loquitur de Voluntate vi, aut metu coacta, quam tamen adhuc liberam fatetur, etsi coactam non necessitate (ut ipse ait) præcisâ, sed necessitate consequentiæ, consequentis scilicet ad fugam tormentorum, aut alterius rei vim, metumvè incutientis; quam utique liberè vult, & potest nolle is, qui patitur) Butrius *in l. sciendum: ff. de verb. obligat.* Decius *in cap. cum M. Ferrariens. in* 13. *col de Constit.* per Gloss. *in cap. notificasti:* 33. *quæst.* 5. & in *l. si se non obtulit: ff. de re judicata.* Hoc tamen nihil officit: nam, etsi voluntas non sit directa, & spontanea, ut ait Gloss. *locis cit.* seu elicita, & formalis, juxta superiùs tradita cum *Fillucio*; adhoc tamen est voluntas simpliciter libera ea libertate, quæ sufficit ad omnem actum humanum, tùm contractus, tùm peccati mortalis; prout etiam fatetur ipse Bartulus *ibi.* Vide etiam Glossas *in cap. cùm inter*: *extra; de electione: §. Invitus: &* 15. *quæst.* 1. *can. Meritò: &* 23. *quæst.* 4. *can. displicet:* & *ff. de eo quod met. caus. l. si mulier: §. si metu: ad V. Volui:* Ideóque qui coacta hoc modo voluntate peccatum perpetrat, excusatur quidem à tanto, at non à toto, ut morales docent Theologi: unde nihilominùs, si lethale illud sit, gehennæ ignibus, ni pœniteat, mancipabitur.

4 Verum quidem est, quòd liberum arbitrium potest aliquando pati coactionem etiam sufficientem: hoc tamen procedit, quantùm ad actus exteriores tantùm, seu alienos, non quantùm ad interiores, ejúsque proprios; ut appositissimè notat Seraphicus meus Doctor *Secundo loco sup. cit. quæst.* 4. *in corp.* potest enim quis cogi, ut genua verbi gratiâ coram Idolo flectat, & ut manibus proprijs thura altaribus imponat, offerat, vel incendat: at, si voluntas, quantùm ad actum internum, & proprium penes quem adeò superior divinitùs constituta est, ut nulla vi, aut metu cogi possit; repugnet, actus hujusmodi non imputatur ad culpam. Quod si voluntas ipsa, quoad actum proprium prædictum iniquo aliquo præcepto, persuasione, dolo, aut metu flecti se sinat, & induci, peccat profectò, & quidem mortaliter, si lethiferâ malitiâ actus ipse inficiatur; neque ei excusatio subest, nisi à tanto; ut dictum est *suprà.* Atque hinc patet, quod dicebat *Suarez* de secunda libertate, quam diximus esse libertatem à necessitate, seu libertatem indifferentiæ. Patet etiam quod idem Suarez concludit *ibid. cap.* 7. *num.* 3. 8. *&* 12. Votum scilicet emissum ex quocunque metu, sive à causis naturalibus proveniente, sive ex actione hominis injuriosa, etiam directè ea incutiatur ad extorquendum ipsum Votum, validum nihil minùs esse, stando saltem præcisè in Iure naturali, ac divino: Ergo à fortiori idem dicendum est de dono, & eleemosyna: siquidem non ineptè, nec impropriè (ut ait Rebellus *part.* 1. *de oblig. just. lib.* 1. *sect.* 1. *num.* 9.) omnes donationes, & promissiones (à quibus eleemosyna non differt, nisi ratione ordinationis in finem) appellari possunt semicontractus, seu contractus in latiori significatione accepti. Quòd autem ea, quæ (quoad præsens spectat) de voto asserit *Suarez*, dici possint etiam de dono, seu donatione, & eleemosyna, eo vel maximè rationabile, verùmque perhibetur; quia Soto *in* 4. *sent. dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. quem allegat pro sua sententia Suarez ipse, idem sentit de Matrimonio, cum alijs pluribus apud Sanchez *tom.* 1. *de Matrim. lib.* 4. *disp.* 14. *num* 2. *in fin.*

Quinimmò ego addo, quòd conclusio Patris Suarez mox allata veritatem habeat, non stando solùm in Iure naturali, ac divino; (ut ipse saltem voluit) verùm etiam in humano, & positivo; dummodò tamen sermo sit de metu levi, non autē de gravi, & justo. Licet enim quæ per vim fiunt, ab utróque Iure irrita, atque inania, seu potiùs irritabilia per sententiam judicis ad instantiam partis, declarentur: & ea, quæ metu fiunt, dicantur aliquando etiam à Iuristis fieri per vim; ut patet ex *tit. C. de his, quæ vi, met. caus. fi. & ff. Quod vi, aut clam; & ff. de eo, quod met. caus.* & *de ys, quæ vi, met. caus. Extra, & in* 6. & ex D. Bonaventura *in* 2. *sent. dist.* 25. *quæst.* 4. *ad* 1. *&* 6. & *in* 3. *part. centiloquij sect.* 55. nihilominus apud Theologos, & in rigore terminorum, 5

minorum, metus longè differt à vi seu violentia propriè dicta. Quandoquidem vis, secundùm Seraphicum meum cit. & Iuris Cons. *in l. vis autem: ff. de eo, quod met. caus.* & textum clarum *ibi*; est majoris rei impetus qui repelli non potest: idest sine periculo gravi, aut commodè, ut subaudiendum monet Gloss. *ibi*: ut cùm quis trahitur, ligatur, capitur: Intellige tamen per vim atrocem, & quæ adversùs bonos mores fiat; ut ait ibi textus *l. continet: §. sed vim*: & injustè illatam, ut *ibi Rubr.* Metus autem est instantis periculi trepidatio. Unde vis potiùs spectat ad coactionem sufficientem, quoad actum externum, de qua *suprà*: Metus verò, quicúnque ille sit, spectat propriè ad coactionem efficientem, & inducentem; quæ ut dictum est, stare potest cum sufficiente liberi arbitrij consensu, ad peccandum mortaliter, atque ad humanos contractus requisitos cum hac tamen distinctione, quoad contractus; ut nimirum si levis sit metus, nec impediat, nec dirimat contractus ipsos, v. g. Matrimonium, quatenùs, habet rationem contractus; si verò fuerit gravis, & iustus, qui scilicet in constantem virum cadere potest, secundùm jura, & prohibet faciendum, & dirimit jam contractum; ut benè *S. Bonaventura cit.* & communiter docent Doctores. Nisi tamen metus hujusmodi justè incutiatur sive à Iudice sive ab alio; juxta probabiliorem sententiam, quam affert, & sequitur Sanchez *cit. disp. 13. n. 3.* quem vide etiam *disp. 14. num. 2.*

6 Vides igitur ex hisce omnibus, quàm frustra requiratur à Sanchez, quòd ad hoc, ut aliquid dicatur dari sub ratione doni, aut Eleemosynæ, dari oporteat spontè, & liberè, (quacunque libertate velimus) maximè in solutione legatorum ab hæredibus, seu executoribus testamentarijs præstita, etiam Fratribus Minoribus.

7 Dixi, Quacunque libertate, maximè in solutione legatorum: quia ut vidimus etiam in eo, qui verè, & propriè dicitur donare, vel Eleemosynam dare, cum det de suo, potest cadere, & stare cum libertate ad id necessaria, coactio efficiens seu inductiva hortationis, metusvè, imò sufficiens, per vim scilicèt quoad externum actum, quamvis injusta, quæ utique & quidem justa, præter efficientem, in hæredibus, vel executoribus prædictis cadere posse perhibetur, cùm scilicèt per coactionem in foro judiciali, & contentioso, vel renitente, quo ad actum internum & proprium, voluntate ipsorum, talia ab ijsdem legata titulo doni, aut Eleemosynæ relicta exiguntur. Quamvis enim exigere quis dicatur etiam à spontè solvente; *l. falsus: C. de furtis, & servo corrupt.* ubi Gl. *ad vers. exigendo*: intelligitur tamen de spontè solvente, & solvere obligato, atque adeò non libero à coactione obligationis, qua tenetur: Unde apositissimè eadem Gloss. *ibi* observat, quod hoc verbum, *Exigere* quandam imponit necessitatem. Impropriè tamen dicitur quis etiam sic exigens; ut notat. Gloss. *in l. fideicommissam: §. si rem: ad v. exegisset: ff. de legatis 3.* nam propriè verbum *Exigere*, importat ab invito extorquere; ut notat eadem Gloss. *ibi, ad V. Exegerat*: argum. *l. pupillus: ff. Quæ in fraudem creditorum*: & tradit Beriazolus *de clausul. instr. claus. 35. gloss. 3. num. 12.* apud Barbosam *de Dictionibus usu frequent. dict. 130.* & adhuc clariùs Gloss. *in l. debitor ff. de verb. & rer. significat.* & ibi bonus textus ubi etiam Alciatus. Eidem docet ex d. Gloss. *in l. fideicommissa*: Ioannes Vinotomus *super instit Imperial. lib. 2. tit. 20. de legatis, §. jam autem: num. 5.*

Præterquam quòd præcipuus sensus, quo apud Iuris consultos intelligitur quis liberè aliquem actum, aut quid præstare, est, quòd justè illum præstet sine cujusquam auctoritate, requisitione, vel licentia; ut latè prosequitur Jason *in l. 1. num. 4. C. de Sacrosanct. Ecclesijs*, & ex ipso tradit Hippolitus Riminaldus *in repet. cap. Quæ in Ecclesiarum: de Constit. num. 8.* atque ex eodem Jasone *cit.* & ex Card. *in Clement. final. de ætate, & qualit. ordinand.* Filliucius *tom. 3. tract. 4. de alienat. rer. Eccles. cap. 3. num. 36. vers. quod autem.* Quæ autem licentia, aut requisitio alterius personæ necessaria est hæredi, vel executori ad legata præstanda, etiam Fratribus Minoribus, si de ipsis loqui velimus; cum imò ipsum urgeat mandatum testatoris, & obligatio conscientiæ? Ergò vel sic liberè præstare dicetur hæres solvens sponte impropriè dicta legatum. 8

Et hujusmodi solutio voluntaria erit, & libera, etiamsi coacta vel coactione sufficiente, quoad actum externum. Pro quo observanda est doctrina Seraphici Doctoris mei *in 4. sent. dist. 20. part. 1. quæst. 3. in corp.* ubi notat, aliquid posse esse voluntarium tripliciter. Primò, quia assumitur à voluntate imperante, motu proprio, ultroneè; & sponte propria. Secundò, quia sustinetur à voluntate acceptante, quod ab aliena suadetur, vel imperatur, injungitur, aut committitur. Tertiò, quia sustinetur à voluntate tolerante, putà aliquam vim, & tormentum. Sensus igitur est, hujusmodi solutionem ab hærede præstitam, semper esse voluntariam, & liberam, voluntate libera acceptante mandatum, vel injunctum onus testatoris, dum acceptavit, & adijt hæreditatem: si tamen solvit citra exactionem propriè dictam, per vim in foro ei justè illatam: si autem solvat exactione coactus, adhuc vel sic solvit voluntate libera tolerante vim à Judice justè incussam: nunquam tamen poterit dici, quòd solvat voluntate libera, assumente, & sponte propria sibi 9

id imperante. Atque hoc concordat cum dictis *suprà*.

10 Porrò id velim teneas, quod mihi pro præsenti instituto satis esse profiteor, & *à fine §.8 usque adhuc* intendo: Legatum scilicèt etiamsi ab hærede, vel gravato, aliovè testamentario Executore præstitum annuatim (loquor potissimum de annuo) legatario, etiam Fratribus Minoribus; semper esse verè, & propriè liberaliter, seu dono, aut etiam eleemosynaliter datum, secundùm finem à testatore legante, vel mittente intentum; etiam si hæres gravatus, vel Executor solvat sive Fratribus prædictis, si ipsi fuerint legatarij, ex obligatione naturali tantùm, & in foro conscientiæ devinciente; sive alteri cuipiam legatario Iuris civilis, atque adeò actionis in foro fori capaci, ex obligatione politica; ita ut irrevocabiliter solvat.

11 Sanè autem, si scribenti adsuissem, optassem, petijssemque, ut mihi respondisset Sanchez, adeò asseveranter requirens revocabilitatem in solutione annui legati puri Fratribus Minoribus relicti, ut licitè ipsi recipiant; ad hanc interrogationem. Fitnè minùs validum hujusmodi legatum, seu testatoris mandatum, aut amittit rationem donationis, vel eleemosynæ ab eodem testatore intentam, cùm post mortem ipsius irrevocabile evadit? Indenè minùs obligatur hæres ad donationem, vel eleemosynam hujusmodi legatario præstandam, maximè si sit ad pias causas? Absit: quis enim testatoris voluntatem, intentionemvè mutavit, aut mutare potuit, quæ adeò sancta in omni Iure habetur? At jam tàm longe hoc abest, ut imò nullum legatum (velut & ultima quævis alia voluntas) vim suam sanctionemque sortiatur, neque unquam per consequens legatarius (si capax sit juris) acquirit verum, & irrevocabile dominium ad rem legatam, nisi post mortem testatoris, post aditam hæreditatem ab hærede, & postquam ipse quoque legatarius (regulariter loquendo) factum sibi legatum agnoverit, & acceptaverit. Certè id ita cautum esse per jus commune, *l. nemo ff. de testamentaria tutela*, testatur mihi Card. de Lugo *tom.2. de just. & jure disp.2. sect.9. n.137.* Ab illo autem instanti jam tenetur hæres voluntatem testatoris illæsam, inviolatamque servare, nec habet potestatem, quam ille habebat, revocandi eam; atque hoc maximè in ijs, in quibus testator ipse mentem suam, & intentionem, seu voluntatem expressit, quæque spectant ad pias causas; ut in superioribus latè persecutus sum.

12 An verò forsan legatum titulo doni, vel eleemosynæ à testatore relictum, amittit hanc rationem, & aliam acquirit; quia per alium, nempè per hæredem, ex obligatione conscientiæ, solvitur, & præstatur Fratribus Minoribus, si ipsis relictum sit? Profectò si quis hoc astruat, toto cælo aberrat. Sed esto admittat; (suppono, sed non concedo) fortè igitur illam induit iterum, si Fratres Minores protestentur, nolle se rem illam annuam legatam capere, nisi titulo doni, vel puræ eleemosynæ? quomodo quæso? Potestne hæres post factam hujusmodi protestationem (vel si millies buccinis clangentibus, tympanisque obstrepentibus illam repetant Fratres) aut revocare legatum, aut non solvere, maximè cum sit pium, atque adeò nunquam invitum, eique accrescens? Mehercle non potest. Datne aliquid de suo? Apage. Repræsentat quidem ille testatoris personam, unusque idemque censetur cum ipso; nihilominùs in hoc differt, ut diximus, quod voluntatem ipsius revocare, aut mutare non potest, ut poterat ipse testator: unde propriè solvit hæres, non donat; solvit, non deliberationem scilicèt illam hæreditatis, quam pro anima sua reservavit testator legans; ut patet ex dictis abundè. Hæc certè novisse se ostendit Sanchez *in Decalog. lib.7. cap.18. num.* 18. cum Nicolao 111. D. Bonaventura & alijs ut *infrà §.16.*

Adest mihi novissimè appositissiméque Cardin. de Lugo *disp.* 24. *de Sacramento Pænitent. sect.* 3. *num.* 36. firmans mea dicta hisce verbis: si hæres ex voto debeat verbi gratia, Calicem Ecclesiæ, rursumque ex testamento debeat Calicem eidem Ecclesiæ legatum, non potest unica solutione his duobus debitis satisfacere; sed debet dare duos Calices: quia votum fuit donandi calicem; illum autem, quem ex testamento daret, (posito, quòd illum solum daret) non donaret, sed solveret. Hoc tamen (subdit idem de Lugo) non efficit, quo minus calix iste ab hujusmodi hærede solutus donum sit, vel eleemosyna respectu testatoris; ipse enim verè donavit, vel eleemosynaliter dedit; quia nempe de proprio, esto per alium, scilicet per suum hæredem. Sicuti non minùs est eleemosyna illa, quam quis Princeps pauperi facit per Thesaurarium suum, quàm illa, quam per se ipsum. Hæc ille quo nemo aptius votis meis. 13

Missum tamen nolo Augustinum Barbosam, qui *in tractat. de appellat. verb. juris significat. Appellativo* 127. *num.*1. ad rem nostram ducet; quòd ad donationem plurimum accedit legatum; citatque Gilberr. Costam *libr.*1. *quæstion. cap.*14. *à principio*, Cardin. Manticam *de conjectur. ultim. voluntat. lib.*1. *tit.* 4. *num.*9. Donellum *comment. juris Civilis lib.* 8. Antonium Gomesium *Variar. tom.*1. *cap.*12. *num.*3. Atque adeò legatum ad donationem 14

donationem, etiam inter vivos accedit: ut idem Barbosa *ibid. num.* 2. assignans rationem, propter quam nomine legatorum non veniunt Donationes inter vivos, neque è contra; ait: quia non accedit nominis similitudo. Quasi dicat: Quia præter cætera omnia, in quibus assimilantur, & quidem essentialiter, non habent etiam nominis similitudinem: quæ si accederet, jam ex sententia hujus Doctoris nullatenùs differrent: at jam satis est nobis, quòd in essentiali ratione doni conveniant.

15 Atque sufficiant pro confutatione Sanchez, Castro Palao, & aliorum opinantium, ut diximus: quæ immò superfluere cupiam fortè videbuntur: hujusmodi tamen, quisquis sit, indulgeat, vel ita fusè ostendisse me hanc veritatem, quippe quæ totius est cardo difficultatis in præsenti subjecto.

§. XII.

Distinctiùs adhuc natura Legati enucleatur, atque immediatiùs ad nostrum institutum.

SUMMARIUM.

1 *Legati natura enucleanda proponitur.*

2 *Legati vocabulum bifariam accipi potest, formaliter & materialiter.*

3 *Alia distinctio in legatum propriè & strictè, vel largè & impropriè dictum*, & numero 4.

Obligatio duplex, naturalis, & civilis. ibid.

Fratres Minores an & quomodo possint obligari ex Mutuo, ibid.

5 *Legatum formaliter seu abstractivè sumptum, quid sit? declaratur.*

6 *Hæres obligatur ad solvenda legata ex quasi contractu inter ipsum & defunctum, vel inter ipsum & legatarium*, n. 7.

8 *Obligatio qua hæres adstringitur ad legata præstanda, est civilis & naturalis simul.*

9 *Obligatio duplex tum in hærede, tum in legatario, quoad respectum, vel quoad entitatem.*

Res hæredis, & res aliena, legari possunt, ibid.

10 *Obligatio civilis juncta naturali, producit actionem efficacem.*

Obligatio naturalis tantum, seu nuda, non parit actionem, ibid.

Acceptatio requiritur ex parte legatarij ad obligandum hæredem civiliter, ibid.

11 *Legatum materialiter & concretivè sumptum, est ipsa res legata, seu relicta, non ratione successionis hæreditariæ, sed in significationem dilectionis*, & n. 12.

13 *Legatum formaliter & abstractivè sumptum, est ipse actus legandi, seu ordinatio testatoris.*

Ex qua ordinatione oritur obligatio ex justitia commutativa in hærede erga testatorem, ibid.

Defuncti voluntas omni meliori modo implenda est, ut latè declaratur, ibid.

An & quando Episcopus possit commutare dispositionem testatoris, quæ in forma specifica impleri non potest.

14 *Actio supponit obligationem, & ubi non est obligatio civilis, nulla datur actio ad persequendum aliquid in judicio.*

Legatum Minoribus relictum adstringit hæredem obligatione naturali, sive ejus conscientiam ad illud præstandum, ibid.

Idémque est in legato prophano, si legatarius fortè illud ex amicitia tantùm acceptaverit, non tanquam ex obligatione civili debitum, ibid. & n. 15.

16 *Quid de legato annuo, vel menstruo Minoribus relicto per testatorem ignorantem statum & incapacitatem ipsorum*, & num. 17.

Notarius tenetur sub mortali denuntiare legata pia intra duos menses à morte testatoris computandos, ibid.

Legatum non debetur civiliter legatario nisi illud acceptaverit, ibid.

Contractus ex conventione legem accipiunt, ibid.

17 *In voto, ut voventem obliget, requiritur acceptatio divina.*

Legatum Minoribus relictum, intelligitur præstandum omni meliori modo quo illud acquirere & capere possunt juxta eorum statum & conditionem, ibid.

Obligatio naturalis erga Minores, paupertati seu professioni ipsorum non repugnat, ibid.

18 *Voluntas testatoris, lex est, quæ hæredem obligat ad illam implendam omni meliori modo.*

19 *Fratres Minores semper recipiunt legatum per vitam eleemosynæ*, & n. 21.

20 *In re legata considerandum est jus seu titulus civilis ad illam acquisitus, & commoditas illius seu utilitas de facto.*

Religiosus est capax commoditatis rei, secluso dominio, ibid.

21 *Legatum annuum Minoribus relictum licet actione judiciali peti non possit, potest tamen recipi per modum eleemosynæ & doni testatoris.*

Et quoties recipitur, dominium ſive jus tranſit ad S. Pontificem ſeu ſedem Apoſtolicam, & commoditas ſolùm de facto ad ipſos Fratres Minores, ibid.

1 PLaniorem ut adhuc nobis ſemitam ſternamus, faxque ſimul clarior præcedat ad principalem titulum primi hujus Articuli reſolvendum, operæ pretium eſt Legati naturam enucleatiùs adhuc evolvere, nucleum videlicet multifidæ in Iure acceptionis hujus verbi, *Legatum*, aperiendo.

2 Sciendum igitur, quod ly, *Legatum*, poteſt primò ſumi bifariam; ut colligitur ex varijs locis Legum, ſcilicet *Inſtitut. de Legatis*, & *ff. & Cod. eod. tit.* & præ cæteris Scribentibus notat Vincentius Filliucius *tom. 2. tractat. 34. cap. 7. num. 145.* Primò formaliter, ſeu (dixerim ipſe) abſtractivè, vel in vi abſtracti; pro donatione ſcilicet, ſive doni datione, idest pro actione ipſa teſtatoris legantis, in abſtractione à re legata; quæ actio conſtituit juſtum titulum, quo transfertur ſuo tempore in legatarium (niſi aliud obſtet) acceptantem jus ad percipiendam, petendamvè ab hærede rem legatam; ut mox dicetur. Secundò ſumitur materialiter, ſeu (ut mihi placet) concretivè, vel in vi concreti; pro re ſcilicet à teſtatore legata, & titulo, ſeu jure legati à legatario de manu hæredis percipienda.

3 Rursùs autem legatum tùm formaliter ſeu abſtractivè, tùm materialiter ſeu concretivè ſumptum, ut præfertur, diſtinguendum eſt in aliud, quod propriè ſeu ſtrictè, & in aliud, quod impropriè ſeu largè dicitur. Ad quam quidem diſtinctionem recèns huc neceſſarióque invehendam anſam mihi præbet Bartol. *lib. 3. Minor. quæſt. diſt. 7. cap. 2 num. 38. & 39.* quem ſequuntur in hoc propoſito Serena Conſcientia, Corduba, noſter A Politio, alijque Minoricæ Regulæ Expoſitores, ſed & ipſe Sanchez *cit. num. 58.* Sicut enim Bartol. *cit.* (& eſt communis traditio apud Iuriſconſultos) diſtinguit obligationem in aliam propriè & ſtrictè, quæ eſt juris vinculum (ut habetur *l. 1. §. 1. Inſtit. de obligationibus*,) ideſt jus vinciens, (ut ait *ibi* Gloſſ.) quo neceſſitate aſtringimur alicujus ſolvendæ rei: hæcque eſt obligatio civilis, junctâ naturali, per quam fit actio, & vis exigendi in foro competente: & in aliam impropriè & largè ſumptam, quæ nec facit actionem, nec vim parit exigendi debitum in foro, ſicut illa prior, licet impediat ſoluti repetitionem; ut benè Gloſſ. *loc. cit.* hæcque eſt naturalis tantùm. Et prima non poteſt adhærere, neque activè, neque paſſivè, Fratribus Minoribus; ſecunda verò utique, tùm activè, tùm paſſivè, abſque præjudicio eorum profeſſionis; ut *infrà* dicemus *hoc ipſo art. §. 13.* & *art. 3. §. 1.* & alibi. Sicut enim, inquam, *Bartolus* diſtinguit, ut præfertur, obligationem in hærede, quoad legata modo licito Fratribus Minoribus ſolvenda relicta: ita ego ad amuſſim diſtinguo rationem hujuſmodi obligationis fundandæ in aliam propriè & ſtrictè; & in aliam impropriè & largè receptam. Nam quemadmodum tranſit vltrò, citróque, obligatio ita & ejuſdem fundandæ ratio, ſeu radix (ut loquitur *Gloſſ. cit.*) tranſeat neceſſe eſt. Hujuſmodi autem ratio, vel radix profectò titulus eſt, contractus ſcilicet, vel quaſi; ut donationis, Promiſſionis, Mutui, Legati, &c. Unde appoſitiſſimè noſter à Politio *in Expoſit. Regulæ cap. 4. §. Fratres quomodo ſe gerant in procuratione pecuniæ: num. 29.* conſimilem, ſeu potiùs eandem omninò cognoſcens neceſſariam diſtinctionem in Mutuo; ait: Id enim (quod ſcilicet nullo modo Fratres Mutuo pecuniam requirant) expreſsè nobis *in d. decretali Exijt: §. Cæterùm:* prohibetur. Et meritò: quia in mutuo propriè dicto (en primum diſtinctionis membrum) dominium mutuatæ pecuniæ in eum tranſit, qui illam mutuò accipit: & Fratres cujuſcúnque dominij incapaces ſunt. Unde neque ipſi per ſe ipſos, neque per intermedias perſonas nomine ipſorum Fratrum verum mutuum contrahere poſſunt. Item in Mutuo obligatio remanet politicè ad ſolvendum æquivalens; atqui omnis obligationis (politicæ, intellige) Fratres, ratione paupertatis, incapaces ſunt; ut latè *in 6. cap.* dicetur. Meritò ergò, eorum ſtatu conſiderato, Mutuum eis interdicitur propriè dictum. Mutuo autem largè, & impropriè dicto pecuniam procurare, non videtur Fratribus prohibitum: hócque eſt, quando pecunia conceditur ad ſublevandam Fratrum neceſſitatem, ſecluſa obligatione politica prædicta. Hæc *Politius cit.* & quidem juxta declarationem Nicolai III. *in d. cap. Exijt: §. Cæterùm:* ubi determinatur, quòd non licet Fratribus Minoribus mutuum contrahere; ſed ſi quis vult ſuccurrere de aliqua re neceſſaria, poſſunt ſe offerre naturali ſponſione, quòd volunt fideliter agere, ſeu laborare, ut ei ſatisfiat; ut ait etiam Gloſſ. *in Clement. Exivi: ad §. Porrò: V. poſuerit.* Et hoc profectò importat naturalem obligationem fidelitatis, non contractus civilis: quæ poteſt dici paſſiva in Fratribus, activa in dante, ex titulo Mutui impropriè, & largè ſumpti.

Atque ex his patet, quàm germana, & ra- 4
tionabilis ſit diſtinctio per me huc invecta, de Legato propriè, & impropriè dicto; quam ſtatim per ſingula membra expono, ſimúlque

oſtendo

ostendo necessario in præsenti materia observandam.

5 Legatum igitur formaliter, seu abstractivè sumptum, & propriè, seu strictè dictum, est ipsum Legare, actio scilicet, seu actus, vel ordinatio testatoris legantis legitima; non tamen præcisè, ut in se, sed quatenùs ex ea, tanquam ex justo, legitimóque titulo, adeóque tanquam ex causa, vel ratione fundandi (ubi tamen post mortem testatoris; postque aditam ab hærede hæreditatem, accesserit (regulariter loquendo) legatarij acceptatio civilis, velut conditio, sine qua non, ut ait Sanchez *tom.* 1. *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 6. *num.* 10. §. *nec obstat:*) ipso jure producitur, seu fundatur ex parte legatarij verum dominium, vel quasi, supra rem legatam, jusque irrevocabile ad illam petendam, & percipiendam ab hærede, vel executore, & per consequens actio etiam in foro, sive personalis contra hæredem ipsum vel negligentem, vel injustè renuentem solvere; sive etiam in rem, utilis Serviana, idest hypothecaria; ut dictum est *suprà* §. 7. ex parte verò hæredis oritur, seu fundatur vera, atque irrevocabilis obligatio civilis, juncta naturali, ex quasi contractu: siquidem obligatio ejusmodi, proles est legitima contractus, vel quasi contractus, atque ejus effectus formalis; ut benè Paulus Comitolus *lib.* 3. *Respons. moral. quæst.* 8. *num.* 3. §. *secundum argumentum:* se se idem probantem allegans *in opere de Contractu*, & patet ex *tit. Instit. de obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur:* ubi Gloss. docet, quòd adeundo hæreditatem hæres quasi contrahere videtur, scilicet cum testatore, cum legatarijs acceptantibus, & cum creditoribus ipsius testatoris, undè oritur jure ipso in hærede obligatio prædicta, & in legatarijs, & creditoribus actio ex testamento. Quòd si legatum factum sit legatario, aliquod ei onus imponendo, mutua erunt prædicta inter hæredem, & legatarium juris vincula, & effectus. Videatur Joan. Harprectus *in addition. ad Iulium Clarum lib.* 3. *Pract. Civil.* §. *Testamentum, quæst.* 2. id affirmans ex *l.* 1. *&* 2. *C. Communia de legatis, & fideicom. & in rem miss. tollenda:* ubi plura per *Gloss.* Quod item clarè habetur *l. legatum: ff. de legatis* 1. Quinimmò legatum hujusmodi, factum scilicet cum aliquo onere legatarij, si ei saltem ex post accedat conventio aliqua inter hæredem, & legatarium, videtur habere rationem contractus in stricta significatione sumpti, qui, juxta Labeonis sententiam *in l. Labeo: ff. de verborum, & rer. significat.* vltrò, citróque obligationem inducit: definitúrque in genere, quòd sit pactum, seu consensus duorum, quo scienter liberè, & legitimè utérque se vicissim, vel minimùm saltem una pars (& tunc est contractus in latiori significatione sumptus) se alteri acceptanti obligat, quocúnque signo externo id fiat. Dicitur autem, vel minimùm saltem una pars se alteri acceptanti obligat: quia in promissione, vel donatione absoluta, una pars tantùm obligatur alteri post alterius acceptationem; ut benè Hermanous *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 1. & communiter Juristæ. Quo item modo etiam legatum absolutum, quod nullum scilicet onus legatario imponit, jure optimo videri potest habere rationem contractus in latiori significatione accepti, seu (ut loquar cum Fernando Rebello *de obligat. just. part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 1. *num.* 9.) Semicontractus; prout scilicet nomen *Contractus* comprehendit omne pactum inducens obligationem, etiam non mutuam; ut ex *l. contractus: Cod. de fide instrumentorum: l. si donationis: Cod. quod met. caus. l. si quis emptionis, in princip. Cod. de præscriptione* 30. *vel* 40. *annor.* not. Card. de Lugo *tom.* 2. *de justit. & jure, disp.* 22. *sect.* 1.

Cæterùm dubio procul obligatur hæres ad legata solvenda, saltem ex quasi contractu cum testatore; nulla etiam supposita peculiari conventione inter ipsum, & legatarios; ut dictum est *suprà*. Et insuper affirmant Augustinus Barbosa *part.* 3. *de officio, & potest. Episcopi, allegat.* 82. *num.* 19. ex *d. tit.* & Gloss. *Instit. de obligat. quæ ex quasi contractu:* §. *Hæres:* & ex *l. apud Iulianum:* 3. § *vlt.* cum *l. sequen. ff. quibus ex caus. in possess. eatur:* cum Menchac. *de success. creat. in præfat. num.* 27. & Emman. Costa *in cap. si pater: V. Trebellianea num.* 10. *de testam. & vlt. volunt. lib.* 6. Decius item *in reg.* 19. *ff. de regul. iuris, numero* 7. 6

Et insuper ratione etiam suadetur; quia in testamento non solùm videntur contrahere inter se defunctus, & legatarius; ut quibusdam placet, ex *d.* §. *Hæres: Instit. de obligat. quæ ex quasi contr.* Sed etiam hæres, & legatarius; immò potiùs videtur contrahere legatarius cum hærede, quàm cum defuncto, ut placet Gloss. *in l. vnic. C. vbi fideicommissum peti oporteat*, argum. *d. l. apud Iulianum:* 3. §. *fin.* cum *l. sequen. ff. quibus ex caus. in possess.* Undè legatum petendum est ubi hæreditas relicta est, idest ubi existit apud hæredem; non ubi factum est testamentum; juxta *Gloss. citat.* 7

Obligatio autem prædicta non est aut naturalis tantùm, quæ est de jure Gentium primævo, seu naturali; aut alia quæcunque: sed obligatio civilis, quæ est de jure civili; juncto naturali, ex justitia commutativa; quæ est vinculum juris ligans, ut dictum est 8

suprà; ita ut sine injuria propriè dicta, tùm testatoris defuncti, tùm legatarij, prætermitti non possit id, ad quod ipsa obligat hæredem, vel etiam legatarium, si fuerit mutua.

9 Quare hæc obligatio ex vi legati abstractivè, seu formaliter sumpti, & propriè dicti, quando est mutua, duplex oriri perhibetur tùm in hærede, tùm in legatario, quoad respectum saltem, sin minùs quoad entitatem. Unâ enim saltem, eâdémque relatione obligationis, quoad entitatem, se se mutuò respiciunt, & testatorem, hæres & legatarius, quando legatum est onerosum; ut præfertur: secùs verò, in legatario nulla est; bene tamen adhuc duplex in solo hærede: quia nimirum illa respicit testatorem, & legatarium: testatorem quidem; quia hæres adeundo hæreditatem videtur acceptare onera sibi à testatore relicta, eique fidem dare de solvendo: *l. cum à matre, ff. de rei vendicat.* Mantica *de conjecturis, lib. 9. tit. 8. numero* 2. ita ut teneatur onus implere, & solvere, etiamsi testator legaverit rem ipsius hæredis, vel cujuspiam alterius; ut docent communiter Doctores, & Gloss. *in §. non solùm autem: Instit. de legatis*: & quidem, quoad rem hæredis, sive sciverit, sive ignoraverit esse hæredis; quoad rem verò alterius ab hærede, intelligendum est, si defunctus sciebat alienam rem esse, non si ignorabat: & tunc tenetur hæres talem rem emere, & præstare legatario; vel si non potest emere, æstimationem ei dare. Ita *ibi in textu*; & tradunt communiter Syluest. *in Sum. V. Legatum 3. numero* 1. *&* 2. Lorichius *alibi cit. V. Legatum §.* 9. & alij omnes. Potest enim hoc onus, sicut & alias obligationes, testator hæredi suo imponere; ut novissimè tradit Pelliciolus, *Inst. civil. lib. 2. tit. 20. de legatis, in d. §. non solum autem.*

10 Porrò, cum hæc obligatio civilis, juncta naturali, producat actionem, ut diximus; & quidem concurrente civili, tanquam patre; naturali, tanquam matre; ut tradunt Jason *super tit. de Actionibus, §. superest: num.* 10. ex Bartol. *in l. 1. ff. de condictione indebiti, column. 4. & 7. & alijs*; & Ludouic. Gomesius *de Actionibus, d. §. superest: numero* 32. cum alijs ad satietatem allegatis: de per se enim obligatio naturalis nunquam actionem producit, quam civilis utique vel de per se, saltem personalem, producit: cúmque actio, & obligatio sint ad aliud; hoc est dicere relativa, sive id, quo unum ad aliud referri dicimus; (ut benè Comitolus *cit. lib. 3. quæst. 4. num. 2. & quæst. 5. numero 6. §. sit igitur: & alibi*) peremptis autem (ut ipse ait) intimis proprietatibus contractus, ipsum peremptum esse oportet: patet hic per transennam, legatum, vel legati titulum peremptum esse, quatenùs importat quasi contractum propriè dictum, seu politicum, (si fiat Fratribus Minoribus) inter hæredem, & ipsos Fratres, cum hi non possint illud civiliter acceptare, & agnoscere, adeóque nec civiliter sibi obligatum tenere hæredem, sed solùm naturaliter: non tamen peremptum censendum est, quatenùs importat quasi contractum inter hæredem, & testatorem initum, cùm hæres acceptavit, adijtque hæreditatem; ut diximus. Sed de hoc alibi redibit sermo, *Artic.* 3. ex instituto. Interim videri potest pro hac observatione Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 5. num.* 4. ubi docet, obligationem ex contractibus, putà donationis, legati, venditionis: respectu verbi gratiâ hæredis acceptantis, adeuntisque hæreditatem, cum legatario, esse obligationem ex justitia, supposita tamen acceptatione legatarij. Quòd autem legatario ex vi talis legati (ecce hic, quomodo Suarez ipse sumat legatum formaliter, seu abstractivè; sunt enim ipsius verba) detur peculiare jus ad talem oblationem, pensionem, seu rem legatam, cum actione in foro exteriori, vel non; hoc pendet ex modo ipsius contractus, aut legati, & acceptationis ex parte legatarij. Quasi dicat, quòd si acceptatio ex parte legatarij, non acquiritur ei jus ad talem rem oblatam, vel legatam, ac per consequens nec actio in foro exteriori contra hæredem. Et benè: nam vera, & necessaria forma contractus sita est in legitima contrahentium consensione, idest acceptatione; ut tradit Comitolus *lib. 3. quæst. 4. num. 2. & quæst. 5. numero 7. & lib. 1. quæst. 120. num. 1. & quæst. 129. num. 3.* se ipsum citans *in libris de contractu:* & communiter docent Doctores.

Legatum concretivè, seu materialiter sumptum, & propriè seu strictè dictum, est ipsa res à testatore relicta legatario sive sub forma legati, sive sub forma fideicommissi; quam tùm hæres præstat legatario, tùm legatarius ipse capit ex vi legati formaliter, seu abstractivè sumpti, mox *suprà* explicati. Hocque propriè est datum, seu præstitum ab hærede, & receptum à legatario per modum legati; sicuti & petitum, cùm eo titulo petitur à legatario; ut consideranti patet. Vide, quæ dicuntur *infrà, Casu secundo, §. 7. numero* 87. 11

Hinc

12 Hinc legatum sic concretivè, seu materialiter sumptum definitur ab aliquibus (præscindendo, quòd propriè, aut impropriè dicatur) quòd sit omnis res, quam moriens quis cui reliquerit, non ratione successionis hæreditariæ, sed in significationem dilectionis, & ut qui eam accipit, defuncti recordetur. Ita Constantinus Harmenopulus *in epitome Iuris civilis, lib. 5. tit. 19. de Legato*; allegatque *l. fideicommissum: ff. de legatis 3. & l. si. Titius: ff. eod. tit.*

13 Legatum formaliter, seu abstractivè sumptum, & impropriè, seu largè dictum, est actio prædicta, seu ordinatio testatoris ex qua (posita acceptatione suius hæredis, & aditione hæreditatis; legatario nullatenùs acceptante, seu acquirente civile jus, titulúmque politicum sibi à testatore relictum; putà, quia non est capax juris effectus, (ut sunt Fratres Minores) non tamen respuente commoditatem de facto talis rei legatæ, quippe quæ alioquin sibi licita, quo ad usum) ex qua, inquam, testatoris ordinatione juxta superiùs dicta, oritur in solo hærede obligatio ex justitia commutativa erga testatorem, solvendi scilicet tale legatum, (ubi saltem fuerit pium) & quidem juxta intentionem, & ordinationem illius, eo meliori, & proximiori modo, quo fieri possit: Defuncti quippe voluntas studiosè adimplenda est: ut habetur ex *l. ita stipulatus: § hæredem ff. de verbor. obligat.* maximè circa causas pias. Sola enim legata profana (exceptis, quæ ad alimenta sunt) incapacibus ex Iure relicta, cedunt, accrescúntque hæredi; nisi tamen aliter testator, ipse providendo expressisset; substituendo videlicet alium legatarium, vel alio quovis modo. Unde de legatis ad pias causas hanc Regulam invenio; quòd scilicet, quando aliquod eorum impleri nequit in forma propria, qua testator ipse ordinavit, impleri debet eo meliori modo, quo potest, qui sit conformis intentioni, & voluntati illius; quia jam testator per talem ordinationem indicavit, se velle, hæredem suum carere ea re, quam legavit, (qualiscunque illa sit) eámque expendi in bonum animæ suæ. Id ergo faciendum est; ut constat ex *cap. 3. cum similib. aliis de testam.* & colligitur ex Concil. Trid. *sess. 25. cap. 8. de reformat.* Quæ facultas commutandi legata, cautè tamen, penès Episcopos residet; ut dicetur alibi, & fusè tradit Comitolus *cit. lib. 7. quæst. 9. num. 2.* Nisi testator expressisset, quòd, si in tali forma legatum non possit impleri, cedat hæredi; ut cum alijs fatetur Sanchez *lib. 4. consil. cap. 2 dub. 4. num 6.* quem refert, & sequitur Card. de Lugo *tom. 2. de just. & jure disp. 24. sect. 13. num. 305.* quod & notavit Comitolus *mox cit. num. 3.* hisce verbis: Illud verò utiliter admonent conscientiæ casuum Explanatores, ex Bartolo *in l. liberto: §. Lucius: ff. de annuis legat.* cùm testator significat, quid de re legata fieri velit, usu non impleto, jus commutandi ademptum esse Episcopo.

Hinc iterum patet, quòd supra tetigimus; 14
legatum scilicet hoc modo sumptum, & dictum, non valere quidem, seu perimi, quoad effectum firmandi quasi contractum propriè [illegible]um, ex quo resultet obligatio civilis prædicta inter hæredem, & legatarium, sive mutua, sive non, juxta superiùs dicta: atque adeò nullum esse in foro externo; quòd nullum jus, nullaque actio producatur in legatario per ordinationem testatoris legantis, quippe hanc illo non acceptante. Ex eo autem, quòd nullum in illo jus, nulla actio producitur, nullum quoque iuris vinculum, seu obligatio civilis oritur in hærede erga ipsum: sunt enim, ut dictum est, correlativa actio, & obligatio: relativa autem se se mutuò ponunt, & mutuò excludunt; ut docent Logici, & patet ex dictis. Valet nihilominùs, & non perimitur legatum hujusmodi in foro interno, & poli, proveque dicit, & firmat quasi contractum hæredis, ac testatoris adinvicem: tunc enim, ut diximus, inter hos factus est quasi contractus, seu quasi pactum percussum est, cùm, publicato Testamento, vel alia vltima voluntate defuncti, hæres ejus acceptans, & adiens hæreditatem, suam ei fidem spopondit, & obstrinxit implendi legata, oneráque hujusmodi, & cæteras ordinationes ipsius, maximè quæ ad pias causas, & ad bonum animæ ejusdem spectare perhibentur. Potest enim Legatum, de quo agimus, cui scilicet deest acceptatio politica legatariorum Fratrum Minorum dici legatum minùs solemne: At, licèt in testamento minùs solemni desit obligatio civilis, non deest tamen obligatio naturalis, seu de jure Gentium primævo devinciens conscientiam; ut optimè observant Comitolus *cit. quæst. 8. num. 1.* & Jason *in l. planè: §. si conjunctim: num. 15. ff. de legatis 1.* & in *l. hujusmodi: §. si Titio, & Mævio: ff. eod. tit. num. 13.* ubi etiam testatur de magis communi, allegátque *l. in testamento: ff. de fideicommissar. libertatib. in princ. & l. fin. ff. de rebus eorum, qui sub tut. vel cura sunt:* & Bartol. post Gloss. *in l. cùm quis: C. de juris & facti ignor. & in l. 1. ff. de conditione indebiti;* Canonistas etiã in *c. fin. de solutionibus;* & Bald. *in l. hac consultissima. §. ex imperfecto: C. de testament. in penult. qu.* & Salicetum *ibi;* ubi ad hoc notat illum textum & ait esse similem textum *in l. fin. ad fin. C. familiæ erciscundæ* Et idem docet D. Antoninus *in 3. part. Summæ tit. 10 c. 3 § 14. Item nota:* cujus sententiam affert *Comitolus cit.* ubi ex professo id sustinet; & sequitur Sylvester *in Sum. V. Testamentum 1. quæst. 5. not. 4.* Quæ autem dicuntur de testamento, eadem ratione dicenda sunt etiam de

legato,

legato,& qualibet alia testantium, vel morientium ordinatione ; siquidem sunt ultimæ voluntates.

15 Atque hæc doctrina non tantùm de testamentis, aut legatis, cæterisve ordinationibus testantium, seu morientium, ad pias causas spectantibus procedit, sed indistinctè de omnibus etiam ad causas profanas: ita ut, si ex quis leget amico suo, cæteroqui diviti, centum quotannis ab hærede suo solvenda in significationem dilectionis suæ erga ipsum: amicus autem hujusmodi non quidem legatum istud reputat, sed tantùm in reverentiam liberalitatis, & dilectionis testatoris defuncti protestetur hæredi nollo se civiliter talis legati seu ordinationis titulum, quo contra ipsum hæredem agere possit in foro exteriori, volens recipere centum illa annua citra omne jus civile sibi competens ad petendum, & recipiendum; nunquid idcircò tenebuntur in tali casu nre illa centum accrescere hæredi, si non solvat? nequaquam. Nunquid non tenebitur adhuc hæres obligatione justitiæ erga testatorem, sed & naturali obligatione, conscientiam devinciente, erga amicum illum legatarium? Tenebitur certo certius solvere, & ille amicus recipiet ea sola liberalitate, & dilectione testatoris, nullo sibi jure ex electione propria competente, tametsi ab hærede obligato, ut dictum est. Si igitur doctrina prædicta, ut præfertur, in legatis profanis locum obtinere perhibetur, quantò fortiùs in legatis, quæ ad pias causas, & pro anima fiunt, locum habebit.

16 Ponamus itaque modò, quis haud fortè conscius Professionis, & status specialis Paupertatis Fratrum Minorum, titulo legati relinquat eis in eleemosynam pro anima sua aliquid annuatim vel singulis quibusque mensibus, aut etiam hebdomadatim à suo hærede, vel hæredibus in perpetuum succedentibus præstandum, putetque etiam idcircò intra se testator huiusmodi (ex errore tamen, & ignorantia, ut dictum est, quod tamen vix contingere potest, cùm lippis fere, atque tonsoribus sit nota Paupertas Fratrum minorum ex vi suæ ipsius ordinationis) producendum fore in ipsis Fratribus ciuiliter acceptantibus, aut in Pontifice, tanquam Patre, & domino speciali eorundem Fratrum se habente, jus, actionemque ciuilem, ad tale quid annuatim ab hærede percipiendum, ac petendum, & per consequens orituram in hærede, vel hæredibus prædictis obligationem politicam, seu ciuilem juncta naturali, ex quasi Contractu erga Fratres ipsos ciuiliter, ut præfertur, acceptantes aut saltem erga Pontificem, vel Apostolicam sedem; cum actio, & obligatio huiusmodi, sint indiuisæ proprietates, & comites contractus, & quasi contractus propriè dicti, (ut benè ait Gomitolus *cit. quæst. 4. num. 2. §. Secunda.*) undè nullus est locus obligationi prædictæ, actione remota, & è conuerso. Hoc posito; denuncietur Fratribus prædictis per Tabellionem, seu Notarium (ut eius est officij), juxta communem doctrinam, & praxim, ita ut in Mortale incidat, in aliqua etiam Diœcesi reservatum Episcopo, si intra terminum duorum mensium legata hujusmodi, nempè ad pias causas, jam debita à morte scilicet testatoris, denunciare culpabiliter negligat; prout mihi constat ex *Tabella reservatorum casuum Episcopi Comensis Lazari Caraffini, casu* 9. Videantur Toletus *lib. 5. cap 61. num.* 6. Clavis Regia *lib. 12. cap. 21 num.* 15. Reginaldus *lib.* 26. *num.* 688. & Filliucius *tract.* 40. *cap.* 10. *quæst.* 10. *num.* 300. quos allegat, & sequitur Bonacina *tom mihi 2. disput.* 10. ubi *de 8. Decalogi præcepto, quæst. 3. pu. ultim. num.* 5. qui & testatur, Notarium in diæcesi Mediolanensi, qui postquàm novit mortuum esse testatorem, intra tres menses non denunciat legata pia, elapsis tribus mensibus, ipso facto in excommunicationem incidere; ex *Concil. Provinciali II. decreto* 7.) denuncietur, inquam, Fratribus per Tabellionem, seu Notarium legatum istud, seu testatoris dispositio. Acceptabunt ne illi? ciuiliternè agnoscent? Minimè profectò, si suæ ipsorum altissimæ Paupertatis tùm in particulari, tùm in communi memores sint, ac professores. Quid tùm ergo? Sequitur solummodò, quòd nullatenùs ad ipsos transeat, seu in ipsis fundetur prædictus titulus legitimus legati, jusque & actio ad illud quid annuatim, menstruatim, aut hebdomadatim recipiendum, vel petendum: hæc enim non transferuntur, nisi in volentem, & assentientem, seu acceptantem; etiamsi ille, qui confert, intendat se expropriare; ut benè in simili de pecunia: allata auctoritate legum *in tit. ff. de acquirenda, vel amitten. possess.* S. Bonaventura *in cap. 4. Regula.* Et quidem ita decernitur *ibi, in l.* 1. *§. cæterum: & §. hac quæ de servis: & l. Providert: §. 1. ff. de tit.* ubi & Gloss. ita ut, secundum illas leges, ille tantùm ritè provideri dicatur, qui habet voluntatem, & intellectum possidendi, idest qui vult & scit se velle possidere; ut ait Gloss. *in d. §. hac quæ de servis:* Unde & versus apud ipsum S. Doctorem citatum:

> *Non tibi dat quisquam, nisi quo vult expropriari;*
> *Nec tu quid recipis, nisi velis ei dominari:*
> *Namque recepta, data, sibi sunt adversa relata;*
> *Dans suâ privatur, recipit qui pòst dominatur.*

Ergò & liber est hæres ab obligatione civili tantum erga Fratres, juxta mox *suprà* dicta; corruitque titulus, seu ordinatio testatoris, quoad

quoad hoc, & nullus est inter Fratres ipsos, & hæredem civilis contractus, vel quasi contractus; cujus quasi forma est, acceptatio, utpotè à qua contractus ipsius validitas, & firmitas pendet; ut paret ex dictis, & insuper expresse loquitur Ludovicus Abelly *in sua Theolog. p. 2. tract. 1. cap. 8. sect. 1. §. quæritur 1.* Et consensus est substantia contractus: *l. 1. & l. in venditionibus: ff. de contrahen. empt. & l. 2. C. eod. tit. & Instit. de empt. & vendit. §. 1.* Et ex conventione partium contractus legem accipiunt, ut est textus clarus *in l. 1. §. si conveniat: ff. Depositi, vel contra:* ita ut ex solo consensu, & acceptatione in aliquibus casibus, seu contractibus quis obligetur; ut *Institut. de obligat. ex consensu: & l. consensu: ff. de actionib. & obligationib.*

17. Verissimum hoc est, & luce meridiana clarius patet: ita ut etiam in ipsa voti obligatione interveniat acceptatio Dei; ut tetigimus alibi; & tradit Filliucius *tom. 2. tract. 26. c. 3. num. 75.* ubi docet, acceptationem necessariam esse etiam in promissione, quæ fit Deo per modum pacti in voto; quia ad hoc ut promissio teneat, debet includere conditionem, si res promissa placuerit ei, cui promittitur. Conditionata autem promissio non obligat, quandiù conditio impleta non est. Non acceptantibus itaque civiliter Fratribus ordinationem illam testatoris, sed neque respuentibus commoditatem rei legatæ; manet liber hæres, ut præfertur. Ad quid? Remanet tamen adhuc in hærede ipso obligatio fidelitaris, sed & justitiæ propriè dictæ ex quasi contractu, erga testatorem, quam sine ejus injuria violare non potest; unde in conscientia tenetur, & compelli potest Iudicis officio nobili ad implendam voluntatem ipsius defuncti, eo meliori modo, quo potest, quique sit conformior intentioni ejusdem, Fratrúmque capacitati, ac necessitati. Quis enim sanæ mentis (loquar cum Seraphico meo Doctore *in Epist. ad magistrum innominatum, §. supponis: tom. 2. opusc.*) quis, inquam, sanæ mentis dare intendat Fratribus, nisi prout competit Regulæ, & Professioni eorum? Quis enim daret eleemosynam, ut eos faceret perdere vitam æternam? Non enim verisimile est, (utar etiam verbis Nicolai III. *eo §. Ad maiorem autem: in fin. in cap. Exyt:*) aliquem eleemosynæ suæ sine expressione modum illum præfigere, per quem, & donans merito, & illi, quorum necessitatibus intendit per dunum hujusmodi providere, vel effectu doni, vel suæ conscientiæ puritate fraudentur. Dat ergo testator ipse eleemosynam Fratribus annuatim, menstruatim, vel hebdomadatim eo modo, quo ijsdem expedit, licétque recipere. Neque est contra eorum Professionem, si quis nolens, aut non potens eleemosynam eis ministrare manu propria, ministret per manum sui hæredis, sicut & servi, ut ait Seraphicus Doctor *loco cit. paulò suprà.* Atque hæc ille sentit de pecunia legata: quidni igitur eadem & nos sentiamus de quacúnque alia re legata, in singulos annos, menses, vel hebdomadas ab hærede præstanda, cujus usus in propria specie sit Fratribus licitus? certè à fortiori sentire possumus: eo vel maximè, quòd perspicuè id expressum habemus per Nicolaum III. *in eo §. Ad hæc, quia: d. cap. Exyt:* illis verbis: si verò Fratribus ipsis generaliter aliquid absque modi expressione legetur, in hoc legato sic indeterminatè relicto in omnibus, & per omnia intelligi, ac servari volumus, & in perpetuum præsenti constitutione jubemus, quod supra in pecunia, seu eleemosyna Fratribus indeterminatè oblata, vel missa, voluimus, ac expressimus observari: videlicet ut sub modo licito Fratribus intelligatur esse relictum; ita quòd nec legans merito, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur. Hæc ille: qui utique de pecunia, Minorico statui, & professioni non minùs repugnante, quàm annui reditus propriè dicti, & civiliter constituti; determinat *eo cap. Exyt: §. Et quia oportet: & §. Ad maiorem autem:* quòd, manente semper ejus proprietate, dominio, juréque ipsius contrectandæ, & administrandæ penes dantem, aut in bonis ejus, (ubi eum mori contigerit, & pecuniam ipsam expendendam jusserit pro Fratribus) usque ad conversionem ejus in res licitas, quoad usum Fratrum, in eorundem Fratrum utilitatem, & commodum, juxta exigentiam præsentium, vel imminentium necessitatum à substituto ipsius dantis, & domini, vel etiam ab hærede expendatur: ita ut possint Fratres, citra tamen ullius juris, dominij, aut proprietatis prætensione, ad personam deputatam, vel substitutam (non obstante concedentis morte, aut hæredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda, necessitate occurrente, recurrere: sicut potuissent ad ipsum dantem, & amicum spiritualem concedentem, vel relinquentem, dum viveret: qui proindè deputatus, vel etiam hæres solvet illam pecuniam, ex obligatione quidem ex vi ordinationis illius dantis, sive inter vivos agentis, sive inter mortuos quiescentis, non tamen de jure, aut titulo aliquo civiliter Fratribus Minoribus, aut Apostolicæ sedi pro ipsis acquisito; sed simpliciter de facto, sicut expendisset ipse donans; aut ad summum ex obligatione naturali tantùm, quæ Minoricæ paupertati non repugnat; sicuti nec repugnat recipere sic simpliciter annua legata de re Fratribus licita, quoad usum in propria specie; ut ex dictis patet, & ampliùs ex dicendis constabit. Redeamus jam ad hæredem, à quo discessimus.

Impleat igitur hæres ille voluntatem testatoris defuncti; & si cessat modus implendi eam 18

ex vi tituli, vel juris Fratribus acquisiti, & ex obligatione civili, juncta naturali ex quasi contractu cum iisdem; prout requirit ipsorum professio, & status; quem modum nec supponimus expressisse testatorem in legando, impleat absque eo: & si non potest, seu (aptiùs loquar) si non tenetur solvere de jure, solvat de facto: debet enim ex vi obligationis justitiæ commutativæ erga testatorem, (sed & naturalis erga Fratres) potest, & sufficit: *argum. l. quidam cum filium: ff. de verbor. obligat.* atque adeò nec minimùm repugnat legatariorum Fratrum professioni, ac statui. Implcat, inquam, simpliciter (missa sit etiam naturalis obligatio erga Fratres,) propter obligationem, qua testatori tenetur ex vi legitimæ, & à se ipso acceptatæ ordinationis ejusdem; nam testatoris voluntas lex est: *§. Disponat: in Authent. de Nuptys:* ex antiquissima, & penè prima Romanorum Reipublicæ Lege duodecim Tabularum, ajente: *Vti legassit quisque de sua re, ita jus esto: nullo valente circa illius voluntatem, nec si sacram impetret formam, nec si quidpiam aliud omnium, aliquid aliter disponere.* Hæc textus *ibi:* vide *Gloss.* Et hoc maximè verum est in favorem illius, cui relinquitur; & ita tradit Bartolus *in l. Titio centum: in princ. ff. de conditionibus, & demonstrationib. & in l. in testamento: ff. de verb. & rei signif. & in l. 1. C. de pactis.* Et valet argumentum de verbis Legis ad verba Testatoris: *l. si quis legaverit: ff. de legatis* 1.

19 Sicque datum, receptum, ac petitum à Fratribus, erit datum, receptum, ac petitum per viam simplicis eleemosynæ, aut dum testatoris etiamsi datum ab hærede, receptum, vel petitum à Fratribus intuitu legati impropriè dicti. Quo sensu Nicolaus III. *eo §. Ad hæc, quia: in cap. Exijt:* nec Zabarella *in Gloss. ad Clement. Exivi: § Proinde: ad fin.* dubitarunt, quin Fratribus Minoribus liceret, salva puritate suæ ipsorum Professionis, titulo legati recipere: vide Cordubam *in cap. 6. Reg. quæst.* 10. & 11.) & tantùm cautione adhibita, ne legatum fuerit factum cum expressione modi illiciti, ita ut esset, vel saperet usumfructum, cujusmodi non sunt legata annua simplicia; & ne fuerit in fraudem aut hæreditatis, aut paupertatis, quoad quantitatem, ut in superioribus sæpius fuit dictum.

20 Denique legatum materialiter, seu concretivè sumptum, & impropriè, seu largè dictum, est ipsa res à testatore titulo legati relicta; quam tamen tùm hæres præstat legatario, tùm legatarius ab hærede accipit ex vi, seu titulo legati abstractivè, seu formaliter sumpti, & impropriè, seu largè dicti; ut explicatum est suprà. In re enim legata considerandum est jus, seu titulus civilis ad illam acquisitus; & commoditas illius, sive utilitas de facto simpliciter: (quemadmodum *Castro Palao* considerat dominium, & commoditatem, *part. 3. tract. 15. disp. 3. pu. 6.*) sicut igitur potest, secundùm eundem Doctorem, & alios concedi Religioso particulari res eidem legata, quoad commoditatem secluso dominio; ita legatum, quod hic explicamus, est res legata legatario præstita, & ab ipso accepta, vel petita ab hærede, quoad commoditatem, sive utilitatem ipsius rei tantùm, simpliciter, & de facto, secluso jure, titulóque politico ad illam sive recipiendam, sive petendam. Et quemadmodum Fratres Minores utuntur rebus, quibus non dominantur, auctoritate scilicèt non propria, sed alienâ; sejunctis ad invicem usu licito, & dominio propriè dicto, seu proprietate: ut tradunt S. Bonaventura *in cap. 6 Reg. §. Ad quintum: tom. 1. opusc* Gluss. *in Clement. Exivi: ad §. Proinde:* Corduba *in d. cap. 6. reg. §. Item illi:* & communiter omnes ejusdem regulæ Expositores *eò Loci*, & alij ut *infra* videbimus, contra sententiam Joannis XXII. *in Extravag. cum ad conditorem Canonum.* Ita protsùs possunt recipere res legatas annuatim, cæteróqui sibi licitas, quoad usum, (modò non habeant rationem ususfructus) nullo sibi, aut cuipiam alteri, neque Apostolicæ sedi, aut summo Pontifici, tanquam ipsorum Patri speciali, acquisito jure, civilivè titulo ad illas in futurum petendas, sed neque in præsens.

Atque hoc modo res prædictas legatas, annuatim, vel quacunque alia temporum distributione, recipere, aut petere, est recipere, aut petere per modum legati impropriè, & largè dicti: ut dictum est *suprà:* sicut etiam uti rebus non suis, *ut suprà*, est uti illis dominio impropriè, seu largè dicto; ut aliqui concedunt: cùm tamen non minùs repugnet professioni Fratrum Minorum titulus dominij, sed propriè dicti, quoad usum, quàm titulus legati, sed idem propriè dicti, quoad receptionem, vel petitionem rerum utilium. Unde, sicut ab his conceditur, quòd possint Fratres, quoad ea, quibus aliena auctoritate utuntur, dici domini, impropriè & largè sumpto vocabulo; neque negari poterit, posse etiam eosdem Fratres, quoad ea, quæ iisdem annuatim legata præstantur, dici legatarios impropriè, & largè loquendo. Ita ut semper, quod titulo legati hoc modo explicati percipiunt, aut petunt, eisque præstatur, verè adhuc dicendum sit, quoad ipsos (etiamsi ab hærede, ut præfertur, obligato præstitum) receptum, petitum, præstitumve purè dono, gratis, & liberaliter, sive eleemosynaliter, ut suprà ostensum est. Et hic iterum confirmatur ex doctrinâ quadratissima Seraphici mei Doctoris *in 2. sent. dist. 27. art. 2. quæst. 1. ad 3.* ubi docet, quòd ratio gratuiti at- 21

tenditur

tenditur in donis gratiæ io comparatiooe ad eum, etsi dantur; cùm scilicet non debentur ei, nec ipse potest ea repetere ex justitia. Undè, licet quis alteri mereatur gratiam aliquam, & donum, (quo modo Christus Domiotis omnibus homioibus promeruit omnia dona spectaotia ad ordinem Gratiæ,& Gloriæ,quæ post lapsum primi hominis dantur; ut tradit idem S.Doctor *in 3.sent.dist.18.art.2. quæst.1.2.& 3.* & commuoiter Theologi apud Morandum *quæst.44. de Christo*; paucis exceptis, qui negaot, Christum meruisse dispositiones remotas ad justificationem) non ideò amittunt rationem doni,& gratiæ. Hæc Seraphicus apposissimè, mihi jugiter præsentissimus. Ita igitur in præsenti,ratio gratuiti in re legata, & Fratribus Minoribus quotannis ab hærede præstita attendenda est in comparatione ad ipsos Fratres recipieotes, quibus scilicet non debetur à testatore ex justitia, seu debito civili, & obligatione propriè dicta, & actionem pariente; unde nec ipsi possunt eam repetere ex justitia, & obligatione prædicta. Et licèt testator defunctus mereatur, ratione hæreditatis hæredi relictæ, & maximè ratione ordinationis suæ ab ipso hærede acceptatæ in aditione hæreditatis, mereatur,inquam, ut hæres ipse præstet Fratribus rem legatam,quam ex hæreditate delibatam reservavit pro anima sua, fideique ipsius hæredis commisit præstandam Fratribus; non inde tamen fit, quominùs res sic præstita, & à Fratribus recepta, vel etiam petita humiliter, verè habeat rationem doni, & Gratuiti. Quamvis enim hæres teneatur ex justitia commutativa, ex quasi contractu, erga testatorem, ad fideliter implendam ejus voluntatem,& ordinationem expressam; Fratres tamen percipiunt rem illam, vel etiam petunt, gratis, & humiliter,nullo jure antecedenter existente ex parte ipsorum ad recipiendum, vel petendum; transeunte tamen dominio illius rei, toties, quoties recipiunt, ad Apostolicam sedem, vel ad summum Pontificem, tanquam ad ipsorum Patrem specialem, juxta leges *C per quas personas nobis acquiratur:* & *Instituт.eod.tit.* & juxta *l.acquiritur:ff.de acquir.rerum dominio.* Atque hactenùs, quoad essentiam, & quidditatem Legati enucleandam,notata sufficiaot.

§. XIII.

Quæ, & qualis sit Minorica, eáque altissima Paupertas, seu Mendicitas, & quos præscribat suis Professoribus fines, etiam quoad usum.

SUMMARIUM.

1 *Paupertas Minorica omnium altissima est, & specialissima.*

Minorica Religio sola paupertatem mendicantem profitetur ex Regula, ibid.

Non fuit dispensata à Concilio Tridentino respectu Fratrum Capucinorum, & de observantia, ibid.

2 *Differentia paupertatis Minoricæ,& Carmelitarum Discalceatorum, nec non Domorum professarum Soc. Iesu, observatur.*

3 *Controversia de paupertate Evangelica inter Fratres Minores, & Patres Prædicatores, ad concordiam revocatur*, & n.4. cum alijs seqq.

4 *Paupertatis Evangelicæ tres gradus distinguntur quorum supremus proprius est Fratrum Minorum.*

5 *Paupertas Christi ejúsque Discipulorum tripliciter consideratur.*

Ecclesia Militans est capax bonorum, quorum alienatio regulariter prohibetur.

6 *Paupertas Collegij Apostolici tam in communi, quàm in particulari, exponitur, & confertur cum paupertate Evangelica variarum Religionum.*

7 *Paupertatis Minoricæ dignitas & excellentia.*

Fratres Minores pauperes & mendici ad imitationem Christi, & Apostolorum, ibid.

Mendicitas Religiosa laudabilis, sancta, & perfecta, ibid.

8 *Mendicitas Christi Domini qualis fuerit examinatur*, & n.9.

10 *Paupertatis Minoricæ definitio adducitur,& exponitur.*

11 *Paupertas Minorica est virtus heroïca, consilij, & supererogationis.*

12 *Patrimonium Ecclesiæ in quatuor partes distributum: videlicet pro cultu & conservatione ipsius Ecclesiæ, pro ejus Ministris in communi viventibus, pro Prælato ejúsque familia, & pro pauperibus*, ibid.

Ex portione Ministrorum Ecclesiæ instituta sunt beneficia, ibid.

Bona Ecclesiæ sunt vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, ibid.

13 *Paupertas Minorica importat abdicationem tam in communi, quàm in particulari, rerum temporalium & corporalium: non tamen jurium spiritualium.*

Nobilitas, quatenus est juris sanguinis & naturale, non amittitur per Religionis professionem, ibid.

Nobilitas politica amittitur, ibid.

Nobilitas sine virtute, sterens est, ibid.

14 *Paupertas Minorica abdicat quinque actus politicos, scilicet Dominium, Possessionem, Proprietatem, Vsumfructum, & Vsum juris civilis.*

15 *Paupertas Minorica solùm admittit simplicem usum facti vel arctum, vel moderatum.*

16 *Paupertati Minoricæ mendicitas annexa est.*

17 *Abdicatio Minorica nequidem simplicem usum facti rerum immobilium: exceptis expressis in* cap. Exijt.

18 *Mendicitas Minorica an importet præcisè mendicationem.*

19 *Paupertatis altissimus gradus est omnimoda abdicatio bonorum omnium tam in communi quàm in particulari.*

20 *Vsus facti simplex potest dari ab omni proprietate, dominio, omnique civili jure rerum, etiam quæ ipso usu consumuntur, sejunctus.*

21 *Fratres Minores ex vi Regulæ & voto solemni ad perfectam paupertatem tam in communi quam in particulari obligantur.*

1 QVoad statum, conditionem, seu professionem specialem paupertatis, seu mendicitatis Fratrum Minorum, sciendum est, eam, ubi Seraphici Patriarchæ Francisci Regula, juxta ipsius, atque adeò Jesu Christi Domini nostri mentem, ad literam sine Glossa, & relaxatione servatur, talem, tantámque esse, ut meritò, juréque optimo, toto cœlo, terrâ, maríque, altissima, ac specialissima prædicetur: neque enim eâ altiorem, sed nec eidem æqualem (quis quid dicat) invenire est tot inter Statuum, ac Professionum, sive Regularium, sive sæcularium varietates, quibus gloriosa Filia Regis ab intus, & sponsa Christi charissima, Sancta Mater Ecclesia Romana Catholica circamamicta incedit. Nam, etsi plures sint aliæ illustrissimæ, eæque Sanctissimæ Religiones, Congregationes, Societatesvè, quæ Mendicantes sunt vel ex privilegio, vel ex Constitutionibus postmodùm factis; ut videre est apud Joannem Baptistam de Lezana *in sum. tom.* 2. *cap.* 1. *à num.* 1. *& tom.* 4. *V. Mendicantes Regulares*, ubi plures alios hac de re peragentes citat Doctores: sola tamen Minorica Religio hujusmodi Mendicitatem profitetur ex Regula; ut benè observat, & probat Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 1 *quæst.* 11 *art.* 6. *concl.* 2. Unde etiam omnes aliæ, cùm tales non sint ex Regula, atque ex suo instituto, & Professione, possunt habere proprium in communi; & de facto, ait Miranda *cit.* credo, quòd illud habent omnes, quæ sunt in Ecclesia hodie, maximè ex dispensatione Concilij Tridentini *sess.* 25. *cap.* 3. de qua alibi: atqui Minorica, quippe quæ talis ex Regula, & instituti professione, nullatenùs id potest habere: unde nec dispensata eò loci Concilij citati, quoad nos tamen Capucinos, & eos, qui de Observantia nuncupantur, tantùm.

2 Et quamvis aliquæ Religiones cesserint juri suo ex prædicta Concessione, & dispensatione Concilij proveniente; ut Societas inclyta Jesu, quoad domos Professas, in secunda Congregatione sua Generali, *can.* 2. (teste mihi Lezana *cit. primo loco, num.* 7. Sanchez, & alijs ex eadem Societate Scriptoribus; ut aliàs refero) & P.P. Discalceati Hispanenses, seu Carmelitæ, quoad Conventus suos ordinarios, qui Collegia non sunt; ut habetur ex eorum Constitutionibus Capituli generalis Pastranæ 1604. *part.* 1. *c.* 7. *num.* 11. *&* 13. referente eodem Lezana *cit.* Hæ tamen adhuc habent proprium, seu possessionem, & dominium, quale in rebus Ecclesiasticis haberi potest, in communi, tùm rerum mobilium, quibus utuntur; tùm etiam eorum bonorum immobilium, quæ ipsis ad habitationem, & honestam recreationem conceduntur; sed insuper cujuscúnque alterius rei stabilis sibi relictæ, & jus civile ad eam repetendam, non ut retineant illam, sed ut vendant; ut fatetur mihi *Sanchez*, saltem quoad domos Professas Societatis suæ; quod & facilè credo de R.R.P.P. Discalceatis prædictis: solùm enim renunciatione prædicta, cui ex parte dominum Professarum prædictarum accedit auctoritas Pontificia, approbatio scilicet Gregorij XIII. *in Bulla, Ascendente Domino:* 1584. ut testantur Lezana *cit.* & Sanch. *in Decal. lib.* 6. *c.* 18. *n.* 14. qui tamen, ut mihi id clarè etiam exhibet *c.* 27. *n.* 3. *lib.* 7. secundùm auctoritatem Julij III. interdicuntur habere, seu possidere tum in particulari tùm in communi reditus ullos, aut bona stabilia, ut possessiones: præter prædicta. Quod nullatenùs dicere est de Religione Minorum prædictorum; unde constat, quod nulla alia Religio ex omnibus, quæ sunt in Ecclesia Dei, tùm omnimodam expropriationem, cùm in communi, tùm in particulari, omnium rerum etiam necessariarum ad vitæ sustentationem, & officiorum executionem, aut tàm pauperem usum profitetur ex Regula, sicut Minorica. Videatur S. Bonaventura *in cap.* 6. *Reg.* & alibi; ut tradit *in determinationibus quæstionum circa Regulam S. Francisci, quæst.* 4. & in *Apologia Pauperum, pluribus locis.* Vide etiam Bartolum *in Minoricis quæstion.* P. Joan. à Fano *in suo brevi discursu circa votum Minoricæ paupertatis*, & communiter Seraphicæ Regulæ Expositores, inter quos præcipuè Crousers Antverpiensis, & Politius noster, *ad cap.* 6. *Reg.* id luculenter ostendunt ex alijs circumstantijs, quæ Minoricam paupertatem supra omnes alias extollunt. At sunt præcipua verba Regulæ, *eo cap.* 6. ajentis: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo*, &c.

Veruntamen, amice Lector, ne te pigeat 3
audire argumentum, illudque robustissimum, quo Seraphica seu Minorica, ut præfertur, paupertas, cæterarum omnium arctissima, omnium altissima liquidò probatur, simúlque ad concordiam revocatur implacabilis illa controver-

sia

sia inter Fratres Minores ex una parte, & Patres Prædicatores ex alia, quibus postea adstipulatus fuit Juan. Papa XXII olim exagitata; ut fusè habetur *in 2. part. Chronic. Min. lib. 8. cap. 10. & seqq.* sed & fusiùs *tom. 16. Additionum* Raynaldi Odorici *ad Annal. Card. Baronij annis* 1322. *num.* 54. 1323. *num.* 38. 1324. *num.* 29. 1325. *num.* 20. 1328. *num.* 12. 1329. *n.* 22. Hujusmodi autem argumentum efformo ex celeberrima illa responsione, quam (ut refert Corduba *in cap. 6. Reg.* ex Nicolao Galbergher) eidem Papæ Joanni requisitus transmisit P. Vbertinus de Casali; necnon ex illa quam ex F. Alvaro Episcopo Sylvensi *in lib. de Planctu Ecclesiæ*, refert F. Marcus Ulyssiponensis *in præcitatis Chronicis, cap.* 16. & cui favet D. Bonaventura *in cap. 4. & 6. Reg.* & adhærent Corduba *cit.* noster à Politio *in d. cap. 6. Reg.* P. Gabriel Vasquez *infrà* citandus & alij. Et ita illud efformo.

4 Omnis Religiosus in particulari, atque omnis Religio in communi verè imitatur paupertatem Christi, & Apostolorum ejus, estque per consequens in via Evangelicæ, Apostolicæque perfectionis. In hujusmodi tamen imitatione est considerare tres status, sive gradus, in quorum summo, Christum, & Apostolos ejus verè imitatur Fratres Minores tantùm Cappucini, & qui de observantia dicuntur, secundùm quod loquitur Concilium Tridentinum *eò loci, sessione* 25. *cit.* Ergò paupertas, expropriatióque Fratrum Minorum, ut præfertur, est omnium arctissima omniúmque altissima, quas aliæ Religiones sive ex Regula, sive ex Constitutionibus peculiaribusvè statutis profitentur. Probatur modò, & explicatur Minor propositio argumenti.

5 Christus Dominus, & Apostoli eius, tripliciter possunt considerari, ut sese habuerunt in hac vita, ad exemplum, & normam omnium statuum Evangelicæ Perfectionis. Et *primò* quidem considerari possunt seorsim, & singillatim prout scilicet erant particulares, & singulares personæ; sicque Christus ab instanti suæ conceptionis exclusivè ad resurrectionem; Apostoli verò ipsius ab illo instanti; quo ab eodem vocati, relictis omnibus, secuti sunt eum, nihil habuerunt, quod proprium ipsorum diceretur & esset.

Secundò considerari possunt, prout simul cum aliis Fidelibus constituebant unam Congregationem universalem, quæ erat Ecclesia militans, cujus ipsemet Christus Caput erat, Prælatus & Pontifex summus: sicque Christus, & Apostoli habuerunt aliqua propria in communi, quorum ipse Christus, tanquam Prælatus, habebat potestatem, dispensandi scilicèt, vendendi, commutandi, &c. Sicque etiam idemmet Christus loculos habuisse dicitur: hocque est, quod mordicùs à tot, tantisque Doctoribus sustinetur, diffiniturque benè à Joanne XXII. *in Extravag. Cum inter nonnullos*: & *in Extravag. Quia quorundam*: Atque hæc Christi potestas devoluta primùm fuit ad primum ipsius vicarium, & successorem D. Petrum, ac deinceps hactenùs devoluta est integra, atque in posterum usque ad sæculi finem devolvetur ad singulos Romanos Pontifices, & Christi Vicarios in Apostolica Romano-Catholica sede canonicè succedentes: & de eorundem auctoritate Pontificum conceditur, & transit ad alios respectivè Prælatos, vel Beneficiarios, Ecclesiarum particularium, sivè sæcularium, sive regularium, quæ bona propria in communi habent, vel habere possunt. Ità tamen ut immobilia bona, aut quæ inter immobilia computantur à jure, in Ecclesiæ sortem, & dominium semel translata, alienare, pignori supponere, aut permutare nullus Prælatus, vel Beneficiarius possit sine speciali auctoritate, & consultatione Romani Pontificis, sub pœnis, &c. (excepta tamen urgente gravi necessitate, redimendorum v.g. captivorum, pauperumvè alendorum, ut fert communis sententia, Abbatis, Zabarellæ, Rebuffi, Redoani, Quarantæ, & aliorum, quos allegat, & sequitur Filliucius mox citandus *cap. 5. num.* 11.) Ut cautum est triplici jure Ecclesiastico, communi scilicet Canonico, speciali Pontificio, & privato. Et quidem in jure Canonico communi extat integer titulus, *extra, de rebus Eccles. alienan. vel non*: & de eadem re agitur 10. *q.* 11. & 12. *q.* 2. & 3. *cap. id constituimus*: & 16. *q.* 6. & *in Conc Trid. sess.* 25. *cap.* 11. speciales verò leges, & Constitutiones Pontificiæ in hac materia habentur plures, præcipuè Pauli II. Pauli IV. & Pij IV. sed imò Constitutio Pauli II. inserta est inter Canones *in corpore juris*, estque *Extravag. Ambitiosæ: de rebus Eccles. non alienan.* Ius verò, & obligatio privata consistit in juramento, quo saltem Prælati Majores, qui immediatè à summo Pontifice dignitates suas accipiunt, se adstringunt ad non alienandum inconsulto Pontifice. Et præterea juri Canonico famulatur jus Civile canonizatum, ipsis scilicet Canonicis sanctionibus confirmatum; & habetur titulus integer *in Authenticis, de non alienand. aut permutand. rebus Ecclesiast.* agiturque de eadem re *in §. ea verò: Authent. de alienatione, & emphyteusi.* Et videri possunt Doctores, & interpretes omnes *in dictis utriusque juris locis*, hanc eandem materiam prosequentes; summistæ item omnes, *V. Alienatio*: & alij, quos indicat Filliucius *tom. 3. tract.* 44. de alienatione rerum Ecclesiasticarum exquisitè agens. Sequamur argumentum nostrum.

Tertiò considerari possunt Christus, & Apo- 6

stoli ejus, prout non jam, ut suprà, simul cum alijs Fidelibus; sed prout se ipsis tantùm constituebant specialem quandam Congregationem, quæ erat pars Ecclesiæ universalis, proprióque nomine Collegium Apostolicum appellabatur: sicque nihil habuerunt proprij, neque in communi, neque in particulari: & quidem quantùm ad carentiam non solùm Possessionum, (sunt verba Seraphici Doctoris *in Apologia Pauperum, respons. 3. cap. 1. sub init.*) sed etiam pecuniarum, & aliorum mobilium, quibus sustentari, vel communiri solet communis hominum vita. (Plura vide apud eundem S. Doctorem *ibid.* lecta, & notatu digna) Et hoc est, pro quo pugnant tot, tantique alij Doctores quódque diffinijt Nicolaus III. *in cap. Exijt: de verb. signif. in 6.* Sed sic est; quòd quilibet Religiosus singillatim sumptus imitatur Christum, & Apostolos primò, ex prædictis tribus modis, consideratos. Religiones verò habentes aliqua bona, quoad proprietatem, & dominium in communi, imitantur Christum, & Apostolos in secunda consideratione acceptos; sicque proinde Religiosi, ac Religiones omnes, cùm singulatim, tùm collectim, & in communi, verè Evangelicam vitam, & Apostolicam perfectionem profiteri, æmularique dicuntur. Religio autem Minorum, Capucinorum scilicet, & eorum, qui de Observantia nuncupantur, ut ait Sac. Concilium *loc. cit.* imitatur Christum, & Apostolos ejus in tertia consideratione sumptos, ad illam scilicet, quæ recensita est, paupertatis, omnimodæque expropriationis amussim, quam (ut loquitur Seraph. D. Bonaventura cit.) tanquam speciali prærogativa perfectam, & Christus in seipso servavit, & Apostolis servandam instituit, quando ipsos ad prædicandum misit; sicut legitur *Matthæi cap. 10. Nolite*, inquiens, *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam:* ut tanquam veri pauperes, in summa rerum constituti penuria, carerent pecunijs, alimenta non ferrent, simplici vestitu contenti essent, & sine calceamentis incederent; ut sic paupertatem altissimam actu, & habitu, quasi quoddam perfectionis insigne, præferrent. Arctissimâ hac, inquam, paupertatis normâ, Christum, & Apostolos imitantur Fratres Minores præfati, post Seraphicum suum Patrem, ac ducem B. Franciscum fideliter incedentes. Patétque ex *cap. Exijt: cit. §. Nec quisquam:* & ex Constitutionibus nostris à Sanctissimo D. Papa Urbano VIII. approbatis, & confirmatis, *in princ. cap. 6.* & affirmat etiam P. Gabriel Vasquez *tom. opuscul moral. tract. de redditibus Ecclesiast. cap. 1. dub. 1. num 7.* & Cornelius à Lapide *Comment. in Matth. cap. 10. V. 10.* cum D Bonaventura. Quapropter à primo ad vltimum paupertas minorica, de qua hîc, est omnium in Ecclesia Dei arctissima, est omnium altissima. Illius siquidem paupertatem reipsa imitatur, qui nullum habuit titulum domicilij, ubi caput suum reclinaret, (ipsomet teste in Evangelio) & alieno vescebatur alimento, in alienis domibus continuè hospitando; ut ajunt D. Hieronymus *ad Nepottanum:* & D. Bonaventura *in cap. 6. Reg.* Neque enim legitur, mutuò unquam eum accepisse, aut quæsivisse, cùm indigeret: sed potiùs, vel de sponte oblatis, vel de emendicatis, vel ex labore comparatis vitam suam transegisse.

Ex quo patet, Minoricæ expropriationis, & mendicitatis quanta sit dignitas, excellentia, ac meritum; quippe quam ipsemet Christus Filius Dei tùm magnificè laudavit, & prædicavit, ac discipulis suis commendavit, illis signanter verbis *Lucæ cap. 14. Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* 7.
Ad quam Christi sententiam reflectens D. Ambrosius ait: Negat suum esse discipulum, quem viderit aliquando possidentem, (intellige post factam professionem sequendi Christum in gradu isto altissimo paupertatis) Et D. Augustinus *de contempta mundi.* Qui quicquam possidet, remotus est à Christi disciplina, (intellige in sensu mox indicato.) Non solùm autem laudavit, prædicavit, discipulísque suis commendavit, sed & miro affectu in se suscepit, cum re ipsa id, quod docuit, etiam exemplo præstiterit, & præstitisse credendum sit; (sive ex voto, sive non: quod non definio, tametsi affirmare videar supràut potè quod valdè controversum est inter Doctores, sed & inter Pontifices) ut nimirum verificetur illud, quod de ipso scriptum est in Evangelio, *Cœpit facere, & docere:* atque ut, juxta sententiam à seipso prolatam (*Matth. 5.*) Maior in regno Cælorum & diceretur, & esset. Unde, ubi D. Paulus *2. ad Corinth. cap. 8.* secundùm vulgatum textum, ait, Christum propter nos factum fuisse egenum, cum esset dives: vox Græca pro ly, *Egenus*, est Πτωχὸς, *mendicus*; sicut & apud Matth. *cap. 5. Beati Pauperes:* ly, *Pauperes, in textu Græco est* Πτωχὸς. Quòd profectò Adjectivum, non quemlibet pauperem, sed mendicum propriè significat, qui scilicet ostiatim quæritat, undè vivat, cùm id sibi ex liberalitate ultrò exhibentium, aut de mercede proprij laboris sive corporalis, sive spiritualis humiliter expectata, præsto non est; ut notat Maldonatus *in Matth. ibi*, & norunt omnes Græcæ linguæ periti. Hinc etiam idem Christus per os propheticum Regij Psaltis sæpiùs se vocat Mendicum: Et persecutus est (inquiens) hominem inopem, & mendicum: quem Psalmum utique de Juda proditore Christum persequente intellexit, Spiritu sancto dictante, D. Petrus, ut refert D. Lucas *Act. cap. 1.* & post D. Petrum

D.Petrum reliqui Patres unanimiter. Ideóque D.Augustinus *in hunc locum Psalmi*: Quomodo(inquit) Mendicum, nisi quia dixit Samaritanæ: *Da mihi bibere*: & in Cruce, *Sitio*: & apud Zacchæum se non invitatus invitat? Mendicus autem est, qui ab alio petit. Et D. Bernardus in illud *Lucæ cap.2. Cum factus esset Iesus annorum duodecim*: dicit, Christum triduo illo, quo mansit separatus à Matre, ostiatim mendicâsse. Quod & tradit VValdensis *infrà citan.* & alij. Ex quibus manifestum fit, voluntariam mendicitatem, quæ necessariò infert mendicationem, cùm tamen haud suppeditantur ab aliquibus spontè oblata, aut labore comparata ad victum; & licitam, & laudabilem, & meritoriam esse, propter Christi, & Apostolorum ejus sequelam; prout eruditè ostendit Card. Bellarminus *Controu. tom.2. lib.2. de Monachis, cap.45.* ubi contra Goilielmum de sancto amore apud D.Antoninum *part.4.tit.11.cap.7.§.5.* Desiderium Longobardum apud D. Thomam *in opusc.19.* Gyraldum de Abbatis Villa apud D.Bonaventuram *in Apologia pauperum*; Joan. VViclef apud VValdensem *infra cit.art 2.* Richardum Armacanum, Lutherum, & Brentium; Armacani præsertim rationibus confutatis, sustinet, licitam esse, & à pluribus Summis Pontificibus, Conciliisque meritò approbatam, tanquam sanctam, & perfectam; hocque probat exemplo Christi Domini, & Apostolorum ejus; & ex eventu: Nam, ut ipse ait hoc genus vitæ innumeris signis, & prodigijs confirmatum est, quæ Deus edidit per SS. Franciscum, & Dominicum, auctores hujus vitæ; deinde ab eo tempore conversio Gentilium, confutatio hæreticorum, pietas populi Christiani, conservatio Theologiæ, & innumera alia bona Ordinibus Mendicantium maxima ex parte accepta referenda sunt. Ita Bellarminus.

8 Quamvis autem Eminentissimus Card. Thomas Cajetanus explicans *cap.5. Matthæi, vers. Beati pauperes spiritu*: doceat inter alia; (ut refert mihi Jodocus Lorichius *in suo Thesauro novo utriusque Theologiæ: tom.2. V. Mendicare, n.2.*) Christum, & Apostolos non mendicâsse; sed ex spontè oblatis vixisse: (*Ioan. cap.13.*) Et donasse eis mulieres, quæ sequebantur eos: (*Lucæ c.8.*) Ambrosius tamen Catharinus Compsensis Episcopus (eodem mihi teste Lorichio) acriter reprehendit Cajetanum, negátque in propositis argumentis consequentiam. Nam qui ex oblatis vivit, testatur se pauperem esse, & mendicum; actúque, vel habitu, expressè, vel tacitè petit. Undè, licèt non semper, & ab omnibus petat ostiatim, tamen ab aliquibus quandóque necesse est, ut ab initio saltem talis professionis petat. Quomodo, secundùm D Bernardum, (ait Catharinus, & ex ipso Lorichius *cit.*) fecit Christus in illo triduo, cum esset annorum duodecim, & mansit separatus à Matre. Sicque exemplo largientium eleemosynam petenti mendico, cæteri deinde, eidem licet non expressè, non jam actu, sed habitu mendicanti, spontè offerunt eleemosynam. Et quòd mulieres illæ Evangelicæ Christo, & Apostolis ministrârunt in necessarijs, non est sine ulla petitione factum, saltem tacita, & habituali; cùm sanè, ut diximus, qui eleemosynam spontè oblatam, & non actu petitam, accipit, testatur, & approbat, se pauperem esse, & mendicum, atque id in primis hujusmodi ei offerenti necesse est esse compertum. Quòd autem Christus eleemosynam de oblatis, gratisque acceptis, gratis item dari jusserit Apostolos, & discipulos suos, non tollit aut mendicationem, aut Mendicitatis statum. Nam & alij mendici, præsertim Regulares (& apud nos Capucinos quotidianum est) ex ijs, quæ superant mendicatis, dant eleemosynam pauperibus. Videatur Sixtus Senensis *in Biblioth. sanct. Patrum, lib.6. annot.18.* Mihi tamen, sicut ex Lorichio *cit.* videtur Cajetanus posse excusari, quòd eò loci non negârit, Christum, & Apostolos fuisse pauperes, ac mendicos; sed tantùm fortè dixerit, eos non mendicasse ostiatim.

Sanè autem (quidquid sit de ejus sensu *ibi*) 9
Cajetanus ipse *super 2. 2. D. Thomæ, quæst.187. art.5.* disertè hisce verbis fatetur, Quod ex his, quæ scripta in Evangelio sunt, apertè intelligi potest, quòd Dominus Jesus non est dedignatus etiam in propria persona mendicare: & ibi multa, de facto, Evangelij loca recenset ad hoc propositum, acceptátque Glossam super illud *Psalmi 39. Ego autem Mendicus sum, & pauper*: Quod etiam D. ipse Thomas *ibi in tex. in opponen.* putat cum eadem Glossa intelligendum esse in sensu etiam literali de Christo Domino: affertque verba Glossæ, & D. Hieronymi auctoritatem. Atque idem eruditè prosequitur Thomas VValdensis *lib.4. Doctrinalis Fidei antiquæ, c.3. & 4.* & Gregorius de Valentia *tom.3. disp.10. quæst.5. punct.4.* S. etiam Bonaventura *pluribus in locis Opusc. suorum*; ut in *cap.6. Reg. in opusc. de Paupertate Christi contra Magistr. Guilielmum, pag. mihi 415. & 422.* & in *Apolog. Pauperum, pag.455. & 460.*

Tanta igitur paupertas sic definitur à Cor- 10
duba *in cap.6. Reg. quæst.1. & alijs*: Paupertas Evangelica, eáque altissima, ad quam, ex vi Regulæ, nos Fratres Minores obligamur, est Virtus heroica, quapropter Deum renuntiat viator, & à se abdicat omne jus civile, seu politicum, & omne dominium politicum, semper vivens de non suo civiliter, & politicè, tam in communi, quàm in particulari. Concordant omnes Regulæ Expositores: Politius noster *in cap.6. num.2. & seqq.* sed & Seraphicus Doctor,

ctor, ante istos, *loc. cit.* inquiens: (*in Apologia Pauperum, respons.* 3. Cùm autem circa bonorum temporalium possessionem duo considerare contingat, dominium scilicet, & usum; sitque usus necessariò annexus vitæ præsenti, Evangelicæ paupertatis est, possessiones terrenas, quantùm ad dominium, & proprietatem, derelinquere; usum verò non omninò rejicere, sed arctare, juxta illud, quod dicit Apostolus: (1. *ad Timoth. cap.* 6.) *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Ex his potest colligi paupertatis Evangelicæ ratio; scilicet, quòd illa sit Virtus temporalium abdicativa bonorum, qua quis nil proprium habens, sustentatur de non suo. Et quoniam dupliciter contingit rerum temporalium abdicare dominium, dupliciter etiam sustentari de non suo; ideo paupertatis Evangelicæ duplex est modus, duplexque perfectio: cùm enim duplex sit rerum dominium, scilicet privatum, & commune; unum quidem spectans ad terminatam personam, alterum verò ad determinatum Collegium; & primum abdicari possit, retento secundo, possit etiam secundum abdicari cum primo; duplex erit, secundùm hunc duplicem modum, paupertatis perfecta professio: una videlicet, qua quis temporalium omnium privato, seu personali abdicato dominio, sustentatur de non suo, idest non sibi proprio, communi tamen jure cum alijs participato, & simul possesso: Alia verò, qua quis, omnium rerum abdicato dominio, tam in proprio, seu privato, vel personali, quàm in communi, sustentatur de non suo, id est non sibi proprio, sed alieno; piè tamen, & justè ab alio sibi pro sustentatione collato. Primæ Paupertatis forma præcessit in turba credentium, de qua *in Act. Apostol. cap.* 4. dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* Secundæ autem Paupertatis exemplar, & forma, in vita præcessit Apostolorum: Hæc S. Bonaventura. Quæ tamen intellecta volo, juxta secundam, & tertiam considerationem supra allatas de Christo, & Apostolis ejus: ita ut primæ paupertatis formam, expropriationis scilicet in particulari, non in communi præcessisse intelligas etiam in Apostolis ipsis, quatenùs ipsi quoque cum turba credentium constituebant integram Ecclesiam; ipsi autem bonorum, quæ, seu quorum pretia ad pedes eorum ponebantur à Fidelibus accedentibus, erant administratores tantùm, seu dispensatores, (prout ipse S. Doctor, cum D. Hieronymo *ad Demetriadem*, ait, *ibi, art.* 2. *post med. pag. mihi* 460. *col.* 2.) tametsi hanc etiam rerum de communi jure Fidelium existentium administrationem malnerint deinde alijs committere, ad hoc specialiter electis, & deputatis; ut distractionem ministrandi refugerent; prout habetur *in Act. cap.* 3. Secundæ verò Paupertatis formam præcessisse intelligas in Apostolis, quatenùs se ipsis tantùm constituebant Collegium singulare Apostolorum, quod sub Petro Principe, & Christi Vicario Caput erat Ecclesiæ, seu turbæ Credentium; ut dictum est; & vult sibi Seraphicus Doctor *ibidem*, quem vide exquisitè hac de re disserentem *toto illo tract.*

11 Hujusmodi igitur Paupertas dicitur Virtus, & quidem heroica; quia consulitur in Evangelio, tanquam conducens ad Charitatis perfectionem acquirendam, & pertinet ad votum paupertatis Religionis. Consulitur, inquam, in Evangelio Matth. *cap.* 19. dicente Domino: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Quem locum tractans D. Hieronymus *ad demetriadem*, *Epist.* 8. *post med.* apud Seraphicum *cit.* ait: Apostolici fastigij est, perfectæque virtutis, omnia vendere, & pauperibus distribuere, & sic levem, atque expeditum cum Christo ad cœlestia subvolare. Unde non est necesse, quòd sicut Christus, & Apostoli, ut potè qui omnium in se virtutum, omnisque status perfectionis exemplar credentibus præferebant; aut sicut illa primitiva Ecclesia, & multitudo credentium, quæ adhuc pusillus Christi grex appellabatur, prosecuti sunt; ita in præsens, cùm longè, latèque à Solis ortu, usque ad occasum, ab Aquilone ad Austrum per totum orbem jam dilatata est Ecclesia, ad paupertatem hujusmodi ipsamet Ecclesia in omnibus, sed neque in summo ipso Pontifice Christi Vicario, neque in Apostolico Collegio Cardinalium, aut in alijs Prælatis reducatur; (ut ait S. Doctor) sed qui volunt, possunt laudabiliter, & meritoriè Apostolorum, sed & ipsius Christi imitari perfectionem, & paupertatis arctitudinem, sive in particulari tantùm, sive etiam in communi: cum ut dictum est, Virtus heroica ea sit, idest concilij, & supererogationis, non præcepti aut necessitatis; quam Christus scilicet, ut ait S. Doctor, & in se quidem servavit, & Apostolis suis servandam instituit, non tamen omnibus præcepit, sed ijs duntaxat, qui Apostolorum cupiunt imitari vestigia, consulendo suasit. Ac per hoc obstruuntur satis ora impiorum Hæreticorum, cùm paupertatem, & expropriationem omnimodam condemnantium, ut Vigilantij, & assclarum; tùm etiam calumniantium Ecclesiam in possessione facultatum, & redituum; quales Manichæi fuère. Quid, quòd etiamnum habet in communi Ecclesia, bona, vel reditus à Fidelibus Deo oblatos in pretium peccatorum, & ad ipsius Ecclesiæ pedes quasi collatos; quæ Beneficia Ecclesiastica hodie nuncupantur; quorum

quotum dispensator, & Ministrator supremus est Romanus Pontifex summus, deinde Episcopi, auctoritate ab illo accepta, & dependente, ad communem sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & ad pauperum relevandas miserias, ad exemplum Christi, qui ad hunc ipsum finem & loculos habuisse scribitur, & oblata à fidelibus conservasse. Atque hæc communitas, licèt sit hodie (latè quippe diffusâ Ecclesiâ) in omnibus Ecclesijs collegiatis particularibus, sive sæcularibus, sive Regularibus habentibus possessiones, vel reditus, seu Beneficia, ex ijs tamen omnibus vnica adhuc tantùm Ecclesia universalis, & Catholica constituitur sub vnico supremo Capite, summóque moderatore Pontifice Romano communitet recta, & subjecta. Et huic communitati renuntiare, non est perfectioni necessarium, (tametsi nec contrarium, quinimmò valdè conducens ad ejus cumulum) quia teneri potest, salva perfectione, sicut apparet in tot Prælatis, & Religiosis perfectis, & sanctis; quia talis possidendi communitas manet ex jure divinitùs ordinato, ut de Altari vivat, qui Altari servit; & illis sint omnia communia, quibus cor unum, & anima una, unus Pater spiritualis, & una norma vivendi; ut benè loquitur S. Bonaventura *in cit. Apolog. Pauperum, resp.4. prima part. art.2. pag. mihi 475.*

42 Verum quidem est, quòd olim ex oblationibus fidelium hujusmodi, & bonis Ecclesiæ relictis singuli Episcopi in suis Episcopatibus consueverunt partem impendere in ipsius Ecclesiæ ædificationem, cultum, & conservationem; partem in alendos Ministros ipsius Ecclesiæ necessarios, in communitate viventes; partem in sui, familiæque suæ sustentationem; & partem in pauperes, alióſque usus pios: sed processu temporis, refrigescente charitate, separata est à Sylvestro Papa, ut habetur *cap.4. suorum Decret.* portio canonica, quæ tribuebatur Ministris, in communi viventibus, & instituta sunt Beneficia singularia, ut sunt Clericatus, Capellaniæ, Canonicatus, & hujusmodi; vel quia non possent Clerici ita pacificè vivere communiter, vel quòd plerique majores commoditates expeterent, vel quòd nollent se statui Ecclesiastico sub tanta disciplina mancipare. Sic ergo paulatim instituta sunt beneficia, & præbendæ, ex quibus seorsim, jure perpetuo, ac legitimo sibi à Romano Pontifice, vel ab Episcopo collato, posset quisque pro suo arbitrio, & magis copiosè vivere. Quod ferè totum tradit Filliucius *tom.3. de statu Ecclesiastico, tract.41. cap.1. num.2.* & pluribus prosequitur Azorius *tom.2. instit. moral. lib.3. cap.1. q.1. & lib.6. quæst.1.* Leonardus Lessius *de just. & jure lib.2. cap.4. dub 6.* Toletus *lib.5. cap.76.* & alij. Et S. Bonaventura *in cit. Apolog. pauperum, respons.3. part.2. art.1.* totus est, contra quendam Doctorem Gyraldum Parisiensem, pauperum calumniatorem, in probando, & monstrando, affluentiam Ecclesiasticarum possessionum, & facultatum, in communi, ut præfertur, ab Ecclesia possessarum, perfectioni paupertatis Ecclesiasticę, aut Ministrorum ejus non esse contrariam; posséque Ecclesiastica prædia sine detrimento perfectionis haberi; si hi, qui ea habent, sciant, (ut ait D. Prosper, *in lib. de vita contemplat.*) nil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota Fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: unde non eas tanquam proprias sibi vendicant in vsus suos, sed ut commendatas, pauperibus erogant: atque hoc est, possidendo contemnere; non sibi, sed alijs possidere, & nec cupiditate habendi Ecclesiæ facultates ambire, sed pietate subveniendi eas suscipere, & quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habere commune; nec aliquid inde eis, qui sibi sufficiunt, de suo erogare; cum nil aliud sit habentibus dare, quàm perdere. Hæc S. Bonaventura cum D. Prospero *cit.* possessiones utique & facultates Ecclesiæ, quantumlibet affluentes, commendans, ut licitas, ut expedientes, ut perfectioni compossibiles, in ijs tamen, qui communiter possident, & in ijs, qui sanctè dispensant; & viam secutus Sanctorum Doctorum, & Canonum confutantium perversos hæreticos, qui Ecclesiam Dei, propter possessiones acceptas, à statu justitiæ, & perfectionis asserunt esse collapsam. Videatur ille. Hæcque hic tacta sint ad ostendendum quòd etiamnum integri vigent in Ecclesia Dei omnes modi Evangelicæ perfectionis, quoad paupertatem sequendam, quos verbis, exemplisque præmonstrârunt Christus Dominus, & Apostoli ejus in ipsa Ecclesia fundanda, secundùm diversos status considerati, ut suprà.

Dicitur secundò, in allata Minoricæ paupertatis definitione: *Quâ, propter Deum, renunciat viator, & à se abdicat omne jus civile, & omne dominium politicum:* quòd idem est: quia ad hanc paupertatis Evangelicæ, ejúsque heroicæ & altissimæ normam pertinent abdicationes quinque actuum politicorum, ita ut hujusmodi abdicationes sint de intrinseca ratione, & quidditate, seu essentia prædictæ paupertatis, & in abdicationibus ipsis ea essentialiter sita sit; ut apertissimè colligitur ex verbis Seraphici Doctoris in confirmationem traditæ diffinitionis, *suprà* allatis. Hósque actus omnes, omnéque juris civilis suffragium, atque adeò omnem omninò actionem, quæ ex jure civili, sive juncto naturali, sive non, ortum habet; (de quibus latè Jason, Gomesius, & alij communiter Iurisconsulti *super tit. de Actionibus*) non autem quæ ex naturali jure tantùm: ut latiùs *infrà art.3. §.1. num.16. & seqq.* abdicari intellige 43

intellige per Minoricam paupertatem tam in communi, quàm in particulari, circa res temporales, & corporales. Dixi, *Corporales*; ne fortè putes per abdicationem omnis proprietatis etiam abdicari jura aliqua spiritualia, putà jus ad electiones, dignitates, antianitatis præcedentiam, (juxta Ecclesiasticam Hierarchiam) participationem Sacramentorum, & hujusmodi, ad quæ non obstante paupertatis hujusmodi voto, Religionis tùm in particulari, tùm in communi jus semper integrum manet, sicut etiam ad alia bona spiritualia, partus intellectus: ut dicam *infra art. 2. §. 7. num.* 10. Sicut & Nobilitas, quæ per professionem in quacunque Religione minimè perditur; quippe quæ est quoddam sanguinis jus, & subinde naturale: ut benè Sanchez *lib. 7. in Decal. cap.* 12. *num.* 13. cum Romano, & sacra Rota ita decidente. Quod tamen intellige de nobilitate naturali, hoc est sanguinis, quæ est de jure naturali tantùm; *argum. l. jus agnationis: ff. de pactis*; quam in hoc citat Ludovicus Romanus *singul.* 37. & alij, teste Navarro *tom. mihi* 1. *in Propugnaculo Apolog. lib. de redditibus Eccles. num.* 7. & in *eod. libro, seu tract. quæst.* 3. *monito* 21. *num.* 2. Non autem de Nobilitate politica, quæ vtique per Religionis professionem amittitur, juxta Gloss. *vulgat. cap.* 1. *de purgat. canonica: & cap. ea, quæ: de statu Monach. & capit. Scripsit*: 27. *quæst.* 1. apud Navarr. *cit.* Ubi tamen appositissimè advertendum est aureum illud monitum Hostiensis *in cap. venerabilis: de præbendis*: quod etiam refricat *in cap. sua: de Consanguinit. & affinitate, colum.* 2. Nobilitatem scilicet stercus esse, (præsertim in Religiosis) nisi habeat virtutis concomitantiam: Et eum qui superbit de nobilitate, aut nobiliori sanguine, de nobiliori stercore intumescere. Id quod etiam de scientia dici potest: nam nobilitas, & scientia æquiparantur, quoad promovendos; ut tradit Barbatius *in cap. postulasti: de rescriptis, col.* 2. & *in cap. accedens: 2. ut lite non contestata, non procedatur.* Hucque etiam spectat id, quod habetur *in l. scire: §. cùm reliquis: ff. de Tutoribus; & Curatoribus dandis ab his, qui*: Mores scilicet bonos potiùs, & priùs esse attendendos, quàm divitias, & dignitates, quæ non sunt ita sufficientes. Unde & Lyricus ille Poëta canebat: *Nobiltà soda, e vera stà sol, doù è Virtù, e Buontà sincera.*

14 Porrò hi quinque actus politici, seu civiles sunt dominium, Possessio, Proprietas, Ususfructus, & Usus juris politici. Dominiúmque est jus habendi, possidendi, vtendi, commutandi, donandi, distrahendi prout domino rei placuerit, secundùm modos à jure non improbatos. Possessio est temporalis rei retentio, cum animo tamen & intentione possidendi, ut alibi insinuatum est, & tradit S. Doctor ex juribus *in cit. Apolog. pauperam, quarta respons. partic.* 2. *ad fin. pag. mihi* 477. additque Possessio supra dominium, quòd non impediatur ab altero. Proprietas propriè idem est, quod dominium, unde, & sumitur pro effectu justi dominij; ut tradit. Sylvester *in Sum. V. Proprietas, & V. Religio* 6. *§. septimo quæritur*: cum Panormitano *in cap.* 1. *de causa possess.* Hostiense, & alijs. Addit tamen proprietas supra dominium, & possessionem, quod rei dominus secum parem non habeat in possidendo. Ususfructus est jus vtendi, & fruendi rebus alienis, salvâ ipsarum rerum substantia. Usus juris, seu jus utendi, est facultas, seu jus rebus alienis utendi tantùm: & in hoc differt ab usufructu, quòd usufructuarius pro se, & pro alijs fructus accipere potest, vendendo, donando, illósque distrahendo, at verò usuarius non nisi pro se solo potest fructus accipere. Horum tres primi actus ad rem ipsam spectant; alij autem duo ad usum rei; ut patet. Hisce tamen quinque actibus politicis posset quis velle addere sextum, videlicet Ius civile, seu politicum. Verùm, quia tale jus politicum est generale ad omnes illos quinque actus recensitos, spectatque tam ad rem, quàm ad usum rei; ideò neque à Corduba, neque à Politio nostro *cit.* additur: immò Corduba; Non ponatur, inquit, si placet, inter illos quinque actus speciales; cum potiùs ideò positum sit pro genere in prædicta definitione.

In abdicatione ergo plenissima, cùm in com- 15
muni, tùm in particulari prædictorum omnium quinque actuum, & cujuscunque juris politici stat essentia Evangelicæ, ejúsque altissimæ paupertatis Fratrum Minorum (ipsorum puritate Regulæ considerata) tam quoad rem, quàm quoad usum rei; solúmque retinet, & includit simplicem usum facti, veluti necessariò annexum (ut ait S. Bonaventura *cit.*) vitæ præsenti; quem tamen adhuc in aliquibus arctat, in cæteris moderatum relinquit; ut *infrà* ostendam, §. *sequenti.*

Dicitur: *Semper vivens de non suo politicè.* 16
Ex quo mendicitatem hujusmodi paupertati esse annexam perhibetur; ut scilicet de eleemosynis vivat, sive emendicatis, sive spontè oblatis, sive etiam per laboritium tùm corporale, tùm spirituale, citra vllum tamen contractum, humiliter comparatis, & receptis, aut aliàs à quopiam debitis, secluso debito, & obligatione civili erga Fratres: quo modo ea, quæ à Fratribus hujusmodi paupertatis professoribus recipiuntur, & ex quibus vivitur ab ijsdem dicuntur semper titulo eleemosynæ eis provenire, & tanquam dono; cum non sint eis civiliter debita, aut acquisita, sed ex pietate, & misericordia dantium provenientia, atque adeò ex tacita mendicatione: est enim mendicare, ad misericordiam hominum vivere; ut notat

S.Bona

S. Bonaventura *in cap. 6. Reg.* ex D. August. *in illud Psalmi: Nutantes transferantur filij eius, & mendicent*, &c.

17 Corduba hic ait: & ex consequenti (scilicet ex abdicatione prædicta) abdicat à se reditus, & immobilia omnia, quoad jus omne, semper vivens de non suo politicè; & per consequens habet annexam mendicitatem, ut de eleemosynis talis pauper Evangelicus, ut talis, vivat. Ex quibus verbis patet, abdicari per hujusmodi paupertatis votum, reditus omnes propriè dictos; de quibus *infrà*. Ipse tamen addiderim, abdicari omnia immobilia, præter expressè concessa per Nicolaum III. *in eo cap. Exiit:* etiam quoad usum simplicem facti: & ita necessariò addendum censeo; ut ex dicendis §. *seq.* constabit, & ex hactenùs dictis patet.

18 Hic etiam nota, quòd tùm à Corduba, tùm à Politio, & alijs communiter dicitur, hujusmodi paupertatis professionem habere annexam *mendicitatem*; non autem inquiunt *Mendicationem*. Potest enim pauper Evangelicus hujusmodi, salvo suo statu, & professione, sive ut talis, vivere absque eo, quòd actu unquam, aut quicquam mendicet, benè tamen in habitu; de Eleemosynis nempe spontè oblatis, vel Missis à Fidelibus, ut *suprà*, vel alio modo de non civiliter acquisitis, atque adeò semper de non suo politicè. Mendicitas siquidem dicit habitum, Mendicatio verò actum. Ad statum autem hujusmodi integrum servandum sufficit habitus, nec requiritur necessariò actus: nam mendicandi actus non est ille, qui formaliter constituat Mendicantes in statu, & professione Mendicantium; sed hoc præstat votum paupertatis, adeóque Mendicitatis præfatæ, quo prohibentur habere proprium, unde eis victus proveniat, tùm in particulari, tùm in communi; ita ut vivant semper de non suo politicè, hoc est de sibi proveniente citra omnem obligationem, aut titulum civilem sibi acquisitum; ut benè ponderavit Calderinus *in tit. de Regularibus, cons. 22.* quem refert, sequiturque Felinus *in cap. in præsentia: de probationibus, col. 407. num. 52. circa fin.* Unde nec Calderino ipsi, nec Felino, neque mihi placet theorica Archidiaconi *in cap. quorundam: de electione, in 6.* quòd videlicet signum cognoscendi Mendicantes sit, quòd vadant mendicando ostiatim. Mendicatio enim, seu actus mendicandi non necessariò, sed per accidens consequitur ad statum paupertatis, seu mendicitatis; in eo scilicet casu, quo desint spontè oblata, vel etiam præstita, ex quacúnque obligatione, citra civilem. Quinimmò dixerim, theoricam illam *Archidiaconi* potiùs esse ad cognoscendos homines laicos mendicantes, quàm Religiosos mendicantes; ut benè interpretatur Calderinus *cit.* cui consentit idem Felinus *ibid.* Quamvis quandóque aliqui etiam Religiosi, bona cæteroqui immobilia possidentes, & annuos reditus habentes, ut privilegijs Mendicantium, qui tales in rigore sunt, se gaudere ostendant, ostiatim mendicatum ire consueverint.

Dicitur tandem: *Tàm in communi, quàm in particulari*; ut scilicet sit (inquit Corduba *cit.*) in supremo gradu hujus Evangelicæ paupertatis possibili in hac vita. Sunt enim (subdit ille) gradus in tali paupertate Evangelica; altior autem gradus renuntiationis prædictæ est in communi, & in particulari, quàm in particulari tantùm. Et patet ex dictis in argumento facto. Neque altior in hac vita possibilis est; (ut ait Nicolaus III. *in cap. Exiit. §. Porrò:*) nam, cum in rebus temporalibus sit considerare præcipuè proprietatem, possessionem, usumfructum, jus utendi, & simplicem facti usum; & ultimo, tanquam necessario, egeat, licet primis carere possit vita mortalium; nulla prorsùs potest esse professio, quæ à se usum necessariæ sustentationis excludat: etsi aliqua Mendicationem excludit, neque tamen verè, & in rigore ità mendica est; ut paupertas Minorica cùm non excludat Mutuum, meum, & tuum. 19

Hic autem simplex facti usus, idemque licitus, optimè distingui, separari, & separatus esse potest ab omni proprietate, & dominio; omnique civili jure in rebus, quæ etiam in ipso usu consumuntur; ut benè sustinet Politius noster *in cap. 6. Reg. num. 4. 5. 6. 7. & 8.* cum Nicolao III. Clemente V. in Generali Concilio Viennensi, *Clement. Exivi:* Card. Zabarella *in d. Clement.* & Bardo *in authent. Ingressi: de sacros. Ecclesijs*; contra Joannem XXII. *in sua Extravag. Cum ad Conditorem Canonum:* cujus tamen sententia, & repudiatio dominij, proprietatisque omnium rerum, usu præsertim consumptibilium, ad Fratrum Minorum usum concessarum, seu donatarum, à plerisque summis Pontificibus successoribus ejus, nempè à Martino IV. & Martino V. ab Alexandro VI. Eugenio IV. Calixto III. & Sixto IV. abrogata fuit; dum ad se ipsos, & ad Apostolicam sedem jus, dominium, & proprietatem hujusmodi reassumpserunt. Sed hac de re, déque Joan. XXII. deceptione, & paralugismo *in d. Extravag.* erit sermo in §. *seq.* ex professo. Interim videatur Politius *cit.* 20

Quòd porrò Fratres Minores teneantur ex vi Regulæ, adeóque ex Voto solemni ad hujusmodi paupertatem, atque omnimodam expropriationem tam in communi, quàm in particulari, constat ex illis verbis Regulæ *cap. 6. Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem:* Cùm enim dicat Seraphicus Pater in plurali numero: *Fratres nihil sibi approprient:* clarùm est, quòd præceptum istud non ad Fratres singulos, seorsim, & in parti- 21

culari

cularì acceptos, sed ad omnes simul, collectim, & in communi dirigit. Et præterea, dum subdit: *Nec domum, nec locum*; quæ singulorum in particulari nec sunt, nec possunt esse propria, clarè sensum suum ostendit, quòd talem expropriationem Fratrum Communitati præcipit, siquidem alio modo nec domus, nec locus possunt esse Fratrum propria, quàm in communi. Quinimmò suum istum sensum fuisse, pluries expressit Seraphicus ipse Pater, dum adhuc vivens (ut habetur ex *Chron. in vita ipsius* acriter arguisse legitur Fratres, quos audiebat locum aliquem, vel Conventum appellare nostrum, seu Religionis. Et præterea ita declaratum fuit per Nicolaum III. *in cap. Exijt.* Clementem V. *in Clement. Exivi*: perquealius etiam Pontifices horum prædecessores, scilicet per Innocentium, IV. Gregorium IX. & Gregorium X. estque communis sensus Doctorum, & Scribentium, præcipuè Expositorum Regulæ, ab initio Ordinis usque ad præsens, quos supervacaneum est recensere. Quid, quòd est communis sensus, & opinio firma apud omnes Fideles?

§. XIV.

Simplicis facti usus Fratribus Minoribus tàm in communi, quàm in particulari, ut præfertur, ex sua ipsorum Professione relictus comprobatur ex D. Bonaventura; duplexque ille esse ostenditur, & ostenduntur tres modi, quibus licet Fratribus comparare sibi, secundùm Regulam, necessaria ad usum.

SUMMARIUM.

1 *Usus facti rerum tùm mobilium, tùm immobilium Fratribus Minoribus competens, qualis sit? declaratur.*
2 *Usus rerum duplex est, alius arctus, alius moderatus uterque declaratur, & qualiter paupertati Minoricæ conveniat*, & n. 3.
3 *Paupertatis altissimæ characterismus, paucitas, vilitas, & asperitas rerum ad sustentationem vitæ necessariarum.*
4 *Usus moderatus rerum non potest dici superfluus, vel curiosus, nec ideo Regulæ Minorum contrarius.*
5 *Usus pauper & arctus quoad omnia an includatur voto paupertatis Minoricæ? Resolvitur*, n. 6. & 7.
6 *Paupertatis minoricæ essentia in quo consistat, & quid illi conveniat ut proprium quarto modo.*
8 *Fratres Minores in quibusdam ad usum arctum, in cæteris ad moderatum ex vi suæ Regulæ tenentur. Quid sit superfluitas, quid pretiositas, quid curiositas, in hac materia paupertatis Minoricæ.*
9 *Fratres Minores triplici modo rebus temporalibus uti possunt ad vitæ sustentationem, & officiorum sui Ordinis executionem*, & n. 10. cum al. seqq.
10 *Necessitas extrema omni lege soluta est.*
11 *Fratribus Minoribus vel donis, vel eleemosynis à Fidelibus oblatis subvenitur.*
12 *Fratres Minores ostiatim mendicantes necessaria ad vitam sibi comparant.*
Beatius est dare quàm accipere; & è contra in Religiosis mendicantibus ad vitæ sustentationem, ibid.
13 *Fratres Minores ex suo laboritio sibi subvenire possunt.*
14 *Fratribus Minoribus triplex habendi modus assignatus, non modò alternativè, sed etiam conjunctivè intelligitur.*
Disjunctiva, Vel, *interdum pro copulativa*, Et, *accipitur in Iure*, ibid.
15 *Fratres Minores vel ex donis spontè oblatis, vel ex eleemosynis mendicatis, vel ex suo labore vitam tolerare possunt conjunctim, aut disjunctim*, & n. 16.
16 *Præceptum affirmativum non obligat ad semper, & pro semper.*
17 *Mendicitatis professio non violatur ex receptione rerum spontè oblatarum.*
Mendicitas, est certum patrimonium Clericale Fratrum Minorum ad sacros Ordines suscipiendos, ibid.
18 *Fratres Minores ex suo laboritio totaliter vivere possunt, salva Regulæ suæ puritate. Et similiter de duobus aliis modis seorsim sumptis*, n. 19. & 20.

Tanta igitur Paupertas, & expropriatio in eo sui professores statu, & conditione constituit, tam in communi, quàm in particulari, ut simplicem tantummodò, nudúmque facti usum eis relinquat rerum necessariarum, tam ad vitæ sustentationem, quàm ad officiorum Ordinis executionem, sive usu consumptibiles eæ sint, sive non. Ei siquidem Professioni, quæ (ut loquitur) S. Bonaventura *in Apolog. Paup. quarta respons. 2. partic. art. 1. pag. mihi 477. col. 1. tom. 1. Opusc.*) spontè devovit Christum, in extrema paupertate sectari, condecens fuit universaliter (hoc est in commúni) rerum abdicare dominium, arctóque rerum alienarum, & sibi concessarum usu esse contentam: unde & in ipsorum Regula continetur, *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Porrò ne quis fortè proprietatem interdictam his verbis credat, non Collegio, sed privatis personis, audiat, quid super hoc Gregorius IX. Fratrum consultationi respondet. *Dicimus* (inquit) *quòd nec in communi,* 1

nec

nec in speciali debent proprietatem habere; sed utensilium, & librorum, & eorum, quæ licet habere, Ordo usum habeat; & Fratres secundùm quod Generalis, vel Provinciales ministri disponendo duxerint, his utantur. Nec debent vendi mobilia, vel extra Ordinem commutari, aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis Gubernator Generalis, vel Provincialibus ministris auctoritatem super hoc præbuerit, vel assensum. Hæc verba (inquit S. Doctor) rescripti Papalis, in quibus sapiens & pius Antistes proprietatem separavit ab usu, illam sibi, vel Ecclesiæ retinens, hunc autem Fratrum necessitati concedens, Sanctè quidem, sapientet, & piè. Si enim temporalia bona (scilicet Ecclesiastica Beneficia) pro alijs providere, ac dispensare, ubi etiam temporale recipitur emolumentum, atque solatium, (quoad propriam, propriæque familiæ sustentationem condecentem) nihil de ratione perfectionis in Prælatis diminuit, sicut ex tertia responsione clarescit: quantò magis cùm solum præsidium impenditur, & nullum temporale commodum expectatur, ipsius summi Pontificis salvatur perfectio, & ei accrescit meritum ante Deum? Hæc S. Bonaventura. Sanè autem, (ut loquar etiam cum Soto *lib. 4. de iust. & iure q. 1. art. 1.* & Politio nostro *cit. n. 7.*) si impugnatores hujusmodi Paupertatis, & omnimodæ expropriationis fatentur, posse Monachos habere proprium in communi, licèt nemo illorum habeat in particulari: unde particularis Monachus vesci omnibus potest, quamvis non sit particularis eorum Dominus: Quare ergò non poterit totus Conventus, & totus Ordo eisdem uti rebus, tametsi omni careat dominio, & iure, utpotè quod à Pontifice summo Apostolicæ sedi acceptatum, & acquisitum? Manet igitur Fratribus minoribus ex Regula simplex, nudusque facti usus rerum, tàm in communi, quàm in particulari; quod peculiare utique ipsorum est, nulli alteri Ordini, Congregationi, aut Societati conveniens.

2 Hujusmodi tamen usus non eodem modo in omnibus rebus habendus, & servandus esse perhibetur. Alius est enim usus arctus, tenuis, & exilis; alius moderatus. Qui duo usus, propriè de eis loquendo, valde differunt inter se; tametsi quandoque ne dicam persæpè, à Doctoribus confundantur; ut optimè notavit noster à Politio *cit. n. 83.* In aliquibus igitur rebus servandus est à Fratribus minoribus, ex vi suæ ipsorum Professionis, usus arctus, tenuis exilis, ærumnosus; & penuriosus, qui (ut ait *Politius cit.*) pro quadam speciali accipitur parcitate in excellenti, & notabili gradu pauperis usus, secundùm statum ipsius utentis. Et de hoc Glossa quædam apud Seraphicum Doctorem *in d. Apolog. Pauperum, Tertia respons. 1. partic. art. 1.* ad illa verba *Matth. cap. 10. Nolite possidere aurum, neque argentum:* quibus, ut ait S. Doctor, Dominus Apostolis, & Prædicatoribus veritatis, extremæ huiusmodi etiam quoad usum, ac penuriosæ paupertatis formam servandam imponit, quantum ad carentiam non solùm possessionum, sed etiam pecuniarum & aliorum mobilium, quibus sustentari, uel communiri solet communis hominum vita; ut tanquam veri pauperes in summa rerum constituti penuria, carerent pecunijs, alimenta non ferrent, simplici vestitu contenti essent, & sine calceamentis incederent, ut sic paupertatem altissimam actu, & habitu, quasi quoddam perfectionis insigne, præferrent: De hoc inquam, arcto, & penurioso usu ait Glossa illa: Propemodum necessaria vitæ amputat, ne vel curent de crastino, qui docent omnia regi à Deo, nec ipsa necessaria, nec cellarium secum vehant; nihil, præter vestimentum, nec etiam numisma.

In aliquibus, inquam, rebus servandus est à Fratribus minoribus, ex vi voti tantæ Paupertatis iste usus; quo nimirum non solùm excluditur superfluitas, & curiositas, sed tenuitas necessariò includitur, arctitudo, ærumna, atque penuria. In reliquis verò licet moderatus, citra ullam promissæ Paupertatis prævaricationem: hicque secundùm *Politium cit.* accipitur pro usu rerum temperato virtute Temperantiæ, attentis debitis circumstantiis personæ, status, temporis, & hujusmodi. Et primi quidem generis sunt ea tantùm, quæ in ipsa Regula particulariter exprimuntur, & cò modo præcisè, quo ibi præscribuntur & limitantur; ut patet ad litteram ex *Clem. exivi: §. ex præmissis:* ubi Clemens ille V. ita loquitur: *Volentes itaque conscientiarum Fratrum providere quieti; & altercationibus finem dare declarando dicimus; quod Fratres Minores ex professione sua Regula specialiter obligantur ad arctos usus, seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur; & eo obligationis modo, sub quo continet, seu ponit Regula dictos usus.* Signanter igitur sunt habitus asperitas, & vilitas (quæ secundum consuetudinem, vel conditionem regionis, vel patriæ reputatur; ut ait Clemens V. *ibid. §. Præterea cùm dicatur:*) Vestimentorum paucitas; pedum terræ, aërisque iniurijs, vel hybetna tempestate, exposita nuditas; interdicta equitandi potestas; victus mendicum suffragium, & ad certa adstrictum ieiunia; acquirendi, sed & expendendi, quoad simplicem usum, pecunias, vel denarios sublata possibilitas: & si quæ alia sunt hujusmodi in Regula, quoad usum, certis finibus circumscripta. Secundi verò generis sunt cætera omnia, de quibus nulla fit in ipsa Regula mentio, vel diffinitio; ut satis claret ex declaratione Nicolai 3

colai III. *in d. cap. Exijt: §. Nec quicquam*: aientis: secundùm Regulam, & omnimodam veritatem, moderatus usus rerum ad eorum sustentationem, & officiorum sui status executionem (præterquam de pecunia) concessus est Fratribus. Ita tamen, ut hujusmodi usus moderetur semper ad promissæ paupertatis amussim, non ad divitum, & abundantium in sæculo normam, quibus aliquarum rerum usus, secundùm eorum statum, moderatus adindicabitur, qui non æquè censebitur talis Fratribus minoribus, conditione, & statu ipsorum consideratis. Ita igitur in usu etiam moderato rerum concesso coaptare se debent, ut omnia, quæ in ipsorum usum sunt, hanc prædicent paupertatem; ut ait S. Bonauentura. *in cap. 6. Reg.* & patet ex Declaratione Clementis V. *eo §. licet verò*: non solùm quantùm ad ædificia pro habitatione ipsorum, verùm etiam quantùm ad ipsa paramenta, & vasa Ecclesiastica ad honorem diuini Numinis ordinata. Atque hoc paucis complectitur idem S. Doctor *ibid.* in resolutione dubij, quod excitat: An scilicèt Fratres minores possint habere usum quarumcunque, & quantarumcumque rerum; hisce verbis respondeas: Respondeo, quòd cum Fratres sint professores altissimæ paupertatis, oportet, quòd omnia, quæ in eorum usum veniunt, habeant, ut est possibile, parvitatem, vilitatem, & asperitatem, quæ tria paupertatem altissimam naturaliter consequuntur: Et post pauca concludit. Hoc ergò competit viris pauperibus habere magnas areas, vel sumptuosa ædificia, aut quæcunque similia, non vasa ornata, non cellaria vinaria, non promptuaria instaurata; sed ut omnia, quantùm patitur fragilitas, ad paupertatis strictissimam regulam reducantur Ita Seraphicus.

4 Sit igitur sensus, concedi Fratribus Minoribus usum istum moderatum ad Regulam, ut præfertur, altissimæ paupertatis, non tamen strictus, & penuriosus, sed decenter accommodus, exclusa semper superfluitate, pretiositate & curiositate, quæ secundùm ipsorum paupertatem iudicanda erit. Et ita declaratum fuisse de mandato Ministri Generalis, & Domini Papæ, necnoncum approbatione P. Ioan. de Capistrano, & aliorum multorum, testatur, & approbat S. Bernardinus Senensis *in sua Epistola ad suos subditos*, dum esset Vicarius Generalis Vltramontanus: vbi etiam monet, quòd superfluitates, seu curiositates non debent discerni, secundùm necessitatem arctam, & respectu usus arcti, quoad statum Fratrum Minorum, sed moderati, seu accommodi; (ut ait Politius *cit. n. 58.*) cùm usus moderatus non possit dici superfluus vel curiosus, & per consequens nec vitiosus; immò secundùm Regulam, & omnem veritatem omninò licitus; ut patet ex præallegato textu Nicolai III. Cum autem moderatio hujusmodi usus attendi debeat, secundùm qualitatem personarum, & varietatem temporum, & locorum conditiones, & alias recurrentes circumstantias; ut licitum est *suprà*, & docet *ibid.* S. Bernardinus; sequitur, quòd superfluitas, vel curiositas (ut ipse Sanctus ait) non possit facilè discerni: Quare per subditos non potest, nec debet iudicari, sed per Ministros, & custodes, vel per eos, quibus ab ipsis committitur, qui de talibus, secundùm suam conscientiam, debent discretè iudicare, & disponere; ut patet in Decretali Nicolai III. *cit. §. insuper nec utensilia: & §. licèt autem:* Plura apud Politium *cit. n. 88. 93. 94. & 95.* & apud Crousers, & alios Regulæ expositores *ad cap. 6.*

Non defuerunt tamen, qui dicerent, subtiliterque probarent quod limitatio usus sic, vel sic, ad alium scilicèt arctum, & exilem, alium autem moderatum, & accommodum, (ut dictum est) essentiam Evangelicæ paupertatis minoricæ non respiciat; quodque idcircò ex voto paupertatis prædictæ non teneantur Fratres minores ad tales usus sic limitatos, sed tantùm ex condecentia: neque enim (aiebant) usus pauper, & arctus sub voto includitur Evangelicæ paupertatis. Et hoc tam asseveranter affirmabant, ut ausi fuerint pronunciare, hæreticum esse dicere, quod includatur. E contra verò alij ad aliud extremum excedentes sustinebant, vsum pauperem, & arctum, quoad omnia includi sub votu prædicto; ita ut hæreticum dicerent tenere, quòd non includatur. 5

Verùm, quamquam primi benè ratiocinentur, cùm verè non includatur essentialiter talis usus sive arctus, siue moderatus, in voto prædictæ paupertatis; quippè qui ejus non ingreditur essentiam, quæ in tradita definitiune exprimitur, consistereque perhibetur in eo tantùm, quòd professor hujusmodi paupertatis omne penitus Dominium, proprietatem, civileque iùs à se, abrenunciando abdicet, vivens deinceps de non suo politicè. Inficias tamen; his non obstantibus, ire nequeunt, usum arctum in aliquibus, ut præfertur, per Regulam limitari, & præscribi; sed iam hoc ultrò concedunt moderatum verò, iuxta regulam paupertatis eiusdem includi in ipsamet Evangelica paupertate, non tanquam quid essentiale, sed tanquam accidens proprium (ut aiunt Logici) quarto modo; quod quidem extra rei essentiam esse conceditur; necessariò tamen illam comitatur, & sequitur, eique connectitur, à qua & fluit, secundùm naturæ cursum, & exigentiam; ut visibilitas in homine, albedo in cygno, nigredo in coruo, & hujusmo 6

hujuſmodi. Quare non vera cenſeretur paupertas, ubi uſus moderatus, iuxta ipſiuſmet amuſſim, non eſſet, ſed quotidiè affluens, & abundans, tametſi fines moderationis, ad quam vel divites hujus ſæculi tenentur, non excederet. Divitibus enim hujuſmodi, ſecundùm ipſorum ſtatum, & temperantiam Chriſtianam, non inconvenit decens in uſu rerum affluentia, gloria, ſeu apparentia, & conſolatio: quæ divitijs comparari poſſunt: quod nòn eſt dicere de profeſſoribus tantæ paupertatis, quanta eſt Minotica; quæ, in quantùm eſt contraria divitijs, & illis caret omninò, neceſſe eſt, ut, quantùm patitur humana fragilitas, in omnium rerum uſu, quarum non reſtringitur uſus vel arctatur in Regula, accommodatiùs quidem ſe habere poſſit, ita tamen, ut ab affluentia, gloria, ſeu apparentia, & conſolatione abſtineat; (ut docet S. Bonaventura *in cap. 6. Regul.*) ſeu ſuperfluitas, pretioſitas, & curioſitas; (ut ait Clemens V. *in Clement. Exivi: eo §. licèt verò:*) quæ in re ſunt eadem tria, quæ à Seraphico ipſo Doctore aliter appellantur; ut patet conſideranti.

7 Dicere verò, quòd hæreticum ſit, alterutram ex prædictis ſententijs tenere; provt earundem reſpectivè Auctores, & aſſeclæ ſibi invicem conviciabantur; tanquam præſumptuoſum, & temerarium adjudicavit Clem. V. *in Clem. Exivi: §. Dicere autem* hiſce verbis: *Dicere autem, ſicut aliqui aſſerere perhibentur, quòd hæreticum ſit tenere, uſum pauperem includi, vel non includi ſub voto Evangelicæ paupertatis; præſumptuoſum, & temerarium judicamus.*

8 Quapropter ſtatutum ſit, teneri Fratres Minores ex vi ſuæ ipſorum Regulæ, profeſſionis, & ſtatus ad uſus arctos in aliquibus; in cæteris ad moderatos, ſeu accommodos, ut dictum eſt; & declaratum habetur *in dicta Clemen. Exivi. §. Ex præmiſſis autem:* vbi & controverſia prædicta recenſetur, & à Pontifice dirimitur, hiſce verbis: *Ex præmiſſis autem* (ſcilicet ex conſideratione excludendæ ſuperfluitatis, pretioſitatis, & curioſitatis à rebus, quæ in Fratrum uſum veniunt, etiam pro divino cultu) *ſuccrevit non parum ſcrupuloſa quæſtio inter Fratres: videlicèt Vtrum ex ſua profeſſione Regulæ obligentur ad arctum, & tenuem ſive pauperem uſum rerum: Quibuſdam ex ipſis credentibus, & dicentibus, quòd ſicut quò ad dominium rerum, habent ex voto abdicationem arctiſſimam, ita ipſis, quò ad uſum, arctitudo maxima, & exilitas eſt indicta. Alijs in contrarium aſſerentibus, quod ex profeſſione ſua ad nullum uſum pauperem, qui non exprimatur in Regula, obligantur; licèt teneantur ad uſum moderatum temperantia, ſicut & magis ex condecenti, quàm cæteri Chriſtiani. Volentes itaque conſcientiarum prædictorum Fratrum providere quieti, & his altercationibus finem dare, declarando dicimus, quòd Fratres Minores ex profeſſione ſua Regulæ ſpecialiter obligantur ad arctos uſus, ſeu pauperes, qui in ipſorum Regula continentur, & eo obligationis modo, ſub quo continet ſeu ponit Regula dictos uſus.* Hæc Pontifex ille, relinquens in cæteris uſum moderatum, accommodum, & decentem, ſecundùm circumſtantias perſonarum, temporum locorum, &c. excluſis tamen ſemper ſuperfluitate, pretioſitate, & curioſitate; prout dixerat §. *præcedente*. Unde nec favet ſecundis aſſertoribus (ut videtur Gloſſæ *ibi*) nec contradicit primis in illa controverſia opinantibus, niſi in ſenſu explicato ad mentem Seraphici Doctoris, ſecundùm quem ſuperfluitas dicitur affluentia; pretioſitas appellatur gloria, ſeu apparentia; curioſitas conſolatio nuncupatur: nam curioſitas ad nil aliud deſervit, aut affectatur, quàm ad quandam animi ſatisfactionem, & conſolationem; quæ omnia non ita decent pauperes Evangelicos, ſicut diuites mundi, hi enim de ſuo, illi ad miſericordiam hominum, ut mendici, vivunt de alieno, & teguntur.

Porrò triplici via, ſeu modo provenire Fratribus Minoribus poſſunt (ſalva manente ſuæ ipſorum profeſſionis, Expropriationis, ſeu mendicitatis integritate) res neceſſariæ tàm ad vitæ ſuſtentationem, quàm ad officiorum ſui ordinis executionem: ut conſtat ex *d. cap. Exyi: §. Nec quidquam*: Unde per omnimodam hujuſmodi expropriationem, tàm in communi, quàm in particulari, nec tanquam homicidæ ſui, vel tentatores Dei vivendi diſcrimini ſe committunt; ut ait Nicolaus III. *in d. §. Nec quicquam*: & D. Thomas 2. 2. q. 186. *art. 3. ad. 2. & lib. 3. contra Gentiles cap. 131. & aliquot ſeqq.* minùs verò ſe exponunt periculo ſpirituali, incidendi ſcilicet in multa peccata propter cupiditatem aggregandi pecunias, & theſaurizandi in terris; cum ſic voverint, etiam in communi, voluntariè: affectus enim hujuſmodi dominatur faciliùs in ijs, qui vel involuntariè ſunt pauperes, vel divitias poſſident, & pecunias; (ut benè obſervat *D. Thomas cit.* & latè oſtendit D. Bonaventura *in Apolog. Pauperum pluribus in locis.*) in quibus plerumque, 9

Creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit:

vt ex Poëta ait idem Seraphicus Doctor *in cap. 6. Reg.* ubi etiam dicit: Fateor quidem,

quod census non est in culpa essentialiter, vel causaliter, & per se; sed occasionaliter; quia affluentia habita illicit animum possidentis. Unde D. Bernardus: Hæc est ratio non habendarum divitiarum præcipuè; quia sine amore vix, aut nunquam haberi possunt. Ex quo patet, quòd immò Fratres Minores tantò longiùs ab hoc periculo absunt, quantò à se longiùs pecuniarum abdicant proprietatem, (sed & usum, vel de facto simplici) non solum in particulari, sed etiam in communi; quod Minoricæ singulare insigne est paupertatis, nulli alteri proprium; ut patet ex alibi dictis *§. praecedente*.

10 *Sit igitur* Fratres Minores *divinæ se providentiæ in vivendo* sub arctitudine tantæ expropriationis *committunt*, (ut ait Nicolaus III. eo §. *Nec quicquam:*) *ut vium non contemnant provisionis humanæ: quin vel de ijs, quæ offeruntur liberaliter; vel de ijs quæ mendicantur humiliter; vel de ijs, quæ conquiruntur per laboritium, sustententur: qui triplex vivendi modus in Regula providetur expressè. Profectò, si (juxta promissum Salvatoris) nunquam deficit fides Ecclesiæ, per consequens nec opera misericordiæ subtrahentur; ex quo Christi pauperibus omnis ratio diffidentiæ cuiuslibet videtur esse sublata. Et quidem, ubi (quod non est aliquatenùs præsumendum) haec cunctu deficerent; sicut nec ceteris, sic nec ipsis Fratribus iure poli in extremæ necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturæ viu omnibus extremu necessitate detentis concessa praeluditur; eum ab omni lege extremu necessitas sit exempta.* Hactenùs Pontifex ille.

11 Et primò quidem superest ipsis Fratribus humana provisio ad vitam propriam sustentandam per ea, quæ liberaliter à Fidelibus offeruntur; sive ad liberalitatem ipsam, & munificentiam ostendendam, hoc est dono; sive ad eorundem Fratrum indigentiam pro Dei amore sublevandam, quod est eleemosynaliter; hujusmodi offerantur ab ipsis dantibus per se, vel per alios solvenda mittantur, aut legentur, qui idcircò ex obligatione conscientiæ ea Fratribus præstent; ut patet ex *d. cap. Exiji: §. Caterum: & §. Ad hac, quia:* satisque iam in superioribus monstratum est.

12 Secundò per ea, quæ humili, verecundáque mendicatione recuttendo ad mensam Domini, juxta *Regulam* ostiatim comparantur. Qui modus comparandi sibi necessaria ad vitæ sustentatiouem, quàm virtuosus, ac meritorius sit, Christique, & Apostolorum eius exemplo, ac perfectioni conformis, quantóque ex consequenti beatior, quàm dare: ostendit optimè S. Bonaventura *in cap. 6. Reg.* & alibi in *Apolog. pauperum*, ex verecundia, abjectione, & humilitate, quam habet annexam. Si enim summè honorificum est dare, summa profectò bonoris privatio est constituere se ex voto, & professione in dandi impossibilitate, & necessitate mendicandi ostiatim, cùm desunt spontè oblata. Sanè autem cùm mendicare, sit ad misericordiam hominum vivere, (ut ait D. August. *suprà cit.*) quid potest tàm verecundum, tàm humile esse, quàm in omnium Christianorum misericordiâ se ponere, & in statu ignominiæ & ærumnæ, mendicando necessaria ad propriam sustentationem? Quid stultius videtur mundo, (ut ait D. Gregorius *in Moral. lib. 10.*) quàm paupertatem quærere, possessa relinquere? Hinc S. Bonaventura *loc. cit.* licèt, inquit, dare simpliciter beatius sit (idest magis virtuosum, & ad beatitudinem meritorium, quàm recipere; tamen cum circumstantia tantæ humilitatis recipere, est beatius, quàm dare: unde Dominus suos Discipulos ad receptionem (scilicet temporalis subsidij) informavit, quos nudos (omni scilicet hujusmodi subsidio) per sæcula destinavit, (ad gratis scilicet danda distribuendáque hominibus dona spiritualia, Fidei Sacramentorum, Doctrinæque Evangelicæ, quæ ipsi gratis acceperant; quorum etiam respectu beatiùs ipse aiebat esse dare magis, quàm accipere; ut testatur Apostolus apud Lucam *Act. cap. 20.* & sana interpretatione dici potest.) Hinc & Seraphicus ipse Pauperum Minorum Patriarcha hanc mendicandi admonitionem *in cap. 6. Reg.* post inhibitorium præceptum nullius omninò proprietatis habendæ, hisce verbis expressit: *Fratres nihil approprient, sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate, Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter*: nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo, & mendicus fuit, ut addit *ibi* S. Bonaventura, & probat, subdens insuper: *Sed glorientur, quia dutum est eis nihil habentibus in hoc mundo, pro nomine Iesu contumeliam pati:* hoc est confusionem mendicandi. Eant igitur in conspectu mundi gaudentes, & confidenter quærendo ostiatim; ut admonet Seraphicus Pater, hanc eis relinquens celsitudinem altissimæ paupertatis, velut portionem unicam, patrimonium ditissimum, cui totaliter inhæreant, prærogativam specialissimam, titulumque ad regnum cœlorum, quo lætentur, iugiterque glorientur.

Tertiò tandem per ea, quæ pro mercede laboris, sive corporalis, sive spiritualis, nullo interveniente civili contractu, vel conven 13

conventione, aut pacto, humiliter ab ipsis Fratribus recipiuntur, titulo ad summum antidori, aut naturalis obligationis, sed & iuris divini, testante Sacro eloquio, quòd dignus est operarius mercede sua, cibo suo: *Matth.* 10. *Lucæ* 10. & *Deuteronom.* 24.

14 Atque ita assignatus est Fratribus Minoribus ex *Regula*, ut ait Nicolaus III. *loco citat.* triplex iste modus habendi necessaria, vt præfertur: quòd in ipsorummet libertate, atque electione maneat, aut ex unico eorum etiam totaliter, si sufficiat; aut ex duplici, si non sufficiat unicus; aut ex omnibus tribus simul, si quando opus fuerit, eadem sibi comparare; ut notàtunt Gallitius noster *in quodam suo M. S.* Crousers, & alij Regulæ Expositores. Et benè, quia hoc satis clarè indicat, & probat disiunctiva illa, seù alternativa particula, *Vel*, sub qua singuli prædicti modi exprimuntur à Nicolao III. *eo paragrapho Nec quicquam: ad literam mox supra relato.* Quando enim aliqua sub hujusmodi disiunctione præscribuntur, (sive præcepta, sive conditiones, sive aliud sint,) quodlibet tenere, aut servare sat est; ut est textus clarus *in l. si hæredi: ff. de conditionibus institutionum:* Et sufficit parēte, cui placet ex eis; ut explicat *ibi* Gloss. & est *Regula iuris septuagesima, de regul. iur. in sexto.* ubi Glossa Neque alterum defecisse oberit, altero impleto: ut loquitur text. *in l. cum pupillus: paragrapho disiunctiuo: ff. de conditionib. & demonstration. & l. unic. paragrapho, penultim. Institut. de hæredibus instituend. & cap. inter cæteras: extra de rescriptis:* ubi Glossa quam etiam vide *in Extravag. si Fratrum, & Coepiscoporum: ad vers. Vel obtenta,* Neque in casu nostro canit exceptio, quam eadem Gloss. ultim. *loc. citat.* tradit, & ex Iure probat, quòd scilicet dictio, *Vel*, quandoque (ut *ibi*) debeat sumi, & habeat vim, ac si esset, *Et*, ita ut etiamsi aliqua disiunctim ponantur, aut præscribantur per particulam, *Vel*, omnia exigantur. Scio etiam, quandoque in Iure alternativam, seu disiunctivam dari ad aliqua, ita tamen, ut unum tantùm, aut alterum eorum, quod libuerit, possit eligi: *argum. cap. referente: extra de præbend. & dignitat.* & *ibi* Gloss. sed neque hoc officit in casu nostro, neque hujusmodi est sensus Nicolai *eo paragrapho, Nec quicquam, &c.*

15 Hinc colligo, nullum adesse præceptum, aut in *Regulâ* expressum, aut in tantæ paupertatis professione inclusum, per se obligans Fratres Minores ad vivendum ex actuali mendicatione; (prout etiam collegi *suprà, paragrapho, præcedente,* & ampliùs monstrabo *alibi articul. tertiò.* cum Azorio) aut ex quovis alio prædictorum modorum signanter sumpto; sed in ipsorum Fratrum libertate est uti; quo aut quibus maluerint, ut dictum est.

Verùm, dato etiam, at non concesso, quòd aliquod extaret præceptum mendicanti extra Regulam: (uam quod *in Regul. capit. 6.* dicitur: *Vadant pro eleemosyna:* non præceptum, sed admonitio est; secundùm communem expositorum sensum) adhuc cum ejusmodi præceptum supponatur affirmativum, non obligat profectò ad semper, & pro semper, neque ad omnia, & singula mendicando quærenda; ut benè notavit *idem Gallitius*, & alij. 16

Præterquàm quòd ego non video, quomodo vel minimùm violetur mendicitatis professio & status, dum Fratres recipiunt ea, quæ vel spontè, vel ex obligatione, ut suprà, à Fidelibus sibi præstantur; suppositis moderaminibus in hujusmodi rerum receptione, & usu per Minoricam ipsam paupertatem requisitis; quòd scilicet nunquam recipiantur superflua, aut ad thesaurizationem, vel provisionem in futurum. Quis enim mihi facilè negaverit, si asseruero, statum ipsum Fratrum Minorum, ac professionem specialem altissimæ paupertatis Fidelibus ferè singulis compertissimam, tacita quadam, jugique petitione emendicare ab ipsis eorundem Fratrum necessaria, atque eleemosynam flagitare? An non est omnibus manifestum, qui vel modicè sapiunt, ejusmodi paupertatem, & mendicitatem esse certum Patrimonium, ad cujus titulum sacris initiantur Ordinibus Fratres omnes Minores Capuccini, & de Observantia, qui nil possident in communi: ubi alij ordinantur ad titulum suæ Religionis, qui immobilia, & reditus possident in communi: dubio procul quocunque modo à Fidelibus oblata, & præstita videntur mihi effectus ipsius nostræ ijsdem competæ mendicitatis, tacitéque & in habitu mendicationis. Verùm equidem semper mendicat, qui semper ad misericordiam vivit Christianorum, juxta D. Augustini sententiam *suprà* allatam ex D. Bonaventura. Quomodo quæso, violari censebitur mendicitas Fratrum Minorum, aut altissimæ paupertatis conditio lædi putabitur, quòd misericordiâ moti Fideles necessaria ipsis Fratribus impertiantur, sive per se ipsos exhibendo, sive mittendo per alios, etiam post mortem suam, ex legataria ordinatione? Sanè non video; esto etiam, quòd omnia ijsdem Fratribus necessaria (quod tamen nunquam 17

contingere, aut vix potest) hoc modo suppeditarentur.

18 Sed esto vivant Fratres Minores, etiam totaliter, ex iis quoque, si lubet, quæ per laboritium cùm corporale, tùm speciale comparantur. Quid inde: quodnam resultat mendicitati, aut paupertatis statui præjudicium; modo id eis proveniat, servatis ipsis cautionibus, maximè in pecuniarijs eleemosinis, requisitis per Nicolaum III. *ut super* §.3. semper adhuc vivunt de non suo politicè déque non civiliter sibi debito, & certo; quamvis debitum possit illud esse ratione antidori, aut obligationis naturalis, vel divinæ: salva idcircò satis semperque manente sua ipsorum Mendicitate, professione, ac statu. Neque enim pactum ullum, contractum, conventionemvè ullam politicam inire eos supponimus, ex quo civiliter stipem prætendant: sed laborare fideliter, ac devotè, expectantes deindè, & recipientes, vel etiam petentes humiliter à misericordiâ, pietate, & liberalitate eorum, pro quibus laborarunt, mercedem laboris; sicut decet (ut ait Seraphicus Pater *in cap.5.Reg.*) servos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

19 Nullus itaque horum modorum vivendi (vivendo etiam totaliter ex quolibet eorum seorsim sumptu) afficit, quò minùs Fratres vivant, tanquam Mendici ad misericordiam Fidelium: ad quod solummodo eos obligat ratio, & status Mendicitatis tàm in communi, quàm in particulari, ut ostensum est *suprà*; servatis tamen in usu, etiam simplici facti arctatione, & moderaminibus requisitis; juxta doctrinam præallegatam, præsertim, quoad immobilium usum, vel eorum, quæ inter immobilia computantur à Iure.

20 Atque hæc sunt, ex quibus, ut præfertur, licet Fratribus Minoribus comparare sibi necessaria ad vitæ sustentationem, & ad executionem officiorum sui Ordinis, salva ipsorum mendicitate & professione paupertatis altissimæ, sed & illæsâ dependentiâ à providentia Dei; quippè cui ità se committunt, (ut ait Nicolaus III. *eo*, §. *Nec quicquam*:) ut ne Dei tentatores videantur, viam non contemnant provisionis humanæ mendicando, aut laborando, ubi spontè oblata de fuerint. Transeunte semper rerum omnium sic ipsis identidem, actúque provenientium, iure, proprietate, & dominio civili ad Romanum Pontificem, seu ad Apostolicam sedem, relicto nobis Fratribus Minoribus, tanquam filiis Patri acquirentibus, solo usu simplici facti, cum moderaminibus requisitis. (Exceptis tamen eleemosynis pecuniarijs, quarum dominium, & proprietas semper manet apud dantes; donec fuerit conversa pecunia in res utibiles: & in reliquis, ijs omnibus etiam exceptis, quorum dominium, & proprietatem sibi ipsis reservaverint, sive mobilia, ea sint, sive immobilia, præter Ecclesias, quæ semper transeunt in ius, dominiumque Pontificium. Quidquid senserint in contrarium aliqui, immò & decreverit Ioan. XXII. *in Extravag. Ad conditorem Canonum*. Cum enim illud fuerit Institutum purè humanum; potuit iure optimo ab ejusdem successoribus abrogari; ipsomet ita docente *in Extravag. Quia quorundam*: §. *Adhuc patet*: quod utique factum fuit, ut testantur Politius *alibi* ad hoc *cit.* quem vide etiam *in eod. loco*, *num.* 12. & 15. Corduba *citat. quæst.*1. *in fi.* Sanctes Romanus *in cap.6. Regul* §. *Quanto alla rinoncia*: Rodericus *to.* 3. *qq. regular. quæst.* 30. *artic.*1. Cardin. de Lugo *tom.* 1. *de iust. & iure disput.*2. *section.*3. & alij. Sed & ipsemet Ioannes illud revocavit ante mortem suam; ut dicam §. *sequentib.*

§. XV.

Simplex facti usus, Fratribus Minoribus ex Regula, & Pontificum Declarationibus relictus, iustinetur, & satisfit rationi in contrarium Ioannis XXII. ostenditurque, hunc etiam tandem revocasse sententiam suam, concordásseque in hoc Prædecessoribus suis.

Segmenti Primi
Summarium.

1 *Usus Facti separatus à dominio & iure, an possit dari in Fratribus Minoribus.*
Usus Iuris, & Facti, quid? ibid.
2 *Constitutiones Pontificum circa usum Facti in Fratribus Minoribus.*
3 *Ioannes XXII. constitutionem suam de usu facti in Minoribus revocavit.*
4 *Sensus* Extravag. Ioannis XXII. Ad conditorem Canonum, *aperitur & exponitur.*
5 *Dominari, seu esse Dominum alicuius rei, quid sit? declaratur.*
Usus facti cum iure divino naturali, dici potest Fas & æquitas utendi. ibid. & num.4.
6 *Fratres Minores non possunt ad libitum disponere de rebus, quibus utuntur, etiam mobilibus.*

7 Fratres

7 *Fratres Minores nullo modo disponere possunt de rebus sibi ad usum concessis sine facultate speciali summi Pontificis, in cuius Dominio sunt.*

8 *Fratres Minores iustè utuntur rebus sibi concessis, non tamen jure civili propriè dicto per quod talem usum sibi asserere possint, sed per simplicem usum facti, & ex concessione S. Pontificis, qui pro suo arbitratu posset illis auferre, & dare aliis.*

9 *Vsus facti potest distingui & separari à Dominio & usu civili.*

10 *Eodem modo quo utuntur convivæ hospitio invitantis, Fratres minores etiam utuntur rebus sibi donatis, ad arbitrium S. Pontificis.*

11 Cap.6. Constitutionum Capuccinorum *refertur.*

12 *Vsus facti Fratribus Minoribus permissus & concessus bene declaratur, ex Doctrina S. Bonaventuræ.*

13 *Ordo Fratrum Minorum ita se habet in communi erga Pontificem, vel benefactores, sicut se habent singuli Religiosi erga suos Prælatos, vel ordines ipsos in communi.*

14 *Dominium rerum, quibus Fratres Minores utuntur, remanet apud dantes, si illud sibi retineant; alioquin transit ad sedem Apostolicam.* & num 15. & 16.

15 *Summus Pontifex, cùm sit Vicarius Christi, acquirit Dominium rerum quæ Fratribus Minoribus dantur, cuius ipsi sunt penitùs incapaces.*

16 *Acquisitio cujusque rei non fit contra voluntatem eius cui defertur: neque possessio civilis.*

1 AGitatissima quæstio fuit ista olim, non solum inter Doctores privatos, sed etiam inter Pontifices, eam inferens diversitatem quæ turbavit Mundum; ut ait Cardin. Zabarella *in gloss. ad Clem. Exivi: §. perindè*: An scilicèt possit dari in Fratribus minoribus simplex iste usus facti separatus à Dominio, quíque non sit usus iuris. Et quidem, cum usus iuris nil aliud sit, quàm ius utendi re, sive in actu, sive in habitu; idest quâ quis vel de facto utitur, vel non, cùm tamen possit uti ad placitum; quíque idcircò usus dicitur perseverare in domino, vel usuario rei, etiamsi de facto ea re non utatur: simplex autem usus facti sit actualis ipse usus rei; quemadmodum habitatio est usus domus, manducatio usus ciborum, equitatio usus equi, scriptio usus calami chartæ, & atramenti; & hujusmodi; qui usus dicitur simplex facti, quia supponitur ab assertoribus posse esse in aliquo absque utendi iure, qui idcircò, secundùm Iuristas, nec propriè dominus, nec proprie usuarius dici possit; sed tantùm utatur re de licentia domini, & habentis propriè ius utendi: Et quidem inquam, cum hæc ita sint, quæstio hæc maxime vertebatur circa res, quæ usu consumuntur. Cùm tamen iterum res hujusmodi usu consumptibiles aliæ sint, quæ non unico consumuntur usu, ut v.g. domus, vestes, scamna, calices, & hujusmodi utensilia familiaria; aliæ quæ quidem unico consumuntur usu, si assumantur in usum primarium, & proprium, seu ad quem per se sunt ex natura sua ordinatæ; ut cibi, cùm manducantur; vinum, cùm bibitur; ligna cùm comburuntur, & alia hujusmodi: at non ita consumuntur, si quis utatur eis, quoad usum improprium, & secundarium, seu accidentalem, ad quem ex natura sua eæ non sunt ordinatæ; ut si quis utatur denarijs alterius ad ostentationem, cibis, & vino ad exilarandum visum, vel odoratum, & similibus: Quæstio non fuit admodùm placatu difficilis de primis, neque de secundis, quoad earum usum secundarium, & improprium; siquidem facilè suadebatur omnibus, (paucis exceptis) posse in hujusmodi rebus distingui, & separari dominium ab usu, ita ut dominium, & ius utendi propriè dictum penes unum sit, & alter usum rei habeat de licentia illius, cui & rem ipsam integram reddat, posteaquam eâ sic usus fuerit, saltem ad breve tempus. Sed tota controversiæ vis, & difficultas reducebatur ad res, quæ suapte natura unico usu consumuntur, usu inquam primario, & proprio: An scilicet in rebus istis ita distinguatur usus à dominio, & iure utendi propriè dictis, essentiâ, & subjecto, ut hujusmodi dominium, & ius in uno, in altero simplex facti usus reperiatur; ut dicimus in præsenti de Fratribus Minoribus.

2 Mitto Doctores omnes hic recensere, hinc indè hac de re acriter disceptantes, quos latè allegant Sanchez & alij à memet *infrà* citati: eò vel maximè, quòd privati Doctores auctoritatibus potissimùm summorum Pontificum respectivè se se communiunt; qui videlicet affirmant Nicolao III. Clemente V. alijsque istorum tùm prædecessoribus, tùm successoribus innitentes: qui verò negant, unius ex Pontificibus Ioannis XXII. Extravagante, veréque peregrina sententia, rationibusque suffulti.

3 Præterquàm quòd, cùm hodie sit omninò inter Pontifices, feréque etiam inter Doctores privatos controversia ista composita; quippè, ut dixi *in fi. §. præcedentis*, non solùm plures Romani Pontifices; Ioannis prædicti successores, ejus Extravagantem illam, & opinionem, & Bullam abrogaverint, sed & Pontifex ipse Ioannes sententiam suam morti proximus, & quidquid dixerat, aut fecerat contrarium Ecclesiæ, & determinationibus Romanorum Pontificum prædecessorum suorum in hoc

proposito revocaverit ; ut monumenta ferunt historica, quæ *infrà* recensebo *num.*42. nullatenùs intentum meum hic est rem hanc in controversiam revocandi ; sed eam tanquam certam pro parte affirmativa sustinendi ; demonstrandique quàm rationabiliter Ioannis prædicti sententia negativa tùm à successoribus eius omnibus, quà decretis, quà praxi, tùm ab ipsomet Ioanne fuerit revocata & abrogata, dum simul eius etiam rationes refelluntur.

4 Meritò igitur, (ut hinc exordiar) iuréque optimo abrogata, cassaque fuit, ut præfertur, Ioannis illa sententia Nisi enim sensus illius *in ea Extravag. Ad conditorem canonum:* sit, quòd in rebus utendis, ijs maximè, quæ usu unico consumuntur, non potest separari simplex, seu nudus facti usus, à dominio, seu iure illo, quod propriè Fas potiùs, aut Æquitas, quàm Ius, aut Proprietas dicitur; sive (ut aliqui loquuntur) quod propriè Ius, seu dominium divinum naturale dicitur, non autem civile, vel politicum ; (qui sensus vltrò ab omnibus conceditur unanimiter citra controversiam; utpotè qui negari nequit, nisi utentes iniustè, atque adeò peccantes, utendo invito Domino rebus alienis considerentur) Nisi, inquam, iste sit sensus Ioannis, profectò exorbitare convincitur, & falsa duci ratione.

5 Quod clarè patet, si ipsius fundamentum ad examen revocemus : quod est hujusmodi. Dominari, seu esse dominum, est, posse rem destruere ; ut panem comedendo ; vinum bibendo &c. Unde postea deducit, quòd non possit quis rem, utendo destruere ; ut panem &c. quin sit etiam illius rei dominus. Quæ ratio, si de iure, & dominio propriè dicto, & civili, seu politico procedat, mehercle falsa est, & nihil concludit. Hæc enim non est adæquata ratio dominij civilis; quòd scilicet is, qui dicitur tale dominium, seu ius in aliqua re habere, possit illam, utendo, destruere : nam (ut benè ait Rebellus *p. 1. de obligat. Iust. lib.1. quæst. 7. sect.4. in fin.* hoc tantùm posse, ius minimum reputatur) unde & usus cum tali simpliciter facultate, seu potestate ab habente dominium, & ius propriè dictum concessa, solet usus facti appellari : Atqui ad adæquatam civilis, & propriè dicti dominij, iurisque rationem requiritur etiam, & quidem præcipuè, ut qui dominus alicuius rei dicitur, possit ipsam in omnem usum absumere, putà, donare, vendere, commutare; (& hoc liberè, id est sine cuiusquam dependentia, vel licentia, secundùm Iuristas) & pro ipsa in judiciali foro, proprio iure, contendere, & experiri ; ut benè notat Politius *cit. num.7.* & insinuat ipse Rebellus *cit.* Quòd si non de iure, & dominio civili sensus erat Ioannis, sed de divino naturali, quod propriè, ut dixi, Fas, vel Æquum dicendum est ; iam & sic exorbitasse perhibetur, dum frustra contendebat ; & absque ulla ratione dominium civile, & politicum in rebus ad usum Fratrum Minorum licitè deputatis, à se, & ab Apostolica Sede, contra tot Prædecessorum suorum expressam acceptationem abdicabat. Poterat enim æquè benè, ut mox ostendam, illud sibi retinere; sicut alij tùm ante ipsum summi Pontifices fecerant, tùm post ipsum fecerunt, solo ipsis Fratribus simplici usu facti cum iure divino naturali, quod est Fas, vel æquitas utendi, relicto. Quod quidem sufficit, ut quis dominio, vel iure civili carens in aliqua re, ea non iniustè utatur. Quod etiam tradit Gloss. *in Clem. Exivi, ad §. Proinde:* inquiens : quòd licèt non possit dari usus licitus sine iure utendi ; tamen dici posset, quòd hoc ius non utendi non est, nisi quædam facultas, quæ non infert, aliquid esse proprium : dicitur enim res propria, quando quis potest de ea liberè disponere ut vult, per modos à iure non improbatos : Fratres autem non acceptant res, ut de illis velint posse disponere ad libitum; sed ad usum tantùm facti, idest ut utantur de facto in suas necessitates; qui tamen usus non infert aliquam proprietatem ; sed utuntur de licentia dantis ; & dicemus, quòd ipse dans liberè potest id, quod dedit, revocare, quovsque utantur. Ita *Gloss.* vel dic, quòd utuntur de licentia eius, cui acquirunt omnia, quæ sibi dantur, tanquam Filij familias Patri : hic autem est summus Pontifex. Neque hic habet locum lex civilis, qua cavetur, non posse usum perpetuò à dominio separari. Nam cessat etiam ratio talis dispositionis Iuris, quæ est, ne dominium (præsertim immobilium, vel inter immobilia computatorum bonorum) inutile videatur, ac per hoc inane sit domino. Retentio autem, dominij hujusmodi rerum (præcipuè immobilium specialiter concessarum (penes Pontificem, vel Apostolicam sedem, cum concessione usus, facta Fratribus pauperculis, non est infructuosa, cum sit Patri pauperum meritoria, & professioni Filiorum, Christo famulantium opportuna.

Quòd autem Fratres Minores non possint liberè seu ad libitum disponere de rebus, quibus utuntur, etiam mobilibus, maximè ubi agitur de commutatione, aut venditione earundem cum æstimatione pretij ; sed hoc tantùm fieri possit per personam nominandam quidem hic, & nunc, a Ministris Generali, vel Provincialibus Fratrum, agentem tamen, tanquam deputatam ab Apostolica fede, habetur clarè expressum per Nicolaum III. *cap. Exijt:* 6

§. *Quia*

§. *Quia verò* : hiſce verbis : *Quia verò libros, & alia mobilia, quibus tam Ordo, quàm Fratres utuntur, quorum dominium (cum non ſint dominij aliorum) ad præfatam Eccleſiam ſpecialiter ſpectare dignoſcitur; interdum contingit, ſeu expedit vendi, vel etiam commutari : Fratrum utilitatibus, & eorum conſcientijs providere volentes, eadem auctoritate concedimus, ut commutatio talium rerum, & ad eas res, quarum uſum licet Fratribus habere, de Generalium, & Provincialium Miniſtrorum in ſuis adminiſtrationibus conjunctim, vel diviſim auctoritate procedat; quibus etiam de diſpoſitione uſus talium rerum concedimus ordinare. Si verò res hujuſmodi æſtimato pretio vendi contingat; cum Fratribus ipſis per ſe, vel per alium recipere pecuniam (Regula prohibente) non liceat; ordinamus, & volumus, quòd talis pecunia, ſeu pretium recipiatur, & expendatur in rem licitam, cujus uſum Fratribus licet habere, per Procuratorem à præfata S de, vel à Cardinali gubernationem per ipſam Sedem gerenti ejuſdem Ordinis deputandum, juxta modum in ſuperioribus neceſſitatibus præteritis, & ingruentibus ordinatum. De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus liceat ex præſenti noſtra conceſſione Fratribus, pietatis, ſeu devotionis intuitu, vel pro alia honeſta, & rationabili cauſa, obtenta ſuper hoc priùs Superiorum ſuorum licentia, juxta quod inter Fratres in Generali, vel in Provincialibus Capitulis, tam de ipſis rebus vilibus, ſeu parum valentibus, & earum valore, quàm præfata licentia, ſcilicet à quibus, & qualiter ſit habenda, extiterit ordinatum; intra, & extra Ordinem alijs elargiri.* Ita Pontifex ille. Atqui hac de re erit ſermo ex profeſſo *art.* 2. §. 6. 7. & 8.

7 Unde patet, quomodo Fratres Minores nullo modo diſponere poſſint; ut commutare, aut donare, tam in communi, quàm in particulari, de rebus ſibi ad uſum conceſſis ſine facultate ſibi facta à Pontifice, cujus dominij ſunt; ſi tamen illud non reſervaverint ſibi dantes : immò, ubi non intervenit æſtimatio pretij, ut ſemper fit in venditione, & quandóque in commutatione, nullatenùs per Fratres id fieri poſſe, ſed requiri Procuratorem Apoſtolicæ Sedis, per quem Sedes ipſa id facere cenſeatur; quod potiſſimum dominij indicium eſt. Et quamvis hujuſmodi Procuratores revocaverit Joannes prædictus *in eadem extravag. Ad Condiſorem* : §. *Rurſus* : nihilominùs eadem ratione refellitur hæc revocatio, qua & repudiatio dominij, & juris.

8 Et per hæc patet ſolutio ad argumentum illud ipſius Pontificis, quo ſic argumentabatur. Si Fratres non injuſtè utuntur : ergo jus ad utendum habent. Cui reſpondeo, diſtinguendo conſequens, concedendóque conſequentiam intellectam de jure, quod propriè Fas eſt; non autem de jure civiliter, & propriè dicto, quod in tali uſu vix minimum, vix ullum eſt; immò nullum omninò eſt; quia non datur Fratribus actio ulla omninò ad uſum illum, qui propterea non dicitur omnimodus, ſed ſimplex facti : manente plena dominij ratione apud Pontificem, de cujus ſpeciali conceſſione tantùm, & auctoritate, nuſquam propria, poſſunt Fratres Minores, ut vidimus de Mobilibus ipſis, quibus utuntur, aliquo modo diſponere, ut donando vilia, & parum valentia, devotionis, vel pietatis cauſa; commutare aliqua minùs utilia in magis utilia citra æſtimationem pretij : Neque hujus dominij nomine apud Pontificem exiſtentis, quoad res prædictas, intelligendum eſt ſolum jus adminiſtrandi; quia poteſt Pontifex (ita ut dantes eleemoſynas pecuniarias, vel alia quæcúnque, quorum ſibi dominium retineant) pro ſuo arbitratu, & placito illis auferre, & dare alijs; ut benè obſervat Sanchez *lib.* 7. *in Decal. c.* 18. *num.* 10. & 17. & tradunt Sotus, Ledeſma, Salon, & Leſſius apud illum citati; quod propriè competit vero domino, non autem ei, qui tantummodò adminiſtrator eſt. Atque hoc peculiare eſt Pontifici, quoad bona, quibus utuntur Fratres Minores Capucini, & qui de Obſervantia nuncupantur tantùm; quia nequit ſic pro libito Pontifex, & abſque cauſa, bona aliarum Religionum, & Eccleſiarum illis auferre, & dare cui maluerit; quia nimirum jus ſolius adminiſtrationis, quoad illa habet; dominium verò, ſeu poſſeſſio eorum eſt penès Religiones ipſas in communi, ſecundùm Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularib cap.* 3. Sed & juxta jura, & communem Doctorum ſententiam, quòd ſcilicet per Monachum acquiſita acquiruntur Monaſterio. Et idem dic de alijs Eccleſijs, vel Beneficiarijs ſæcularibus, & Regularibus; non poſſe ſcilicet Pontificem ſine cauſa putà culpam beneficiarij, vel aliam urgentem pro bono Eccleſiæ, ad libitum ſuum, licitè, & citra injuſtitiæ peccatum, illum invitum bonis beneficialibus (quæ verè ipſius ſunt, quoad poſſeſſionem, & dominium utile, atque adeò citra facultatem ea alienandi, ut alibi diximus, per legitimam collationem à Pontifice factam, tanquam ab abſoluto hujuſmodi bonorum, & ſummo adminiſtratore,) expoliare, niſi ipſum indemnem ſervet providendo ei de æquivalenti beneficio; quo caſu ejuſdem beneficiarij repugnantia non obſtaret, quo minùs legitimè id poſſet Pontifex; ſiquidem ea eſſet irrationabilis, & non attendenda. Quamvis, ſi id ſine cautionibus, cauſæ ſcilicet, vel recompenſationis, prædictis à Pontifice fiat, teneat factum, eſto contra juſtitiam, & ideò cum obligatione Pontificis in foro conſcientiæ, ad reſtituendum hujuſmodi expoliato æquivalens

beneficium: Ut latè prosequitur Vincentius Filliucius *tom. 3. de statu Ecclesiast. tract.* 44. *cap.*3.*n.*49.50. 51. *&* 52. contra Barthol. Socinum *consf.*164.*num.*14.& alios paucos.

9 Quæ cum ita sint, poterat æque benè, ut dixi, Pontifex ille Joannes prædictum dominium civile in rebus prædictis ad Fratrum Minorum usum concessis, apud se, & Apostolicam sedem retinere, sicut alii Pontifices cùm ejus prædecessores, tùm successores, qui idcircò jure optimo illius sententiam, & repudiationem abrogasse perhibentur. Eò vel maximè, quòd (ut benè conclusit *Rebellus cit.*) tam nudus usus rei, quàm quicúnque alius usus, qui non ex proprio jure, sed ex alterius, tanquam domini facultate, & concessione dependet, (qui usus facti dicitur) simpliciter à dominio ejusdem rei distinguitur. Quòd si distinguitur, & quidem simpliciter, quod est dicere, ut res à re, & adæquatè, ita ut in conceptu adæquato unius non includatur alterum; quid ni poterit, & separari, & separatus ab eo, conservari? potest igitur, & separatim apud unum esse usum simplicem facti, sine ullo dominio etiam utili; apud alium verò dominium ipsum civile, & quidem non omninò inutile, quia semper ei libera manet potestas revocandi ad se pro arbitratu suo rem, eáque uti frui.

10 Hoc modo convivæ à te invitati usum ciborum licitum, & hospites usum domus non injustum (quippe secundùm Fas, & æquum, te illos invitante, & hospitio excipiente) habent, tu verò solus dominium civile, tibi etiam ex eo utile, quod munificentiam tuam erga eos ostendens, eorum tibi comparas gratiam, & corda devincis. Et ita dominium habens summus Pontifex ciborum Fratrum Minorum, atque à benefactoribus, illud sibi non retinentibus, ii tribuuntur per quemcúnque trium modorum *§. præcedente* descriptorum; censetur quotidie eos invitare, & hospitio recipere, nudúmque eis usum facti concedere super cibis, domibus, & aliis, quibus indigent ad vitæ sustentationem, & Officiorum sui Ordinis executionem: manente apud ipsum Pontificem pleno & libero dominio, cum potestate ad libitum omninò revocandi sibi omnia; & aliis, quibus maluerit, tribuendi. Ita cum Nicolao III. *in d.cap. Exiit: §. Ad hæc, cum Fratres:* ajente sequi se in hoc Innocentium IV. Prædecessorem suum, cum Clemente V. *in Clem. Exivi: §. Proinde cum Vir sanctus:* alios ad id prædecessores suos insinuante: cúmque aliis sum. Pontificibus successoribus etiam Joannis prædicti sustinent communiter omnes Regulæ Expositores, & alii ferè omnes Scribentes, quos ad saturitatem allegat Sanchez *cit. num.* 5. contra Joannem prædictum.

11 Hinc in Constitutionibus nostris scilicet Capuccinorum, *cap.*6. hujusmodi legitur palmaribus literis ad omnium notitiam facta protestatio. *Facciamo intendere, come in effetto non habbiamo alcuna Giuridittione, Dominio, Proprieta, Giuridica Possessione, Usufrutto, ne uso Giuridico di cosa alcuna; ne anco di quelle, che per necessita usiamo; ne de Luoghi, dove facciamo dimora: di sorte, che i veri, e proprij Padroni ci possono mandar via ogni volta, che loi piace, e pigharsi tutte le cose sue à posta loro.* Confirmatæ autem fuerunt Constitutiones prædictæ ab Urbano VIII. per Bullam, quæ incipit: *Sacrosanctam Apostolatus officium &c.*

Hanc sententiam optimè tuetur S. Bonaventura *in suo opusc. Apologetico de tribus quæstionibus ad Magistrum quendam innominatum*, ad quæstionem primam ita respondens. Videmus in sæculo, famulos dominorum panem non suum comedere, tecto non suo contegi, & rebus alienis uti, vel dominorum suorum: Sic & alii sæpè concessis utuntur tam vestibus, quàm aliis rebus de illorum voluntate, quorum res sunt. Sic, & nos utimur rebus necessariis pro corpore, quas tamen nec in speciali, nec in communi (juxta Regulæ Præceptum *cap.*6. ajentis: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*) nobis appropriamus. Regula enim non dicit, nos nihil debere habere, sed nihil nobis appropriare. Unde usum rerum necessarium habere possumus, non proprietatem. Alioquin nec vestem, nec cibum, nec aliquod aliud in usum recipere deberemus; quod esset contra omnem rationabilem intellectum. Papa enim, qui est generalis omnium Provisor Ecclesiæ pauperum, specialiter nostri Ordinis curam habens, omnium mobilium, (sed & immobilium, ut domus, & horti) quæ Ordini conferuntur, proprietatem sibi assumpsit; (exceptis iis, quorum dominium sibi conferentes retinuerunt) & nobis usum earundem rerum solùm concedit, ut semper alieno victu, vestitu, tecto, & aliis utensilibus, absque proprietatis Iure, ex ipsius concessione utemur. Et eleemosyna quæ nobis à Fidelibus datur, transit in usum nostrum, & in illius dominium, (nisi hoc reservent sibi ipsi dantes) qui est principalis Ordinis nostri dispensator; cui parati sumus omnia, quæ habemus, cum jusserit, tanquam domino, prout convenit, resignare; ut nihil juxta hoc, proprietatis habentes, Regulam nostram bonâ conscientiâ observemus. Hæc *S. Bonaventura*. Hanc autem singularem, & peculiari sponsione, & voto, subjectionem, & obedientiam, Fratrum Minorum erga Summum Pontificem, & Apostolicam sedem; specialémque proinde sollicitudinem, & paternam curam ejusdem Summi Pontificis, & Apostolicæ Sedis circa ipsos Fratres novissimè ostendit, & commendat, 12

dat, testimonijs etiam valdè insignibus ex jure Canonico recensitis, P. Bunagratia noster *in sua Isagoge ad summ.quæst. Regular in ipso initio*; quem vide, & communiter alios etiam Minoricæ Regulæ Expositores *ad cap.1.ejusd. Reg.*

13 Quid, quòd vel ratione evidentissima suadetur? Nam ita se habet in usu rerum necessariarum Ordo Minorum in communi erga Pontificem, seu Apostolicam Sedem, aut etiam erga dantes, seu largientes benefactores; sicuti se habent singuli Religiosi aliorum Ordinum quorumcúnque habentium in communi dominium, & proprietatem, erga suos Prælatos, vel Ordines ipsos in communi: sed usus earum rerum, quæ hujusmodi Religiosis in particulari conceduntur à suis Prælatis, separatur à dominio, & proprietate, manente hac penes Religionem, seu Monasterium in communi, privatis autem Religiosis meri facti usu concesso, non juris: ergo etiam usus rerum, quæ Fratribus Minoribus sive in communi, sive in particulari conceduntur à dantibus, separari potest, & de facto separatur à dominio, & proprietate earum; hoc scilicet manente, vel apud ipsos dantes, si eam sibi ipsi reservent, vel apud Pontificem, aut Apostolicam sedem, si se exproprient dantes ipsi; cum Fratres nihil sibi in communi, neque in particulari ex interdicto Regulæ appropriare possint. Major patet; quia ita se habet ratio religiosæ paupertatis Fratrum Minorum in communi, sicuti se habet ratio religiosæ paupertatis aliorum Religiosorum in particulari. Minor est evidens, & conceditur communiter à Doctoribus, immò asseritur; ut tradit Sanchez *cit. num.* 8. cum Navarro, Roderico, Azorio, & Lessio: ex quibus ego cum Filliucio etiam *tom.2. tract.* 31. *cap.3. num.* 62. *&* 63. & cum Soto *lib.4. de just. & jure quæst.1. art.*1. hanc colligo ratiocinationem potissimùm verò ex D. Bonaventura *in Apolog. pauperum 4. respons.2. partic. art.*1. apud quem plura.

14 Cum igitur Ordo Minorum prædictorum hujusmodi profiteatur paupertatem, quæ neque in communi quidquam proprium, seu in suo dominio, vel jure admittit unquam, vel acceptat; consequens est, ut rerum, quibus utuntur, dominium, & proprietas, maneat apud dantes, si eam sibi retineant; si verò ipsi eam minimè retinere intendant, transeat ad Apostolicam sedem, ita acceptantibus pluribus Summis Pontificibus, uno excepto Joanne prædicto; ut vidimus *suprà*. Sunt enim res, quæ Fratribus Minoribus à benefactoribus donantur, ad modum peculij profectitij filijfamilias, cujus usum quidem habet filius ipse familias, & tamen proprietas ne ad momentum quidem residet apud ipsum: & in hoc fallit id, quod dicitur ab adversarijs, in rebus scilicet usu consumptibilibus proprietatem non separari ab usu; ut benè observat S. Bonaventura *loco cit.* ubi & ostendit, quomodo Fratres Minores sint ad instar Filiorum familias respectu Summi Pontificis, vel Apostolicæ sedis, hisce verbis: Sunt quippe de jure communi omnes Christi fideles Summi Pontificis filij, peculiari tamen quodam jure hi (scilicet Fratres Minores) sunt ejus obedientiæ subditi, & curæ commissi: (quod etiam affirmat Nicolaus III. *eo cap. Exyt: §. Ad hæc, cum Fratres:*) & ideò cum alij sint tanquam filij emancipati, (idest sui juris effecti,) quibus licet auctoritate juris eis indulta de bonis Ecclesiarum suarum sine dilapidatione disponere; hi sunt (nempe Fratres Minores) tanquam parvuli, & filijfamilias totaliter ipsius regimini deputati. Propterea, sicut lege cavetur, quod filiusfamilias nec retinere, nec recuperare possit possessionem rei peculiaris, sed patri per eum acquiratur; sic & in his pauperibus intelligendum est; quia rerum eisdem collatarum ad sustentamentum ipsorum, patri pauperum deputetur dominium, illis verò usus. Hactenùs Seraphicus Doctor.

Quòd si denuò alicui Summo Pontifici placeret, sicut & Joanni prædicto, tale à se, & ab Apostolica Sede jus, dominium, & proprietatem rerum, quæ Fratribus Minoribus dantur, abdicare: (cum tamen non sit persona, in quam loco Dei congruentiùs hujusmodi dominium transferatur, quàm Apostolica Sedes, vel persona Summi Pontificis Christi Vicarij; ut ait *Nicolaus III. cit.*) dico cum *Filliucio cit.* remansurum omne jus, dominium, & proprietatem in largientibus. Ex quo enim Fratres Minores incapaces illorum sunt, etiam in communi; nec largientes præsumi debeant dare velle Fratribus ipsis contra eorundem capacitatem, & professionem, ut alibi etiam notavimus cum Nicolao III. & D. Bonaventura; consequens est, remanere in ipsis dantibus, aut in eorum bonis, si è vivis cedant simplici, & nudo usu facti, idest licito transeunte in ipsos Fratres Minores. 15

Quòd si iterum vel ipsi dantes intenderent omninò dare propter Deum, & se se omni rerum quas Fratribus largiuntur, dominio, jure, & proprietate expoliare: adhuc, & Apostolica Sede illa respuente; dico, quod nec tunc ea Fratribus acquirerentur utpotè nolentibus, & protestantibus se nolle acquirere quidquam civiliter, & tanquam proprium habere. Huic autem dicto suffragatur, ut ait *S. Doctor cit.* legis naturalis dictamen evidenter explicatum per *Iura Civilia*. Nam *lege* cavetur, quod non potest libertas nolenti acquiri; & quòd beneficium nolenti non datur; & quòd nemo donatum assequi, nec damnosam, aut lucrosam hæreditatem adire quis compellitur. Insuper, sicut 16

ficut rerum universitas, putà hæreditas, solo animo acquiritur; ita solo animo contrario repudiatur: & sicut nuda voluntate extraneus hæres fit, ita ex contraria destinatione statim ab hæreditate repellitur. Propter quod & Jurisconsultus Julianus ait: *Pro hærede gerere, non tam facti, quam animi est.* Cui & alius, scilicer Iurisconsultus, consonat dicens: *Furiosus, & pupillus sine tutoris auctoritate non possunt incipere possidere; quia affectionem tenendi non habent; licèt res suo corpore contingant: sicut si dormienti aliquid in manu ponatur.* Patet igitur per hæc verba legis expressa, neminem posse proprietatem, sive dominium, immò nec possessionem acquirere, nisi verè, vel interpretativè animum habeat acquirendi. Cum igitur Fratres Minores animum acquirendi non habeant, quin potiùs voluntatem contrariam, etsi res corpore contingant, iisque datis utantur, nec dominium, nec possessionem acquirunt, nec rerum hujusmodi possessores, vel domini dici possunt.

SEGMENTI SECUNDI SUMMARIUM.

27 *Deus est supremus & æternus rerum omnium Dominus*, & n. 18.
19 *Bona, quæ Fratribus Minoribus dantur, non cedunt primo occupanti.*
20 Extravag. Joannis XXII. Ad condirorem: *alii Summi Pontifices abrogarunt*, & n. 21.
22 Extravag. Ad conditorem: *non pertinet ad Fidem, aut mores universalis Ecclesiæ.*
Infallibilitas Papæ in Fidei dogmatibus, vel in his quæ ad mores universalis Ecclesiæ spectant, est in confesso apud omnes Fideles.
Pontifex ut persona privata an possit errare, ibid.
23 *Pontifex tanquam Fidei ac veritatis magister nihil perniciosum ex Cathedra docere potest.*
24 Extravag. Ad conditorem: *citra calumniam erga Pontificem ejus authorem, rejici potest.*
Pontifex an possit errare & decipi in particularibus quæstionibus præsertim facti dijudicandis, ibid.
25 *Inconvenientia, quæ ex* Joan. XXII. extravag. Ad condirorem, *sequerentur, Author recenset*, & n. 26. & 27.
28 *Declaratur mens Nicolai III.* in extrau. Exiit, *circa usum Fratribus permissum*, & num. 29.
30 *Regula Fratrum Minorum de usu rerum sibi necessariarum concesso declaratur.*
31 Extrau. Ad condirorem, in §. Rursus. *adducitur & admittitur.*
Fratres Minores non decet implorare officium nobile Iudicis pro consequendis sibi relictis.
32 Extrau. Ad conditorem: *causam dare potuit abusus qui refertur in* §. Rursus eod.
33 Extrau. Ad conditorem, *jure optimo à Pontificibus successoribus potuit revocari.*
34 *Par in parem non habet imperium: quod explicatur, quomodo intelligi debeat.*
Pontifex an & quando successores dirigat ex lege irrevocabili, ibid.
Pontifex in Rebus Fidei se & successores ligat irrevocabiliter.
35 *Clausula*, Nulli ergo hominum &c. *quæ apponi solet in fine constitutionum Apostolicarum, an afficiat successores Pontifices.*
36 Extrau. Ad conditorem, *laborat in æquivocis & paralogismis*, & n. 37.
38 *Dominium duplex consideratur; videlicet divinum naturale, & civile seu politicum.*
Fas, & Ius, in quo differant, ibid.
Ius absolutum, & secundum quid, in quo consistunt, ibid.
39 *Fas, Licitum, Ius, Necessitas: quid importent? elucidatur.*
Fas, est æquitas naturalis.
Licitum est quod à lege indulgetur.
Ius dat actionem judicialem ad rem vindicandam.
Necessitas est opportunitas utendi re aliena, ibid.
Quæ omnia respectu Fratrum Minorum circa usum rerum sibi concessarum declarantur, ibid.
40 *Dominium propriè dictum in quo consistat*, & num. 41.
41 *Dominium verè & propriè dictum non convenit usui simplici de facto passivè sumpto.*
42 Extrau. Ad conditorem, *æquivocatio detecta ex Responsione Ubertini de Casali lecta in consistorio Pontificis Ioan. XXII. qui hanc suam constitutionem revocavit.*
43 *Usus licitus sine dominio seu jure an & quomodo dari possit in rebus unico usu consumptibilibus, ad declarationem.* Extrau. Ad conditorem, & Extrau. Exiit, §. Nec quicquam.

SI verò instes: cujusnam igitur erit domi- 17
nium illud, vel proprietas, ex quo nec dantium, nec Pontificis, nec Frarrum esse ostensum est?

Respondeo cum Navarro, Roderico, Azo- 18
rio, Majore, & Decio apud Sanchez *cit. n. 9.* fore Dei: non tamen quasi aliquid de novo acquiratur Deo, ac si ab æterno non habuerit summum rerum omnium dominium; quippe hoc dicere, hæreticum novi: Non igitur est sensus,

ſenſus, res illas Fratribus, ut præfertur, donatas propter Deum eſſe in dominio Dei, quaſi Deus incipiat ex tunc aliquod dominium habere, quo antea caruerit; ſed dicuntur ex eo tempore, quo, ad Chriſti pauperum uſum juris, dominij, ac proprietatis incapacium deſtinantur, eſſe peculiariter (etſi non fiant Eccleſiaſticæ, renuente Pontifice, ut ſuppoſuimus) in dominio Dei: quia ex tunc deſinunt eſſe in bonis alicujus hominis, nec in illis poſſunt ampliùs eſſe, cùm fuerint in perſonis pauperum Chriſti donata ipſi Deo.

19 Neque hinc inferre licet, eaſdem res fore tutâ conſcientiâ primi occupantis & fratribus à quoquam ſurripi poſſe, vel à dantis commiſſario, vel executore detineri. Quia id verum eſt de ſolis bonis, quæ quoad vſum ſaltem, ad nullum hominem pertinent; qualia non ſunt hæc: ut benè in propoſito *Sanchez cit.* Sed de hoc erit alibi objectio ſpecialis, cum ſua ſolutione ampliſſima ex *Iure.* Vide *in Appendice pract. Caſu* 1. §. 2. *per totum.*

20 Atqui ob tot, tàmque evidentes rationes, ſimúlque ſolutiones argumentorum, in contrarium, Joannis prædicti, & aſſeclarum, Summi Pontifices ſucceſſores illius iterum ad ſe, atque ad Apoſtolicam ſedem (utpote in nullam aliam perſonam, loco Dei, cognoſcentiùs; ut loquar phraſi *Nicolai cit.*) talium rerum dominium, jus, & proprietatem aſſumpſerunt; abrogatâ ſententiâ, & Decretali illa Extravag. *Ad conditorem*, & Joannis prædicti. Hócque jure, ut dixi, optimo. Nam & Sotus cit. & Ledeſma apud Sanchez, *loco cit. num.* 21. dicere non dubitârunt, illius ſententiam non eſſe attendendam; neque multùm (ut ipſiſſimis verbis loquitur *Sotus*) movere debere verbum illius; quia id non fecit legitimè; & (ſi fas eſt dicere) nec juſtè, ſed certè in odium Ocham, & aliorum ſui Ordinis, (ſcilicet Fratrum Minorum) qui fuerunt ei infeſtiſſimi. Alij verò, ut Sanchez ipſe *loc. cit.* & Molina *tom.* 1. *de juſt. & jure diſp.* 6. *col.* 4. *verſic. Ad ea:* Melius (ut ipſi autumant) reſpondere volentes auctoritati *Ioannis*, & citra ejus cenſuram, evadere eam putant dicentes, nil tanquam certum ſtatuere eum voluiſſe, ſed ſolùm diſputando, in eam partem magis inclináſſe. Sed hæc evaſio inutilis eſt, nec conſona cubitalibus verbis, quibus ille ſententiam ſuam propalam facit, & indubius aſſerit; (ut ait Sotus *loc. cit.* §. *Nam qui habet.*) Sanciendo firmiter repudiationem dominij prædictam; ex obligatione (ut ipſe ait §. *Nos itaque:*) colendæ veritatis, rationibúſque ſuis in ſcrutinio rectæ (ſunt ejus verba) conſiderationis adductis, ac deliberatione cum Fratribus ſuis Cardinalibus, & multis alijs præhabita diligenti. Quin & apertè indicans, ſe in refundendo in Fratres Minores dominio, & jure, quoad uſum rerum ipſis collatarum (exceptis Eccleſijs, oratorijs, officinis, & habitationibus, ac vaſis, libris, & veſtimentis divinis officijs dedicatis:) derogare intendiſſe ipſius Ordinis Regulæ. Quod profectò non eſt, (ut ajunt illi Doctores) diſputando, in hanc partem eum magis inclinâſſe; ſed tanquam certum, & tenendum ſtatuiſſe, ſanxiſſe; ut vult etiam Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 10. *pu.* 1. *verſic. Ioannes verò:* & patet intuenti.

Hinc Bellarminus *tom* 1. *Controverſ. in tract. de ſummo Pontifice lib.* 4. *cap.* 14. *col.* 2. *verſic. De prima:* & alij, inter quos Politius noſter *cit. num.* 7. concedere non reformidant, Joannem ipſum ea in ſententia errâſſe, deceptum fuiſſe, ſeu rationibus nil convincentibus, æquivocatione laborantibus paralogizâſſe. Quod tamen non placet *Rebello cit.* eique calumnia (ut ipſe ait) videtur non toleranda. 21

Verùm, non eſt cur ei ſic diſpliceat ſenſus iſte illorum Doctorum, inter quos Eminentiſſimus Cardinalis, de Romana ipſa Eccleſia, & Summo Pontifice controverſiarum elucidatarum voluminibus, alijſq; pijs præclariſq; operibus optimè meritus. Non eſt cur zelo fervens (minùs tamen ſecundùm ſcientiam) eos tanquam calumniatores haudquaquam tolerandos ſuggillet. Certum eſt enim (ut benè obſervavit *Bellarminus ipſe cit.*) Decretum illud, & Extravagantem Joannis, *Ad conditorem:* ad Fidem, aut mores Univerſalis Eccleſiæ neutiquam pertinere. Quod etiam in hoc propoſito advertit Martinus de Eſparza *tom.* 2. *Curſus Theolog. lib.* 8. *quæſt.* 50. §. *Ad primum:* dicens, doctrinam illam Joannis XXII. non fuiſſe definitivam, ut Pontificis; ſed merè aſſertivam, ut Doctoris privati: quia controverſia erat de puncto Iuris, & non de re dogmatica. Et huic concors eſt Card. de Lugo *tom.* 1. *de juſt. & jure diſp.* 2. *ſect.* 3. *num.* 5. quam vide *per totam illam ſectionem* hac de re exquiſitè agentem. Quod cum ita ſit, compertum quóque, & in confeſſis apud omnes non eſſe non poteſt, Pontificem potuiſſe in ea definitione errare. Non igitur ægrè ferendum, ſi id à prædictis Doctoribus pronuntiatum fuerit. Si quidem privilegium illud, ac ſpecialiſſimum donum, quod Romano Pontifici divinitùs collatum ſuſtinent, ac demonſtrant communiter orthodoxi omnes Doctores; quod videlicet errare non poſſit; ac propterea publica in eo infallibilis doctrinæ Veritas agnoſcenda ſit, ac veneranda; locum habet in ſolis Fidei dogmatibus, ſeu propoſitionibus; aut in ijs, quæ ad mores vniverſalis Eccleſiæ ſpectant, definiendis. Nititur enim illis Chriſti Domini verbis ad Principem Apoſtolorum, ſuíque ipſius Vicarium, atque adeò in perſona Petri ad omnes, & ſingulos ipſius legitimos ſucceſſores, directis: *Ego autem rogavi* 22

gavi pro te, (scilicet Petro) *ut non deficiat Fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Lucæ *cap.* 22. Idque ex huc loco Evangelico colligunt Lucius I. *in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ*; Felix I. *in Epist. ad Benignum*; Leo I. *serm.* 3. *de assumpt. sua ad Pontificatum*; Agatho *in Epist. ad Constantinum*, quæ lecta fuit in VI. Synodo *Act.* 4. & 5. Innocentius III. *in Epist. ad Episcopos Arelat.* D. Bernardus *in Epist.* 190. *ad Innocent.* D. Thomas 2. 2 *q.* 1 *art.* 10. Azorius, Bellarminus Boverius noster *infra cit.* & communiter, ut dixi, Doctores Orthodoxi: ita ut certus apud eosdem sensus sit, Pontificem, tanquam summum totius Ecclesiæ Præfectum, & Pastorem agentem, nullo modo aliquid hæreticum definire posse à tota Ecclesia credendum; ut benè tradunt Azorius *p.* 2. *Instit. moral. lib.* 5. *cap.* 4. *§. Tertiò quæritur*: & Boverius *noster tom.* 2. *demonstrat. Symbolic. lib.* 3. *in demonstrat. octavi Symboli*: *art.* 2. ex D. Thoma cit. V Valdensi, Melchiore Canu, Petro à Soto, Caietanu, Joanne Turrecremata, Driedonio, & alijs communiter. Cum hoc tamen stat, quòd Pontifex, ut privata quædam persona est, in Fide possit errare; ut tradunt Layman *lib.* 2. *trac.* 1. *cap.* 7. *assert.* 2. & Azorius cit. *cap.* 4. *§. Secundò quæritur*: contra quendam Albertum Pighium id negantem: cujus tamen sententiam novam in Ecclesia esse asserit Canus *de locis Theolog. lib.* 6. *cap. ult. in respons. ad* 11. *argumentum*: immò verè singularem iudicat Azorius ipse *ibid.* nec verisimile ei videtur, quòd Christus Dominus Papam, tanquam privatam personam ità confirmaverit, ut personali errore deficere non possit à Fide.

23 Ego tamen probabilem relinquo utramque sententiam, & neutram definire præsumo: quandoquidem etiam Pighij sententiæ videtur favere Bellarminus *de Romano Pontifice lib.* 5. *cap.* 6. immò & *Boverius cit.* qui Bellarminum ipsum pro hac sententia abducens, piè probabilem eam posse colligi, docet hisce verbis: Et si Pontifex, ut homo, ac privatus Doctor, more hominum, aliquid sentire possit à Fide diffonum, ut plures asserunt; quod tamen usquequaque non est certum, cum ex eo quòd nullum hactenùs inter Pontifices hæreticum fuisse, probare potest, (hoc etiam ostendit Azorius *cit cap.* 5.) piè colligi valeat, probabile esse, summum Pontificem, etiam ut privatum hominem Dei dono hæreticum esse non posse: ut sentit Bellarminus. Hæc *Boverius cit.* qui tamen *in Censura contra Marcum Antonium de Dominis, Censura in tractatum de legitima creatione Cardinalium, nomine Dominici Veneti Episcopi Torcellani inscriptum, & in lucem editum ab eodem Marco Antonio: versic. septima propositio*: expressè sequitur sententiam *Azorij*, atque adeò communiorem, dicens: Pontifex quidem errore personali labi potest, cùm homo sit, proprij arbitrij libertate præditus; neque certum sit, eum aliquo à Deo privilegio munitum esse, quo à personali errore immunis esse debeat (hoc & Caietanus docet, etiam quoad errorem in Fide, *in* 2. 2. *D. Thomæ, q.* 1 *art.* 10. At cùm is (sequitur *Boverius*) non tam singularem, quam publicam Capitis personam gerat, qua Ecclesiam velut Magister, in vera Fide, ac doctrina instruendam suscepit; is profectò, ut Fidei ac Veritatis Magister suavi Dei Providentia agente, errorem in Ecclesia neq ue docuit, neque docebit unquam: idcircò enim illi perpetua, & indelebilis Fidei infallibilitas à Deo collata fuit; non quà is omni errore careat; sed quà perniciosum errorem nunquam ex Cathedra doceret. Hæc iterum *Boverius cit.*

Quæ cum ita se habeant, quid est, quòd *Rebellus* calumniam non tolerandam judicet, ac pronunciet, si qui Doctores asserant, sententiam Joannis XXII. qua de agimus, rejiciendam esse, aut etiam ea in re illum erràsse concedant? Est ne hæc dogmatica materia, aut Fidei doctrina, quam ex Cathedra ille docuerit? Absit: sed quæstio particularis est, & materia, quæ de facto est. At summus Pontifex, non solùm ut privata persona, sed etiam ut publica, errare, & decipi potest in particularibus quæstionibus dijudicandis, quæ plerumque de facto sunt; ut ex Corduba Bannes, Bellarmino, & ex communi sententia tradit Layman *cit. assert.* 4. Sed esto, quòd non erraverit; adhuc tamen in hac re audiendum eum non esse affirmo, neque vel minimum quidem facessere debet negotium eius sententia, aut farrago ex iure abductarum rationum; fuerit ipse quantumlibet magnus Jurista: quippe abrogata, & meritò hujusmodi sententia ab ejus successoribus fuit; quin, & ab ipsomet revocata, ut infrà constabit. 24

Sanè autem absit mihi, & omnibus minoricæ Regulæ professoribus illum audire, expressè contra Regulam ipsam loquentem §. *Nec obviat*: ubi ratione supradicta, scilicet *usus iusti*, contendens ostendere, quòd Nicolaus III. non reservaverit sibi, & Ecclesiæ Dominium rerum, vnico præsertim usu per Fratres consumptibilium: *ad finem*, §. habet hæc verba: Immò, quòd de usu justo intellexerit, ex eo potest evidentiùs apparere, quod in eadem Ordinatione (scilicet *cap. Exyt*:) curavit adjicere, quòd illarum rerum duntaxat in se, & Ecclesiam Romanam recipiebat dominium, quorum usum facti liceret habere Fratribus, seu Ordini ante dictis: subjungens nihilominus, quòd non rerum omnium usum habere debeant Fratres ipsi: quantùm autem ad usum facti 25

facti simplicem absque omni jure utendi attinet, nulla rerum, quoad Fratres differentia est censenda; sic enim uti de facto possunt prohibitis, ut permissis. Quare præmissa rerum distinctio ad illum usum facti potiùs est referenda, pro quo ipsis competit Fratribus jus utendi: quarumdam enim rerum usus Fratribus ipsis prohibitus noscitur; & quarumdam permissus: ex quo sequitur, quòd usus facti de quo Ordinatio loquitur de tali intelligi debeat, qui justus sit; idest pro quo competat jus utendi: & hoc conditor ipse Canonis exprimit evidenter, cum *in eadem Ordinatione* adjecerit, quod moderatus usus in expressis priùs rebus Fratribus est concessus. Atque hæc illius sunt verba. In quibus profectò expresè contra Regulam perhibetur, hactenúsque apud zelatores ipsius observantiæ inauditum effatum illud: Quantùm autem ad usum facti simplicem absque omni jure utendi attinet, nulla rerum, quoad Fratres differentia est censenda; sic enim uti de facto possunt prohibitis, & permissis.

26 Sequeretur enim Fratres posse percipere annuatim fructus usu consumptibiles, ad cibum, & potum, in suo ipsorum victu, alicujus fundi, aut possessionis, modò nullam haberent ipsi, aut Pontifex, vel Ecclesia pro ipsis proprietatem, aut jus ad tales fructus annuos percipiendos. Quod certè ab omnibus omninò Regulæ expositoribus, & à Clemente V. *in Clement. Exivi: §. Proinde:* execratum est; esset enim habere simplicem facti usum illorum prædiorum, seu stabilium, ut patet.

27 Sequeretur etiam, posse eosdem Fratres uti eo modo pecuniâ, vel denarijs, illos per se ipsos expendendo, dummodò semper reservaretur ad ipsius pecuniæ, vel denariorum tantùm dominium, & jus repetendi eos pro arbitratu suo, donec non fuerint conversi in res utibiles pro ipsis Fratribus. Quod etiam est in Regula à Seraphico Patre repetitis vicibus expressissimè interdictum.

28 Loquitur igitur Nicolaus III. de rebus, quarum usum licet Fratribus habere de facto simplici, secundùm Regulam; & quidem moderatum, ad distinctionem earum rerum, quarum etiam usum simplicẽ facti habere possunt Fratres ipsi, sed arctatum, secundùm Regulam ipsam: secundùm quam non omniũ rerum usus, vel simplex facti, licitus est Fratribus, cujusmodi sunt usus (ex Regula nimirum vetiti) bonorum immobilium, aut inter immobilia computatorum, præter domum, & hortum: ut alibi dictum est; usus pecuniæ, aut denariorum; usus equi; usus calceamentorum; usus curiosarum, pretiosarum, aut superfluarum rerum, etiam spectantium ad divinum cultum, nedum ad eorumdem Fratrum sustentationem.

29 Atque hujusmodi usus, de quo loquitur *Nicolaus*, rerum scilicet, secundùm Regulam, Fratribus licitarum; fit deinde etiam justus, non justitia civili, & politica, sed justitia naturali divina, per concessionem Domini, jus habentis revocandi ad arbitrium suum; ut dictum est *in superioribus*.

Quapropter non solùm hallucinatus fuit *Joannes* in justitia usus aut dignoscenda, aut asserenda; (quod tamen parum fuisset, & prætereundum) sed etiam profectò exorbitavit à Regula in effato illo; Væque Fratribus Minoribus Regulæ suæ puritatem profitentibus, si illud audiant, & in praxim ducant. Atque huc spectat id, quod ait P. Joannes de Fanu *in suo brevi discursu de Paupert. Minorica*, hisce verbis: Fratres Minores promittunt paupertatem non solùm in non habendo rem aliquam propriam; verùm etiam in paupere usu rerum necessariarum: & ubi est superfluitas, & usus abundans, non est paupertas. Et qui oppositum tenent, considerent benè, quòd *cap. Exyt: de verb. signific. in 6.* dicit; quòd usus omnium rerum non est nobis licitus, sed solùm necessariarum sustentationi naturæ, & executioni officiorum. Et, si non teneremur ad paupertatem in usu, sed solùm in non habendo proprium, possemus habere usum opulentum, ac divitem, ut divites hujus mundi: & habere vineas, & campus, salvo quòd proprietas non esset nostra sed aliorum: quod est falsissimum. Ita ille. 30

In uno igitur tantummodò Joanni prædicto applaudo, quod scilicet adducit *§. Rursùs:* pro ratione repudiationis prædictę: nimirùm quòd prętextu dominij ad Ecclesiam spectantis, quoad res Fratribus concessas, ij per procuratores nomine quidem Ecclesiæ agentes, sed plerùmque cum assistentia ipsorum Fratrum instigantium (ut ait etiam Clemẽs V. recensens abusus, quibus providere intendebat *in Clement. Exivi: §. Proinde:*) coram judicibus tùm Ecclesiasticis, tùm sæcularibus, etiam pedaneis; immò quandoque indebitè, & cum nota cupiditatis, & avaritiæ, vexare multos dicebantur: ut ibi latè *Joannes* hoc exaggerans. Quod certè & ego cõdemno execror, & detestor cum *Clemente V. cit.* Sanè enim id & derogat honori ipsius Ecclesiæ, (ut ait *Joannes*) & expresè est contra Regulam: & privilegium, quoad hoc concessum à Martino IV. ad exigendas scilicet in foro per procuratores hujusmodi res donatas, aut legatas; non potest acceptari, aut exerceri à professoribus Seraphicæ Regulę cum pura observantia ipsius; cui propterea, & omnibus hujusmodi relaxativis concessionibus Pontificum expresè renunciatur in nostris Capuccinorum constitutionibus *c. 1.* Quinimmò, licet ex declaratione Nicolai III. *cap. Exyt §. Ad hæc quia:* (cujus declaratio, cum illa Clementis V. 31

in Clement. Exivi: specialiter acceptatur à nostris Patribus) ex D. Bonaventura, & ex alijs communiter Expositoribus Regulæ, juxta Regulam; fas sit Fratribus gaudere in prædictis officio Iudicis nobili, sive Ecclesiastici, sive sæcularis; quia tamen id aut nunquam, aut vix dari potest sine scandalo pusillorum, ab hoc quoque abstinendum duxerim omninò, præsertim à manifestatione facienda Iudicibus per Fratres, vel per interpositas ab ipsis personas.

32 Certè autem abusus ille, quem *Ioannes* adducit, & jure optimo exaggerat, rationabilem ei ansam præbere potuit repudiationis prædictæ faciendæ; quam utique quilibet etiam alius Pontifex, si ei ita videretur, facere posset, maximè subrepente (quod Deus avertat) iterum ejusmodi abusu, & relaxatione inter Fratres Minores: non attentis alijs rationibus Joannis *in ea Extravagan. Ad conditorem*: quæ certè nihil convincunt, & potiùs paralogismi sunt, quàm syllogismi. Nunquam tamen à quoquam poterit ullius rei dominium, possessio, aut jus refundi in Fratres, ita ut his verè acquisitum censeatur, nisi ipsi aut expressè, aut interpretativè, acceptent & velint: ut diximus *hic suprà num.* 16. allatis juribus, cum Seraphico.

33 Et quamvis Joannes prædictus concludat extravagantem illam, *Ad conditorem*: cum ista clausula: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, inhibitionis, constitutionis, & intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire*: Adhuc tamen, vel si ab ipsomet non fuerit ante mortem suam revocata, potuit jure optimo ab ipsius successoribus Pontificibus abrogari, confirmatis ad plenum decretalibus Nicolai III. *cap Exijt*: & Clementis V. *Clement Exivi*: Et ratio est; quia, cùm ea nun sit de re Fidei, & dogmatica, ad mores universalis Ecclesiæ spectante, non potuit *Ioannes* per hujusmodi sanctionē ligare successores, aut dirigere lege ulla; quia in his par in parem non habet imperium, nec ligare, aut solvere potest.

34 Pro cujus rationis intelligentia notanda est doctrina Cardin. Thomæ Cajetani *in 2.2. Aquinatus super quæst.* 1. *art.* 1. *in respons. ad* 1. dicentis: Ad id verò, quod in primo dubio affertur, quod par in parem non habet imperium: dicendum est, quòd Papa dupliciter diffinit; scilicet vel ex sola authoritate Papatus, ac de his procedit argumentum, & regula, quòd par in parem non habet imperium: (ut est textus clarus *in cap. innotuit: extra, de electione, & electi potest.* nisi se subijciat ei; ut *ibi* Gloss. Atque in his potest quidem Papa successoribus suis indicare, sed non legem imponere; juxta textum *in cap. quia per ambitiosam: in fin. de rescriptis, in* 6. ubi Gloss. & *in l. digna vox: Cod. de legib. & constitut.* & ibi Gloss. & *l. ille, à quo: §. tempestivum: ff. ad senatuscons. Trebellian.* ubi Gloss. alia plura jura indicat ad idem) Vel diffinit Papa ex authoritate Papatus, ut subsistit divinæ assistentiæ dirigenti in hoc certè, & indubiè: & in his tantùm, Papa dirigit lege, quam condit, seipsum, & successores, & diffinit irrevocabiliter; eo quòd sine pœnitentia sunt dona Dei; ut dicitur per Apost. *ad Romanos cap.* 11. Et ratio est; quia in his Papa excedit se ipsum: sicut David inexcedendo seipsum, se, & omnes verè judicavit mendaces, dicens *psalm.* 115. *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.* Talia autem sunt ea, quæ sunt Fidei; quod scilicet Papa non ex sola Papatus authoritate, sed ex Papatu, ut substat divinæ assistentiæ ad Ecclesiæ Fidem veram docendam, diffinit judicialiter in materia Fidei, excedens seipsum; & propterea determinat non respectu horum, sed simpliciter, & irrevocabiliter, ac ligat se, & alios; & par in parem habet imperium; quin, & successores tenentur se subijcere prædecessori. Vide etiam Gloss. *in cap. Achatius*: 24. *quæst.* 1. *ad V. in hæresim.*

35 Præterquàm quòd clausula illa Joannis: *Nulli ergo hominum, &c.* suapte natura successures Pontifices non comprehendit. Cum enim Papa propriè sit Christi, Deique ipsius Vicarius, non autem propriè Vicarius aut Petri, aut prædecessorum suorum; quodammodo (sanè loquor) non est purus homo: ergo non comprehenditur in illa clausula. Vide Gloss. *in proœm. Clement. de Sum. Trinit. & Fide Cathol.* §. *Hæc sunt: Ad V. Papa; & in Clement. dudum: de judæis, cap.* 1. *ad v. undequaque, & in Clement. Romani Principes: cap. un. de jurejurando, ad v. Vicarium*: & ibi textum: Et iterum Gloss. *in cap. Fundamenta: extra, de electione, & electi potestate ad v. homini*: & Turrecrematam *in Sum. de Ecclesia. lib.* 2. *cap.* 37.

36 Ex hisce igitur omnibus liquidò constat, Joannem prædictum, quatenùs ad rem nostram attinet, non esse audiendum: primò, quia in hac re dijudicanda, non solùm ut Doctor, & persona privata, sed etiam ut Pontifex, quippe ex mera authoritate Papatus diffiniens, potuit decipi, & laborare in æquivocis. Secundò, quia meritò, juréque optimo, esto non fuerit deceptus, ipsius determinatio fuit à Successoribus abrogata; quin & ab ipsomet, ut videbimus revocata.

Profectò autem rationes illius, quantumlibet juridicæ, & subtiles, ut jactantur *ibi in Rubrica*, patulis laborant æquivocationibus; ita ut quæstio reducatur ad vocem tantùm & differentia revocetur ad conceptus quidditativos terminorum, ut benè observat Esparza *cit. suprà.*

37 Pro quibus solvendis recole diligenter superius

periùs dicta, & alta mente reconde id, quod observat Glossa *in cap. omnes leges: dist.* 1. & ex ea Politius noster *in cap.* 6. *Reg. num.* 5. & ante ipsum Corduba *ibid.* §. *ad aliud*: secutus sententiam *Ubertini de Casali*: quòd scilicet dominium, & jus dupliciter dici potest; ita ut aliud divinum naturale, aliud civile & polyticum appelletur. Primum est, cùm v. g. quis utitur re aliena, (sive hæc usu consumptibilis sit, sive non:) lege divina, & naturali inoffensa, & permittente; putà in extrema necessitate, aut cùm dominus rei ita permittit, vel tenetur permittere, quocúnque eum jure cogente. Secundum est, cùm quis ea re utitur ex vi tituli, & facultatis per legem humanam civilem & politicam, Cæsaream, vel Canonicam, sibi competentis. Primum dicitur etiam à Seraphico Doctore *in c.* 6. *Reg.* §. *Ad Sanctum*: Dominium, & jus impropriè dictum; alterum verò propriè dictum. Filliucius *tom.* 2. *tractat.* 31. *cap.* 3. *num.* 62. primum appellat Ius revocabile, dependens; & secundum quid: alterum verò Ius irrevocabile, independens, & absolutum: atque usum irrevocabilem vocari à Nicolao III. *in cap. Exyt*: Usum Juris; & quidem satis Theologicè, & subtiliter: revocabilem verò vocari ab eodem usum facti, non quòd in eo nihil Juris (idest justitiæ, & æquitatis) sit; quia verè est usus justus, æquus, & licitus concedente domino, aut lege divina naturali; sed quòd licentia illa, seu facultas utendi dependens, & revocabilis est pro veri domini arbitratu; atque adeò, si quid juris ea alicui videatur dicenda, (quod tamen ego non admitto, nisi de jure divino naturali) non erit jus absolutum, sed secundùm quid, vel dependens. Si tamen adhuc, secundùm *Filliucium*, per jus absolutum intelligamus, ut decet, jus civile, & politicum, juncto naturali, sicut etiam apud Iuristas intelligitur obligatio stricta, & absolutè actionem pariens, quæ civilis est, juncta naturali; oriens ex jure civili ipso, juncto naturali; necesse erit per jus secundùm quid, vel dependens, intelligere solùm jus divinum naturale, secluso omninò jure civili, ex quo nec oritur obligatio absolutè dicta, secundùm Iuristas. Unde prò prioribus terminis loquens *Glossa cit.* Primum appellat *Fas*: alterum *Ius*. Audi illam: Fas, lex divina est; Jus, Lex humana. Fas, seu æquum est, lege divina naturali, comedere v. g. uvas in alterius vinea tempore veræ necessitatis; sed licet Fas, & æquum sit. (unde & licitum dici potest; quia nimirum licitè, citra peccatum ullum, utitur comedens illis uvis, etiam destruendo earum substantiam:) jus tamen non est; quia non dat civilem actionem ad hoc. Idem dic de comedente in alterius vinea uvas, vel alios fructus etiam extra tempus veræ necessitatis, sed sciente, & permittente, aut invitante domino, qui ad placitum suum potest comedentem hujusmodi è vinea exturbare, aut prohibere à comestione uvarum. Sicque ratiocinandum est etiam de dominio; quod quidem adhuc minùs latè patet, quam jus; omne enim dominium dicit, seu importat jus; non omne autem jus dominium infert.

39 Hæcque omnia perspicuis verbis, & adhuc distinctiùs, tradit Henricus Gandavensis *in quodlib.* 9. *quæst.* 26. referente mihi Gomitolo *lib.* 4. *respons. moral. quæst.* 15. *num.* 5. Sunt autem (inquit Gandavensis) quatuor per ordinem se habentia, secundùm quæ super eandem rem diversas potestates diversi habere possunt diversimodè. Quæ sunt *Fas*, *Licitum*, *Ius*, *Necessitas*: & includitur semper prius in posteriore. *Fas*, est æquitas naturalis, qua quisque potest uti re alterius absque damno, & incommodo illius: ut enim dicitur *Decretorum dist.* 1. §. *omnes leges*: Transire per agrum alienum, Fas est, idest æquum, cùm subest causa, & innoxius est transitus. *Licitum* est quod à Lege (sive divina, sive humana) indultum est: quo nimirum quis potest uti re aliena in aliquale damnum ejus. In vetere enim Lege licitum erat comedere uvas in agro alterius, sed non exportare; & conterere spicas, sed non falcem immittere. & idem dic in præsenti, cùm non Lex, sed dominus particularis rei indulget, & concedit usum Fratribus Minoribus, quo usu res ipsa consumitur, & destruitur, atque adeò cum damno, & incommodo ipsius domini; quod tamen minùs propriè, secundùm jura, damnum, & incommodum dicendum est, utpote sine fraude, aut dolo, aut domini injuria, juxta *cap. scienti: de regul. jur. in* 6. *& l. nemo videtur: ff. eo tit.* ubi Glossæ. *Ius*, est æquitas, quæ dat actionem ad rem vendicandam. *Necessitas*, est opportunitas utendi re aliena: discipulos enim, cùm per segetes transeundo evellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox innocentes vocat; quia coacti fame hoc fecerunt, ut dicitur *de Consecrat. dist.* 5. *cap. discipulos*: ubi dicit Gloss. *Necessitas famis excusat factum.* Hæc Gandavensis. Unde in præsenti, quòd Fratres Minores utantur rebus sive usu consumptibilibus, sive inconsumptibilibus, saltem unico, quæ in dantium, vel Pontificis Romani, sedisve Apostolicæ jure, & dominio sunt; Fas, & Licitum est, seu Licitum, quod includit Fas; non autem jus; quia non est cum actione vendicandi sibi rem ipsam, qua hic, & nunc v. g. utuntur, si proprius ejus dominus illam ad se revocet. Unde non peccant quidem, utendo; sed si à quopiam, etiam non domino; atque adeò injustè auferatur res illa, non possunt pro illa; aut illius

usu agere in judicio; hoc enim supponit Ius, scilicet propriè dictum, & civile. Atque hinc benè illa sequitur Protestatio, quam supra retuli in nostris Capuccinorum Constitutionibus, *cap.6. Facciamo intendere, &c.* Quare ab usu licito, justo, & æquo. Fas quidem, aut licitum inseparabile est; non autem jus Civile, aut dominium, vel proprietas. Separari autem hæc oportet in usu rerum Fratribus Minoribus concessarum, sive in communi, sive in particulari, propter inhibitorium Regulæ ipsorum præceptum, quod scilicet nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; hocque tam in communi, quàm in particulari.

40 Videri etiam potest Azorius *tom.1. Instit. Moral. lib.12. cap.24. §. duodecimò quæritur. in fin.* & Bellarminus *cit.* ubi contra Achillem *Ioannis prædicti* ait, quòd esse dominum, non est, posse rem destruere quocunque modo, ut videtur sibi velle *Ioannes*; sed posse libere destruere, quando, ubi, quomodo quis voluerit, & etiam donare, vendere, & commutare independenter ab alio.

41 Ex quibus colligitur, quòd usui simplici de facto, seu purè passive sumpto, de quo disceptat *Ioannes ille*, nullatenùs convenit definitio ulla alicujus veri dominij, aut juris proprietatis; ut tradit etiam Esparza *loc. cit. & quæst.*48. Immò eidem expressè repugnat definitio juris proprietatis, quod in Communi definitur, Libera facultas disponendi circa rem, vel personam, quoad usus, vel actiones lege permissas, non impedibilis licitè ab alijs; ut bene idem Esparza *cit. quæst.*3. *§.... art.*4. Neque enim talis usus, aut potestas, vel facultas taliter utendi, est libera apud ipsos Fratres facultas, munita lege favore ipsis, & gravante alios; solùm siquidem existit munita gratiosâ, & piâ alterius voluntate, semper revocabili, adeóque est gravata per legem in favorem ita potentis revocare permissionem, & impedire usum propter solum commodum, immò pro arbitratu impedientis domini, vel aliud quodcúnque jus circa rem habentis. Quare, magna sit utcúnque affinitas quoad exteriorem, & sensibilem praxim, seu per se operandi modum, inter dominum, & non dominum Usus utrique liciti, maxima nihilominùs differentia est, quoad affectum, & interiorem animi dispositionem. Longè namque diverso modo incubat animus dominantis tam rebus, quàm usibus, verè, & propriè, hoc est civiliter suis, & inimpedibilibus; quàm ijsdem adhæreat animus non domini semper quantùm est de se dispositus, ut privetur rebus omnibus, omníque rerum omnium usu; quoties ei, qui propriè dominus est, præcisè libuerit; ut patet ex protestatione nostrorum Patrum *in loco constitut. suprà allato.*

Sic igitur jam soluta omni æquivocatione *Ioannis prædicti*, potest facilè controversia componi; sicuti factum fuisse recenset Corduba *in cap.6. Reg. §. secundus modus dicendi:* per responsionem Ubertini de Casali, lectam anno 1330. in Consistorio Summi Pontificis, & ab ipsomet Joanne Papa, & ab utraque parte contraria approbatam; qua dicebatur: Asserere, Christum, & Apostolos habuisse rem mundanam in particulari, vel in communi, quatenus constituebant peculiarem congregationem, quæ dicebatur Collegium Apostolicum; ut alibi docuimus, dominio, & jure propriè dictis, hoc est civiliter propriam; est hæreticum: Negare autem, quòd Christus, & Apostoli aliqua habuerint tùm in particulari, tùm in communi, ut præfertur, dominio, & jure impropriè dictis; hoc est secundùm jus naturale divinum, seu secundùm *Licitum*, quod *Fas*, & *æquum* includit; aut etiam secundùm *necessitatem*, quæ tria prædicta includit, secundum *Gaudavensis* doctrinam; hoc quoque hæreticum est. Sicque Papa *Ioannes* fuit tandem Ordini Minorum conciliatus, revocans quæ dixerat in contrarium; ut testatur Corduba *cit.* ex Chronicis Nicolai Galbagher: sed & mentionem facit hujus responsionis, & reconciliationis Fr. Marcus Ulyssiponensis *in 2. part. Chronic. lib.8. cap.*10. Quinimmò in Actis cujusdam Capituli Generalis Medinensis R.R. Patrum de Observantia, sequens clausula reperitur; ut testatur mihi Casarubios *in Compend. Privileg. V. Bona:* nimirùm: Capitulum Generale declaravit, quòd Joannes Papa XXII. revocavit ante mortem suam quidquid dixerat, seu fecerat contrarium Ecclesiæ, & determinationi Romanorum Pontificum. Quare Constitutiones, quas fecerat contra nostras declarationes, scilicet, Nicolai III. & Clementis V. nullius sunt roboris, vel momenti. Neque dubitat Casarubios *cit.* dicere, Joannem prædictum *in suis illis Extravagantibus* adversatum fuisse non solùm veræ paupertati Fratrum Minorum, sed etiam Apostolorum, & Christi. 42

Sit igitur conclusio *hujus §.* quòd cùm dicitur, in rebus quibuscúnque præsertim unico usu consumptibilibus, non posse dari usum licitum sine dominio, vel jure aliquo; Verum est de dominio, & jure impropriè dicto, quod propriè Licitum, & Fas, vel Æquum est; sicque intelligendus est *Ioannes prædictus*; vel, si quis eum intelligere contendat de jure propriè dicto, necesse est etiam intelligat de usu non tantùm licitu, & merè passivè, sed etiam activè, & potestativè sumpto, 43

ſumpto, pro jure, ſeu libera facultate utendi licitè ab alio non impedibili, prærerquàm per legem honeſtatis ſecũdùm ſe; ut loquitur *Eſparza cit.* At verò non eſt neçeſſe ad uſum licitum prædictarum rerum dominium, aut jus propriè dictum, & civile, ſeu plenum; ut loquitur Vaſq. *alibi cit.* hæc enim ſicuti adæquatè omninò diſtinguuntur, ita & ſeparari poſſunt ab actu ſimplici facti, ſeu purè paſſivè ſumpto, ac terminativè reſpectu juris, cui ſubeſt; ſeu ſumpto pro nuda phyſica poteſtate licitè utendi; ut loquitur Eſparza *cit.* §. *art.* 1. & ſic intelligit Nicolaus III. *in eo cap. Exyt:* §. *Nec quicquam:* illis verbis: *Qui uſus, non juris, ſed facti tantammodo nomen habens, quod facti eſt tantùm in utendo præbet utentibus, nihil juris:* huc eſt nullam actionẽ aut ad rem, aut ad uſum ipſum judicialiter in foro vendicandum. Atque hæc paulò fuſiùs dicta non diſpliceant pro elucidando, & ſuſtinendo uſu ſimplici facti Fratribus Minoribus à ſua ipſorum paupertate tantummodò relicto, quoad res omnes, quibus uti ipſi poſſunt ſecundùm Regulam, tùm attento uſu arcto, tùm moderato: de quo tanta fuit olim diſceptatio.

---

§. XVI.

Oſtenduntur ſingulatim, & explicantur fines in §. §. *ſuperioribus indicati, quos ſuis Profeſſoribus ſtatuit Paupertas Minorica, quantùm ad uſum arctum.*

SVMMARIVM.

1 *Paupertati Minoricæ quæ repugnent, ſigillatim declarantur.*

2 *Paupertas Minorica dominium, jus, actionem civilem cujuſcunque rei tam in communi quam in particulari penitus abdicat.*

3 *Paupertas Minorica quarum rerum immobilium uſum admittat, necnè.*

4 *Paupertati Minoricæ repugnat uſus veſtimentorum mollium & pretioſorum.*

5 *Fratres Minores non utuntur lineis induſijs, etiam infirmi.*

6 *Paupertati Minoricæ repugnat uſus calceamentorum excepto caſu neceſſitatis.*

7 *Fratres Minores in caſu neceſſitatis, equo, vel rheda uti poſſunt.*

8 *Paupertati Minoricæ repugnat uſus ſeu receptio pecuniæ ad victum ſibi parandum.*

9 *Pecuniæ appellatione quid contineatur in jure tum Civili, tum Canonico.*
Pecuniæ triplex genus, ibid.
Pecuniæ & denariorum differentia, ibid.

10 *Paupertati Minoricæ repugnat recipere triticum & ſimilia ultra neceſſitatem ut per Syndicum commutentur pro aliis rebus neceſſarijs.*

11 *Paupertati Minoricæ non repugnat uſus denarij ſi non ordinetur ad aliquid comparandum ex contractu.*

12 Extrau. Exijt §. Inſuper, *explicatur adverſus* Crouſers.
Lex plura prohibens ſub disjunctione, dicitur violata ſi vel in uno non ſervetur, ibid. & num. 13.

13 *Heres non poteſt, revocare legatu Fratribus Minoribus relicta.*
Legatum annuum differt ab uſufructu & cenſu annuo.

14 *Paupertati Minoricæ repugnat ſuperflua recipere* eo animo *ut vendantur ad ſubveniendum aliis Fratrum neceſſitatibus.*
Procuratores ſeu ſyndici Fr. Minorum debent adminiſtrare res oblatas Fratribus nomine offerentium, ibid.

15 *Paupertati Minoricæ repugnat uſus Granariorum & Cellariorum, ſeu proviſionum citra evidentem neceſſitatem.*

16 *Paupertati Minoricæ repugnat uſus Eccleſiarum & ædificiorum, in multitudine & magnitudine exceſſiva.*
Et ſimiliter uſus vaſorum & paramentorum, num. 17.

18 *Paupertati Minoricæ repugnat omnis ſuperfluitas, abundantia, theſaurizatio, & proviſio in futurum.*

19 *Ad dominium acquirendum quæ requirantur ſecundum Iuriſtas.*

20 *Ad dominij acquiſitionem requiritur titulus cum traditione, vel in quibuſdam caſibus cum acceptatione. Ius in re, vel ad rem, declaratur,* ibid.

21 *Legatum ad pias cauſas an valeat ſine acceptatione,* & n. 22. & 23.

23 *Acceptare in ſenſu grammaticali, vel legali, quid ſignificet.*

24 *Dominium triplex rei legatæ in legatario diſtinguitur: primum dicitur fictum & revocabile: ſecundum, verum & revocabile: tertium, verum & irrevocabile.*

25 *Dominium legati etiam pij irrevocabile non acquiritur Cauſæ piæ ſine acceptatione expreſſa, vel tacita,* & n. 26.

26 *Donatio facta alicui, ita ut poſt certum tempus acquiratur Eccleſia, vel loco pio, an poſſit revocari à donatore antequam à Cauſa pia fuerit acceptata.*

IN ſuperioribus duobus §. §. præſertim in præcedente, contra effatum illud Joannis XXII. *in extravag. ad conditorem canonum:* §. *Nec obviat:* oſtenſum eſt, non omnium rerum uſum, vel ſimplicẽ facti, & merè paſſivum, omninò dependentem, revocabilemq; à vero dominu, eſſe Fratribus Minoribũ abſolutè licitum, vel ita regulâ expreſsè, arctante, vel ita de 1

 ſua

sua natura, ea, quam ipsi profitentur, arctissima, altissimáque, paupertate exigente. Indicavimus etiam obiter, quænam illæ sint res, quarum usus prædictus aut arctatus conceditur, aut etiam omnino omninò modo interdicitur. Nunc verò operæ pretium est easdem res ex instituto singulatim præ oculis ponere, & explicare; ut hinc exactam, rectamque habeamus amussim ad dignoscendum, quid Fratrum Regulæ, professioni, vel statui repugnet, necne.

2 Repugnat igitur primò, tanquam penitùs exterminatum, è finibus Minorici Status, habere tàm in communi, quam in particulari quodcúmque jus, aut dominium civile, seu actionem quancúnque politicam, tùm in re, & ad rem; tùm in usu, & ad usum; & quidem tam rei mobilis cujuscúnque, quàm rei immobilis, vel inter immobilia à Iure, Iuristisvè computatæ.

3 Repugnat secundò usus, & ususfructus, vel simplex facti, merèque passivus immobilium; exceptis tamen necessarijs ad habitationem, & recollectionem, vel recreationem honestam, & ad divina servitia exercenda; juxta doctrinam traditam §.6. *ex Nicolao III. & Clemente V.* Non solùm autem Immobilium usus, quæ verè suapte natura sunt in se immobilia; ut sunt domus, & fundi, seu possessiones, vel agri, est Fratrum statui, ut præfertur, repugnans, sed etiam usus eorum omnium, quæ veniunt nomine Possessionum; cujusmodi sunt ea, quæ successivè fructificant; ut armenta ovium, vaccarum, iumentorum; apes, columbæ, gallinæ: sive hæc habeant Fratres apud se, sivè apud alios: (ijs tamen ex bis exceptis, quæ *in prædicto* §.6. ratione modicæ quantitatis, & exigentis necessitatis infirmorum, vel aliorum, diximus non repugnare:) itémque ea omnia, quæ inter Immobilia à Iure, & à doctoribus communiter computantur, cujusmodi sunt annui census, vel reditus, formaliter tamen sumpti; vel si materialiter etiam sumantur, intelligantur civiliter certi, utpotè percepti ex vi tituli juris, seu reditus, censúsve ipsius civiliter acquisiti, ex parte Fratrum; quemadmodum dictum est de legato propriè dicto, *suprà* §. 12. & ex professo enucleabitur *infrà* §.18.

4 Repugnat tertiò usus vestimentorum mollium, & pretiosorum. Est enim *in Regula cap.2.* æquipollens præcepto formali Seraphici Patris jussio hisce verbis expressa: *Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur.* Et quod dicitur de vestimentis, intelligi etiam de cubilibus, quòd scilicet vilia sint, aspera, & paupercula; juxta communem Expositorum, Regulæ sensum, D. Bonaventuræ, Politij, Crousers, & aliorùm. Unde repugnat Fratrum statui usus cubilium, cervicaliumque plumeorum, aut laneorum, culcitrarum, linteaminúmvè, indusiorum, & cujuscúnque panni linei circa carnem; ut benè Fanus *alibi cit.* ex Farinerio *in cap.5.* & Martino V. *Utilitatem autem vestium* (ait Clemens V. *in Clement. Exivi: §. Præterea:*) *tam habitus, quàm interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ secundùm consuetudinem, vel conditionem patriæ, debeat quantùm ad colorem panni, & pretium, vilitas meritò reputari: non enim quoad regiones omnes potest determinatus unus modus in talibus assignari. Hujusmodi etiam vilitatis judicium Ministris, & Custodibus, seu Guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientias onerantes: ita tamen, quòd servent in vestibus utilitatem.* Hæc Clemens.

Neque quis putet, lineis uti esse Fratribus Minoribus interdictum, quemadmodum est etiam prohibitum cæteris Religiosis *in cap. cùm ad Monasterium: de statu Monach.* ex eo, quòd proprius Religiosorum habitus, etiam internus, laneus esse debeat; ut tradit Lezana *tom.1. Sum. cap.9. num.21.* Nam Fratres Minores lineis eam seis, alijsvè hujusmodi indusijs, aut pannis utentes peccant mortaliter; utpotè contra Regulæ interdictum; ut docet idem *Lezana cit.* cum Marchantio *in Exposit. Reg. cap.2. quæst.5.* & communiter alij ejusdem Regulæ Expositores. In alijs verò Religiosis est tantùm veniale peccatum hujusmodi transgressio, regulariter loquendo; immò nullum peccatum est, si communis usus Religionis ita præscripserit; & multò magis, si ita requirat aliqua infirmitas corporalis Religiosi; (quod unquam quantùm ad habitum, apud nos Capuccinos hactenùs usu receptum vidi, quacúnque ingravescente infirmitate) ut tradit idem *Lezana cit.* cum Sylvestro *in Sum. V. Religio.7.* Grassio *1. part. decis. lib.3. cap.5. num.69. & 70.* 5

Repugnat quartò usus calceamentorum, excepta necessitate, ex Regulæ sanctione æquipollente præcepto, illis verbis *cap.2.* Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Circa quam necessitatem dijudicandam ita declaravit Clemens V. mox cit. Ubi immediatè subjungit: *Quorum etiam Ministrorum, Custodum, & Guardianorum judicio eodem modo* (eorum scilicet conscientias onerando) *relinquimus, pro qua necessitate possint ipsi Fratres calceamenta portare.* Vide S. Bonaventuram *eò loci Reg.* ubi necessitatem calceamentorum gerendorum metitur, quemadmodum, & equitandi, si v.g. cogat expediendum aliquod negotium urgens, quod nec differri possit sine periculo, nec expediri, nisi per Fratrem debilem, & ideò indigentem calceamentis, ut eat, aut etiam equo, vel rheda. 6

Repugnat quinto usus equorum, vel hujusmodi jumentorum ad equitandum, juxta Regulę verba æquipollentia pręcepto formali *c.3.* ut 7

ut Fratres non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. Ubi S. Bonaventura ait: Et per consequens nec bigare, aut quadrigare, quæ majoris sunt sumptus: (rhedâ scilicet, aut quocunque genere cursûs) nisi manifesta necessitate prolixi, vel impediti itineris, vel negotij urgentis, vel infirmitate cogantur. Dicit autem: *Non debeant*, per eo quod est; *Debeant non equitare*: ita Seraphicus, & communiter Expositores. Atque hoc obligat sub mortali, nisi excuset materiæ parvitas, quam Diana *p.10.tr.11.resol.27.* cum Leonardo à Murcia nostro *qq. regul. ad cap.3.* dicit esse medium milliare; ita tamen ut, si vel hujusmodi parvæ equitationes frequentes sint in eodem itinere, coalescant in mortalem. Et consentit Antonius Cotonius *controv. celeb. lib.4. controv.6. cap.1. n.24.* Addens, quòd ipsa materiæ parvitas debet esse secluso scandalo: nam si v.g. Capucinus equitaret equo phalerato per stadium intra Urbem, absque necessitate, non excusaretur (inquit) à mortali: Quidquid dicant contra prædicta, aut probabile judicent Marchantius *in d.cap.3.reg.tex.4.q.2.* Diana, Murcia, & Cotonius citati, cum Sanctoro *in d. cap.3. regul. stat.23.* quoad quadrigandum, vel bigandum curru boum, aut rhedâ, cortinis etiam clausis. Immò nec licet Fratribus minoribus vehi se facere sellâ gestatoriâ, aut lecticâ; ut benè Cotonius *cit n.26.*

8 Repugnat sextò usus, seu receptio tùm denariorum (ut tales sunt tamen) tùm etiam pecuniæ; idest omnis rei, quæ procuratur, seu mendicatur, aut etiam spontè oblata recipitur, non ut Fratres utantur eâ immediatè, & in propria substantia, sed eo animo, & intentione, ut cum æstimatione pretij commutetur in aliam, aut vendatur, vel distrahatur per procuratorem; ut cum quatuor Magistris, cum SS. Patribus Ordinis, & Hugone Dina, juxtà declarationem Nicolai III. *in d. cap. Exyt:* communiter sentiunt Regulæ Expositores: sæpiúsque declaratum fuit in Capitulis Generalibus; & novissimè luculenter, Sanctóque zelo scripsit R. P. Clemens Pelandus à Beyomo strictioris observantiæ Alumnus *in sua luce Apologetica*, qua errorem illustrat Petri Marchantij Recollecti in ejus expositione literali in Regulam S. Francisci, ubi *ad c.4.* docet denarios, & pecuniam esse synonima: in quem etiam errorem incidit quidam ex nostris, P. Cyprianus Crousers Antverpiensis: sed ejus Expositio in Regulam fuit prohibita in quodam nostro Capitulo Generali, donec castigaretur, ut ex V Vadingo testatur *Pelandus ipse cit. pag. mihi 7.* In ejus autem castigatione, quæ facta fuit tùm à Patribus nostræ Congregationis, tùm à Sac. Congregatione, expungendo, declarando, modificando, & corrigendo, ut oportebat; (cujus habeo apud me exemplar) expunctus omninò fuit hujusmodi error, & omnia simul Corollaria ex eo sequentia; ut item fidelissime testatur Pelandus ipse *ibid.* qui idcircò solum Marchantium hactenùs incastigatum optimo jure, diguoque seipso zelo, redarguit, & refutat.

Quamvis enim quandoque etiam in iure cùm Canonico, tùm Civili, nomen *Pecunia*, strictiùs accipiatur pro pecunia numerata, scilicet pro denarijs: *ut 14 quæst.3. cap.1. 2. & 3.* secundùm aliquos ità putantes, usuram tantùm esse posse in pecunia sic sumpta: contra quos tamen ibi ex D. Augustino D. Hieronymo, & D. Ambrosio statuitur, omnem rem, quæ ultra sortem accipitur, pecuniam censeri, & materiam usuræ. Et facit etiam *cap.4. ibi, ex Concil. Agathensi.* Et *instit. de Emption. & vendit. §. item pretium:* ita ut in emptione, & venditione pretium debeat esse in pecunia numerata: aliàs est permutatio; ut ibi statuitur cum *Proculo I.C.* allata tamen etiam sententia Sabini, & Cassij Iurisconsultorum aientium, permutationem rerum quarumcùnque cum æstimatione pretij, emptionem, & venditionem contrahi, & in omni re posse pretium consistere: Nihilominus in utróque tàm Pontificio, quàm Cæsareo jure sumitur, ut plurimùm, nomen pecuniæ largè, & largissimè, pro his scilicet, quæ pondere, numero, vel mensurâ consistunt; & pro omnibus, quæ sunt, vel esse possunt in patrimonio; ut tradit Gloss. *in l. receptitia actione, §.1. in fi. C. de constituta pecunia:* & est *ibi* textus apertissimus, hisce verbis: *Sed & ut subtilitati eorum satisfiat, qui non sensum, sed vana nominum vocabula amplecti desiderant; ita omnes res venient in constitutam actionem, tanquam si fuisset ipsa pecuniâ constituta: cùm etiam veteris pecuniæ appellatione omnes res significari definiant, & hujusmodi vocabulum & in libris iuris Auctorum, & in alta antiqua prudentia manifestissimè inventum sit.* Concordat Paulus I. C. cum Proculo I.C. *in l.4. & 5. ff. de verbor. & rer. significat.* Ubi Gloss. itémque Vlpianus *in l.178. ff. eod. titul. & in l.1. §. vltimo,* & Paulus *in l.2. ff. de Calumniatoribus*, & ibi Gloss. & Mæcianus *in l. quisquis: 95. ff. de legat. & fideicom.3.* & iterum Ulpianus *in l. talis scriptura: 30. ff. de leg. & fideicom 1.* & Herennius Hermogenianus *in l. pecunia: 222. ff. de verb. significat.* tandémque textus expressus *1. quæst.3. cap. Totum quidquid:* ex D. August. ubi & *Gloss.* Favétque etiam ipsius pecuniæ etymon, secundùm D. Augustinum *ibi* aientem: Ideò autem pecunia vocata est; quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant. Unde Justinianus in *ea l. receptitia:* potuisset arguere

cavillatores illos, quòd & ipsum nominis vocabulum non amplecterentur. Et ita meretur argui *Marchant. cit.* Nam, quod Seraphicus Pater *eò loci Regulæ* usurpaverit nomen pecuniæ, in hoc communiori legum sensu, ex eo maximè verosimile evincitur, quòd postquam expresserat pecuniam numeratam nomine denariorum, addidit per disiunctivam, *Vel*, etiam pecuniam, scilicet omnem rem pretio æstimabilem. Undè appositissimè observavit S. Bonaventura *in cap.* 5. *reg.* quòd illud nomen pecuniæ tertiò inhibet *ibidem* Seraphicus Pater, propter triplex (inquit S. Doctor) genus pecuniæ, scilicet mineralium, terræ nascentium, & pecorum etiam à quibus pecunia est appellata. Differentiam hanc inter denarium, & pecuniam, novit etiam Card. Zabarella *in Gloss. ad Clement. Exivi* : *§. Porrò* : *ad V. Cippi, vel trunci* : inquiens : Nota differentiam inter denarios, & pecuniam, quia denarius est, qui olim pro decem nummis computabatur, pecunia verò propriè est substantia de pecoribus proveniens : Et nihilominùs maluit Cardinalis ille exponere disiunctivam illam particulam, *Vel*, quasi idem esset ac, *Idest* : & quòd ibi *in Regula* denarij, vel pecunia ponantur pro eodem. Subdit enim ille *ibidem* : tamen hoc hodie communiter hic accipitur pro eodem, & ideò expone literam *ibi*, denarios, vel Pecuniam : *Vel*, pro *Idest* : & hic nomine denariorum intelligitur omnis moneta magna, vel parva, aurea, vel argentea, vel alterius generis; & hoc quia & si licèt nummis legatis veniant, exiguiores tantùm : *l. nummis* : 75 *ff. de leg.* 3. Atqui & Zabarellam arguo, ut Marchantium.

10 Quapropter meritò etiam refutandus mihi occurrit Thomas Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 26. *num.* 14. ubi cum Corduba, & Roderico, contra Sorbum nostrum optimè sentientem, docet, non repugnare paupertati Minorum recipere triticum, & alias res superabundantes, idest ultra eorum necessitatem, ut per Syndicum commutentur pro alijs rebus necessarijs, vel vendantur ad has coëmendas. Dico enim, quòd quamvis (ut ipse ait) ita concesserit *Leo X.* & ejus concessionis verba referat Rodericus *tom.* 1. *qq. reg. quæst.* 26. *art.* 4. concurrantque etiam duæ illæ conditiones, quas ab ipsa *Leonis* concessione peti observat idem Rodericus *ibid.* & Corduba *in annotat. circa locum Sorbi* nempè *V. Commutare, num.* 3. *in compend. Privileg.* quarum prior est, quod illa superabundantia petatur ad habenda alia necessaria, quæ absque pecunia haberi nequeunt : altera est, ut ea commutatio, aut venditio fiat per Syndicum : quamvis, inquam, hæc omnia ita se habeant, adhuc tamen omninò cavere debent Seraphicæ professionis, & illibatæ observantiæ zelatores ab illa *Leonis* concessione; quia (ut optimè noster à Sorbo cit.) minoricam relaxat paupertatem, estque expresse contra Declarationem Nicolai III. *in d. cap. Exijt* : *§. Insuper* : cujus hæc sunt ipsissima verba : *Insuper nec utensilia, nec alia præter eorum usum ad necessitatem, & officiorum sui Ordinis executionem, ad ullam superfluitatem, divitias, seu copiam, quæ deroget paupertati, vel ad thesaurizationem, vel eo animo, ut ea distrahant*, (nota verba clarissima) *sive vendant; recipiant : nec sub colore providentiæ in futurum, nec alia occasione : quia immò in omnibus appareat in eis, quoad dominium, omnimoda abdicatio, & in usu necessitas.* Hæc Pontifex ille; quem perperam interpretatur Crousers *ad cap.* 6. *Regul. lect.* 3. Præterquam quòd est etiam contra declarationem ejusdem Pontificis declarationem, adeòque contra Regulæ, ac Minoricæ professionis puritatem, uti Syndico pro tali officio, commutandi scilicet aut vendendi res superfluas eo animo conquisitas, aut etiam spontè oblatas receptas, ut deindè commutentur, aut vendantur; ut patet ex *d. cap. Exijt* : *§. Quæ verò* : & latè ostendit *Pelandus cit. p.* 2. ubi totus est in ostendendo, contra *Marchantium*, concessionem Syndici juxta Martinianas constitutiones adversari puritati Minorici status, esseque (ut earundem tenor ipse sonat) concessionem, qua misericorditer dispensatur, & relaxatur Seraphicæ paupertatis rigor. Cujusmodi etiam est prædicta *Leonis* concessio. Quare ab his caveant Minoricæ observantiæ, & puritatis Regulæ Emulatores. Quidquid dicat (utporè insufficienter) contra hæc, Miranda *tom.* 2. *manual. q.* 30. *art.* 3 cum Antonio de Corduba *in annot. cit.* aliam Leoninæ prædictæ similem allegans, & afferens concessionem; scrupulosámque appellans, & nimis rigidam nostri à Sorbo sententiam, atque censuram.

Dixi suprà, per parenthesim (ut tales sunt 11 tamen) scilicet denarij, quorum usus, & receptio Regulæ repugnat : quia, ut tales, ordinantur suapte natura ad aliquid aliud comparandum in humano contractu. Quòd si utar. v. g. donario, aureo, aut argenteo pro quapiam alia necessitate, cui per illum in propria substantia fiat satis; hujusmodi usus non erit illicitus : putà si pro Fratre infirmo indigeam auro, quod ei propinem in medela, & detur ad hunc usum ab aliquo benefactore, seu amico spirituali denarius, vulgò *Zecchino, ò dobla*.

Dixi etiam mox suprà; post allatum illum 12 *Nicolai* textum contra Sanchez, & alios; perperam illum interpretari Cyprianum Crousers *cit. ibi* : Quia falsum est id, quod Crousers ipse putat, dicens, quòd Pontifex absolutè ibi non vetat recipere res eo animo, ut distrahantur, vel

vel vendantur. Falsum, inquam hoc est: nam sensus grammaticalis illius textus, quoad particulas, *Vel*, repetitis vicibus ibi adhibitas, disjunctivus est, ita tamen, ut omnia, quæ ibi disjunctive caventur, utpote quæ disjunctim occurrere possunt prohibita censeantur; ut intuenti patet. Prohibetur enim ibi disjunctim primò recipere ad superfluitatem in usu: secundò ad thesaurizationem: tertiò eo animo distrahendi, sive vendendi res receptas ad alia habenda: quartò etiam, colore providentiæ in futurum. Quòd autem disjunctim unum sine altero eorum contingere possit, patet; quia contingere posset, quòd Fratres sine animo distrahendi, ad superfluitatem tantùm respectu moderati usus, ad quem tenentur, secundùm suum statum, quòd tamen adhuc minimè saperet thesaurizationem, aut providentiam in futurum; possent item recipere ad thesaurizationem, absque tamen eo animo distrahendi, aut vendendi, & absque animo utendi superfluè in præsenti, nisi fortè ad provisionem in futurum, quæ cum thesaurizatione ferè coincidit: tandemque possent recipere aliqua animo ea distrahendi, aut vendendi ad habenda alia, quibus utantur in præsenti: citra superfluitatem, servata moderatione in usu requisita, atque adeò citra thesaurizationem, aut provisionem in futurum; prout consideranti facilè patet. Sicut autem cùm lex plura sub disjunctione præcipit, sufficit, quòd eorum quod libuerit impleatur, ut dicatur lex ipsa impleta; (ut diximus, & probavimus *suprà*, §. 14.) ita è contra, cùm plura sub disjunctione prohibet, sufficit, quod eorum quodlibet violetur, ut Lex dicatur violata. In alternativis enim affirmativis sufficit alterutrum esse factum, in negativis autem requiritur, quod neutrum: ut appositissimè observat Marginista *in Regul.* 70. *de reg. Iuris in* 6.

13 Præterquàm quòd particula illa, *eo animo*, refertur peculiariter ad rerum distractionem, aut venditionem, quæ peculiariter prohibendæ veniunt iure optimo; quia faciunt pecuniam: non autem refertur ad thesaurizationem ex distractione rerum (ut putat Crousers) prohibendam: hæc enim alia paupertatis formalitate excluditur, quàm pecunia, quæ, seclusis etiam superfluitate, & thesaurizatione, aut provisione in futurum, immò quacúnque urgentissima necessitate supposita; semper adeò est Fratribus Minoribus (conditione; & statu ipsorum consideratis) repugnans, ut nunquam in Ecclesiæ dominium transeat, sed maneat in dominio dantis, vel concedentis, cum libera potestate eam revocandi, sibique retinendi, quandiù non fuerit conversa in res, quarum usus in propria substantia est Fratribus ipsis licitus: sive ea sit pecunia numerata, idest denarij, sive quæcunque alia res mobilis, aut immobilis distrahenda, aut cum æstimatione pretij commutanda: quæ proindè non per Syndicum, sive procuratorem nomine sedis Apostolicæ agentem; sed per ipsos dantes, aut eorum substitutos, hæredes, vel executores (secundùm puritatem Regulæ) distrahenda, vel quocunque alio modo convertenda est in res, quibus Fratres licitè uti possint; ut patet ex declaratione Nicolai III. *eo cap. Exyt*; §. *Cæterùm*; §. *Quia oportet*: & § *Ad hæc quia*: & ex *Clement. Exivi*: §. *licèt verò*: cum hac tamen differentia, ut quamdiù dantes ipsi, seu concedentes inter vivos agunt, possint pro suo arbitratu, revocata donatione, vel concessione pecuniæ, aut etiam legato, retinere sibi res donatas, concessas, aut legatas; vt ubi hi vita cesserint, hæc revocatio, aut retentio rei pecuniariæ hujusmodi minimè substitutis, aut hæredibus, alijve eorum Executoribus liceat; tùm tale jus expiret donantis, vel concedentis morte, nec transeat ad hæredes, minus verò ad substitutos, vel executores; ut apertè declarat Nicolaus III. *eo cap. Exyt*: §. *Ad majorem autem*: volens, non obstare concedentis mortem, vel hæredis contradictionem, quin Fratres possint recurrere ad deputatum pro expendenda pecunia in ipsorum necessitates, sicut poterant ad ipsum concedentem. Et hoc benè observavit Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 18. *num.* 18. cum D. Bonaventura, Bartolo, Covarruvia, Gordubá, Roderico, & Sotho, quos allegat, aientes propter dictam *Nicolai* declarationem expressam, non posse hæredem revocare legata Fratribus Minoribus concessa. Atque hujus doctrinæ debuisset meminisse Sanchez *ibid. c.* 25. *num.* 49. & 52. ubi requirit revocabilitatem in re legata, ad hoc, ut possit secundùm puritatem suæ ipsorum Regulæ à Fratribus recipi ab hærede per ordinationem testatoris gravato, præstare annuum quid Fratribus ipsis; de quo diximus *suprà* ex professo §. 10. ubi ostendimus, quòd sicut revocabilitas non suffragatur, ut Fratres possint, suæ ipsorum professionis puritate servata, uti, vel simpliciter de facto, usufructu, annuove censu, sive reditu; ita irrevocabilitas (quæ tamen ob mortem concedentis, aut legantis, non quæ ex jure acquisito Fratribus, aut alteri ex parte ipsorum rehabenti, quam volo exclusam) non refragatur, quominùs possint uti annuo legato simplici, id est re annuatim simpliciter legata, & cæteroqui sibi ad usum licita. Nam in Iure longè distat simplex legatum annuum etiam propriè dictum juxta doctrinam traditam §. 12. ab annuo usufructu, vel annuo censu, aut reditu simpliciter legato; ut norunt Iuristæ, & patet expressè, in textu, & Gloss. *l. in singulos annos*;

annos : ff. de annuis legatis: Ubi scribentes. Neque similia sunt ista, nisi in hoc, quòd utrumque morte finitur legatarij, nec ad ejus transit hæredes. Cæterùm legatum annuum simplex perindè est, ac plura legata in annos singulos, pro quibus recipiendis, inspicienda est singulis annis capacitas legatarij ; ut est text. clarus *in l. cum in annos, ff. eod. tit.* Ubi Gloss. & Scribentes : Et hæc capacitas inspicitur ab initio cujusque anni, quo tempore cedit annuum legatum simplex ; undè sufficit annus inceptus, etiamsi subsequatur capitis diminutio, aut mors legatarij, ad hoc ut solvi debeat, & transeat ad hæredes. Non sic autem est in usufructu, vel censu, aut reditu annuo simpliciter legato ; nam fructus, seu reditus, censusvè hujusmodi non cedunt seu non cedit eorum dies (cedere autem diem, significat incipere deberi *l. cedere diem : ff. de verb. signif.*) ab initio anni, sed in fine, aut cùm maturescunt, & colliguntur fructus ; unde in his non sufficit annus inceptus, si mors, aut capitis diminutio legatarij subsequatur, ad hoc ut solvi debeant, nec possint jure colligi, siue ab ipso legatario sic capite diminuto, sive ab hæredibus ejus, si è vivis excesserit ; etiamsi fructus essent maturi, sed nondum percepti ab ipso usufructuario legatario ; ut ait tex. *in d. l. in singulos annos.* Præterea legatum simpliciter ususfructus, censusvé, aut reditus annui, est unum ius semel acquisitum pro tota vita legatarij, si sit vitalitium. Uideatur *Gloss. cit.* afferens ad hoc multas concordantias legum : Et hoc ampliùs patebunt ex alibi dicendis *Art. 2. §. 6. num. 15. & 16.* quæ omninò videnda sunt. Pauca ista dicta sint hic tantummodò per transennam in gratiam Sanchez iterum occurrentis.

14 Jam verò satis suasum sit Fratribus Minoribus suæ Professionis puritatem affectantibus, hujusmodi puritati toto cœlo adversari recipere superflua, eo animo præsertim, ut per Syndicum, vel Procuratorem, juxta *Leonis* privilegium, & constitutiones Martinianas, nomine Sedis Apostolicæ distrahantur, aut vendantur, & convertantur in alia Fratribus ipsis necessaria, aut congrua. Et ita apud nos Capuccinos decisum fuit in Capitulo generali anni 1633. tùm ratione repugnantiæ cum puritate regulæ, tùm ratione scandali ! Nunquam enim licet (Regulæ puritate servata) uti Syndico, vel Procuratore hujusmodi pro exigendis, recipiendisvé pecuniarijs oblationibus, quæ Fratribus Minoribus fiunt, ijsdémque Ministrandis, & convertendis in Fratrum necessitates : sed hoc est relinquendum dispositioni, & administrationi vel ipsorum offerentium, vel substitutorum ipsorum : vt vult Nicolaus III. *vbi suprà*, & cum ipso Clemens V. Quapropter cùm Ministri Provinciales, aut Custodes nominant Procuratores, seu Syndicos assistentes fabricis Ecclesiarum, aut conventuum, monere eos meminerint quòd in recipiendis, & expendendis denarijs, alijsvè rebus pecuniarijs, oblatis pro Fabricis prædictis, commutandis, aut vendendis, non agunt nomine sedis Apostolicæ minùs verò Fratrum ; sed nomine & auctoritate ipsorum offerentium, quorum sunt re ipsa substituti in tali administratione : & de hoc etiam ipsos offerentes, certiores facere oportet ; juxta declarationem Nicolai III. *d. cap. Exijt : §. cæterum : & §. Et quia oportet.* quam ad literam attuli suprà §. 3. Uideamus reliqua repugnantia, quoad usum.

15 Repugnat septimò usus Granariorum, & Cellariorum, aliarúmve hujusmodi provisionum in futurum, citra evidentem necessitatem, cujus judicium spectat ad Ministros, & Custodes, ut declarant Clemens V. *in Clement. Exivi : §. licet verò* : relatus ad literam *supra*, *§. 3.* cujus verba vide *ibi* : & Nicolaus III. *in cap. Exijt : §. Insuper nec utensilia.* quem vide.

16 Repugnat octavò usus Ecclesiarum, aut quorumcúnque aliorum ædificiorum, quæ considerato Fratrum inhabitantium numero, excessiva in multitudine, & magnitudine debeant reputari. *Clement. Exivi : vbi suprà.*

17 Repugnat nonò usus vasorum, & paramentorum Ecclesiasticorum Excessivorum in superfluitate, pretiositate, curiositate, & magnitudine. *Clem. Exivi : ubi suprà.* Hujusmodi autem excessus judicare pertinet ad Ministros, & Custodes, vel ad eos, quibus ab ipsis fuerit commissum, ut docet S. Bernardinus *in quadam sua Epistola ad suos subditos*, dum esset Vicarius Vltramontanus, §. *Tertiò superfluitates.*

18 Tandem ut omnia simul complectar, repugnat usus eorum omnium, quæ ultra arctationem sunt, in Regula, aut in declarationibus Pontificum, præsertim *Nicolai III. & Clementis V.* expressam. Hi autem Pontifices prohibent expresè omnem superfluitatem, abundantiam, thesaurizationem, provisionémque in futurum, id est pro necessitatibus incertis, aut pro quibus levandis, probabiliter ex jam expertis credibile non est defuturum suo tempore, cùm adfuerint illæ, opportunum subsidium. Horum omnium Ecclesia non assumit sibi dominium.

19 Dixi *ab initio huius* §. repugnare primò Professioni, & statui Fratrum Minorum, velut omninò explosum ab ipsorum Regula, tàm in communi, quàm in particulari, quodcunque jus, & dominium civile : Quare haud abs re erit, si hîc breviter subdam, quid ad hujusmodi juris,

juris, dominijve acquisitionem acquiritur; juxta communem Iuristarum, & Theologorum sensum, teste mihi D. Petro à S. Joseph Fuliensi *in sua Idea Theolog. moral. lib. 4. de iust. & iure, cap.* 9. Card. de Lugo *alibi cit.* & alijs.

19 Ad acquisitionem igitur dominij, seu juris requiritur in primis Titulus, qui aliud non est, quàm ratio seu causa fundandi tale jus, & dominium; ut v. g. titulus Emptionis, donationis, legati, hæreditatis, Beneficij Ecclesiastici, Capellaniæ &c. Verùm plerúmque præter titulum, ipsius quoque rei traditio, seu apprehensio requiritur, ad talem acquisitionem. Dixi *Plerumque* quia interdum sufficit Titulus, acceptatus tamen aut expressè, & verè, aut interpretativè, & in fictione seu præsumptione juris: ut in acceptatione tituli hæreditatis, legati Beneficij &c. nondùm secuta possessione; itémque in rebus, quæ donatæ, aut venditæ sunt Ecclesiæ, alijsvè pijs locis. Quare in his, & quibusdam alijs casibus, per solum titulum acceptatum, non modò habetur ius ad rem, sed etiam in re. Ius ad rem est illud, quod non tribuit immediatè actionem in rem, sed in personam tantùm; idest tribuit actionem personalem tantùm immediatè, non autem realem: quia, etsi res ipsa, ex eo quòd ad ipsam tantùm, & non in ipsa, habemus jus, nobis obligata non sit, aliquis tamen tenetur eam nobis præstare, & tradere; & quidem nobis tenetur civiliter posita acceptatione civili prædicta. Unde, si res ad alium transeat, non possumus nobis eam vendicare; sed habemus solùm actionem personalem in foro judiciali adversùs eum, qui nos defraudavit; sive hoc fecerit, rem alteri vendendo, aut donando; sive illam sibi retinendo, & non solvendo, quod debet. Ius verò in re est illud, quod immediatè tribuit actionem realem, seu in rem ipsam, vtpotè nobis obstrictam, ita ut etsi illa in possessionem alterius de facto transeat, nobis obligata nihilominùs maneat; adeóque liceat nobis eam vendicare, Iudicis tamen authoritate intercedente. Tale est jus, quod habet in Hæreditatem, Legatum, Beneficium &c. secuta civili acceptatione, ut præfertur. Patet hoc ex jam dictis §. 12. & vicissim illa confirmat. De modis quibus acquiruntur dominia, de jure civili, latiùs vide in Gloss. ordinaria & Magistra *in l. 1. in princ. in vers. Nostra: ff. de acquiren. rerum domin.* & Bartol. *in l. in rem: in princ. ff. de rei vendicat.* Jasonem etiam *super titulum de Actionibus §. omnium: num. 72.* sed præ cæteris, vide *cit. tit. ff. de acquir. rerum domin. & tit. Institut. de rerum divis. & acquir. ear. domin.* per totos.

20 Neque huic doctrinæ obstat, quod aliquando ante intimationem, atque adeò ante omnem acceptationem, videatur aliquibus dominium, & jus acquiri; ut in legatis, maximè ad pias causas, quorum dominium, & jus legatario dicitur, acquiri, vel quasi, à morte testatoris; vel (saltem in profanis) à puncto aditæ hæreditatis ab hærede; etiamsi legatarius nondum legati notitiam habeat, ac per consequens, nec dum illud acceptaverit.

21 Responderi etenim potest primò, negandò hanc doctrinam; ut cum communiori, & probabiliori (ut ipse testatur) tenet Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 6. num. 16. §. Cæterum:* Quia (ait ille acceptatio non solùm Jure civili desideratur; sed ex ipsa promissionis, aut donationis (idem dic de legato, cum sit donatio) natura, quæ tacitam habet conditionem, *si acceptetur:* nec alio pacto censetur promittens, aut donans, (aut legans) velle se obligare, aut hæredem suum: & hoc etiam probat idem Sanchez *ibid num. 10. §. Cæterùm.* Neque obstat donationem legati v.g. fieri piæ causæ, atquè adeò ipsi Deo vbique præsenti; & acceptanti: quia non fit immediatè, & directè Deo, sicut votum; sed homini, unde humano more debet fieri, nempè aut in præsentia donatarij, aut si is absens est, notificata ei à donante per nuncium ad hoc destinatum, vel per Epistolam donatione; & ita donatario, aut præsente, aut absente, sciente, & acceptante. Ita Sanchez cum Gloss. *in l. illud C de Sacrosanct. Eccles.* Bartolo, Baldo, Alberico, Paulo, Saliceto, & alijs Scribentibus *in illam l. illud:* quos refert & sequitur Tiraquellus *de privileg. piæ causæ privileg.* 115. *num.* 2. allegat etiam *Sanchez* Covatruviam, Gomesium, Lopez, Gabrielium, Cephalum, Gamam, Molin. Clarum, Burgos de Paz, Gutierez, Matienzo, & Manuelem, ex Theologis, *in sum. 1. edit. cap. 95. num.* 1. Et ita tenendum docet, nisi donantis intentio feratur directè in Deum, quia tunc donatio, tenet & votum.

22 Respondeo secundò, illam dominij, & juris requisitionem, quæ videtur acquiri à legatario à morte testatoris, neque veram neque irrevocabilem esse; sed fictam, & revocabilem: quæ verò videtur acquiri à puncto aditæ hæreditatis ab hærede, vera quidem censetur ex præsumptione Iuris, sed adhuc revocabilis est: hujusmodi enim acquisitiones dicuntur fieri per retrotractionem, & fictionem Iuris. Nam, licèt hæres, mortuo testatore, non possit legata ab illo facta revocare, quia non pendent ab ipsius voluntate, sed à dispositione ejusdem testatoris, re tamen vera non acquiruntur irrevocabiliter legatario sine ipsius consensu, & acceptatione, vel ejus qui legatario ipsi successerit. (Ecce doctrinam Seraphici Doctoris, quam *suprà* retuli *§. præcedente, & §. 12.*) Hoc tamen consensu, & acceptatione positis, retrotrahitur per fictionem Iuris, ut legata censeantur

tur acceptata, & acquisita tempore antecedente; equidem adeò, ut nec momento apud hæredem fuisse dicatur res legata; ut tradit Torniola *p.1.consilior.cons.6.num.41.ex l.legatum ita: in fi.ff.de legatis 2. & ex l.sed si damnum: §.sed, & creditor: ff. de peculio*, ubi Gloss. & Baldus *in Authen. contra, rogatus: C.ad Senatus consul. Trebellian. col. fin.* & Alexander *cons.14.col.3.in fi.lib.1.* & Ripa *in l.1.ff.de legatis 1. col.penult.in princ.* Et nota, quòd non sumitur hîc *Acceptatio* in sensu purè grammaticali, pro eo, quod est habere gratum id, quod donatur, seu commodum rei donatæ; seclusa enim acquisitione juris potest illud haberi, de facto simplici, & quidem haberi gratum: sed sumitur in sensu Iuristarum; id est pro consensu in acquisitionem tituli civilis, & juris, aut dominij: de qua significatione verbi erit sermo §. *seq.*

24 Hinc benè aliqui distinguunt triplex dominium, & ius rei legatæ in legatario. Et primum quidem non solùm revocabile, sed & fictum; quod scilicet fingitur habuisse legatarius (etiam ignorans, ut tradit Torniola *citat. num.42.* allatis Iuribus, & Doctoribus à morte testatoris ad aditam hæreditatem ab hærede, cùm tamen reverâ non sit dominus, neque jus vllum habeat, sive in re, sive ad rem, Secundum, & quidem verum, ab adita scilicèt hæreditate ab hærede ad ipsius vsque legatarij acceptationem ad legatum: hujusmodi tamen dominium, & jus revocabile adhuc est, si nimirum legatarius tunc temporis monitus de legato sibi facto, illud non acceptet, sed respuat. Ubi adverte, quod potest legatarius respuere & titulum civilem legati, seu jus ad rem legatam, & rem legatam simul, & potest respuere jus, si v.g. incapax ejus sit, aut illud nolit habere; non autem rem legatam, seu legati commoditatem; ut alibi ostendimus §. 12. *vers. Hinc iterum patet &c.* quod est dicere, *acceptare*, in sensu grammaticali, non autem Iuristarum. Et quomodocumque id fiat, nunquam legatarius censetur habuisse jus ad rem legatam, aut dominium. Tertium autem, verum, & irrevocabile, quando scilicet legatarius post aditam hæreditatem ab hærede, déque legato admonitus, illud acceptat acceptatione propriè dicta & civili: Atque ita colligi potest ex doctrina præmissa, quam tradit Torniola *cit. num.40.* allegans *l. A Titio: in fi.* ubi Gloss. Bartol. & reliqui Doctores maximè Alex. *ff. de furt. & l. servum filij: §.1.* Ubi Gloss. Bartol. & alij *: ff. de legatis 1. l. legatum ita: ff.de leg.2. & l.sed si damnum: § sed & creditor: ff. de peculio:* Bartol. & communiter Scribentes *in l. 1. in secunda differentia inter particularia, & universalia legata, & fideicommissa, ff.de legatis 1.* Alexander *cons. 100. col.3. lib.7.* & Corneus *cons.119.col.8. circa med.lib.2. & cons.148. col.1. circa med. lib.4. & cons.189. col.5.circa med.eod.lib.4.* Uideantur etiam Cardin. de Lugo, *tom.2. de iust. & iure disput.23. sect.3.num.43. & disp.24. sect.11.num.238.* & iterum *disp.23. sect.5. num.69.* & alibi etiam: Lessius item *de iust. & iure lib.2.c.3.dub.3.n.16.*

Non igitur acquiritur legatario verum, & 25
irrevocabile jus, & dominium legati, etiam pij, sine ipsius legatarij acceptatione propriè dicta expressa, aut interpretativa. Cæteroquì tamen, si legatarius renuat acceptare civiliter tantùm, non tamen respuat commoditatem, seu suffragium de facto simpliciter rei legatæ; sufficit acceptatio hæredis in hæreditatem, ut ipse in conscientia maneat obligatus, immò ex justitia, ob quasi contractum, ut alibi diximus, erga testatorem ad tale legatum fideliter, & omni meliori modo, quo potest, legatario signato, & non respuenti de facto, ut præfertur, præstandum; ut iam ostensum est *in superioribus*, & ampliùs monstrabitur *art.3.*

Pro eo, quod attinet ad necessitatem asser- 26
tam Acceptationis, etiam in legato pio; occurrunt post *Sanchez cit.* alij, quos placet *ad calcem hujus §.* recensere. Sunt autem Bartolus *in l. qui Romæ: §. Flavius Hermes: num.1. ff. de verbor. obligat.* Rodericus Suarez *in repetit. in l. Quoniam in prioribus: in 8.quæst princ.num.1. & seqq. fol. 216. C. de inoffic. testam.* Antonius Gomesius *in l.40. Tauri, num.29. & seq.* Didacus Perez *in l.3. tit.8. lib.3. ordin.col.1056. & seq.* & Covarruvias *lib.1. Variar. resol. cap.14. num.7.* qui copiosè, & latè examinant, an donatio facta alicui, ita ut post certum tempus acquiratur Ecclesiæ, vel alteri pio loco, aut causæ, possit revocari à solo donatore, antequam ab Ecclesia, vel pio loco acceptetur? Communior tamen sententia est, quòd sic; cum ad irrevocabilitatem donationis requiratur acceptatio: ut tradit Ioannes Gutterius *in Repetit. in cap. quamvis: de Pactis, num.59.* quem vide etiam *à num.53. usque ad 60.*

---

§. XVII.

Exponuntur diversæ acceptiones, seu significationes verborum, seu terminorum, quibus diversimodè quæstio hæc de qua agimus, à Doctoribus instituitur, & resolvitur.

SVMMARIVM.

1 *Terminorum notitia in difficultatibus resolvendis in primis necessaria.*

2 Acceptare, *&* Acceptatio, *quid significent tum apud Grammaticos, tum apud Iuristas. Acceptilatio: quid?* ibid.

3 *Acceptare dicitur aliquis quando præstatur consensus in acquisitione.*
Dominium rei legatæ recta via transit in legaturium sine traditione; & rei donatæ in Ecclesiam, posita acceptatione. ibidem.
4 *Acceptare legatum in sensu Iuristarum, est consentire acquisitioni.*
5 Accipere, Capere, Recipere, *synonyma sunt in sensu grammaticali: aliud, in legali.*
6 Accipere *importat dominij translationem præcedentem, aut saltem subsequentem.*
7 Capere *idem significat quod* Accipere *cum aliqua tamen differentia.*
8 Recipere *non importat dominij translationem præcedentem, nisi ratione adjuncti.*
9 Cognoscere, & Agnoscere, *Synonyma sunt; non tamen idem significant apud Grammaticos & apud Iuristas: ut explicatur per varios casus.*
10 Recipere, pecuniam, & Agnoscere legatum, *per Fratres Minores, in quo sensu accipi debeant in summario* Extrav. Exijt. de verb. sign. in 6.
11 Habere *quid significet tum apud Grammaticos, tum apud Iuristas.*
Habere, *dupliciter accipi potest apud Iurisconsultos.*
12 Habere, *intelligitur cum effectu, in propria significatione.*
Provenire, & Capere, & Pertinere, *idem importent.* ibid.
13 Provenire, *an idem quod* Pervenire.
14 *Verba non captiosè sed civili modo intelligenda sunt.*
15 *Verba*, Habere, Agnoscere, Accipere, Capere, Pervenire, Provenire, Acceptare, Proventus, Reditus, *& similia bifariàm à Doctoribus usurpantur.*
16 Extrav. Exijt. *etiam in sensu Grammaticali nullam recipit difficultatem in textu: & fideliter ad literam exponenda est.*
Rubrica tamen à compilatore posita subjacet interpretationi. ibid.
17 *Authoris declaratio circa interpretationem Rubricæ* cap. Exijt. de verb. sig. in 6.
18 *Differentia inter annuum usumfructum seu reditum, & simplex annuum legatum observanda.*
19 *Diversæ Doctorum opiniones circa annuum legatum Minoribus relictum examinantur*, & num. seqq.
20 *Confessarij, & consultores maximè vitare debent servilem adulationem, & zelum immoderatum in omni controversia morali.*
Adulationis vitium perstringitur. ibid.
21 *Zelus indiscretus notatur.*
22 *Zeli immoderati, & adulationis vitium observandum & vitandum in materia legati annui Minoribus relicti.*
23 *Authoris sincera intentio exponitur in quæstione annui legati Minoribus relicti elucidanda.*

Titulus quæstionis hîc à me institutæ, est: An Fratres Minores sint capaces legatorum annuorum, etiam perpetuorum quorumnam, & quomodo, conditione, seu professione, & statu suæ ipsorum specialis paupertatis considerata. Hic igitur, quia sub alijs etiam terminis, aut verbis, ut notavi *paragraphò primo, num.* 2. passim proponitur à Doctoribus: ideò maximè pendendus est: cáque *in præsenti paragrapho*, propatula facienda sunt, à quibus, ut *ubi suprà* etiam notavi, pendet rationabilis, eáque genuina resolutio hujus quæstionis, feréque omnium difficultatum enodatio, explanatio, evasio; quocúnque modo, aut terminis, verbisvé quæstio ipsa proponatur. Benè igitur tenenda sunt, atque alta mente reponenda, quæ statim subdo, quæque apud Iuristas optimè comperta sunt. Suppono autem titulos diversos omnes *eo §. 1. num. 2.* recensitos, quos resricatos hîc volo. 1

Primò igitur primo verba, seu terminos *Acceptare*, &, *Acceptatio*; quorum alius est sensus; & significatio apud Grammaticos, alius apud Iuristas; sicut etiam aliorum verborum, quæ subsequenter expendam. Acceptare enim apud Grammaticos, est frequentativum verbi *Accipio, accipis accipere*, & significat idem; ac frequenter identidemvé accipere: (sumpto item ly, *Accipere*, in sensu Grammaticali) quod est vernaculâ nostrâ linguâ, *Ricevere di quando in quando, ò frequentemente.* Non solùm autem, sed & utuntur hoc verbo ijdem Grammatici pro eo, quod est, *placitum, charum, probatumque habere, seu acceptum.* Apud Iuristas tamen, & in contractibus politicis aliam vim obtinet, & significationem: importat enim propriè, consensum illum præbere, qui ad producendum effectum formalem (qui est jus, aut dominium vel etiam quandóque possessio; itémque obligatio civilis sive mutua, sive non, & actio civilis) cujuscúnque sive tituli, sive contractus in ijs, quibus titulus ipse confertur, aut inter quos contractus initur, aut pactum; necessarius esse prohibetur, juxtà *superiùs notata.* Quemadmodum è contra, cum per acceptilationem quis alium liberat ab obligatione, vel debito civili, jusque & actionem omnem remittit, deliberatè respondendo debitori ita suscitanti, v. g. Quidquid tibi per stipulationem promisi, vel ex stipulatu debeo, habes ne acceptum? Et ille respondet: Habeo, acceptúm- 2

que feto : quasi dicat ; perinde habeo, ac si acceptissem abs te per veram solutionem. Est enim Acceptilatio (secundùm Modestinum in *l. acceptilatio, ff. de acceptilation.* & Ulpianum *in l. si ex pluribus : ff. eod. titul.* & secundùm Pomponium, Paulum & alios *ibi*) liberatio per mutuam interpretationem, (scilicet interrogantis, & interrogati respondentis) qua utriusque contingat ab eodem nexu absolutio : idest ab eodem nexu, quo unus tenetur, & alius tenetur & sic dicitur uterque absolvi ; ut notat *ibi* Glossa. Vide etiam *l. verbum : ff. de solutionib. & liberationibus.* Sicut igitur acceptilatio, est absolutio ab eodem nexu, quo quis alium civiliter sibi ligatum tenet, & hic ab illo tenetur ; ita Acceptatio (quæ est ipse acceptandi actus) est ligatio, seu conditio, sine qua non ligatur quis alteri politicè, nec quempiam alter sibi ligatum tenet vinculo juris : quippè quod non oritur nisi ex civili titulo ea intentione acceptato ; ut dictum est.

3 Confirmatur hæc declaratio per Joannem Quintinum Heduum *in Repet. in cap. multa: de præbendis, & dignitat. num.* 74. aientem : Latinis acceptum, seu acceptatum est, quod gratum, probatúmque est, & quod placet : indè nos (Canonicæ scilicet, & Juristæ) non omnino incommodè *acceptandi* verbo utimur, nempè ad exprimendum consensum acquisitioni juris, quod v.g. per collationem alicujus tituli Beneficij pariter acceptati confertur. Undè subjungit ille *ibi, post pauca* : quòd per collationem tituli Beneficij placitam nobis, & acceptatam, absque traditione, tribuitur jus in Beneficio ; ut scribit Panormitanus *in cap. quum M. de constitution.* allegans *cap. si tibi absenti* : cum quo concordant ultima verba *cap. fin. de concess. præben. in* 6. & Gloss. *in cap. inter cætera : de præbendis, & dignit.* Unde & Beneficiarius pro Beneficio sibi collato, & acceptato, ejusque juribus experitur actione in rem, non apprehensa etiam possessione : sicut in ultimis voluntatibus rei legatæ dominium, sine traditione, rectâ viâ transit in legatarium ; & rei donatæ in Ecclesiam ; posita acceptatione tituli legati, aut donationis : *l. à Titio : ff. de furtis : & l. fin. C. de sacrosanct. Ecclesi.* Et conveniunt notata per Bartol. *in l. Publius : ff. de condition. & demonstr.* contra Juan. Andreæ *in Clement.* 3. *de præben. & dignit.* & Guymerium, quos allegat Heduus *loc. cit.* volentes, quòd per collationem Beneficij, tametsi acceptemus, non ideò tamen dicamur recipere Beneficium cum affectu actionis in rem, sed tantùm ad rem. Naturaliter enim (inquiunt) oportet ejus apprehendere possessionem, quæ solo animo (ut fit in plerisque civilibus) nunquàm acquiritur. At quicquid sit de hac controversia : acquiratur utcúnque per acceptationem tituli jus, sive ad rem tantùm, sive etiam in re ; hoc certum est in omnium sententia, acquiri illud saltem ad rem.

Quare sit hujus observationis pro nostro instituto conclusio ; quòd acceptare legatum quodcúnque in sensu Juristarum, & legali, tùm Canonico, tùm Civili, est consentire acquisitioni juris, seu acceptum habere jus, quòd per legati titulum pariter acceptatum suapte naturâ legatario confertur : Acceptare verò legatum, cùm formaliter, tùm materialiter sumptum juxta doctrinam §. 12. digestam, in sensu mere Latino, seu Grammaticorum, est acceptam habere, charam, placitámque & gratam vel ordinationem testatoris legantis, (quæ est legatum formaliter sumptum,) vel eleemosynam ipsam, idest rem legatam ; vel etiam illam ideotidem ab hærede præstitam accipere, citra acceptationem ullam civilem, adeóque citra ullam juris acquisitionem ad illam, vel in illa : quod etiam potest stare sumpto verbo, *Accipere*, in sensu Iuristarum : de quo mox dicetur secundum illos qui aiunt, quòd accipere dicitur quis, etiamsi non ità ut habeat tanquam dominus, sed restitutus ad placitum domini. 4

Secundò premenda pati observatione sunt verba, *Accipere*, *Capere*, & *Recipere*. Quamvis enim hæc tria verba in sensu Grammaticali, & merè Latino sint synonyma, sive polyonyma, idem sub diversis vocibus importantia : simpliciter enim significant physicam illam actionem, qua quis aliquid sibi ab alio traditum, sive per se immediatè, sive mediatè per alium, naturaliter apprehendit : apud Juristas tamen, & secundùm sensum legalem, Pontificium, & Cæsareum, aliter significare comperiuntur, & importare quid ampliùs. 5

Accipere, enim importat dominij translationem præcedentem ; idest supponit iam acquisitum dominium rei, quæ accipitur : ex notatis per Cal. Pereira, *de emptione, & vendit. cap.* 18. *num.* 26. & Barbosam *infrà cit.* Non tamen ex necessitate illam translationem importat, & quidem non solùm præcedentem, sed neque subsequentem ; ut ex Bartolo *in l. naturalis : §. 1. in princ. ver. & sic apud, ff. de præscriptis verb. & in factum act.* & in *l. fin. in princip. C. de condition. ob causam* : & in *l. cum mota ; C. de transactionibus* : notat Decius *in Regul.* 51. *ff. de regul. jur. num.* 4. ubi etiam *num.* 5. notat, quod *accipere*, non est propriâ auctoritate, sed de manu alterius capere, ut tradit Lucas de Penna *in l. domini : in princip. C. de agricolis, & censitis : lib.* 11. ubi ad hoc plura jura inducit. Quamvis secundùm alios, possit, etiam intelligi quandóque directè accipere, & à seipso ; ut Baldus Perusian. 6

Lancellot.

Lancellot. & etiam Bartol. *ibi* apud Decium *cit. num.* 6. uempe ob acquisitum dominium. At certe Andreas, Alciatus, *de verbor. signific. in comment. l. aliud est capere:* 71. ait, quòd *Accipere*, nón dicitur (id est semper) cum effectu acquisitionis, & plerumque quis accipit, qui necdum acquisivit dominium. Utcúnque tamen hæc sint, profectò ille accipere dicitur io sensu Iuristarum, qui, si dominium rei antecedenter non habet, subsequenter tamen illud acquirit, & plerúmque saltem jus habet ad rem accipiendam, & petendam, actione competente.

7 Capere, idem significat, quod & Accipere: cum hac tamen differentia ab invicem, quòd capere dicitur semper cum effectu; idest refertur ad effectum acquisitionis civilis, saltem subsequentis; ut notat *Alciatus cit.* Accipere verò, etiamsi quis non sic accipiat, ut habeat, idest accipiat tantùm physicè, seu naturaliter, & in sensu grammaticali. Ita ex *l. aliud:* 71. *ff. de verbor. & rer. signif.* ubi Alciatus colligit, Gaiganet. *de different. individ. lit. C. numer. octavo*, Uide etiam Decium *cit. num.* 1. 2. *&* 3. Barbosam *infra cit* & alios Scribentes.

8 Recipere verò, jus quidem, & actionem, non tameo importat dominij translationem, scilicet præcedentem: nisi ratione adjuncti: ut si adjiciatur generi, vel quantitati promissæ in genere: tunc propter adjunctum importabit traoslationem dominij, nempè antecedenter ad ipsam receptionem; ut tradit *Bartolus*, & sequuntur Paulus de Castro, & Jason *in l. naturalis:* §. *Et si quidem:* per text. ibi *ff. de præscriptis verbis & in factum act.* & Moderni *in l. cum mota: C. de transact.* ubi tamen videtur *Bartolus* voluisse contrarium. Uideatur pro his Barbosa *de dictionibus usu frequent. dictione* 5. *& diction.* 343. & Albericus de Rosate *in suo dictionario V. I. verb. Accipere, Recipere & Capere*; apud quem reperies etiam alias significationes, & acceptiones eorundem terminorum, minùs tamen proprias, secundùm Jura. Uide, quæ dicuntur *infrà*, §. *seq. num.* 35. ex S. Bonaventura in hoc proposito verbi, *Recipere.*

9 Tertiò observanda similiter occurrunt verba, *Cognoscere*, seu *Agnoscere*; quæ quidem Syoonyma, seu polyonyma sunt, cùm apud Grammaticos, tùm apud Iuristas: at non idem utrinque significant. Apud Grammaticos enim, & Latinos, significant simpliciter operationem illam physicam, qua mentis nostræ oculus, Intellectus, objectum aliquod, sive universale, sive singulare, sive secundùm ipsius essentiam, sive secundùm ejusdem accidentia, & per sensus, directè, vel iodirectè naturaliter percipit, & apprehendit. Apud Juristas verò, secundùm unam expositionem, sumitur pro eo, quod est *Recipere*, seu *Accipere* quando dicunt translatiooem dominij antecedentem, ut tradit Albericus cit. *ex Authent. de non alienand. aut permut. reb. Eccles.* §. *Interdicimus:* & 22 *q.* 1. *cap. cum ergò*: secundùm aliam expositionem significant actum, seu actionem aliquam de jure competentem circa rem, quæ cognosci, agnoscivè dicitur, experiris putà etiam civilem acceptationem. Sic sæpè in Sacro eloquio dicuntur viri cognovisse, vel non, uxores suas. Sic in foro dicuntur Iudices cognoscere causas, quas, secundùm sui fori competentiam, examinandas, judicandásque assumunt: itaut causas incompetentes suo ipsorum foro cognoscere quidem possint in sensu grammaticali, cognitione physica, & naturali; non autem cognitione civili, & juridica: quinimmò, si eas cognoscant, neque valet processus, neque tenet sententia, sive condemnatoria, sive absolutoria, si feratur; neque aliud quodcumque factum, tùm in foro contentioso, tùm in præfentiali; utpotè à judice non competente procedens: *l factum; ff. de re judicata:* ubi Glossa. Et cui denegatur cognitio, seu examinatio, multò fortiùs dispensatio: ut per plura utriúsque juris loca latè tradit Stephaous Auffrerius *in repetit. ad Clement. ut Clericorum: de officio Ordinar. Iudic. numer.* 136. *&* 137. & communiter scribentes, atque Doctores.

Atque in hoc Iuristarum sensu mihi videtur intelligenda *Rubrica* Compilatoris, seu Compilatorum (tres siquidem ij fuerunt à Bonifacio VIII. ad id deputati; nempè Guilielmus Archiepiscopus Ebrodunensis, Berengarius Episcopus Bitenensis, & Magister Richardus de Senis S. R. E V. Cancellarius, I. V. D. ut ait *ibi*, *in Proœmio* idem Pontifex) *Sexti Decretalium libri, ad capit. Exijt:* Nicolai III. *de verborum significat.* in qua dicitur, per eam Decretalem declarari, inter cæteras hæsitationes, & ambiguitates Fratrum minorum circa suam ipsorum Regulam, & luculentissimè resolvi: utrum ij pecuniam recipere, legatáque sibi relicta agnoscere valeaot? Sanè autem *ibi* Pontifex apertissimè grammaticali etiam sensu, declarat Fratrum professioni, conditioni, ac statui omninò repugnare, interdicique recipere pecuniam, eámque quomodocúnque civiliter agnoscere exercendo scilicet circa illam actus quoscunque, dominium, aut proprietatem, vel administrationem præferentes. Et quod de pecunia declarat §. *Caterùm:* §. *Et quia oportet: & paragrapho, Ad majorem autem:* idem omniuò de legatis, quæ sine modi ullius expressione, Fratribus scilicet liciti, aut illiciti, generaliter relinquuntur, statuit observan- 10

I 2 dum

dum §. *Ad hae quia: in fine.* Ita ut teneantur hæredes legata hujusmodi ad Fratrum utilitatem modo iisdem congruente, & secundùm Regulam licitum convertere, & implere; ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur. Quemadmodum etiam substituti dantium pecunias pro necessitatibus Fratrum expendendas, sive determinatim, sive indifferenter; tenentur easdem expendere, & Fratres possunt ad illos, necessitatibus occurrentibus, in quibus liceat, recurrere confidenter, sicut ad ipsos dantes; non obstante dantium eorundem morte, hæredumvé ipsorum contradictione; neque obstante, quòd Fratres non possint civiliter hujusmodi tùm pecuniam, tùm legata, sive formaliter, sive materialiter sumptam, acceptare, recipere, accipere, capere, aut agnoscere, vel cognoscere: cum tamen hæc omnia possint, suæ ipsorum Regulæ puritate inoffensa, naturaliter, & in sensu grammaticali loquendo, exercere, servatis moderaminibus requisitis in capiendo, quæ sunt necessaria tantùm, juxta ipsorum statum. Non inquam tamen, recipiendo physicè pecuniam, vel denarios, aut res legatas, quarum eis usus vel simplex facti, non est licitus, sed recipiendo, accipiendo, capiendo, acceptando, agnoscendo naturaliter, ut præfertur, res quoad usum licitas, in quas pecuniæ, & legata illa, quoad usum in propria specie fratribus illicita, fuerint conversa per substitutos, aut hæredes prædictos. Quantò igitur magis juxta Regulæ puritatem, recipere, capere, accipere, acceptare, agnoscere, vel cognoscere naturaliter tantùm poterunt legata sibi facta de rebus, quoad usum in seipsis licitis? Hæc pro præsenti observatione sint satis.

11 Consimili quartò ponderatione observandum est verbum, *Habere*; quod pariter aliud apud Latinos, seu Grammaticos, aliud apud Juristas, & Jura ipsa importare perhibetur. Siquidem apud Latinos simpliciter, & præcisè importat aliquam rem tenere apud se, quoad simplex factum naturale; idest quoad detentionem merè naturalem & de facto simplici; quam, ut ait Navarrus *in tract. de reditibus Ecclesiast. quæst.1. mo.13. num.3.* aliqui detentionem asininam solent appellare; utpotè quæ est citra ullam aliam politicam, seu civilem considerationem aut relationem. Apud Iuristas verò, & ipsa Jura, est verbum generale, & comprehendit tàm dominium, quàm possessionem, & de facto detentionem. *l. si stipulatio ista: §. habere ff. de verborum obligat.* ubi notatur, quod ego ad amussim dixi, *Habere* dupliciter accipi: nam & eum (ait ibi Ulpianus) habere dicimus, qui rei dominus est; & eum, qui dominus quidem non est, sed tenet idest naturaliter possessioni de facto incumbit; ut addit ibi *Glossa*: Et facit *paragrapho, Hæc quoque*, immediatè ibi præcedens; cujus etiam favet *Rubrica* dicens: *Verbum Possidere* (idem dic de verbo Habere) *intelligitur civiliter; nisi conditio personæ faciat intelligi de naturali detentione.* Concordat etiam *l. Habere duobus modis: ff. de verborum, & rerum significat.* Cæterùm semper, secundùm Juristas, id apud se quis habere videtur, de quo habet actionem: habetur enim, quod peti potest, scilicet in Judicio; ut est textus Clarus *in l. qui actionem: ff. de regul. iur. & in l. id apud se: ff. de verb signif.* ubi Glossa ait, quòd habere dicitur, secundùm civilem significationem, pro eo quod est dominium habere. Et ita notant Petrus Henriquez *Respons. opusc. 2. sub hoc verbo. num.20. in fi.* Rebuffus *in comment. ad d. l. id apud se: 143. vers. secundò quis dicitur habere: pag.523.* Contard. *de moment. possess. in v. Rationes decidendi: num.34.* Decian. *consil.108. num.32. lib. 3.* Rota *in Casalen. Domus 12. Ianuarij 1612. coram Vbaldo* impressa per Farinac. *decis. 369. num.1. part.1. recent.* Bertazolus *de Clausulis Instrument. Claus.26. gloss.4. num. 23. de Claus. 35. gloss.3. num.1.* Durand. *Rota dec. 82. num.1.* ubi expressè, quòd *habere* denotat dominium. Rota *dec. 477. num.5. p.2. in Posthum. Farinacij*, aliàs *p.4. recent.* ubi quod verbum, *Habere*, sive ad dominium, sive ad possessionem referatur, semper intelligitur cum effectu, scilicet Juris, & in perpetuum. Eadem Rota *decisio. 122. num.5. p.5. recent.* ubi quòd Verbum, *Habere*, denotat proprietatem Uide Barbosam *sup. citat. dict. 130.* & Albericum de Rosate *loc. cit. v. Habere.*

12 Videatur etiam Gloss. *in Extravagan. Cum inter nonnullos Ioannis XXII. de verb. significat.* cujus omnino necesse est hic referre verba ad nostrum institutum in pluribus conferentia. Ait igitur *in v. Asserit*: quòd verbum, *habere*, intelligitur cum effectu, scilicet Juris, & proprietatis, atque adeò cum actione civili ad defendendum, & repetendum id, quod haberi dicitur. Hoc enim inquit, denotat verbum, *Habere*, de sua propria significatione: *ff. de verbor. significat. l. nomen filiarum: §. Habere*: sicut & verbum *Provenire*; verbum *Capere*; ut *eo tit. leg. aliud est capere*: (textus tamen illius §. *habere*: ait, *Pervenire*, non *Provenire*: Pervenire enim est idem, quòd Pertinere: de quo *in l. Verbum illud, pertinere: ff de verb. & rer. signif.* ubi Glossa & Gloss. *in cap. Quoniam electione: de electione & electi potest, in 6.*) & si aliter verbum, *habere*, in Jure sumi reperiatur, hoc est de impropria sui significatione; ut colligitur, *ff. de verbor. obligat. l. stipulatio ista: in princ. & §. habere*: Sic de verbo, Capere

Capere dici consuevit; *ff. de re judicata, l. non ut quisquam*: & de verbo, *Provenire*, ut notat *d. l. aliud est*: In dubio autem ad propriam verbi significationem, non autem ad impropriam, vel abusivam, sanus referendus est intellectus; ut *ff. de legatis 3. l. non aliter: §. 1. ff. de verborum, & rer. signif. l. nepos*: 125. Hæc Glossa illa. Ex quibus duo maximè adverto, præter confirmationem dictorum de acceptione verbi, *Habere*, & verbi *Capere*. (Uide etiam quæ dicuntur §. *seq. n.* 35. ex D. Bonaventura hùc spectantia.)

13 Primum est, quod ait de verbo, *Provenire*; illud scilicet de sua propria significatione intelligi cum effectu. Et quamvis legum loca ad id *ibi* allegata non habeant, *Provenire*, sed *Pervenire*, (juxta textus quibus ipse utor) ut notavimus suprà per parenthesim: benè tamen id etiam affirmat Glossa ipsa de ipso verbo, *Provenire*; cum illud cuipiam provenire propriè dicatur in Iure, sive annuatim, sive non, quod ex aliquo titulo, civili, vel Canonico, ab ipso acceptato, & acquisito pervenire, seu pertinere dignoscitur, adeóque cum effectu actionis in foro ad illud, defendendum ab invasore, & repetendum à raptore: & patet etiam ex Gloss. *in cap. inter dilectos: ad v. Pertinere: extra, de fide instrument.* Unde proventus, seu reditus in utroque Iure propriè dicuntur ea, quæ cuipiam proveniunt, seu perveniunt, & pertinent, ut præfertur, ex re immobili, vel inter immobilia, computata, quod tamen adhuc amplius ex professo monstrabitur in sequentibus.

14 Alterum est, quod ait *in fine*: In dubio autem ad propriam verbi significationem, non autem impropriam, vel abusivam, sanus referendus est intellectus. Et optimè ait; etenim famigeratum est apud Iuristas, quòd verba statutorum, & legum, civili modo, non calumnioso; idest civiliter, & secundùm Ius commune, non captiosè intelligenda sunt; ut tradit Gloss. *in Extravag. Ioan. XXII. suscepti: ad v. Integrè*; allatis legibus; & *in cap. si postquam ad v. mente: de electione: in 6. & in cap. causam: Extra de Rescriptis*: ubi multæ ad hoc concordantiæ utriusque Iuris: & communiter docent Scribentes, Decius, Gomesius, Iason, & alij. Hócque est, quod optimè notatum volo pro intelligentia *Clem. Exivi*; §. *Proindè: vers. cúmque annui reditus*: & verbi, *Proventus*, cujus sæpè habetur sermo *ibid.* Qua de intelligentia pleniùs edisseram *in sequentibus*. Jsta hîc per transennam notasse modò sufficiat.

15 Optimè autem præmissas omnes observationes callere se indicant alij, qui notant, prædicta verba, Habere, Agnoscere, seu cognoscere, Accipere, Recipere, Capere, Acceptare, Pervenire, Provenire, Proventus, vel Reditus, & hujusmodi, bifariam à Doctoribus usurpari plerúmque, & quandóque etiam in Iure, & Rescriptis; sed raró; ut indicat Gloss. *in cap. Capitulum sanctæ crucis: Extra de Rescriptis; ad verb. Relaxatis*: in stricta scilicet, seu propria, & in impropria, seu lata & abusiva significatione; quod idem est, ac civiliter, seu in sensu Juristarum; & Grammaticaliter; seu in sensu Latinorum, prout de singulis notavimus *suprà*.

16 Atque hinc esse arbitror id, quod cautum voluit Nicolaus III. *in sua Decretali, Exijt: suprà recitata*, in qua *circa finem §. cum igitur*, sic ait: *Itáque sub pœna excommunicationis, & privationis officij, ac beneficij, districtè præcipimus, ut præsens constitutio, cùm ipsa legi contigerit, sicut prolata est sic fideliter exponatur ad literam; concordantiæ, contrarietates, seu diversæ; vel adversæ opiniones à Lectoribus, seu Expositoribus nullatenus inducantur: super ipsa constitutione Glossæ non fiant, nisi forsan, per quas verbum, vel verbi sensus, seu constructio, vel ipsa constitutio quasi grammaticaliter, ad literam, vel intelligibiliùs exponatur: nec intellectus ipsius per legentem depravetur in aliquo; seu distorqueatur ad aliud, quàm litera ipsa sonat.* Jta Pontifex *ibi*: & quidem jure optimo; tàm clarè siquidem loquitur *in illa Decretali*, & tàm egregiè difficultates illas circa Regulam Seraphici Patris explanat, signanter verò, quod attinet perplexitatis ad pecuniam, & legata; ut quid in eâ Pontifex ipse sentiat, vel simplici Grammatico, qui nec à limine Iura salutârit, nullo negotio innotescat. Excipe tamen ejusdem Decretalis Rubricam; quæ cum non comprehendatur in textu Pontificis, utpotè quæ à Compilatore, vel Compilatoribus adjecta, ut dictum est *suprà*, tanquam argumentum illius Canonis; ideò patitur etiamsi nihil asserat, aut neget, explicationem, & intelligentiam à me suprà adhibitam ad verbum illud, *Agnoscere*. Quare minimè obnoxium me arbitror inflictæ illi, vel infligendæ excommunicationi. Dixi, inflictæ, vel infligendæ, quia Carolus Antonius Thesaurus, *de pœnis Ecclesiasticis, p. 2. v. Interpretationes, cap. 1. §. Nota, quòd* ait, quòd illa Excommunicatio erat olim ferendæ sententiæ contra glossantes illam Decretalem, non animo impugnandi; contra glossantes verò, seu publicè interpretantes, animo impugnandi, erat latæ sententiæ. Ait autem ille, olim ita fuisse; quia subjungit, hodiè sublatam omninò esse hanc Excommunicationem per *Extravag. Ioan. XXII. Quia quorundam*: ut notant D. Antoninus *3. par. tit. 24. cap. 69.* & Card. Zabarella *in Clem. Exivi*:

17 At quidquid sit de sublatione ista; de qua adhuc mihi superest dubium propter

revocationem à prædicto *Ioanne* factam eorum omnium, quæ dixerat, aut fecerat contra declarationes Pontificum: ut retuli *suprà §.15. in fin.* ex Casarubio. Quidquid sit, inquam, ego Rubricam interpretatus sum, non decretalem. Quinimmò *suprà §.4.* vim feci in ipsius ad literam intelligentia suadenda; ita ut verba ipsius simpliciter, & indefinitè posita, quoad legata Fratribus Minoribus relicta, monuerim, generaliter esse intelligenda, citra exceptionem in illis expressam: & in eadem sententia iterum confirmor per Gloss. *in cap. præterea: ad verb. simpliciter: extra, de officio, & potest. Iudic. deleg.* Quid, quòd nec Rubricam illam (utpotè nil asserentem, sed dubietatem à Pontifice ibi resolutam recensentem) reor me propriè fuisse interpretatum; sed tantùm secundùm Iuristarum intelligentiam illius verbi, *Agnoscere*, insinuasse volo responsionem negativam, ex literali sententia Pontificis *in ea Decretali*: ex quo tamen item ad literam affirmativam dabo, si illud verbum, *agnoscere*, in sensu merè Latinorum placeat intelligere. An non enim expressè habetur ex *eo capitulo, Exiji: §. Ad hæc quia:* posse Fratres Minores citra ullum vel minimum suæ professionis præjudicium scire (quod est *Agnoscere* in sensu Latinorum) non solùm relicta sibi legata, si quæ sunt; sed etiam hæredes obligatos esse ad ea solvenda; & (quod amplius est) Officium Iudicis nobile sibi competere, quo cogi hæredes ipsi possunt, si, ut par est, testatorum pias non impleant voluntates? Sanè hæc omnia Fratribus ipsis disertè Pontifex ille declarat, & statuit ergò & sciri à Fratribus, agnoscique possunt, ut præfertur.

18 Per legitimas igitur, easque apprimè necessarias prædictorum terminorum verborumvè observationes hìc factas; necnon per notationem differentiæ inter annuum usumfructum, censum, vel reditum simpliciter legatum, & simplex annuum legatum prajactam *in §.5. & præcedente*; simulque per advertentiam ad dicta §.12. de legato propriè, & impropriè dicto; quod etiam potest explicari in sensu Iuristatum, & in sensu Grammaticorum; juxta prædicta; per hæc inquam, omnia germanissima observatione notata, en radicitus effossam causam tàm diversarum sententiarum in hac materia scribentium.

19 Accedit, exusum adeò esse Zelatoribus puritatis Regulæ Doctoribus Annuorum legatorum, Redituum, proventuumvè nomen, ut, ubi hi proponi sibi audierint de hujusmodi legatorum in Ordine capacitate quæstionem, zelo correpti in negativam sententiam, nulla prorsùs adhibita distinctione, statim prosiliant. Quod & alij quidem præstant Doctores, non v Minorum Ordine; hi tamen aut sunt Iuris Consulti, ut Bartolus, Baldus, Iason, Abbas, Felinus, & hujusmodi, qui terminos, ut apud ipsos propriâ intelligentiâ usurpantur, sanè accipientes benè loquuntur (ubi tamen non admittunt etiam in suo sensu aliqua Minoricæ paupertati repugnantia; ut mox dicetur) aut alij promiscuè, qui in sensu etiam grammaticali se explicantes, & in legatis, quæ usumfructum non inferunt, negativam pariter sententiam ferunt; sed immeritò, nec zelo Minoricæ observantiæ ducti, sed potiùs, (eorum; qui ipsos consulunt, gratiæ cupiditati, & lubentiæ venaliter ancillari affectantes) ut faciliùs conscientias laxent ab obligatione hujusmodi legatorum solvendorum, (alijs saltem pauperibus) qua per testantium ordinationes devinciuntur. E contra verò alij, præsertim Iuris consulti, Minoricam Mendicitatem, & paupertatem haudquaquàm, ut par est, dimetientes, nec considerantes eandem æquè esse servandam, non quoad expropriationem tantùm, sed etiam quoad usum, in omnibus rebus, quibus Fratres Minores utuntur, sive pro sua ipsorum sustentatione, sive etiam pro cultu Dei, & Ecclesiæ, aut quacúnque alia necessitate occurrente; admittunt legata annua, & reditus etiam propriè dictos, & in sensu Iuristarum, quidam tamen ex ipsis ad breve tantummodò tempus, quod vel ad quinquennium limitant, vel saltem infrà decennium; aliqui ad vitam unius Fratris, indistinctè id concedunt, cùm pro Fratrum sustentatione tùm pro cultu Dei, vel Ecclesiæ; quidam verò pro cultu Dei etiam perpetua legata, ut præfertur, intellecta admittunt. Hi tamen omnes impingunt, exceptis Iuristis, quatenùs in suo sensu asserunt Fratres legatorum annuorum incapaces; & non quatenùs caduca astruunt ipsa legata, hæredibúsque accrescentia, tanquam non scripta. Singula autem in sequentibus confutabuntur.

Duos interim infestos scopulos animadverto; quos diligenter cuique in hoc subjecto aut scriptori, aut conscientiarum moderatori, vel consultori vitandos censeo. Alterum servilis adulationis, & blanditiei: immoderati alterum zeli, (qui etiam cavendi sunt in quacúnque alia morali controversia.) Nonnulli quippè ex hominum judicijs, & rumusculis toti pendentes, gravatorúmque favorem, & gratiam anxiè aucupantes, in sententijs, consilijsvè dimetiendis, adeò eorumdem cupiditati laxant habenas, ut ipsorum vulnera non tàm sanare, quàm exulcerare videantur; Jaheli omninò suppares, ac similes, quæ dulcem quidem lactis cyathum Sisaræ propinavit; at, ubi illum ita potionatum dormientem vidit, posuit supra tempora capitis ejus clavum, percussúmque malleo defixit in cerebrum usque 20

ad

ad terram; ut narrat Sacer Historicus, *Iudic.*4. Haud secùs etiam qui, cùm in hac, tùm in alijs quibuslibet moralibus materijs, conscientijs gravatorum blandiri potiùs student, quàm mederi, & doctrinam omnem, quam tenent, humanis respectibus fœdè mancipant; lac quæsitæ, expetitæque licentiæ ijs præbent; sed una adulatorijs verbis, tanquam clavo trahali, easdem in terra, in terrenis videlicet cupiditatibus, voluptatibus, ac delicijs defigunt. Unde meritò S. Prosper *in lib. sentent. D. August. sent.* 137. animadvertit; adulantium linguis animas alligari; propterea quòd in peccatis delectat ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. Quemadmodum à Regio Vate jam olim pronunciatum constat, *Psalm.*9. *Laudatur peccator in desiderys animæ suæ, & iniquus benedicitur.* A quibusnam verò peccator in cupiditatibus suis laudatur, & iniquus benedicitur? Nempe ab assentatoribus, non tam veritatis doctoribus, quàm doctoribus, sibi geminis. At infelix, dum hoc pacto laudatur, cupiditatique suæ blandientibus opinionibus, ac sententijs demulcetur, lethali sopore gravatus obdormiens, clavo assentationis miserè transfverberatur, defixo eodem clavo usque ad terram, idest usque ad tumulum. Quod à pleri̇sque factitatum jure luget Propheta Osee *cap.*9. *In malitia sua lætificaverant regem, & in mendacys suis principes.* Cavendum igitur etiam atque etiam cuivis docti est in præsenti controversia legatorum Fratribus Minorum relictorum (difficili quidem, Juriumque apicibus implicatissima, & de qua nil in Regula expressum, ut ait Nicolaus III. *eo* §. *Ad hæc, quia*: sed ab eodem Pontifice tam dilucidè grammaticaliter, explanata, declarata pro omni legandi modo contingente, ut nullus supersit, si, ut par est, ejusdem declaratio attendatur, intelligatur, dubitandi locus in posterum, omninóque provisum sit legantibus, ne eorum voluntates hæredum cupiditate, vel negligentiâ fraudentur, simulque præcautum conscientijs Fratrum, Regulæ ipsorum puritate factâ tectâ servatâ, ut ipse Pontifex ait:) cavendum, inquam, cuivis Doctori est utrinque, cùm scilicet ex parte Fratrum, tùm ex parte quotumcúnque hujusmodi gravatorum hæredum, sententiam ferenti, ne, dum indulgentiæ velificare gestit, adulationis favunio auferri se sinat, & personatum gratiæ, consulentiúmque cupiditati, ac lubentiæ potiùs, quàm veritati, justitiæ, & æquitati venaliter, ancillari, blanditique videatur.

21 E regione verò alij, nimio spiritus fervore abrepti, actiones complures peccati lethalis, atque adeò illicitas, nimis facilè, nec tam properanter, quàm præcipitanter damnant; viamque salutis, cætéroqui perangustam, multò adhuc magis inconsultò arctant: quos profectò meminisse par est, ipsos quidem æmulationem Dei habere (ut monet, nonnullos sui temporis suggillans, Apostolus ad Romanos scribens *cap.*10.) sed non secundùm scientiam: necnon sibi ita moderari debere, ne in fervore (ut præcavet D. Petrus *in sua* 1. *canonica cap.*4.) peregrinentur: alioqui periculum non leve adeunt, ne dum unà cum Iacobo, & Joanne Apostolis, Eliæ spiritum nimiæ severitatis instaurare contendunt, ab ipsomet Christo Domino audiant illud Lucæ *c.*9. *Nescitis cujus spiritus estis.*

22 Hisce igitur sat monitos voluerim eos, qui in hac, qua de agimus, legatorum materia aut scribunt, aut oraculis consulunt vivæ vocis; ne scilicet ex una parte hæredum, aut hujusmodi gravatorum, vel executorum conscientijs ità blandiantur, ut eos in tali foro omninò absolutos pronuntient; nevè ex alia eorundem Fratrum Minorum, cæteroqui perarctam, quin & arctissimam Mendicitatem, & altissimum paupertatis statum, magis adhuc angustent, ut omnium omninò annuorum legatorum subsidij incapaces sine ulla distinctione efficiant: cùm nec tamen eadem mendicitatis, paupertatisque Fratrum arctitudo sit dilatanda.

23 Quam ancipitem aleam cum ego quóque pro divina duntaxat gloria, veritatis manifestatione, conscientiarumque tum Fratrum meorum in Domino pauperculorum, apprimèque dilectorum, tum hujusmodi Gravatorum cautione, & quiete, post tot alios, tantósque Doctores, magis ex professo subire decreverim, tollo jam in cœlum mentem meam, totiúsque animæ præcordijs clamo: *Deus meus, illuminatio mea*; atque à studio utriusque partis, æquo plus scilicet aut laxandi, aut angustandi, me ita alienum profiteor, ut divinâ fretus gratiâ, neque immodicu zelo abduci me patiar, nec in sermone adulationis, quem maximè detestatur Apostolus 1. *Thessalonic. cap.*2. ab ullo deprehendar; auctoritatibus præsertim tot Seraphici Doctoris mei D. Bonaventuræ aliorúmque Ordinis Patrum innixus, quos sicut nefas esset credere minùs sanctè, minùs integrè Regulam, quoad hunc punctum, in sua praxi servâsse, ita, & in suis scriptis declarasse. Quæ enimverò causæ, quæso, hic me ad mentiendum, adulandumvè cujusquam gratiâ sollicitare queant? Nullæ profectò; ut non tam verbis, quàm factis semper me patefecisse, ac deinceps patefacturum, Deo adjutore, profiteor. Solidæ námque compertæque rationes, ac firmamenta in medium à me hactenùs allata, & adhuc afferenda liquidò, ni fallor, commonstrabunt, quinam in hujusmodi controversia enodanda nimio zelo, aut adulatione, vel alia incomposita appetitione auferri se si-

nant; quiquenam ſyncera intentione puram veritatem, majus Dei obſequium, & conſcientiarum ſolidum, tutúmque utrinque conſilium, etiam ſecundùm ſcientiam, quærant. Cæterùm, ſicut meæ tenuitatem facultatis probè novi, ita candoris mei fidele teſtimonium non minùs cumulatè, ut hactenùs præſtiti, ſic in ſequentibus præſtare non deſinam, quàm iterum ſanctè polliceor.

---

§. XVIII.

Oſtenditur, textum Clementinæ, Exivi &c. §. Proinde: verſic. Cúmque annui reditus: (*qui omnem in præſenti Subjecto negotium faceſſit*) *intelligendum eſſe in ſtricta eáque Iuriſtarum propria acceptione.*

SVMMARIVM.

1 *Opinio Doctorum textum* Clement. Exivi: verſ. cúmque annui reditus, *non diſtinguentium, non admittenda.*

2 *Senſus* Clement. Exivi, verſ. cúmque annui reditus, *juxta Iuriſtarum intellectum accipiendus*, & n. 3.

4 *Varij abuſus Religionis Minoricæ ex conceſſionibus Pontificiis Regulæ relaxativis diverſis temporibus impetratis.*

5 *Legata annua Minoribus relicta, non ſunt ſuâpte natura nulla, neque habenda pro non ſcriptis.*

6 *Regula, quæ vult ut quæ contra jus fiunt pro infectis habeantur, non afficit Fratres Minores, quibus legatum annuum relinquitur, ut explicatur*, ibid.

7 *Ratio decidendi* Clementinæ, Exivi: verſ. cúmque annui reditus: *demonſtratur, & verus intellectus declaratur*, & n. 8. cum ſeqq.

8 *Fratres Minores ſunt incapaces annuorum redituum civiliter acquirendorum.*

Quatenus inter bona immobilia computantur, num. 9.

Quòd multorum Doctorum authoritate probatur, n. 10. & alijs ſeqq.

10 *Cenſus annuus & perpetuus inter bona immobilia cenſetur.*

11 *Cenſus ſumptus pro jure ad rem ſolvendam ſtatutis temporibus; dicitur res immobilis*, & n. 15.

12 *Fratres Minores qua ratione poſſint inſtitui hæredes, nec ne: ad interpretationem* Clem. Exivi: §. cúmque annui reditus.

13 *Cenſus ſive reditus annui definitio ſecundùm Iuriſtas, adducitur.*

14 *Fratres Minores non poſſunt habere proprium in Cõmuni, ſicut habere poſſunt alij Ordines.*

15 *Cenſus annui in* Clem. Exivi: §. cúmque annui reditus, *non ſumuntur pro rebus quæ ſolvuntur: ſed pro jure ut ſolvantur*, & num. ſeqq. uſque ad 33.

33 *Textus* Clem. Exivi: §. cúmque annui reditus: *expenditur, quatenus Reditus comparat Poſſeſſionibus*, & n. ſeqq.

34 *Poſſeſſiones & reditus æquiparantur, ratione juris civilis & politici.*

35 *Verba, Recipere, vel habere &c.* d. Clemen. Exivi: *ponderantur.*

Habere *quid ſit? ſecundum leges civiles*. ibid.

36 *Fratres Minores naturaliter habere & recipere poſſunt, merè paſſivè, ad neceſſariam ipſorum ſuſtentationem.*

Fortiſſimus eorum omnium Doctorum 1
Achilles, qui annuorum legatorum quorumcunque, nulla penitùs diſtinctionis moderatione adhibita, (immeritò tamen, & zelum quidem habentes, at non ſecundùm germanam intelligentiam, & ſcientiam declarationis Nicolai III. *eo* §. *Ad hac, quia:*) incapaces omninò aſſerunt Fratres Minores: unde & legata ipſa (quod majus abſurdum cenſeo) omninò caſſa, hæredibuſque cedentia, tanquam non ſcripta, teſtatorúmque animabus minimè ſuffragantia, vel impendenda, pronunciant. Eſt textus ille *Clement. Exivi: §. Proinde: verſ cúmque annui reditus:* hiſce verbis expreſſus. *Cúmque annui reditus inter Immobilia cenſeantur à Iure, ac hujuſmodi reditus obtinere, paupertati, & mendicitati repugnet; nulla dubitatio eſt, quòd prædictis Fratribus reditus quoſcúnque, ſicut & Poſſeſſiones, vel eorum etiam uſum (cùm eis non reperiatur conceſſus) recipere, vel habere (conditione conſiderata ipſorum) non licet.* Atque hæc Pontifex ille declarando dicit, ex ſententia, reſpondens inſtantijs zelatorum Regulæ, qui ad illius examen plura deduxerant, quæ in Ordine fieri dicebantur, & videbantur Voto, & puritati ejuſdem Ordinis repugnare; inter quæ hoc ſingulare erat; prout ibi *eo* §. *Proinde:* Item, quòd reditus annuos recipiunt interdum in tam notabili quantitate, quòd Conventus habentes totaliter inde vivant.

Sanè tamen eo textu, omnes omninò abu- 2
tuntur, diſtortéque intelligunt à mente Pontificis, qui ad ſtrictum, propriúmque Iuriſtarum intellectum, eúmque ſtatutorum, Canonum, Iuriumque communem, nun referunt verba illa, vel terminos illus, *Reditus, Recipere, Habere*, ſeu *obtinere*, & *tenere*.

Hoc autem jam ex profeſſo oſtendendum 3
aggredior: Si enim Pontifex eum inter alios refert abuſus ad ſuum deductos examen, quòd ſcilicet vivos reditus recipiebant: cum eorum primum recenſens, dicat: Quod ſe inſtitui hæredes non ſolùm ſuſtinebant, ſed procurabant Fratres, ita ut univerſales etiam ſucceſſiones admitterent, quales ſunt Hæreditates

cenſé

certè necesse est dicere, quòd etiam recipiendo annuos illos reditus, v.g. legatos, vel à viventibus collatos reciperent ex titulo civili successionis particularis, (cujusmodi, ut ita dicam, est legatum) ad jus videlicèt census, vel reditus, quod est saltem ususfructus legatus, vel collatus, si proprietas fuerit reservata à dante aut sibi, aut suis hæredibus; aut si erant annua legata simplicia, minimè fixa, certa, & constituta, atque adeò non habentia rationem, & formam ususfructus; recipiendo illas obventiones annuatim ab hæredibus præstitas titulo legati civiliter acceptato, & propriè dicto, juxta traditam doctrinam §. 12. atque adeò civiliter, acquisitio vel ipsis Fratribus, vel Ecclesiæ pro ipsis (quod est Regulæ relaxativum) cum effectu actionis in foro ad exigendum per Syndicos, & procuratores.

4 Equidem autem tales fuisse abusus illos in Ordine, tàm quoad hæreditarias successiones, quàm quoad annua legata, seu annuos reditus, compertum est ex pluribus concessionibus puritatis Regulæ relaxativis, quas Fratres ipsi asserentes, non posse se secundùm Regulæ rigorem vivere, à summis Pontificibus impetrarunt tùm ante, tùm post ipsum Clementem V. habendi scilicet Syndicos, & Procuratores, qui nomine Papæ, vel Apostolicæ sedis legata quæcùnque Fratribus ipsis facta, etiã annua, vel perpetua, exigerent, tàm in Judicio, quàm extra, & ea sic exacta reciperent, & in eorum necessitates converterent; itémque succedĕdi in hæreditatibus, sicut fuissent in sæculo degentes; itémque utendi paramentis sericis & pretiosis: qui omnes sunt abusus, & relaxationes puritatis Regulæ, quos averruncare intendebat, & ut tales declarabat *Clemens V. ibi*; quamvis ante ipsum ita concessum fuerit, quoad primum ab Innocentio IV. *anno* 1247. & à Martino IV. *anno* 1282. quoad secundùm verò à Clemente IV. *anno* 1265. & quoad tertium ab Innocentio IV. *anno* 1254. & ab Alexandro IV. *anno* 1257. Vix tamen id Reformationis obtinuit Clemens ille V. nam post ipsum, qui ab anno 1305. ad annum usque 1315. regnavit, naturâ humanâ iterum, ut moris est, in declive tendente, obtinuerunt Fratres à summis Pontificibus successoribus dispensationem recipiendi maximè legata, ut præfertur, etiam in Judicio per Syndicos, & Procuratores nomine Papæ exacta; adeóque Syndicos ad id signanter muneris habendi; ut patet ex Bullis (quoad primum) Martini V. *anno* 1428. Eugenij IV. *anno* 1444. & Sixti IV. *anno* 1471. & (quoad secundum) ex Bullis Alexandri V. *anno* 1409 Martini V. *anno* 1419. Eugenij IV. *anno* 1432. Alexandri VI. *anno* 1493. & Pauli IV. & Iulij II. per quas dispensativas concessiones tùm puritati Regulæ, tùm declarationibus ejusdem Regulæ per Nicolaum III. & Clementem V. editis in hac parte expressè derogatum fuit; ut benè Pelandus *suprà cit. p.* 2. ostendit. Et, videri possunt hujusmodi Bullæ per extensum apud V Vadingum *in Annalibus minorum*, (exceptis illis Pauli IV. & Iulij II. quas allegat *Pelandus cit.*) apud quem ego eas legi, singulas sub suis annis, & in diversis respectivè tomis illius.

5 Hìc obiter reflectere placet paulisper contra eos, qui contendunt, legata annua Fratribus minoribus relicta, utpotè (ut ajunt, incapacibus, habenda esse, tanquam non scripta, & suaptè natura cassa, & nulla. Quomodo, quæso, si talia fuissent à sua institutione, & ab initio, potuissent firma, & scripta reputari à tot summis Pontificibus concedentibus, ea posse per Syndicos, & Procuratores exigi? Quid? quomodo vel in hodiernam diem per repetitas summorum Pontificum constitutiones, & decreta S. Congregationis Fabricæ S. Petri de Urbe, exigerentur & reciperentur pro eadem Fabrica à Deputatis illius, si post biennium à die maturationis, non fuerint legata hujusmodi ab hæredibus, vel gravatis citra jus actionis in foro præstita ipsis Fratribus. (qua de re *infrà Art.* 3.) Certè in utroque jure est regula: Quod non firmatur, nec convalescit tractu temporis id, quod de jure ab initio vitiosum est, & non subsistit: *cap. non firmatur* 18. *de reg. jur. in* 6. *& l. quod initio. ff. de reg. jur.* ubi Glossæ: ita ut, si talia fuissent censenda prædicta legata, non tractu temporis, neque à Pontificibus; sed tantùm voluntate expressa, vel tacita testatoris, qui iam supponitur defunctus, & per consequens non posse denuò suam voluntatem expressè, aut tacitè exhibere; convalescere posset, & quidem de legatis est textus clarus ad hoc *in l. cætera*: 41. *§. tractari ff. de leg.* 1.

6 Neque dicant, hujusmodi legata esse utique ab initio de jure vitiosa, & non subsistentia, tanquam facta incapacibus; Et quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi; ut est *Regula* 64. *de reg. jur. in* 6. ubi Gloss. Nam regula illa loquitur de ijs, quæ fiunt contra jus ea fieri prohibens: nullum autem adest jus prohibens, ne hujusmodi legata Fratribus Minoribus fiant. Adest quidem jus prohibens ijsdem Fratribus recipere legata sibi facta cum expressione modi illiciti, secundùm ipsorum statum: atqui ne verbum quidem, aut irritans, aut prohibens legata ipsa fieri; ut alibi dixi: & patet in eo §. *Ad hæc, quia: in cap. Exijt:* Præterquã, quòd si (quod non concedo) adesset jus aliquod prohibens; & per consequens haberet locum regula illa? *Quæ contra jus, &c.* adhuc respondeo cum Gloss. *ibi* distinguendo: vel jus prohibet, & addit, quòd si contra prohibitionem,

hibitionem fiat, non valeat vel simpliciter prohibet: in primo casu habet locum illa Regula; in secundo non: & ita sentiunt Gulielmus, & Romanus, & alij; ut ait ibi Gloss. eos allegans. Vel etiam dico cum *eadem Glossa*, quòd hujusmodi legata non sunt directè contra jus; sed potiùs præter jus: quia licet Jus non assistat Fratribus, utpote ejus incapacibus; non tamen plenè resistit; ut alibi egomet edissero, in secundo casu. Unde benè *ibidem* Marginista ex Dyno notat, quòd factum tenet, licèt non teneat, considerato effectu juris. Quare nulla legata Fratribus Minoribus facta censenda sunt suaptè natura cassa, & pro non scriptis habenda; sed dicendum est, ea tantùm destitui, effectu juris non assistentis, nec parere actionem; juxta Regulæ puritatem. De cætero manent sub fomento Juris naturalis, & præstari debent, ex obligatione conscientiæ, immò & justitiæ propriè dictæ erga testatorem, ab hærede, pro anima ipsius testatoris, aut ijsdem Fratribus signanter, nisi sint cum expressione modi ipsius illiciti, ratione cujus tenecantur ab eorum acceptione abstinere; & ideò respuant: aut (ipsis respuentibus) alijs pauperibus, pijsvè causis erogari, ne piæ defunctorum fraudentur voluntates. Qua de re specialis cura Episcopis ex officio nobili incumbit; juxta declarationem Nicolai III. *eo §. Ad hæc quia: cap. Exyt:* cui omninò in hac materia standum censeo. Jam verò ad nos, quoad illum textum *Clementinæ*. Nam de tacta validitate erit alibi sermo, ut dixi, nempe *Casu secundo* §.4. *à n.*19. quin & *Artic. tertio per totum*, præsertim §. 2. & 8.

7 Patet autem expositus mox suprà, & historica veritate comprobatus sensus Clementis *in eo versf. cumque annui reditus*: per ea, quæ ipsemet habet verba *ibid.* paulò antè, *versic. Cupientes igitur*: Ait enim: *Quia igitur in successionibus transit non solùm usus rei, sed etiam dominium suo tempore in hæredes: Fratres autem præfati nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possunt, etiam in communi; declarando dicimus, quòd successionum hujusmodi, quæ etiam ex sui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia se extendunt, (considerata sui puritate voti) nullatenùs sunt capaces.* Patet, inquam, ex hoc; quia ratio, propter quam declarat Pontifex, nullatenùs Fratres Minores esse capaces hujusmodi successionum, (scilicet universalium, quæ sunt hæreditares) tum quoad mobilia, tum quoad immobilia, vel inter ea computata, in quibus si retinendis succedant, ad annuos reditus habendos succedere perhibentur; consequenterque & legatorum annuorum, quæ successiones (ut ita dicam) sunt particulares, si de ijs dictis loquamur: ratio, inquam, horum hæc est; Quòd nimirùm Fratres præfati nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possunt, etiam in communi: & quia se expropriatione tanta à temporalibus abstraxerunt, necesse habent ab omni eo, quòd dictæ expropriationi esset, vel posset videri contrarium, abstinere; ut, juxta exigentiam vitæ veritatis, per id, quod exteriùs agunt, interiorem suæ mentis dispositionem, & habitum repræsentent. Quasi sibi vellet Pontifex, (sunt enim ipsius verba ibi præcedentia) quòd hujusmodi successionum universalium, vel etiam particularium inferentium præsertim annuos reditus, vel proventus, nullatenùs sint capaces, idest non solùm transeunte earum jure, & dominio ad ipsos, quod esset expresè contra eorum omnimodam expropriationem; sed neque transeunte eodem jure, & dominio ad Apostolicam sedem, vel Papam pro ipsis, tanquam ad ipsum Patrem specialem; quod certè posset videri dictæ expropriationi contrarium, candidæque veritati vitæ, ad ejusdem expropriationis amussim, repugnans. Cum igitur nihil cuipiam verè, & irrevocabiliter acquiratur, secundùm leges, earùmque Doctores, sed & secundùm D. Bonaventuram suprà allatum, nisi is hujusmodi civili acquisitioni consentiat, & acceptet titulum juris, ratione cujus altera ei pars, propriè dicta obligatione, civili scilicet, juncta naturali, teneatur; cum, inquam, ita sit; clarè hinc etiam patet quòd Pontifex *in eo versic. Cumque annui reditus*: de annuis reditibus loquitur, deque legatis annuis, etiam simplicibus propriè dictis, juxta doctrinam traditam §.12. *à num.*5. *usque ad* 13. exclusivè; hoc est de civiliter acquisitis, vel Fratribus per expressam prævaricationem suæ ipsorum Deo votæ expropriationis cùm in communi, tum in particulari; vel etiam Papæ tanquam speciali ipsorum Patri quod eidem expropriationi posset videri contrarium.

Hócque idem fortiùs adhuc evincitur ex eo, quod *ubi suprà* ait Pontifex; estque fundamentum prædictæ rationis: *Quia igitur*, inquit, *in successionibus transit non solùm usus, sed etiam dominium suo tempore:* Hoc premo, & quæro. Quodnam est tempus, quo transit dominium istud? Certè pro hæredibus, qui propriè successores dicuntur, quippe universali testatoris juri succedentes, nullum est aliud, quàm quando post ejusdem testatoris mortem, ipsi acceptant, & adeunt hæreditatem: pro legatarijs verò, qui (ut benè Julius Clarus *lib.* 3. *Pract. civil.* §. *Testamentum, quæst.*15. *in addit. num.*18. & 19.) propriè non sunt successores, cùm non succedant in universum testatoris jus; sed tantummodò impropriè, & largè, quatenùs succedunt ad res sibi legatas titulo, & jure legati percipiendas, sive ex nuncupa- 8

tivo,

tivo, sive ex scripto testamento aliquid capiant: pro hisce, inquam, tempus, quoad eos verè & irrevocabiliter transit earum rerum, seu successionum largè dictarum dominium prædictum, est, cùm post mortem testatoris, post aditam ab hærede hæreditatem, agnoscunt, & acceptant civiliter titulum legati: antequam enim ita agnoscant, & acceptent illum, posita etiam post testatoris mortem aditione hæreditatis per hæredem facta, dicuntur quidem habere ad rem legatam, seu etiam in re ipsa jus, & dominium, vel quasi, sed aut revocabile saltem, aut nedum revocabile, sed & fictum, per retrotractionem juris. Quod ita est, & se habet, ut, si postea tempore prædicto, aut titulum hujusmodi omninò respuant; tanquam omninò sibi repugnantem; aut non possint illum, ut juris incapaces, civiliter tantummodò agnoscere, & acceptare, de facto tamen simplici possint res legatas accipere, illísque uti, earumvè beneficio frui, retrotrahatur veritas, ipsique perindè reputentur, ac si illum nunquam habuerint; juxta alibi traditam doctrinam. Ergò verè hic loquitur Pōtifex Clemens de reditibus annuis, vel annuis etiam legatis propriè dictis. Sanè germana est interpretatio; quæ præterea expressa habetur *in quodam libro*, cui titulus *Ocularia, & Mampulus Fratrum Minorum*: ibi enim *in 3. par.* refertur quoddam exemplar querimoniarum propositarum in Concilio Constantiensi à Fratribus, qui cupiebant reformationem sui Instituti; atque inter cæteras *pag. 2. fol. 192. ipsius 3. par. circa finem*, occurrit ad rem nostram hujusmodi exclamatio. *O quàm repugnant isti Paupertati annui reditus, & possessiones, quas multi Conventus in partibus Gallicanis retinere, possidere, perpetuò affirmare, & alienare, & pro eis litigare non verecundantur!* Quid clarius?

10 Hisce autem omnibus accedunt auctoritates Doctorum textum illum *Clementinæ, Exivi*: ita expresè intelligentes, nempe de censibus, seu reditibus annuis, qui propriè sunt jura incorporalia ad pensiones annuas recipiendas, atque ideò inter bona immobilia computantur.

11 Primus est Azorius *part. 2. Instit. Mor. lib. 9. cap. 1. §. Aliquando tamen*: hisce verbis: Eadem ratio est de servitutibus, & quocúmque alio jure incorporali, qualis est annuus census perpetuus. Unde *in Clementina Exivi: de verb. signif. §. Cúmque annui*: habetur, quòd census, & reditus annui inter bona immobilia computantur. Ita ille, qui etiam *tom. 1. lib. 12. cap. 23.* in eodem sensu eundem textum affert; ut *infrà* referam.

Secundus est Filliucius *tom. 2. tract. 35. part. 2. cap. 1. num. 149.* cujus isthæc sunt verba: dico tertiò, censum, sumptum pro jure ad rem solvendam statutis temporibus, computari inter immobilia, esto res, quæ solvuntur mobiles sint: *Clement. Exivi: §. Cúmque annui reditus: de verb. signif.* Ubi per annuos reditus intelligitur jus solvendi res illas. Hæc docent passim Doctores citati explicantes definitionem census. Ita ille. Doctores autem, quos citat *ibi, in exordio illius cap. 1.* sunt Gabriel, Major, Conradus, Navarrus, Toletus, Valentia, Joannes Medina, Molina, Lopez, Garzia, Lessius, Rebellus, Azorius, Joan. de Salas, & alij Recentiores, & Summistæ; itémque Covarruvias, & Boninsignius, quos citat *ibid. num. 146. in fin.* Vide illum etiam *cap. 2. num. 286.* ubi eandem *Clement.* in eodem sensu allegat, cum Gloss. *in cap. 1. verb. Iura: de rebus Eccles. non alien. in 6.*

12 Adhuc tamen magis ad rem nostram eundem textum ita interpretatur idem Auctor *in eod. tom. tract. 34. cap. 7. num. 160.* ubi quærens de personis, quæ possunt institui in hæredes, vel legatarios: respondet., omnes lege non prohibitos institui posse. Recensens verò eos, qui lege prohibentur institui in hæredes, vel legatarios, ait: Secundò, ex Religiosis, professi Ordinis Minorum; ex *Clement. Exivi: de verbor. significat.* Intellige (subdit) de absoluta institutione hæredis, ita ut ipsi acquirant jus ad bona immobilia, & teneantur ad onera defuncti, sicut hæredes: alioqui possunt relinqui hæredes in eorum favorem, ita ut per Executores vendatur hæreditas, & detur eis pretium: quo pacto etiam Domus Professæ Societatis Jesu relinqui possunt hæredes; cum alioqui ex proprijs Constitutionibus possidere non possint bona immobilia. Hæc ille, qui quod dicit de hæreditate, profectò à fortiori dictum intelligat necesse est etiam de legatis annuis simplicibus.

13 Tertius occurrit Laurentius Beyerlinck *in suo Magno Theatro Vitæ humanæ tom. 6. lit. R. pag. mihi 22.* ubi Reditum pro censu sumens cum Juristis, ipsius definitionem, & etymologiam tradit hisce verbis: Reditus, græcè Πρόσοδος, est jus exigendi pensionem annuam ex re, vel persona alterius utili vel fructifera: Hoc est, quæ nata est fructum proferre, salvâ substantiâ: quales non sunt eæ, quæ nulla ratione esse possunt utiles neque in re, neque in spe. Dicitur reditus, ex eo, quòd annuatim redeat: Et computatur inter res immobiles; ut constat *Clem. Exivi: §. Cúmque annui reditus: de verbor. signif.* Vide Covarruviam *variar. resol. lib. 3. cap. 7. num. 1.* Hæc ille, qui iterum *ibid. paulò infrà*, ex Maldero in *suo tract. de Iust. & Relig. tract. 5. cap. 5. dub. 2.* observandum monet, Reditum non esse ipsas pensiones, aut obventiones; sed jus eas recipiendi: adeóque qui emit reditum, non mutuare, neque emere

anticipato

anticipato pretio; sed paratâ pecuniâ emere jus, quod statim ei traditur, cujus fructus sunt pensiones, quæ postea succedunt, & priùs non debentur antequam cedant. Hæc ille iterum.

14 Quartus adest Alvarus Pelagius, *de planctu Ecclesiæ, cap.66. circa medium*, sic edisserens: Quidam verò Minorum Fratrum reditus pecuniarios annuales, vel biennales, vel ultra habent, quos sibi in testamento dimiserunt parentes, aut aliàs à dominis dari sibi faciunt annuatim, sicut faciunt stipendiarij sæculares; cum tamen nedum pecuniarios, sed nec alios reditus quoscúnque habere possint, secundùm eorum Regulam: quia tanquam advenæ, & peregrini, ut ibi dicitur, debent ire per Mundum mendicando, non reditus habendo: Et est expressum *in prædicta declaratione eorum, Exivi de Paradiso: §. Proinde: in Clement.* Et quanquam Ordines alij possint succedere, in talibus legatis, & reditibus dominis Fratribus suis; & per eos eorum Ordinibus acquirantur; per ea, quæ leguntur, & notantur. 18. *quæst.*1. *cap.*1.19. *quæst. ult. cap. si qua mulier; & extra, de privilegijs, cap. cum olim propter:* in Gloss. *Quia quicquid:* Non tamen Ordo Minorum potest succedere alicui, nec per Fratres ei potest acquiri; quia non potest habere proprium in communi, sicut alij Ordines; ut *in prædicta declaratione, Exijt: & Exivi:* continetur.

15 Quintus adstipulatur Ludovicus Molina *tract.*2. *de Iust. disp.*383. *num.*10. hisce verbis: Observa, censum, pensionem, ac reditum pro jure ad rem statutis temporibus solvendam, computari inter bona immobilia; esto res, quæ solvuntur, mobiles sint: ita habetur *in Clement. Exivi: §. Cúmque annui reditus: de verbor. signif.* cujus verba sunt: *Cúmque annui reditus inter immobilia censeantur à Iure:* Quo loco annui reditus non intuentur pro rebus, quæ solvuntur; constat enim illas res mobiles esse: sed pro jure, ut solvantur. Porrò ly, *Annui reditus*, commune quidpiam est ad Censum, ac Pensionem; omnis quippe Census, ac Pensio reditus sunt. Hæc ille; qui eandem doctrinam repetit *tract. eod. disput.*465. *num.*2.

16 Sextum advoco Valentiam *tom.*3. *disput.*5. *quæst.*22. *punct.*2. *col. mihi* 1277. *lit. B.*

17 Septimum, Medinam *tom.*2. *de rebus per usuram acquisitis, quæst.*11. quem afferam *infrà* §. 22. *num* 6.

18. Octavum ascisco Jodocum Lorichium *in suo Thesauro novo utriusque Theolog. tom.*2. *v. Reditus, num.*2. testatúrque hi omnes, *in d. Clementina*, sumi nomen *Census*, seu *reditus*, formaliter, scilicet pro jure &c.

19 Decimum, Martinum Bonacinam *disp.* 3. *de contractibus, quæst.*4. *de Censibus, punct. unico, propos.*2. *num.*16. ubi etiam docet, Censum haberi pro re immobili, etiamsi non sit perpetuus.

Vndecimum, Joan. Card. de Lugo *tom.*2. *de just. & jure, disp.*27. *sect.*1. *num.*8. afferentem pro eodem sensu Bartolum, Socinum, & Rodericum, sed & Sanchez. Unde miror, quòd hi postea, cùm oportebat, hujus intelligentiæ non meminerint. 20

Duodecimum Leonardum Lessium *lib.*2. *de just. & jure cap.*22. *dubit.*12. *n.*77. 21

Tertiumdecimum advoco Follerium *in praxi censuali, vers. Hujusmodi censualia: numero* 49. 22

Quartumdecimum, Ferdinandum de Castro Palao *part.*7. *de just. & jure disp.*6. *punct.* 14. *n.*1. Itémque *part.* 3. *tract.*15. *disp.*3. *punct.*9. *num.*11. & apud ipsum primo loco cit. est Pelaes à Meres, *de Majorat.*1. *p.q.*40. *n.*6. 23

Quintus decimus adest Dominicus Soto *de just. & jure lib.*6. *q.*5. *art.*1. 24

Sextusdecimus est Naldus *in Sum. verb. Census, n.*4. 25

Decimusseptimus, Paulus de Castro *in l. jubemus: num.*2. *Cod. de sacros. Eccles. §. Nota secundò: in V. Annonas civiles:* Cum Gloss. Videri etiam potest Bartolus *in l. moventium: ff. de verbor. signif.* & Alexander *cons.*16. *& cons.*61. *lib.*1. Erúntque jam decem & novem. 26

Sit Vigesimus Ludovicus Lopez *in tract. de Contract. lib.*1. *cap.*56. *§. His tamen:* ubi allegans *Authent. Ut qui se res Minorum obligat. habere perhibent:* 72. docet, quòd emere, vel vendere (consequentérque & habere) annuos reditus, est emere, vel vendere jus exigendi, seu percipiendi illos. Et ita commune esse testatur apud Juristas: sicut (inquit) & res empta, & vendita in contractu Census, est jus exigendi, & percipiendi quotannis pensionem, ut suam. 27

Vigesimus primus sit Ludovicus de Beja *part.* 1. *responsionum Casuum conscientiæ, Casu* 25. 28

Vigesimus secundus, est doctissimus Martinus ab Azpilcueta. Navarrus *pluribus in locis suorum operum.* Et primò quidem *in Comment. de spoliis Clericor. §.*16. *num.*2. ubi expresse juxta prædictum sensum allegat *Clemen. Exivi: §. Cúmque annui reditus:* Secundò *in Comment. de Vsuris in cap. si feneraveris:* 14. *quæst.*3. *num.*87. verbatim item allegans, juxta eandem intelligentiam, illum textum, *Cúmque annui reditus:* cui concordare ait; *cap.*1. adjuncta Gloss. recepta *in verbo, Iura, de reb. Eccles. non alienan. lib.*6. Ibi enim ait, posse constitui Censum super annuo reditu; quia licèt (inquit) ille non sit propriè res immobilis, habetur tamen pro re immobili, per text. Juris optimum in *Clemen. Exivi:* & consequenter docet etiam, posse 29

constitui

constitui censum super censu majore, vel æquali, jam antea constituto. Quod etiam repetit *in eod. comm. n.*112. allegans tertiò *eandem Clement. Exivi: §. Cumque annui reditus:* Quartò *in tract. de redditib. Eccles. quæst.*1. *monit.*41.*num.*1. eundem *Clementinæ* locum intelligit, & explicat de reditibus formaliter sumptis, idest de juribus percipiendi annuas præstationes, vel pensiones.

30 Vigesimustertius erit Emanuel Sà *in sum. v. Census num.*11. ubi subscribit Navarro *in eo comment. de usuris, cit.*

31 Vigesimus quartus accedit Card. Zabarella *in Gloss. super d. Clem. Exivi: ad §. licet verò; in verbo declaravit: vers. Oppono ad hoc:* ubi textum illum, *Cùmque annui reditus:* intelligit quidem de annuis reditibus materialiter sumptis; certis tamen, & constitutis; idest certis ex jure, & constitutis super re aliqua immobili, vel quæ inter res immobiles computetur, cujusmodi sunt jura, etiam alterius census, vel reditus majoris, vel æqualis, ut dictum est mox suprà cum *Navarro:* atque hos reditus, ait, videri dicendos esse propriè annuos. Atque hisce adstipulatur Bassæus noster *to.*1. *Florum Theolog. v. Census num.*5. ubi postquam *num.*2. definivit censum pro jure exigendi pensionem: ait: Census potest collocari in alio censu. Ratio: quia census verè est quoddam bonum utile; tùm quia census inter bona immobilia numeratur *in Clement. Exivi: §. Cùmque annui reditus de verbor. signif. in* 6. Vide etiam Portel *infrà cit. hic num.* 34. Alios etiam alibi appello, ut Joannem Ornotomum, Landrecht, utrúmque Rodericum, Cordubam, & Politium, Covarruviam, Schraderum, & alios ab his citatos, ut *§.*22.*num.*4. *&* §.25. *num.*6.

32 Aderit tandem Universitas Doctorum omnium tùm Theologorum, tùm juris utriúsque consultorum, qui ubi de censibus, vel reditibus annuis agunt, sive eos formaliter, sive materialiter sumant, semper, & ubique intelligunt in sensu explicato, ut patebit ampliùs ex dicendis *infrà* §.22.25.*&* 29.

33 Atqui pro completa confirmatione traditæ interpretationis illius *Clementinæ* textus, & conclusione *hujus* §. eruamus eundem sensum ad literam ex verbis Pontificis ipsius *ibidem*. Pendamus igitur verba illius *in eo vers. cùnque annui*: Nulla dubitatio est, inquit, quòd prædictis Fratribus reditus quoscúnque sicut & Possessiones, vel eorum etiam usum (cum eis non reperiatur concessus) recipere, vel habere (conditione considerata ipsorum) non licet. Hæc ille: ex quibus pendo primò, quòd ait: *Reditus quoscúnque sicut & Possessiones:* Quomodo, quæso, comparantur, & coæquantur in hac prohibitiva declaratione Reditus Possessionibus, nisi sit sermo (si materialiter sumantur) de illis propriè dictis, idest civiliter certis; vel etiam impropriè dictis, sed constitutis, & fundatis super re aliqua immobili, vel inter res immobiles computatas; ut explicat *Zabarella cit.* vel nisi pro reditibus (formaliter scilicet sumptis) intelligantur jura fructifera? Quemadmodum utique etiam pro Possessionibus intelliguntur non solùm prædia, seu agri, & fundi fructiferi latè patentes, quos quis jure habet in sua possessione; sed etiam jura ipsa, quibus prædicta à possessore habentur; ut benè Gloss. *in Clement. Monasteriorum: de reb. Eccles. non alienan.* quam vide etiam pro verbo, *Reditus*, de quò infrà.

34 Hoc certè legitimè intellexit Corduba *in cap.*6. *Reg. quæst.*10. ubi docens, non posse Fratres Minores habere Possessiones, nec reditus quoscúnque neque usum redituum; neque id, aut usum ejus, quod ad speciem, aut naturam redituum, aut possessionum appropinquat: rationémque duplicem reddens ait: Quia in prædictis omnibus aliquod jus annexum, (ecce unam rationem, quam utique insinuat, *Clement.* textus allatus illis verbis, *Conditione considerata ipsorum*, nam conditioni, & mendicitati, Fratrum minorum repugnat quodconque jus civile, aut usus ejus) seu aliqua thesaurizatio in futurum, seu provisio est; ut patet: (& ecce aliam rationem) optimè etiam eundem *Clementinæ* textum ita intellexit Laurentius de Portel *in respons. moral. p.*2. *casu* 24. *in princ vers. hoc posito:*

35 Pendo secundò verba illa: *Recipere vel habere (conditione considerata ipsorum) non licet.* Dupliciter autem potest aliquid recipi, vel haberi, juxta notata *in* § *præcedente, n.*8. *&* 11. & ut prætereà docet S. Bonaventura *in cap.*6. *Reg.* & Nicolaus Galberghec ex Ubertino de Casali apud Cordubam *in d. cap.*6. *Reg.* §. *secundus modus dicendi &c.* Primo modo civiliter, & politicè, seu mundanè, quem modum habendi definiunt leges Imperiales, duas ejus partes ostendentes, his verbis: Ea habere dicimur in nostris bonis, in quibus habitis defensionem, & in non habitis, seu ablatis repetitionem habemus: *ff. de acquir. rerum dominio;* apud Seraphicum Doctorem cit. Atque hæc, cùm non habentur actu, & redduntur, aut dantur vel ab injusto retentore, vel à civiliter debitore, dicuntur propriè recipi in sensu Iuristarum; ut patet ex dictis §. *præcedente*. Sicque etiam patet, quòd qui hoc modo aliquid habet, vel recipit, potest illud defendere ab invasore, & repetere à retentore per Judicem temporalem; nam iste modus habendi, vel recipiendi, dicit in re habita, vel recepta, proprietatem, & dominium civile, vel politicum habere, atque adeò effectum juris, idest actionem in foro ad prædicta. Secundo modo po-

teſt aliquid recipi, vel haberi, quoad jus naturale tantùm, vel quoad jus charitatis fraternæ, ſcilicet de facto ad ſuſtentationem naturæ, & ſtatus, & merè paſſivè: quomodo etiam Chriſtus, & Apoſtoli conſiderati; ut perſonæ ſingulares, non ſolùm autem, ſed etiam in communi; conſiderati eo tertio modo, de quo *ſuprà §.13.* provt ſe ipſis tantùm conſtituebant ſpecialiter Collegium Apoſtolicum, receperunt, & habuerunt bona temporalia, ut panem, vinum, piſces, veſtes, & hujuſmodi neceſſaria ad ſui ſuſtentationem, ſecundùm quòd illis exhibebantur, & ſuppeditabantur à pijs perſonis: & hoc negare, eſt hæreticum, ſecundùm mentem Joan. XXII. *in illa Extrav. cum ad conditorem:* & aliàs ſcilicet, *quia quorundam:* & *Cum inter nonnullos:* ſicut è contra hæreticum eſſe dicitur à Politio noſtro *in cap.6.Reg.* & ab alijs, aſſerere, quòd quicquam habuerint, vel receperint primo modo, ideſt civiliter, & politicè; juxta mentem Nicolai III *in eo cap.Exijt:* & plura divinæ ſcripturæ loca, quæ ad hoc à Doctoribus afferuntur.

36 Cum igitur primus modus habendi, vel recipiendi repugnet paupertati altiſſimæ, quam ad Chriſti, & Apoſtolorum, ut præfertur, conſideratorum imitationem profitentur, tàm in communi, quàm in particulari, Fratres Minores; non autem repugnet ſecundus modus; ut conſtat: niſi importet iiſdem habentibus, vel recipientibus uſum, vel uſumfructum alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati à Iure, cujuſmodi eſſet jus Cenſus, vel reditus annui, domus ad locandum, ager, vel vinea ad percipiendos fructus, vel proventus; ſi Fratribus Minoribus directò ad ipſos teſtatoris verbo in legando relinqueretur; aut etiam ab aliquo ipſorum devoto vivente concederetur; (prout ſupra docuimus §.5 *à n.* 8. *& alibi*;) facilè cuiquam fuſum eſſe poteſt, ſenſum Clementis *ibi*, nequaquam eſſe de legatis ſimplicibus, etiam in annos ſingulos, & in perpetuum, ſed in propriè dictis, quatenùs nempè ſunt ſimplices, meræ, puræque eleemoſynæ, putà panis, vini, olei, &c. à morientibus legatæ, vel miſſæ, & à Fratribus naturaliter tantùm, & merè paſſivè receptæ, ſecundùm neceſſitatem, ad ſui ipſorum ſuſtentationem: ſed eſſe illum duntaxat, quem hactenùs expoſuimus; nimirum neutro dictorum modorum licitum eſſe Fratribus Minoribus (conditione conſiderata ipſorum) recipere, vel habere reditus quoſcúnque aut proventus, ſive à moriente aliquo ipſis directè legato relictos, ſive à vivente conceſſos, certos, & conſtitutos, ideſt fixus alicui bonu immobili, vel inter immobilia computato, ad id ſpecialiter obligato; itaut ipſi reditus, vel proventus, ſive legato relicti, ſive à vivente conceſſi, ut præfertur, importent habenti, vel recipienti quomodocúnque uſum, vel uſumfructum, legatum, vel conceſſum, ſaltem de facto, illius boni immobilis, cui ſunt fixi, adeóque, & ipſi cenſeantur bona radicaliter immobilia: Vel etiam, non eſſe Fratribus Minoribus licitum recipere, vel habere primo modo legata ſimplicia, & uſum, vel uſumfructum non importantia ullius boni immobilis; quod eſt dicere recipere, vel habere illa propriè dicta, juxta noſtram doctrinam: Hæcque illis eſſe illicita, etiamſi non apud ipſos Fratres, ſed penes Apoſtolicam ſedem, ſeu ſummum Pontificem, aut alium quempiam ex parte Fratrum ſpecialiter ſe habentem, jus civile ad illa reſideret; itaut ipſi Fratres poſſent per Syndicum, vel Procuratorem, ſeu œconomum, illius nomine agentem, ea exigere in judicio, vel extra. Quod ſi à Fratribus in praxi fieret, utique abuſus ille manifeſtè eſſet, quem intendebat Clemens ipſe V. tunc reformare; non autem dubitatio, aut difficultas, quam ſolvendam aſſumpſiſſet. *Nulla enim* (inquit ipſe ibi) *dubitatio eſt.*

§. XIX.

Confirmatur, quod oſtenſum eſt in §. præcedente, ſumpto argumento evidente ex hiſtorica veritate; ab una ſcilicet, ex multis cauſis noviſſimæ reformationis Ordinis ſub Clemente VII. per inſtitutionem Congregationis noſtræ Fratrum Minorum Capuccinorum.

SVMMARIVM.

1 *Capuccini cur abſceſſerint è familia Obſervantium.* & num. 9.

2 *Abſceſſus, juxta D. Thomam, in tribus caſibus licitus: quorum unus eſt, ſi Religio à ſuo Inſtituto declinet.*

3 *Altiſſima paupertatis Minorica aſſertor & vindex D. Bonaventura.*

4 *Leo X. Pontifex conſtituit, ut diverſa Familia Religioſorum S. Franciſci proprium ſibi eligerent Generalem, ad varias difficultates ſedandas.*

5 *Bulla Unionis Leonis X. qua Religio S. Franciſci plurimùm commendatur; & unio inter Fratres ſuadetur.*

6 *Habitus Capuccinorum ab alijs familijs S. Franciſci diſtinctus.*

7 *Fratres obſervantes admiſerunt aliquas conceſſiones Pontificias puritati Regulæ adverſantes.*

8 *Capuccini diſpenſationes Pontificias circa relaxationem altiſſimæ paupertatis acceptare recuſarunt.*

9 *Capuccini*

9 *Capucini Ann.* 1527. *& 1528. è familia Observantium secessere, strictissimam Regulæ puritatem profitentes, assumendo caputium acuminatum, unde Capuccini denominantur.*

10 *Capuccinorum institutum novum non est; sed nobile Franciscanæ Religionis germen, & ipsi sunt legitimi successores & Filij S. Francisci.*

11 *Capuccini Seraphicæ religionis habitus forma, & strictissimo vitæ instituto sanctissimi professores omnibus dispensationibus Regulæ rigorem relaxantibus renuntiarunt.*

12 *Capuccinorum constitutio*, cap. 4. *refertur pro altissima & arctissima paupertate servanda.* & num. seqq.

13 *Capuccinorum constitutio expenditur quæ prohibet ne quempiam infirmum inducant directè vel indirectè ad aliquid eis relinquendum.*

Imò legata hoc modo relicta etiam unica vice præstanda ab ipsis acceptari non possunt. num 14.

Intellige quoad jus, ut num. 15.

Et juxta declarationes Nicolai III. & Clementis V. num. 16.

1 Abusus igitur manifestus Minoricæ paupertati, & mendicitati è regione contrarius erat ille, quem Clemens V. reformare intendebat. Et quidem illemet abusus, cujus iterum post *Clementinam illam* reformationem in Religione grassantis culpâ, & vitio (præter cætera causarum capita) è familia observantium, justè & laudabiliter Capuccini abscessère; ut fusè videre est apud Boverium nostrum *tom. 1. Anna. an.* 1532. & alijs.

2 Cum enim, (ne graveris audire rationem, & compendiosâ narratione ipsius rei eventum) secundum D. Thomam 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. ab omnibus receptum, ut optimè testatur Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 7. *num.* 1. hujusmodi abscessus licitus sit, & laudabilis in triplici casu, quorum unus est, (alios vide apud *Doctores cit.* neque enim ad rem nostram faciunt) cùm propria Religio à suo Instituto declinat; in hoc equidem casu, præsertim ob quorumcúnque legatorum, etiam propriè dictorum, ut præfertur, indifferentem receptionem, & communem permissionem nostri illi tunc primi Patres versabantur. Verè etenim, & citra omnem dubitationem receptio legatorum annuorum, maximè perpetuorum etiamsi relictorum sub modo, & forma simplicis legati, sed propriè dictorum; vel etiam eorundem receptio impropriè quidem dictorum, & de facto simplici, sed relictorum sub modo, & forma importante usum, vel usumfructum legatum alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati; parum à fundis, atque agris distat; (ut zelo fervens ajebat in quadam disceptatione coram Nucerienſi Duce, sed & coram Clemente VII. eo temporis Pontifice Maximo habita, P. Ludovicus Rheginus adversus Commissarium, & Procuratorem Generalem Familiæ Observantium) rerum proprietatem tàm severè à Beatissimo Patre nostro Francisco interdictam in Ordinem invehit; Regularem paupertatem, è medio tollit; atque adeò Ordinis ipsius Institutum evertit, Perfectionem labefactat, eradicat, & terræ exæquat Celsitudinem. Unde quæ ad hoc dicuntur *in Appendice practica. Casu altero*, *§.* 6. *segmento* 11. *num.* 81. & in *hoc ipso conf. artic.* 3. *§.* 10. *in princ.* præsertim *num.* 3. *&* 4.

Quare, cum vel ab ipsis primordijs Seraphicæ Familiæ, temporibus videlicet P. Joannis Perentij, Fratris Eliæ, P. Crescentij Aesini, P. Joannis Parmensis, S. Bonaventuræ P. Joan. de Muro-Vallis, aliorúmque plurium tùm Generalium Ordinis Minorum, tùm illustrioris vitæ, notæque Patrum, hujusmodi præ cæteris relaxationis, abusúsve morbus eò usque ingravesceret, ut totum ferè Ordinem ad Regularis observantiæ, altissimæ signanter paupertatis, raperet interitum: hi omnes, cunctis ubique semper operum, ac verborum, summorumque Pontificum, præcipuè Nicolai III. & Clementis V. Decretalium Declarationem pharmacis adhibitis, strenuè conati sunt, tàm gravi morbo mederi; ferè tamen omnes in cassum: intentam enim vix auspicabantur Reformationem, cùm eam volucre celeriùs & avolare cernebant. Uni videlicet Seraphico Doctori, clarissimo non Ordinis tantùm, sed totius Ecclesiæ lumini, Sancto Bonaventuræ, cùm ei Generalis Ministri munus incumberet, concessum cælitùs fuit, post nullum ab ipsomet ad id finis non motum lapidem, integram ferè Ordinis incolumitatem restituere; quæ nihilominùs brevi iterum dilapsa fuit; sed & iterum, post multas tribulationes restituta per aliquos zelatores Fratres, (inter quos fuit præcipuus F. Ubertinus de Casali) auctoritate, & diplomate Clementis V. summi Pontificis, in Concilio Viennensi anno 1311. ut patet ex *Clement. Exivi: de verb. signif.* & refertur *Chronicorum p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 18. *&* 20. Ac denuò successu temporis enervata, & lapsa, quoad usque tandem, ut firma aliquando foret, atque in sua puritate perdurare posset Reformatio novissima ob id tunc temporis instituta, Fratrum scilicet de Observantia nuncupatorum consultum fuit, ut per Decretum generalis Concilij Constanciensis anno Domini 1414. è Conventualium Familia, & consortio segregaretur. Hujus autem Re- 3

formationis primi Auctores fuerunt Fr. Joannes de Valle, Fr. Gentilis Spoletanus, & Fr. Paulus Triticius, qui Conventuales erant. Formam tamen, & ordinem illi postmodum dedit S. Bernardinus Senensis sub Eugenio IV. Summo Pontifice; manente adhuc nihilominùs universæ Religionis Minoritanæ unitate, tam Conventualium scilicet, seu de Communitate nuncupatorum Fratrum, quàm Reformatorum, seu de Observantia dictorum, sub una Conventualium Generali Præfectura, & gubernio.

4 Verùm, cum ad deteriora (heu nimis!) faciles simus; quia (teste Seneca *epist.* 97.) nec dux potest nec comes ipsa statura decesse; res etiam ipsa sine duce, & sine comite fluit; Et (ex sententia Divi Leonis Papæ *serm.* 4. *de Quadrag.*) dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dùmque per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: ideò (nec mirum) cœperunt adhuc, labente tempore, Fratres ipsi de Observantia appellati ab instituta sibi Reformationis, Regulæque puritatis servandæ norma pedetentim deflectere; veterésque in primis eliminatæ relaxationes iterum inter ipsos quoque subrepere deprehensæ sunt, quæ longo dein temporis lapsu adeò invaluère, ut frustraneum jam videretur zelatoribus Fratribus contra illas exurgere, fervere zelo, exclamare, pugnare. Cum nihilominùs hanc habeat præclarus Ordo Seraphicus à Deo Opt. Max. singularem benedictionem, juxta ipsius Dei sponsionem B.P. Francisco factam; (prout habetur ex *Chronic. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26. & alibi) quòd nunquam (divina ipsius cura, & speciali providentia disponente) deficient in eo Viri Israëlitæ, Regulæ sanctæ perfecti cultores, & zelatores acerrimi, qui dissolutionibus, & relaxationibus ingruentibus, vel subrepentibus, pro Domo Dei, se opponant: ideò nonnulli exindè hujusmodi perfecti æmulatores exurgentes novam moliri cœperunt Reformationem; eámque ab Ordinis Prælatis enixiùs efflagitare non dubitant, diù quidem ab ipsis auditi, nunquam tamen exauditi. Præ zelo itaque quodammodo tabescentes, dum tam communi prævaricatione, & præcipuè Prælatorum incuriâ, & permissu, Sanctissimi sui Patris leges impunè conculcari conspiciunt, dilapidari hæreditatem, (sanctissimam videlicet Paupertatem) perfundari testamentum, Evangelico perciti spiritu, easdem leges, ac Beatissimi Patris vestigia restituenda sibi statuunt, ac tuenda, fidissimi filij. Quod & præstiterunt, opitulante Deo, ac Seraphico ipso Patre Francisco auspice, & assistente. Atqui hinc exorientibus, (prout aliàs semper contigisse legitur, cùm de Reformatione actum fuit) pluribus in Ordine dissentionibus, divisionibus, & scandalis, inter eos scilicet, qui de Communitate, seu *Conventuales*, & eos, qui Reformati, seu *de Observantia* appellabantur; delata demùm res fuit ad Summum Pontificem Leonem X. qui anno 1517. finem imponere volens, ac studens hujusmodi divisionibus, & dissentionibus, convocato Romam Capitulo Generalissimo, inter alia, quæ tunc decrevit, (Reformatione approbata) statuit, & mandavit, quòd tam Fratres Reformati, seu de Observantia, volentes scilicet, & profitentes B. P. Francisci Regulam in sua puritate observare, (concurrentibus in unam omnibus Reformationibus, quotquot in diversis Orbis, Ordinisque Provincijs fuerant institutæ, & ab invicem distinctæ, quarum aliæ sub Ministris, aliquæ verò sub Vicarijs vivebant; nempe Conventualium Reformatorum, Fratrum Amadeorum, Coletanorum, Clarenorum, de S. Evangelio, seu de Caputio nuncupatorum, & aliorum similium) quàm Fratres Conventuales suum sibi ex proprijs eligerent Generalem; prout latiùs videre est *in duabus Bullis dicti Pontificis super hoc editis*; quarum proinde prima dicitur *Bulla Unionis*, incipitque: *Ite Vos &c.* Secunda verò incipit: *Omnipotentis Dei &c.* & referuntur à Roderico *in sua Collectione Privilegiorum, tom.* 1. *pag. mihi* 174. *& seqq.*

5 Sed præstat ejusdem primæ Bullæ verba, minimè hic reticenda, referre; utpotè quibus Pontifex ille ab exordio & Religionem ipsam Minorum plurimùm commendat, & recensitam a me mox *suprà* tot Reformationum seriem usquequaque confirmat. Sunt autem ista: *Ite vos in vineam, ait homo ille Paterfamilias, qui plantaverat Vineam Mundi, Salvator atque Redemptor, Dominus noster Iesus Christus, qui etiamsi curam gerat de omnibus, cunctáque dirigat, quæ ipse fecit, attamen inter cæteras plantationes, quas per se ipsum Pater Cœlestis in solo plantavit Militantis Ecclesiæ, Vineam quandam tam ardenti prosecutus est amore, ut suam, velut propriam, ubivis illam appellet; hanc siquidem Vineam sic assiduis, solertibus, ac fidelibus excoluit agricolis, ut alios primo mane, alios horâ tertiâ, sextâ, nonâ, decimâ verò, & undecimâ, quasi incessanter, cultores admiserit. Hæc est Sacra illa Minorum Fratrum Religio, quæ viventibus cæremoniarum folijs, per Viros Apostolicos, tanquam per palmites extentos à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum, Vino Sapientiæ, & scientiæ irrigavit montes, & implevit terram. Hæc est Religio sancta, & immaculata, in qua per speculum sine macula Redemptoris contemplatur præsentia, vitæ Christi, & Apostolorum inspicitur forma; per quam, priorum Ecclesiæ fundatorum ante oculos Christianæ plebis reducitur norma; qua demùm nihil, nisi*

nisi divinum, Angelicum, omni perfectione refertur, Christóque nihil nisi conforme, ut non immeritò sua dicatur, repræsentat. Ad hanc Vineam excolendam primo mane, orto jam Sole, misit ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei Vivi, Beatum Franciscum, qui, comitantibus miræ sanctitatis Viris, prima Vitis hujus jecit fundamenta. His successerunt Viri Religiosi, qui, Duce Beato Bonaventura, muros hujus vineæ, jam utique ruinam minantes, horâ tertiâ, Trinitatis Sanctæ, virtute, & adjutorio reparaverunt. Post hos, veluti horâ sextâ, prodierunt spiritu ferventes Fratres nonnulli, qui à Sacro Viennensi Concilio, tanquam à Deo missi, & confortati, enervatam penè disciplinæ censuram ad sua principia revocárunt. Horâ verò nonâ, moriente Domino suo, ingruentibus in dies malis, & scandalosis hujus Vineæ agricolis, suscitavit spiritum adolescentis, paucorum videlicet Fratrum, qui Signifero Nominis Iesu Bertrandino ductore, & præside, Sacri Concilij, Constantiensis freti præsidys, languentem, imò penè mortuum, per Orbem Universum, Ordinem vivificárunt. Novissimè verò diebus istis, quasi horâ ultimâ, apparuerunt Viri aliqui zelantes pro domo Israel, qui succiderunt lucos, & demoliti sunt delubra, ac ubi abundabat peccatum, adjuvante Domino, curaverunt, per introductam Reformationis normam, ut superabundaret Gratia. Hactenùs Leo X. qui proinde, ut dictum est., coactis pluribus, varijsque Reformationibus Ordinis in unam, quam Fratrum Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ (purè scilicet, ac simpliciter Regulam B. Francisci Observantium; hoc est sine privilegijs, & concessionibus relaxativis) nuncupari mandavit; eamque à Fratribus de Communitate, seu Conventualibus nuncupatis, quos ipse secundùm Privilegia viventes appellat, segregavit; facta his, atque illis facultate suorum sibi ex proprijs eligendorum Ministrorum Generalis, & Provincialium, sub quibus viverent; ea tamen lege, ut Conventuales peterent confirmationem sui Generalis (quasi *Magistrum Generalem* vocant) à Generali Ministro Regularis Observantiæ; ut sic nimirùm nova Seraphici Ordinis unio universalis Capitis unitate consummaretur; prout videre est *in Bullis citatis.* Tametsi deinde per Summos Pontifices Successores Leonis X. dispensatum sit super hujusmodi Confirmatione petenda; ut plenissimè ex eorumdem Bullis comprobatur: ita ut hodie tam Patres Conventuales, quàm Patres Regularis Observantiæ nuncupati, suum habeant proprium, distinctum, & absolutum Generalem à Sancta Sede Apostolica immediatè confirmatum, & pendentem; prout etiam nos Capuccini.

6 Facta igitur *anno* 1517. dicta Ordinis Minorum Reformatione, & unione, nondum plenè acquievit spiritus zelatorum Fratrum, qui perfectam, purámque Regulæ Observantiam, non quoad *vivendi* duntaxat normam, sed etiam quoad *Habitus* formam (quæ profectò ad Regulæ puram, & literalem spectat amussim; ut patet legenti Regulam ipsam *cap.* 2. & ostendit Boverius noster *tom.* 1. *Annal. in Demonstrationibus &c. demonstrat.* 6.) restituere satagebant. Quæ Habitus Minorici forma, tam quoad panni qualitatem, & quantitatem, quàm quoad Caputium, Tunicæ nimirùm assutum, & quadratum, seu pyramidatum, derelicta fuit in Ordine non de repente, & tota simul, uno, eodémque tempore, jussu (ut ajunt aliqui, absque ullo tamen fundamento id rationabiliter suadente, atque adeò commentitie) Joannis XXII. prout eruditè ostendit Boverius noster cit. *demonstrat.* 8. sed paulisper, pedetentim, & gradatim relaxatione invadente, quuad usque circa annos Domini 1400. & 1430. inundante, & prævalente relaxatione, omninò deleta fuit, & quodammodo oblita, explosáque remansit. Cum tamen jampridem plures circa illam sustinendam, & conservandam, ad Regulæ amussim, factæ fuerint, & statutæ Reformationes, & Leges: in primis nempe à S. Bonaventura Ministro Generali *anno* 1260. in Capitulo Generali Narbonæ coacto utique pro Ordinis Reformatione; deinde etiam à Fr. Gulielmo Farinerio Ministro item Generali in Capitulo Assisij celebrato *anno* 1354. prout latè ostendit Boverius cit. *demonstrat.* 9. apud quem plura vide, si lubet, in hoc proposito, per totas illas undecim Demonstrationes.

Cum itaque post illam Ordinis reformatio- 7
nem, & unionem à Leone X. sancitam, non solùm adhuc Habitus reformatio, ut prætertur, à perfectis Regulæ cultoribus, ejusdémque puræ Observantiæ veris Emulatoribus desideraretur; verùm etiam iterum, ob miseram conditionem humanæ infirmitatis proprio pondere ad laxitatem tendentis, mox institutæ, quoad reliqua, Reformationis ardor tepescere, puræque Observantiæ rigor non parùm remitti inciperet, admissis scilicet apud Observantes ipsos quibusdam privilegijs, & concessionibus Regulæ puritati adversantibus) præcipuè verò (quod ad præsens nostrum attinet subjectum) in receptione quorumcúnque legatorum, juxta concessiones olim Fratribus ipsis Minoribus factas per Martinum IV. in Bulla incipiente: *Exultantes in Domino &c.* & per Martinum V. in Bulla incipiente: *Amabiles fructus &c.* quibus, inter alia plura, quæ conceduntur, statuitur, ut quilibet Conventus, vel Locus eorumdem Fratrum de Observantia nuncupatorum habeat suum Procu-

torem, œconomum, Syndicum, & Actorem, qui possit tùm in judicio, tùm extra illud agere pro Fratribus, nomine tamen Papæ, vel Apostolicæ Sedis, circa ea omnia, quæ ipsis pro tempore in ultimis voluntatibus legarentur. Cúmque hujusmodi Concessiones tàm dictorum Martini IV. & Martini V. quàm aliorum summorum Pontificum, Apostolicæ potiùs Sedis dispensationes sint, ac relaxativæ indulgentiæ (in gratiam nimirum humanæ infirmitatis concessæ, & ne eorum imposterum Fratrum irretirêtur conscientiæ, quorum nequaquam culpâ abusus circa prædicta invecti in Ordinem fuerant) quàm secundùm Regulæ puritatem sanctiones, vel declarationes; (quales utique sunt Nicolai III. *in cap. Exijt: de verbor. signficat. in 6.* & Clementis V. *in Clementina Exivi: eod tit.*) prout liquidò constat ex verbis tùm in primis earundem Bullarum, tùm ex ijs etiam, quæ leguntur in quibusdam Constitutionibus jam pridem editis in Capitulo generali eorundem Fratrum *anno* 1430. Assisij, celebrato coram Joanne Cardinale tituli S. Petri ad vincula per præfatum summum Pontificem Martinum V. ad præsidendum eidem Capitulo specialiter de latere legato, (quas proindè *Martinianas* appellant) ad *cap. 4. Regulæ.* Ideò à verè zelatoribus Minoricæ professionis, ac status, sicut hujusmodi concessiones, & dispensationes nunquam fuerunt acceptatæ, ita semper contra illorum usum, quotiescúnque in Ordinem iterum introduci animadvertebatur, reclamatum, ac pugnatum fuit, Reformatióque postulata; ut patet ex Decreto Concilij Basileensis *anni* 1435. quod refertur à Roderico *in sua Collectione Privil. tom. 1. pag. mihi* 68. Uerè etenim ad hujusmodi quorumcúnque legatorum promiscuam, atque indistinctam, & sine ulla differentia, moderamine, vel cautela receptionem, immò & procurationem respiciebat Seraphicus Pater Franciscus, cùm (habetur *Chronicorum p. 1. lib. 2. cap. 28.* & instituatur in nostris Constitutionibus *cap. 6.*) Spiritu prophetico dixit: *Verrà tempo, nel quale i Frati del mio Ordine per opera de i maligni spiriti si partiranno dalla strada della santissima semplicità, e povertà, ricevendo indifferentemente ogni sorte di denari, e qualsivoglia legato per testamento lasciatogli da chi che sia.* Hæc ille, quæ valdè consideranda sunt, & à nobis expenduntur *art. 3 §. 8. num. 16.*

8 Zelo itaque restituendi, tùm antiquam Habitûs Minorici formam, tùm puram, atque ad literam Regulæ observantiam, novam exindè cæperunt aliqui Fratres (vel paulò post *Leoninam* illam unionem) postulare à Prælatis Ordinis reformationem, juxta ejusdem Pontificis mandatum *in prima Bulla Unionis præd. num. 16.* ubi se velle, & ita virtute S. Obedientiæ firmiter præcipere, & mandare declarat, quòd de cætero nullæ novæ Reformationes in dicto Ordine introducantur, aut fiant absque Ministri Generalis, aut Provincialium Ministrorum Reformatorum expresso consensu. Sicque nonnullæ aliæ, sicut ante, ita etiam post dictam unionem institutæ, & factæ fuerunt intra eandem Observantium Familiam Reformationes, ut videre est *in Chronicis Fratrum Minorum*, & apud Lucam VVadingum *in suis Annalibus universi Ordinis Minoritani*, & alios.

Quia tamen nonnulli ex prædictis plenè, 9 puréque restituendæ in sua observantia Regulæ zelatoribus, rerum magistrâ experientiâ edocti, jam probè noverant, nullam Ordinis reformationem stabilem, ac diuturnam fore posse futuram, quandiù illa intra ejusdem Ordinis, seu Familiæ gremium conclusa, à quo oppugnari, & corrumpi queat, non à se procul elongat, nec plena sua libertate potitur, ideò segregationem moliuntur, discedendum statuunt, emancipari contendunt. Hócque omnium primus executioni mandat, de licentia summi Pontificis Clementis VIII. cui ad hunc finem se sistit, F. Matthæus à Bascio, prout latè recenset Boverius noster *tom. 1. Annal. sub ann.* 1524. *&* 1525. Tametsi Petrus à Campopolitio *lib. 8. cap. 6. de excellentia, & Nobilitate Seraph. Relig.* tradat, quòd F. Matthæus prædictus jam pridem ad perfectam Reformationem anhelans, *anno* 1519. obtinuerat à Leone X. summo Pontifice, vivæ tamen vocis duntaxat oraculo, facultatem renovandi Ordinem Minorum, quoad puram quidem Regulæ Observantiam, sed non quoad Caputij pyramidati, seu quadrati formam reassumendam, nisi tempore Clementis VII. *anno* 1525. qua de re tamen nullam facit mentionem Annalista noster *Boverius*. At, quidquid sit de hoc, illud est certum, quòd Fratre ipso Matthæo in primis Reformationem moliente; (divino afflante Spiritu, immò ipso Christo Domino, ac B. P. Francisco non semel eundem in visu monentibus, per plerúmque excitantibus; ut refert *Bover. cit.*) eo tamen animo, & intentione duntaxat reformandi seipsum; (unde nec propriè habetur pro Auctore novissimæ illius Reformationis; sed potiùs Seraphicus ipsemet Patriarcha Franciscus; immò Christus Deus, & Dominus noster, ut latè ostendit Boverius cit. *sub ann.* 1524. *&* 1528.) nonnulli alij Zelatores Fratres, ex Observantibus eodem Spiritu excitati se illi conjunxerunt: quo factum fuit, ut tot tunc temporis, tantæque dissentiones tribulationes, & scandala orirentur in Ordine, quæ apud *Boverium cit.* luculentissimè recensentur. Quoad

ad usque tandem, post multas rerum, eventuumque vertigines, sedatis omnibus, auctoritate, & diplomate prædicti summi Pontificis Clementis VII.) adjuvante potissimùm cunctisque viribus, opibúsque, officijsque, assistente Catharina Cibo Camerini, Ducissa, ejusdémque, Pontificis Nepte; quæ proindè velnti pijssima Mater, Obstetrixuè, & Nutrix nascentis hujus nostræ Reformationis meritò, jureque optimo babenda est: ut benè notat Bovetius cit. *sub annis* 1527. *&* 1528,) è prædictorum Observantium Familia Fratres illi Minores abscessère, (facta tamen eodem circiter tempore, & sub eodem Pontifice, intra fines Italiæ, & intra gremium ejusdem Observantium Familiæ, alia Reformatione; eorum nempè, qui Fratres Minores strictioris observantiæ, seu *Observantes Reformati* nuncupantur) illi, inquam, Fratres Minores abscessére, qui strictissimam observantiam, omnimodámque Regulæ Minoricæ puritatem profitentes, simúlque antiquam Habitus Minorici formam, cum Caputio scilicet acuminato, seu pyramidato, vel quadrato, eóque Tunicæ absque Mozeta, vel Scapulari consuto, resumentes, *Capuccini* postea ex ore infantium, & lactentium, propter ipsius Habitus formam, Deo (ut piè creditur) ita inspirante, cognominati fuerunt.

10 Horum autem Congregatio, facta jam in Gentem magnam, non nova Religio est; tametsi à Conventualibus, & ab ipsis observantibus (quemadmodum & isti ab illis sejuncti) segregati euraverint, suúmque sibi proprium, distinctum, & absolutum eligant Ministrum Generalem à Sancta sede Apostolica immediatè confirmatum', & dependentem; ut dictum est *suprà*: sed inter ramos, & nobilia Franciscanæ Religionis germina recensenda est, & meritò recensetur à Gonzaga *p. 1. sua Hist. pag. mihi* 6. qui proinde cautè legendus est, & non audiendus, ubi paulò antè, *pag. nimirum* 44. negat, asseri posse, quòd Capuccini sint legitimi successores, & Filij, B.P. Francisci, veríque Fratres Ordinis Minorum. In hoc, inquam, effato non est Gonzaga, nec alius quisquam audiendus: tùm quia illud ipsemet paulò post retractat, volens, nolens, veritatem fassus, dum ubi suprà inter ramos, & nobilia germina Franciscanæ Religionis Capuccinos recenset; (quemadmodum & Observantes, & Reformatos, & alios) ideóque inter legitimos filios, & successores Seraphici Patris Francisci, veróśque Fratres Ordinis Minorum ex vera, & nunquam interrupta linea ejusdem Beatissimi Patriarchæ: tùm vel maximè, quia non minùs Capuccinis tribuunt hunc titulum summi Pontifices, & Christi Vicarij Clemens VII. Paulus III. Julius III. alijque semper eorum successores; signanter verò Paulus V. & Urbanus VIII. in terminis terminantibus, declaratoribus, & definientibus, ille, *in const.* 54. *incip. Ecclesiæ Militantes &c.* Iste, in *Const.* 68. *incip. Salvatoris, &c.* sed & insuper œcumenicum universalis Ecclesiæ Concilium, Tridentinum nempè, tot nominibus celebre, *sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. quàm Patribus de Observantia illum adscripserint Concilium Constantiense, Leo X. *in Bullis, suprà relatis*, & alij deinceps illius successores. Id, quod latè æquè, ac eruditè ostendunt Bover. cit. *demonstrat.* 10. & Gallitius noster *in sua Dilucidatione speculi quæst.* 5. *pag. mihi* 97. *&* 98. Idipsúmque confirmat P. Bonitius Combasson, utique Minorita Conventualis *in sua vera, & dilucida explicatione præsentis status totius Seraph. Relig.* Missam insuper à Deo affirmans Reformationem Capuecinorum in tempore opportuno Ecclesiæ, & Ordini; ut scilicet per ipsam pura Regulæ observantia, & antiquus primorum Franciscanor. Habitus, Seraphicúsque & Apostolicus fervor Ordini, & Ecclesiæ restitueretur; ut Lutheri, & Calvini conatibus occurreretur, vis reprimeretur &c. Qua de re vide etiam Bovetium *tom.* 1. *Annal. in Apparatu*, *num.* 45.

Hi itáque (Fratres scilicet S. Francisci Capuccini) Deo favente, ac Seraphico ipsorum Patre intercedente, Minorici ejusdem status celsitudinem, ac veritatem penè collapsam, tùm Habitus formâ, tùm strictissimo universæ vitæ instituto erexerunt, erectámque sanctissimis constitutionibus fulciverunt, ne in posterum vaferrimi Observantiæ hostis technis everteretur. In primis autem; Constitutionum ipsarum *cap.* 1. abrenunciârunt quibuscúnque Privilegijs, Declarationibus, ac Glossis Regulæ rigorem relaxantibus. Ibi: *E perche sa non solo volontà del P. S. Francesco ma ancora di Christo nostro Redentore, che la Regola, s'osservasse sẽplicemẽte à lettera e senza chiosa, si come l'osservarono gia que' primi nostri Serafici Padri; Però essendo la Regola nostra osservabile, e chiara, accioche più puramente s'osservi, hora di nuovo, e per sempre nell' auvenire rinonciamo à tutti li Privilegij, e chiose, che la rilassano, e tolgono dalla pura osservanza à sua, e la ritirano dalla pietosa, giusta, e santa mente di Christo signor nostro, il quale parlava in S. Francesco: solo accettando per singolare, e vivo commento d'essa le dichiarationi de' sommi Pontefici, e specialmente di Nicolò III. & di Clemente V. di santa memoria, e la santissima vita, dottrina, & essempij d'esso nostro Serafico Padre.* Hæc illi; quibus deindè annuit Urbanus VIII. in Bulla; *Sacrosanctum Apostolatus &c.* edita *anno* 1625. dum præcipit Seraphicæ Regulæ Observantiam, (ubi sine relaxatione profitentur eam Fratres servare) 11

juxta Declarationes Nicolai III. & Clementinis V. annullando omnia in contrarium.

12 Quinimmò huic præ cæteris, de quo agimus, annuorum legatorum propriè dictorum; vel etiam impropriè dictorum, sed fixorum, seu constitutorum relictorum scilicet sub modo, & forma importare usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati, Fratribus ipsis directè legatum, præcaventes abusum, eique à longè obviare volentes iidem Patres nostri, ne ullo unquam tempore ad deformandam novissimæ hujusce Reformationis venustatem irreperet, hæc quoque specialiter sanciverunt, *Constit. cap.* 4. videlicet. *E perche l'altissima povertà fù diletta sposa di Christo figliuolo di Dio, e del nostro Padre S. Francesco suo humil servo, devono pensare i Frati che non può violarsi che sommamente à Dio, non si dispiacci, ech'i l offende, in verità offende la pupilla dell'ochio suo: Però si Sforzino i Frati, ad essempio de Christo, e della sua diletta Madre esser poveri di cose terrene, acciochè siano ricchi della divina gratia, delle sante virtù e delle celesti richezze: & al tutto si guardino, che visitando alcun infermo, non l'inducano direttamente, ne indirettamente à lasciarci cosa temporale; anzi volendo da se faro, resistano quanto giustamente possono; pensando che non si può insieme possedere richezze e povertà: Ne accettino legati contra la dichiaratione della Regola di Nicolo III. e di Clemente V.* Hæc ibi quæ paulisper pendenda censeo.

13 Primò igitur valdè à me observantur illa verba: *Anzi volendo da se faro, resistano, quanto giustamente possino.* Ex illis enim colligo, mentem nostrorum Patrum fuisse, quòd, si postquam Fratres restiterint, quantùm justè potuerint, (quod tamen non mandant, nisi ad majorem ædificationem) illi nihilominùs voluerint adhuc aliqua ipsis per modum simplicis legati, relinquere, vel causâ mortis donare, tunc fiuere eos benè possint Fratres; dummodò hujusmodi legatorum titulos non acceptent: civiliter: quod est (ut vidimus) præbere assensum translationi juris, vel in se, vel in alium pro se. Si enim vel hujusmodi simplicia legata essent annua, de ijs, quæ important usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati, Fratribus ipsis directè legatum, non loquor, cum absolutè sint respuenda, (utpotè contra Declarationem Nicolai III. & Clementis V.) ubi sic fuissent à Fratribus acceptata, acquisito jure ad res legatas annuatim percipiendas, vel sibi ipsis (quod summa, eàque patentissima suæ ipsorum paupertatis prævaricatio esset) vel Apostolicæ Sedi, (quod sanè, si non ita patenter est, videri saltem posset eidem professioni omnimodæ abdicationis contrarium; ut ait Clemens V. *suprà* explicatus) ità ut possent per Syndicos, & procuratores nomine ejusdem sedis agentes exigere illas vel in judicio, vel extra, juxta relaxativas concessiones *Martinianas*, aliorúmque Pontificum *suprà* allatas; jam censerentur, & meritò, annui proventus, vel reditus propriè dicti, civiliter videlicèt certi, sicque habere dici possent Fratres quasdam thesaurizationes, diuitiasvè in futurum, civilésque provisiones pro victu suo; quod est expresè contra declarationes Regulæ Nicolai III. & Clementis V. *c. Exyt: & Clem. Exivi*; etiamsi legata hujusmodi non essent perpetua, sed ad certos annos determinatos; ut *suprà* vidimus ex *Bonacina*.

14 Quid, quod nec acceptari possunt hoc modo à Fratribus legata ulla, etiam unica vice præstanda relicta, præsertim si ea pecuniaria sint? Nihil eorum, quæ pro Fratribus Minoribus aut legato relinquntur, aut donantur, sive inter vivos, sive mortis causâ, Romanæ Sedi ita acquiritur, ut detur ei actio in foro, per syndicos, vel procuratores ad illud defendendum, vel commutandum, aut vendendum &c. secundùm probabiliorem, eámque, tutiorem sententiam, de qua *infrà*, *§.* 22.) nisi cùm actu transierit in eorundem Fratrum usum, vel commodum à donatoribus, vel eorum executoribus, aut substitutis collatum, aut conversum, si convertendum erat: ut pecunia, & res immobiles, aliáque hujusmodi Fratribus non utibilia in propria specie, si aut legata, aut donata fuerint sine expressiune modi illiciti; juxta Nicolaum III. & Clementem V.

Expositus verò Constitutionum sensus facilè potest cuique esse compertus, si verba quóque pensentur, quæ ibi statim subduntur; nimirum: *Pensando, che non si può insieme possedere Richezze e Povertà.* Vides enim expresè, quòd hic supponitur Possessio, Jus & Dominium, ad quæ acquirenda ex parte Fratrum (vel ipsis demùm Fratribus intelligantur acquiri, vel Apostolicæ Sedi pro ipsis Fratribus specialiter se habenti) requiritur saltem titulus, legati scilicet, vel donationis, civiliter, ut præfertur, acceptatus: in eorum autem omnimoda abdicatione, tàm in communi scilicet, quàm in particulari, Evangelica, eaque Minorica sita est paupertas. 15

Et adhuc clariùs, quàm genuina sit interpretatio tradita, comprobatur ex ijs, quæ statim etiam ibi sequuntur, verbis ejusdem Constitutionis nimirum: *Ne accettino legati contro la dichiaratione della Regola di Nicolo III. & di Clemente V.* Preme verbum valdè notandum: neque enim dicitur, *Ne riecevano legati*: sed dicitur: *Ne accettino legati*: Nam, 16

cum

cum hic ly, *Legati*, sumi possit, ut diximus, in vi abstracti, seu malis dicere formaliter, pro titulis ipsis per testatores relictis legatarijs; ideò dicitur aptissima locutione: *Ne accettino Legati:* siquidem hic est modus loquendi proprius apud Iuristas, sed & vulgò usitatus in civilibus, politicisvè contractibus, aut pactis incundis. Neque enim apud Iuristas, aut vulgò dicitur: *Colui hà riceuuto, ò hà pigliato il mercato, il patto, la promessa, la donatione, il beneficio, ò il titolo confertogli*: sed propriè dicitur: *Colui hà accettato il Mercato, il patto*, &c. quod est dicere: *Hà acconsentito alla ragione ciuile, al Ius, ò all' obligatione ciuile, che da tal mercato, da tal patto, da tal promessa, ò titolo en lui prouiene, e nasce in virtù delle Leggi.* Quo sensu item, Electo in Conclavi Summo Pontifice, dicitur ei alta voce per Cardinales deputatos ad id officij: *Acceptas electionem de Te canonicè factam in Summum Pontificem?* Et ipse respondet: *Accepto*; vel: *Non accepto*; secundùm quod ei consentire placet, aut non, juri illi electionis ad Summi Pontificatus titulum. Unde etiam ibi in eadem Constitutione dicitur: *Ne accettino legati contro la dichiaratione della Regola, di Nicolo III. e di Clemente V.* Siquidem hi Pontifices in suis declarationibus sanciunt, non licere Fratribus Minoribus (considerata sui ipsorum puritate voti) quicquam temporale, sive corporeum, sive incorporeum, ut sunt hujusmodi tituli, & jura, legati scilicet, donationis &c. aut sibi in speciali, aut toti ipsorum Ordini in communi acquirere Cum autem id non fiat sine acceptatione politica, profectò contra horum Pontificum declarationes agerent manifestè Fratres, si legata acceptarent, prout in futurum implenda, vel solvenda; hócque ita esset, non solùm si Fratres acceptarent pro se ipsis, sed etiam, si pro Apostolica sede ex parte ipsorum specialiter se habente; ut dictum est. Neque enim aut Nicolaus III. *in d. cap. Exijt: §. Ad hæc, cum Fratres:* aut Clemens V. *in d. Clem. Exivi: §. Proindè:* acquirere, vel sibi, vel Apostolicæ sedi acceptare jus, vel dominium, proprietatemvè intendunt ullius rei ad Fratrum Minorum utilitatem, nisi rerum actu oblatarum, concessarum, & donatarum, quarum dominium, & proprietatem à se ipsis abdicare ijdem concedentes, offerentes, & donantes intendunt; modò ex pecunia, vel denarij non sint, quorum usus in propria specie nunquam est Fratribus licitus.

§. XX.

Adæquata adhuc magis interpretatione exponuntur verba illa Constitutionum nostrarum cap. 4. He accettino legati contro la Dichiaratione della Regola di Nicolo III. e di Clementi V.

SUMMARIUM.

1 *Acceptatio legati, vel donationis in fraudem paupertatis Minoricæ, latiùs explicatur ad mentem & intellectum* Extravag. Exijt: & Exivi de paradiso, de verb. sig. in 6. & Clement.

2 *Utrùm ad subveniendum præsentibus necessitatibus liceat Fratribus Minoribus aliquid procurare ab infirmis, sicut licet à viventibus eleemosynam petere.*

3 *An liceat aliquid procurare ab ingredientibus Religionem pro præsentibus necessitatibus sublevandis.*

4 *Fratres Capuccini omnino cavere debent ne infirmos induceant ad quicquam temporale ipsis relinquendum, etiam pro imminentibus necessitatibus. Quod declaratur*, numero 5. & 6.

6 *Minorita non debent rogare Curatos, vel Notarios, aliasvè personas ut eorum necessitates futuras commendent morituris testari volentibus.*

7 *Dispositio procurata in favorem Minoritarum, sive ab infirmis, sive ab ingredientibus Religionem, sustinetur, licet peccent ipsi Fratres persuadentes, seu procurantes.*

8 *Minorita licet possint consilium præbere ad testandum, non possunt tamen institui Executores testamentorum.*

9 *Minorita an possit designari in testamento ad nominandos pauperes, quibus testator vult aliquas eleemosynas distribui.*

Et resolvitur distinguendo, ut si tanquam executor testamenti procedat, id efficere non possit salva puritate suæ professionis. num. 10.

Secùs, si ut simplex consiliarius, n. 11.

12 *Minorita Concionatores commendantes eleemosynas, quomodo se gerere debeant.*

13 *Minorita, seclusio scandalo, denarios, non quidem politicè ut proprios, sed physicè & materialiter contrectare possunt.*

14 *Minorita non solum non debent procurare legata ab infirmis, sed etiam pia ipsorum voluntati resistere debent.*

15 *Legata Minoritis relicta non possunt peti in judicio per eorum syndicos seu procuratores: licet*

licèt possint recipi modo licito facta.

16 *Statuto generali Minoritarum cavetur, ne legata seu eleemosynam perpetuam sibi procurent, aut relictam exigant in judicio,* & num. 17.

Quod declaratur, n. 18.

19 *Capellaniæ sub annuo reditu, seu legata cum onere Missarum relicta in perpetuum, vel aliàs in futurum prohibentur Minoritis,* & num. 20.

21 *Minoritæ vetantur provisiones in futurum sibi procurare quovis modo sub præcepto sanctæ obedientiæ: quicquid sit de Domibus professis Societatis Iesu.*

22 *Minoritæ prohibentur suadere institui Anniversaria in suis Ecclesijs: vel legata annua relinqui alicui Fratri vita durante ipsius, ad studium alia res necessaria,* & n. 23. & 24.

24 *Minoritæ licet non sint incapaces pij operis exequendi, & eleemosynæ pro illo recipiendæ, non possunt tamen illam sibi procurare in futurum.*

1 VErùm, cùm hactenùs tradita interpretatio illius nostrarum Constitutionum textus: *Ne accettino legati contro la Dichiaratione della Regola de Nicolao III. e di Clemente V.* sumpto verbo. *Acceptare*, simpliciter in sensu Jutistarum, & politico; & ly, *Legatum*, in vi abstracti, seu formaliter; non omnem adhuc tollat difficultatem, nec usquequaque satisfacere possit; quo minùs aliqua à Fratribus perperam accipiantur legato relicta; ut si directè ipsis Fratribus legetur, aut donetur, vel concedatur inter vivos vinea ad excolendum, & habendos annuos proventus; domusve ad locandum; vel annuus census, aut reditus constitutus ad habendas annuas pensiones, expendendas per aliquam interpositam personam in ipsorum necessitates, vel commoditates, sive determinatas, sive indeterminatas; manentibus tamen omni jure proprietate, & dominio, etiam cum libera facultate revocandi pro arbitratu proventus, vel pensiones prædictas, penès concedentem, vel donantem, aut etiam penès hæredem, si ita expressisset in legando testator: certè enim hoc esset habere vel immobilia, præter concessa ad necessariam habitationem) vel annuos reditus, (qui utique inter immobilia computantur) quoad usum, vel usumfructum de facto simplici; quod adhuc Declarationibus Regulæ Nicolai III. *eo* §. *Ad hæc, quia &c.* & Clementis V. *in eo verſ. Cùmque annui reditus &c.* manifestè adversatur. Ideò aliter, & quidem adæquatiùs ad rem nostram eundem textum interpretari placet, sumendo verbum, *Acceptare*, etiam literaliter, in significatione Latinorum, & grammaticali; itémque sumpto nomine *Legati* in vi concreti, seu materialiter; (quomodo deinceps sumam & nomen *Reditus*) ita ut sit sensus, Acceptationem, seu perceptionem rerum legatarum contra declarationem Regulæ Nicolai III. & Clementis V. in Constitutionibus nostris *in illo textu* prohibitam, eam esse, qua, etiam secluso omni jure, proprietate, & dominio ex parte Fratrum, & Apostolicæ Sedis pro ijsdem Fratribus specialiter se habentis, accipiuntur, seu percipiuntur non solùm ad plures annos, sive in perpetuum, sive non, sed etiam unica vice; unico anno res legatæ, quæ dicunt, vel important usumfructum, vel usum de facto simplici rei immobilis, aut inter immobilia computatæ, neque sunt legata simplicia: vel eam etiam esse, qua vel legata ipsa simplicia, & impropriè dicta accipiuntur à Fratribus in fraudem paupertatis, vel hæreditatis; præsertim verò si fuissent ab ipsis procurata cum scandalo, & nota avaritiæ: ut benè interpretatur versic. *Clementinæ cit.* Crousers noster *lect. parænet. 7. ad cap. 6. Reg.* Dixi, *in fraudem Paupertatis*; idest vel ad superfluitatem, & abundantiam præsentis usus, vel ad longam provisionem in futurum, (quam semper utique important legata annua, etiamsi impropriè dicta, & simplicia, ubi fuerint à Fratribus procurata) vel etiam ad thesaurizationem. Dixi, *vel hæreditatis*, idest in fraudem hæredis; quod esset, si acciperetur legatum tantæ quantitatis, vel summæ, quod præsumi posset factum sub titulo palliato legati; sed re ipsa esset hæreditas sic relicta; quæ omnia damnantur à prædictis Pontificibus *Nicolao*, & *Clemente* respectivè; ut patet ex eorum textibus alibi allatis §. 3. & ex alibi dictis. 2

Hic tamen advertit *Crousers noster cit.* quòd cessantibus fraudibus prædictis, paupertatis scilicet, & hæredum, non est ulla ratio, cur Fratribus Minoribus, quibus licet pro præsentibus, vel imminentibus necessitatibus, putà constituendæ, vel restituendæ Ecclesiæ, aut Conventus, vel pro curandis infirmis, aut pro vestitu, vel hujusmodi alijs; eleemosynam petere à viventibus, procurando etiam pecuniam in res necessarias pro indigentijs prædictis convertendam; non liceat etiam pro ijsdem necessitatibus petere à morientibus, seu ad mortem decumbentibus. Cur enim hoc magis excipere debeant, quàm alios? Certè ex vi *Regulæ* id non habetur: neque ex contextu *Clement. in eo* §. *Proinde:* colligitur id prohibitum, nisi intervenientibus fraudibus prædictis, aut modis illicitis, qui eorundem Fratrum expropriationi aut essent, aut possent videri contrarij. Ego nihilominùs dixerim, tenendúmque duxerim, satiùs esse, magisque ad proximorum ædificationem conducens, nihil unquam petere,

tere, quin & spontè oblatum, nil recipere ab hujusmodi decumbentibus, potiúsque ad alios spirituales amicos recurrere in talibus necessitatibus; ut scilicet omnibus manifestum sit, quòd, cùm Fratres ad invisendos, vel juvandos ad benè moriendum hujusmodi decumbentes accedant, non quærunt quæ sua sunt, sed tantùm quæ sunt Jesu Christi, quódque ab omni avaritiæ, thesaurizandivè cupiditatis specie alieni, non sua, sed animarum lucra affectant. Hoc, inquam, mihi magis placet, Fratribúsque suadeo in praxi ducendum tanquam conformius non solùm, ut puto, menti, sed etiam literæ nostrarum Constitutionum in allatis verbis: *Et al tutto si guardino,* (benè nota) *Et al tutto si guardino, che visitando alcun' infermo, non l'inducano direttamente, ne indirettamente à lasciarci cosa temporale, &c.* Ea propter, cum & Apostolus doceat 1. *ad Thessalonic. cap.* 5. ab omni specie mala abstinere vos. Et *in Clementina, Exivi: §. Proinde versic. Amplius:* Pontifex ille Fratribus ipsis Minoribus signanter indicet, & inculcare non desinat, quòd non solùm, quod malum esse dignoscitur, sed & omne, quod speciem habet mali, est à vivis perfectis specialiter evitandum: procuratio autem prædicta, seu morientium, infirmorumvè inductio ad aliquid nobis donandum, vel testamento relinquendum, etiamsi pro præsenti aliqua, vel imminente necessitate nostra levandum, sit primò, aut vix saltem fieri possit, quia sit recursus, & procuratio scandalosa apud sæculares, qui credunt, aut putant, Fratres ex cupiditate, & avaritia procurare hujusmodi Eleemosynas; sit secundò recursus, & procuratio à Religione, & Constitutionibus nostris, saltem, penitùs reprobata, quæ non solùm prohibent illam omninò, sed etiam mandant (ad maiorem ædificationem) resistere, quantum fieri potest; sit tertiò recursus, & procuratio pessimi exempli omnibus, qui proinde timentes, ne procuremus similia legata, sive eleemosynas, non vocabunt nos ampliùs ad invisendos, & consolandos, juvandósque ad benè moriendum suos infirmos: eapropter, inquam, omnibus meis in Domino Fratribus Minoritis, præsertim Capuccinis, suasum vellim, quòd à talibus procurationibus, seu Morientium, infirmorumvè inductionibus tam directè, & immediatè, quàm indirectè, & mediatè (putà per Curatos, vel Notarios, ut *infrà* dicam) omninò abstineant.

3 Cæterùm non eo inficias, quòd inducere morientes prædictos ad aliquid relinquendum pro præsentibus, vel imminentibus necessitatibus, absolutè loquendo & præcisè ex vi Regulæ liceat Fratribus Minoribus, sicut licet eis recurrere ad alios amicos spirituales in hujusmodi casibus pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus inducendis, & similibus. Et ita tradit Abbas 2. *part Consil. consil.* 62. *num.* 8. *tom. mihi* 8. ubi etiam docet, licere inducere ad hujusmodi eleemosynas sibi faciendas pro prædictis necessitatibus sublevandis, ingredientes Ordinem: neque enim censet ipse hoc prohibitum per *Clementinam, Exivi: §. Caterùm; quia:* Certè tamen, videri meo, hallucinatus fuit *Abbas*; nam hoc est expresè ibi prohibitum, juxta intentionem Seraphici Patris *in cap.* 2. *Regula*, ajentis: Et caveant Fratres, & eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis (idest venientium ad Ordinem) temporalibus: Vbi S. Bonaventura ait, quòd istud videtur dici prohibitoriè, cum inhibeatur, ut illicitum. Quod colligitur ex hoc, quod sequitur: *Si tamen consilium requiratur, &c.* Ex quo enim licentia in hoc tantùm datur, in alio denegatur. Quinimmò vix licitum declarat Pontifex ille, quòd ab hujusmodi venientibus ad Ordinem aliquid modicum accipiant Fratres, si illi velint liberè, & sponte sua quicquam per modum eleemosynæ dare; at nec consilium eis dare possunt circa distributionem, vel dispositionem rerum suarum temporalium; sed mittere eos debeat ad alias, extra Ordinem, personas timentes Deum, à quibus consilantur: prout patet ex textu ajente: *Dubitaverunt, & dubitant multi Fratrum, an liceat ipsis de bonis ingredientium quicquam recipere, si donetur; & si ad dandum personis, & Conventibus possint eos inducere sine culpa: si etiam ad disponendum de distributione rerum talium debeant ipsi Ministri, seu Fratres dare consilium, ubi ad consulendum alij, quàm ex ipsis ad quos ingressuri mittantur, possint idonei inveniri. Nos autem considerantes attentè, intendisse S. Franciscum sua Regula professores, quos fundaverat in maxima paupertate, ab effectu temporalium rerum ipsorum ingredientium per dicta verba specialiter, & totaliter elongare, ut quantum est ex parte Fratrum ipsorum, receptio ad Ordinem sancta, & purissima appareret, & ne aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, sed ad ipsos tantùm divino servitio mancipandos: dicimus, de cætero debere tam Ministros, quàm Fratres cæteros à dictis inductionibus ad sibi dandum, & suasionibus, necnon & dandis circa distributionem consilijs abstinere; cum per hoc ad timentes Deum status alterius mitti debeant, non ad Fratres ut verè cunctis pateant esse tam salubris instituti paterni studiosi zelatores, seduli, & perfecti. Cum verò facere de rebus suis, quòd Dominus inspirabit, ipsamet Regula ingredientibus liberum velit esse; non videtur, quin liceat eis recipere, consideratis scilicet eorum necessitatibus, & moderaminibus declarationis jam dicta,*

dicta, si quid de bonis suis intrans, sicut & cæteris pauperibus, per modum eleemosynæ liberè velit dare. Cavere tamen in oblatorum talium receptione decet Fratres, ne ex receptorum quantitate notabili, præsumi possit sinister oculus contra ipsos. Hactenùs Clemens *ibi*; ubi Glossa appositissimè notat, quòd quantitas notabilis facit illicitum, quòd aliàs licitum est: *cap. statutum: §. insuper de Rescriptis, in 6.* Et quòd hic vetatur recipi notabilis quantitas, etiam gratis, & spontè oblata, ne præsumatur, quòd Fratres moti fuerint ad recipiendum hujusmodi offerentem, quia oculum habuerunt ad ejus bona temporalia: *cap. cum per bellicam: in f. 33. q. 2.* Et hæc Glossa *ibi* Per quæ patet, quàm hallucinatus fuerit *Abbas* in suo effato prædicto.

4 Colligi hinc etiam potest, quàm sit conformis, non solùm menti, & literæ Constitutionum nostrarum, sed etiam menti Seraphici Patris nostri Francisci, & Clementis V. doctrina mox suprà, consulendo, tradita de non inducendis ullo modo infirmis, ad quos, vel invisendos, vel in mortis supremo agone iuvandos accedunt Fratres, ad quicquam temporale sibi relinquendum, aut donandum causâ mortis, etiamsi verè adessent, vel imminerent necessitates id exigentes: ut nimirum (phrasim mihi accommodo Clementinam) Fratres ipsi à Seraphico Patre in maxima paupertate fundati, juxta ipsius intentionem, (quæ à simili colligi potest, vel conjectari, cum de hoc specialiter nil habeatur in Regula, vel testamento Beatissimi Patris) ab affectu temporalium rerum totaliter elongati, quantum est ex parte ipsorum, assistentia, aut qualiscunque servitus, quam hujusmodi laborantibus præstant, sancta, & purissima appareat, & ne aliquo modo oculum videantur habere ad bona eorum temporalia, sed ad ipsos tantùm divinæ misericordiæ, & gratiæ commendandos, piisque monitis, & affectibus in supremo illo discrimine suffolciendos. Neque in his duobus casibus aliam video differentiam, nisi quòd de uno in Regula expressè cavetur, & quidem ordinatione spectante ad receptionis modum, adeóque obligatoriâ, tanquam æquipollente præcepto formali, & à Ministris, & Fratribus cautè observanda, ut declarat Clemens V *ibi §. item quia*: de alio verò nihil habetur expressum, ut dictum est.

5 Cum autem constitutiones nostræ, in quibus videtur sufficienter expressum, dum aiunt, omninò cavendum à Fratribus, ne visitantes aliquem infirmum, directè, vel indirectè eum inducant ad rem ullam temporalē nobis relinquendam; protestentur nihilominùs *in cap. ult.* quòd obligare non intendunt Fratres sub peccato ullo, nisi ubi, & quatenùs nonnulla refricant, quæ cæteroqui obligant sub peccato ex præcepto divino, Ecclesiæ, vel Regulæ: ideò non censerem, absolutè loquendo, peccaturos Fratres saltem contra Regulam, si, cessantibus fraudibus supradictis pauperiatis, & hæreditatis, & citra scandalum, quicquam sibi vel donari, vel legato relinqui ab hujusmodi infirmis procurarent pro præsente aliqua vel imminente necessitate levanda, ut dictum est. Tenendum tamen in praxi velim, moneorimque, quod supra consultius tradidi; quia hujusmodi procuratio, etiamsi cæteroqui non sit contra Regulam, vix tamen, aut nunquam fieri poterit citra scandalum, aut admirationem, & sine aliqua specie mala, quæ obtrectantibus, & obloquentibus ansam præberet.

Unde benequidem, absolutè loquendo, & ex vi Regulæ præcisè, Portel *tom. 2. dub. reg. v. legatum, num. 9.* ex Roderico *in Addition. ad sum. tom. 3. fol. 269.* ait, quòd Minorita potest suadere amicum, vel consanguineum, ut sibi aliquid in testamento relinquat, pro libris v.g. emendis, si studet, & illis indiget: (supposita tamen licentia ministri Provincialis, aut Custodis, quæ semper in hujusmodi procurationibus, seu recursibus est necessaria.) Et idem pro necessitatibus infirmorum, ita illejquì ut dixi, benè quidem ait, absolutè loquendo, & ex vi Regulæ præcisè, sicut etiam Croasers noster *suprà cit* si intelligat de legato, seu eleemosyna congruente pro præsentibus, vel imminentibus necessitatibus sublevandis. Neque enim licet Minoritis procurare legatum annuā, etiamsi ad paucos annos, & non in perpetuum, vel infra decennium, sivè cum onere Missarum, sive non, sive pro libris emendis, sive pro necessitatibus infirmorum, sive pro Ecclesiæ cultu, sive pro quacúnque alia causa; quia est procurare, & facere provisionem in futurum, quod ex Regula est penitùs interdictum, & à statu, & professione Minoricæ paupertatis toto cœlo alienum esse debet, juxta declarationes Nicolai III. & Clementis V. necnon aliorum Pontificum; & prout fert communis ejusdem Regulæ expositorum sententia; sed etiam optime tradit idem Portel, *ibid. in Addition. num. 3. & v. Testamentum, num. 8.* Cúmque hujusmodi procuratio, seu morientium, infirmorumvè inductio prohibita sit Minoritis, non solùm ex vi suæ ipsorum professionis, & status paupertatis, sed etiam per Constitutiones, & statuta particularia, tam indirectè, & mediatè, quàm directè, & immediatè; patet, quòd nec licitum est iisdem Fratribus rogare Curatos, vel Notarios, aut alias personas, ut morituris volentibus condere testamentum commendent ipsorum Fratrum necessitates futuras. 6

7 Quapropter iterum respuo, & respuendam à Minoritis,

Minoritis, Regulæ puritatē profiteutibus, moneo sententiam Abbatis *in d.conf.*63.*n.*8.aientis licitum esse Fratribus Minoribus inducere morientes, vel etiam ingredientes Ordinem ad aliquid sibi relinquēdū pro futuris necessitatibus, sive in perpetuū sive ad certū tempus, saltem pro libris emendis, vel pro rebus ad cultum Dei spectantibus. Tametsi admitto, quod idem Abbas *ibidem* subjungit, dicens: (in casibus scilicet, in quibus & ipse docet, non licere Fratribus inducere morientes, vel ingredientes prædictos ad aliquid in futurum sibi, vel Ordini in communi relinquendum. si tamen quis Fratrum ita perperam induceret personas prædictas, non per hoc donatio, seu legatum esset nullum; quia lex non resistit donationi, vel legato; sed Fratri persuadenti: unde etiam hic tantùm peccat, & valet dispositio, juxta textum apertissimum *in c.constituit*: 20.*q*.3. ubi dicitur, quòd Religiosi non debent inducere aliquem ad intrandum Religionem propter bona temporalia ipsius consequenda: quod si fecerint, tenet nihilominus ingressus; quia ille est bonus dolus, nec potest dici deceptus, qui Religionem intravit; ut *cap. penult. Quod met.caus.* sicut & contractus initus per excommunicatum tenet; ut not. Innocentius *in cap. veritatis: de dolo, & contumacia*: & probatur *in cap. Felicis: §. verum de pœnis.* Solùm enim excommunicato prohibetur communio, & peccat, ingerendo se communioni: *cap. illud de clerico excommun. vel deposito, vel interdicto ministrante.* Hæc Abbas: Ex quibus obiter argumentum à fortiori deduco pro validitate legatorum annuorum, præsertim simplicium, quæ Fratribus minoribus relinquuntur, citra ullam ipsorum suasionem, aut procurationem, vel inductionem apud legantes: & roboratur Doctrina tradita *suprà* §.18.*n*.6.

8 Hic tamen adverto, non prohiberi Fratres minores, quo minùs possint inducere infirmos quibus assistunt, (sicut & quoscúnque alios benè valentes) ad faciendum testamentum, si forte illud negligerent; immò etiam ad legandam eleemosynam huic, vel illi pauperi sæculari, aut Loco pio: non possunt tamen institui, seu esse executores ultimarum quarumcunque voluntatum: quamvis in hujusmodi, (condendi scilicet, vel etiam exequendi testamenti) & in alio alieno negotio consilium dare non prohibeantur; ut ad legandum, sicut mox dictum est: *Clem. Exivi: §. Proindè: in fin.* Crousers cit. Politius, & communiter Seraphicæ Regulæ Interpretes: modò non consulant legare pro Fratribus; ut dictum est.

9 An verò, si quis testando, leget hoc modo: Hæres meus damnas esto, vel mando hæredi meo distribuere quotannis centum, vel mille ijs pauperibus, quos nominaverit, seu elegerit Fr. H. Capuccinus, vel de Observantia: An, inquam, possit talis Frater salvā tectā sui puritate status, hujusmodi pauperes nominare seu eligere? Affirmant Bartolus, & alij: Alij tamen cum Baldo, & Gloss. *in d. Clem. eo §. Proinde*: ad verbum, *Dixit*: negant quos omnes distinctione adhibita in textu *ejusdem Clementinæ* ibi fundata, conciliari facilè posse ipse arbitror.

Dico igitur primò: si Frater prædictus in eligendis, seu nominandis pauperibus illis se habeat, ut executor voluntatis testatoris; non potest, salva puritate suæ professionis hujusmodi nominationem, electionemvè facere: & ità expressè interdictum declaratur *in d. Clem. §. eod.* ad mentem (ut ait ibi Clemens) etiam Nicolai III. & probat *ibi* Glossa, quam optimè sequitur noster à Politio *ad cap.6. Reg.* Sylvester item, & Marginistæ *in cap. Religiosus: de testamentis, & ultim. volunt in* 6. ad verb. *Religiosus*: & alij communiter. Et ratio est; quia electio illa authoritativa, est pars executionis; cui, & hujusmodi dispositionibus se exponere, debent Fratres minores sibi scire, considerata sui puritate status, interdictum; ut ait *ibi* Clemens. 10

Dico secundò: si Frater prædictus in ea nominatione se habeat; ut consiliarius; (quod videtur absolutè ei licitum ex declaratione Clementis *ibidem*, illis verbis: *Veruntamen in his exequendis, scilicet ultimis voluntatibus, dare consilium, ipsorum statui non obsistit; cum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla jurisdictio, sive actio in judicio, sive dispensatio tribuatur*) duobus adhuc modis id cõtingere potest. Primò scilicet, ita ut hæres ille à testatore gravatus teneatur omninò sequi consilium ipsius Fratris in dicta nominatione, seu electione. Secundò, ita ut non teneatur quidem sequi consilium, sed tantùm petere, & audire, exque sola urbanitate sequi, si maluerit. Si igitur se habeat Frater ille, ut consiliarius primo modo, adhuc non potest eam facere nominationem: quia in tali casu ejus consilium est, sine quo non; cujus autem consilium intervenit, sine quo non, ille est executor, partialis scilicet, quia est nominator, seu elector; ut benè advertendum munet Sylvester *in sum. v. Testamentum* 2. Unde redit expressa prohibitio Clementinæ cit. & ejus ratio, & Glossæ. Quare non assentior Jasoni *super* 1. *ff. de acquir. possess. l.* 1. *§. Item acquirimus: num.* 52. *&* 53. affirmanti posse Fratrem minorem deputari, ut eligat pauperes in quos fiat distributio: nisi explicetur in sensu sequente. Videatur *Sylvester cit.* Si verò se habet Frater ille, ut consiliarius secundo modo, utique poterit pauperes illos nominare: (requiritur tamen licentia Superioris, ut benè 11

ſuſtinent Sanchez *lib. 6. in Decal. cap.* 1. *n.* 34. Caſtro Palao, & alij, contra Lambertinum) Quinimmò *Bartolus*, quem in hoc ſenſu interpretor, ait, quòd hoc, ſi fideliter fiat, meritorium eſt: & ita ipſemet cenſeo. Atque in hoc ſenſu tantùm intelligendus eſt Clemens *in illis verbis ſuprà allatis*, in quibus declarat non obſiſtere ſtatui Fratrum, dari ab ipſis conſilium in his exequendis.

12 Hicque obiter etiam in propoſito advertendũ eſt à Fratribus Minoribus concionatoribus, quòd, quando in concionibus commendant pro eleemoſyna pauperes charitati Fidelium, ſicut poſſunt nominare aliquem, qui colligat pecuniam, vel denarios, modò id fiat per modum ſimplicis præſentationis, ad modum conſilij, ut *ſuprà* non autem per modum inſtitutionis: aliàs rei fierent receptæ per interpoſitam perſonam pecuniæ: ita collectis denarijs, vel pecuniâ, poſſunt (& quidem meritoriè ut ſuprà) collectores ipſos, vel alios deputatos rogare, vel conſulere, ut tot nummos dent uni pauperi, alteri verò tot; non autem poſſunt collectori ordinare, quaſi jubentes, & adminiſtrationem prætendentes, ut id faciat. Propterea diligenter attendant, quomodo circa hujuſmodi collationes procurandas (etiam pro Oratione quadraginta horarum, Templiſvè conſtruendis, vel hujuſmodi alijs pijs cauſis) & circa earum diſtributionem ſe habeant, ne impingant. Meminerint præſertim noſtri, quid ſibi ex conſtitutionum *cap.* 9. quoad hoc incumbat. Ibi enim dicitur: *Mà occorrendo per pietà fare alcuna raccommandatione di povere perſone, non ſi faccia ſenza licenza dell'Ordinario, ò Curato; e, fatta la cerca, per niun modo s'intromettano in recevere ne diſpenſare dette limoſine: ne permettano che altre perſone ciò facciano in nome loro.* Hæc ibi. Ex quibus intelligent, quàm cautè ab his ſe debeant abſtinere; dum illis omninò interdicitur quoquomodo ſeſe intromittere in receptione, vel diſpenſatione talium eleemoſynarum; tametſi modo prædicto liceat. Videantur Bartolus *lib.* 3. *Minor. quæſt. diſt.* 2. *c.* 4. Gloſſ. *in Clem. cit.* Hugo de Dina *in cap.* 4. *Reg.* Bartholomæus de Piſis *ad cap.* 6. *Reg.* Angelus *in ſum. v. executor*, Sylveſter *loco citato*, Sanctes Romanus *in cap.* 4. *Reg.* Politius *ad cap.* 4. *&* 6. *Reg.* Sanchez *citat. num.* 28. *& ſeqq.* Molina *de juſt. & jure p.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 247. *in fine*, Corduba *ad cap.* 6. *Reg. quæſt.* 18. Rodericus, *quæſt.* 70. *art.* 2. Baldus *in auth. ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſ.* Ancharanus, & alij, qui ab his citantur præſertim videri poteſt Diana *p.* 8. *tr.* 5. *reſ.* 8. 12. 13. 14. 15. *& ſeqq.* ubi latè agit de executione teſtamentorum, alijſque particularibus in hac materia, quoad Fratres Minores.

Monuerim tamen Fratrem prædictum, & 13
omnes alios in hujuſmodi caſibus, ne ſe ingerant in diſpenſatione denariorum ejuſmodi legatorum, tametſi non politicè, & ut ſuos, ſed polyticè tantùm, & materialiter illos contractent, præbendo eos manu propria pauperibus nominatis, alióve ad alibi exiſtentes pauperes deferendo; ut benè advertit Hugo de Dina *cit. paragrapho Hic tangitur* 4. & Politius *ad capit.* 4. *Regul. num. octavò*; Quamvis enim præſcriptum de non tangendis denarijs, ſervetur, quoad ſubſtantiam, illæſum, dummodò non tangantur, ſeu contrectentur polyticè, & ut proprij, vel adminiſtrativa authoritate commiſſa: propter alias tamen rationes, putà propter ſcandalum puſillorum, aut periculum ipſorum Fratrum, aut alias hujuſmodi, poteſt ipſe etiam tactus denariorum ſimpliciter phyſicus alio jure, naturali ſcilicet, vel divino, Fratribus minoribus eſſe prohibitus; ut benè Politiùs *citat. num.* 5. Quòd, ſi rationibus omnibus hujuſmodi ceſſantibus, & datâ honeſtâ cauſâ tangendi, ut ſi Ducatus aureus acciperetur, ut ex eo Calix, vel Patena deaurentur; vel ſi ex urbana humilitate levetur à terra, & tradatur Magnati, è cujus manibus cecidiſſet; nullum puto eſſe peccatum, ſi Frater minor denarium illum ita contingat, & contrectet. Si verò, amotis adhuc hiſce omnibus ex ſola curioſitate, aut otioſitate tangat, leviſſimam etiam, vel fortè nullam contrahi ab ipſo culpam opinor. Videatur *Politius cit.*

Jam verò redeamus ad textum illum noſtrarum conſtitutionum, & ſumma dictorum 14
pro germana illius interpretatione ſit: Tenore illius prohiberi Fratribus, ne illo quempiam modo inducant ex infirmis, ad quos paſſim inviſendos, juvandóſque ad benè moriendum vocari conſueverunt, ad aliquid nobis legato relinquendum, præſertim annuum, & in futurum Quinimmò, ſi quis proprie id ſponte facere voluerit, reſiſtant ei, quantum ſibi æquum, & decens fuerit, ad majorem ſcilicet ædificationem; ut benè etiam docuit Gallitius noſter *in quodam M. S.* Quòd ſi verò, poſtquam ita Fratres reſtiterint, aut etiam inſcijs ipſis, aliqua ſibi legata facta fuerint, ea non acceptent civiliter, ſeu politicè agnoſcant, ita ut vel ſibi ipſis, vel Pontifici, tanquam ſpeciali ipſorum Patri acquirantur, niſi cùm actu res immediatè utibiles præſtantur; tunc enim ſolùm acquiruntur Pontifici, vel Apoſtolicæ ſedi, niſi dantes, vel offerentes dominium, & proprietatem earundem rerum ſibi reſervent. Ita ut nunquam liceat Fratribus hujuſmodi legata, quæcunque illa ſint, per

Syndicos,& procuratores nomine sedis Apostolicæ agentes,in judicio, vel extra illud exigere, tanquam eidem sedi acquisita pro Fratribus ipsis, multò verò minùs tanquam Fratribus, vel in communi, acquisita. Præterea nec acceptent (sumpto verbo, *Acceptare*, in sensu Latinorum,& grammaticali) legatas res ullas,contra declarationem Regulæ Nicolai III. & Clementis V. idest quæ importent usumfructum,vel usum etiamsi de facto simplici,alicujus fundi, seu boni immobilis,aut inter immobilia computati;quævè sint in fraudem aut paupertatis,aut hæreditatis, ut explicatum est suprà.

15 Primam partem hujus compendiariæ explicationis illius textus confirmant ea, quæ recensentur ab Angelo *in sum. v. legatum* t. §.5. & à Sylvestro item *in sum. v. legatum* 2.q.3.n.4. à Roderico, & alijs, ex Fatinerio Ordinis Minorum Ministro Generali, ac suæ paupertatis, & status acerrimo Æmulatore, dicente in Constitutionibus à seipso editis: Quòd non licet Fratribus inducere aliquem ad talia legata (scilicet annua) facienda: quòd si facta fuerint, in judicio non petant. Quasi tacitus innuat (subdunt Angelus,& Sylvester cit.) quod extra judicium, & seclusa omni acceptatione civili,& prætensione,peti,& recipi possunt, tanquam eleemosynæ;cum moderaminibus (suppleo & ego requisitis,& nisi fuerint facta cum modi expressione Fratribus illiciti,vel in fraudem,ut præfertur.

16 Atqui adhuc clariùs idipsum confirmatum habetur ex statutis generalibus Cismontanorum Patrum Regularis observantiæ S. Francisci editis in Capitulo Generali eorundem Salmanticæ celebrato *anno* 1533.à P.Clemente de Monilia Generali Ministro, monitu & maximâ instantiâ Sanctissimi tunc temporis Papæ Julij III. & Eminentissimi Domini Rudolphi Pij Cardinalis de Carpo ejusdem Ordinis Protectoris,& Correctoris,pro restrictione, ac reformatione,juxta receptas,atque synceras Seraphicæ Regulæ interpretationes; ut patet ex literis tùm Apostolicis ejusdem Domini Papæ Julij III.incipientibus: *Cum sicut acceptmus:* tùm prædicti Eminentissimi Domini Cardinalis Protectoris, incipientibus: *Inter cætera:* tùm etiam ipsius P. Ministri Generalis, incipientibus: *Perquirenti mihi causas, cur nostri splendor Ordinis quodammodo obscuretur*: quæ unà cum ijsdem statutis typis editæ præsto mihi sunt, dum hæc scribo. Inter hæc enim Observantiæ zelo redolentia statuta, *cap. 6.* legitur sic.

17 *Inhibemus etiam per Obedientiam, quòd nullus Frater, per se, vel per alium, inducat aliquam personam ad faciendum, vel ordinandum aliquam eleemosynam perpetuam, vel ad vitam, sibi, vel alteri Fratri, vel etiam Ordini, aut Conventui exhibendam: & si aliqua talis fuerit ordinata, nullo modo à Fratribus, vel ab aliquo nomine ipsorum in Iudicio exigatur, aut exigi procurent. Si quis autem contrarium attentaverit, scienter inducendo, vel in judicio exigendo, vel exigi faciendo, modo prædicto; ipso facto excommunicationis sententiam incurrat.*

Fratres non recipiant legata perpetua prædicta,aut exigant, nisi eo modo, quo concernit statui nostro,& Observationi;cum nec legantes, & ordinantes talia legata intendant relinquere,& dare Fratribus,nisi eo modo,quo convenit professioni nostræ, & saluti,ea recipere: cum ponatur in testamentis particula ista, videlicet: *Quod valeat omni meliori modo, quo potest*: Quæ facit actum valere eo modo, quo de jure fieri potest: & sic illa deberentur Monasterio, quoniam deberent converti ad pios usus, & pro cultu divino Monasterij. Magis ergò hoc dicendum erit,quando expressè apparet legata fuisse ordinata pro anima,& amore Dei, ut singulis diebus celebraretur Missa, vel simile. Atque hæc ex illis statutis Generalibus. Jam pridem tamen idipsum statutum fuerat anno videlicet 1260.in duodecimo Ordinis Capitulo generali celebrato Narbonæ, ab S.Bonaventura qui vivendi ordinem,& formam præscripsit, in quo apparet maximus fervor observantiæ Regulæ, & Zelus altissimæ paupertatis: inter alia enim viginti-sex statuta in eo sancita, hoc habetur vigesimum quintum; videlicèt, *Inhibemus etiam, ut nullus Fratrum inducat aliquam personam ad ordinandam eleemosynam perpetuam annuatim,vel certis temporibus Fratribus exhibendam; & si aliqua taliter fuerit legata, nullo modo à Fratribus in judicio exigatur.* Ità refert Tossinianensis *in Hist. Serap. Relig.* 2.*pag. mihi* 239. 18

In Ordinationibus autem quibusdam alijs Generalibus approbatis, & editis in Capitulo Generali eorundem Patrum de Observantia Vallisoleti *anno* 1565. quo legata perpetua, cum onere Missarum quæ propriè dicta, & civiliter acceptata perindè sunt, ac Capellaniæ, & annui reditus propriè dicti, juxta doctrinam hactenùs traditam; habetur ordinatio, quæ sequitur videlicet. 19

Cæterùm, Capellanias, quas vocant perpetuas, per conventiones præsertim, & instrumenta publica, recipi in aliquo conventu, omninò prohibemus. Et si qua hactenùs sunt receptæ, illas protinùs resignari præcipimus, conventionésque, & pacta rescindi: sed liceat Fratribus per modum eleemosynæ duntaxat; Missarum subsidia, quæ liberè oblata fuerint, recipere. Hæc ibi. 20

Denique ex hisce omnibus colligo monitum unùm, quod Frasribus minoribus valdè commendatum volo; ne scilicet amplectan- 21

tur, audiantve in hoc proposito doctrinam Suarez *tom.4 de Relig.tract.10.lib.4.cap.9.n.9. in fi & c.11.in fine*, Sanchez *lib.7.in Decal.c.27. n.11.* Ferdinandi de Castro Palao *p.3. tract.15. disp.3. pu.10.num.6.* & communiter aliorum ejusdem Societatis scriptorum; qui consimilem prohibitionem in suæ ipsorum Societatis constitutionibus *cap.2. num 6.* Ne scilicet ullus è Societate ad has eleemosynas perpetuas elargiendas Domibus, vel Ecclesijs Societatis Professæ Fideles excitet: factam tantummodò censent ob majorem ædificationem, & paupertatis puritatem; ita ut, si quis simplici suasione excitaret aliquem, peccaturum non credat *Castro Palao cit.* quia, inquit, hæc excitatio non est materia voti Paupertatis, & ex alia parte sola constitutione prohibetur, & non in virtute Obedientiæ; ergò ex nullo capite esse potest peccatum. Hæc ille allegans citatos *suprà* suæ ipsius Societatis Doctores. Quorum doctrinam minimè amplectendam censeo, quin valdè cavendam moneo, inter Fratres minores quippè quibus provisiones in futurum procurare, vel ea congregare, quæ thesaurizationem sapiant, aut superflua sint, quoad præsentes, vel imminentes necessitates, penitùs ex Regula, & sua ipsorum altissima, & maxima paupertate interdictum est; ita ut aliquando, ut vidimus, procuratio eleemosynarum perpetuarum legato relictarum sub præcepto Sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis ipso facto apud observantes fuerit prohibita. Quod fortè non interdicitur per Jesuiticam paupertatem: & certè in eo loco Constitutionum Societatis expressè id ad majorem tantùm ædificationem interdictum perhibetur.

22 Quapropter neque ex Minoribus, audiendum in hac parte censeo à Fratribus Minoribus Rodericum docentem *tom.2.qq.reg q.126. art.4. §. Ex quibus quartò*: non esse illicitam mortaliter talem suasionem; ita ut scilicet licitum astruat Fratribus Minoribus inducere Fideles, ut Anniversaria, seu Capellanias in suis Monasterijs constituant: quod est dicere, ut faciant suis Monasterijs legata perpetua cum onere Missarum, Officiorum &c. Et eandem doctrinam tradit *tom.3. q.67. art.8.* ubi docet, posse Fratrem Minoritam inducere consanguineum, aut amicum suum, ut sibi relinquat legatum annuum sua vita durante. Atque hanc illius doctrinam manifestè contrariam statuto Salmaricensis Capituli Generalis *suprà* allato, sed & Farinetij, quem præter Sylvestrum & Angelum affert etiam Tabiena *in sum, v. legatum 1 q.4.n.5.* & Sanchez *infra cit.* & sententiæ Bartoli *lib.1. Minor.qq dist.2.cap.2.n.12.* refert, & sustinere conatur, in cassum tamen, Hieronymus Rodericus *in compen. resol.88. n.10. §.Tandem quòd*: quin & testatur, ejusdem doctrinæ confirmationem novissimè expressis verbis ab eodem Auctore sibi relictam fuisse scriptam *in Addition sum.tom.3.cap.174.num.2.* ubi cum *Abbate* sentit, quod licet in Regula Fratrum Minorum generaliter prohibita sit omnis procuratio temporalium, adhuc non prohibentur procurare legatum ad studium, & ad alia necessaria, sed solùm prohibetur sollicitudo in persuadendo Novitios ad relinquendum bona sua Fratribus: affertque etiam Cordubam *in cap.6.Reg.q.10.ad finem pag.88.* pro eadem sententia; & ait tandem, minùs benè contradicere Roderico ipsi Sanchez *lib.7. in Decal.cap.26. num.55.* quantùm scilicet ad dictam procurationem, seu inductionem relinquendi talia annua legata.

Veruntamen patiatur, necesse est, Rodericus uterque, & quisquis ijs adhærere voluerit, 23 explosam penitùs fieri hujusmodi doctrinam è Mentibus Minoritarum, suæ ipsorum paupertatis puritatem verè æmulantium; ut ex dictis jam satis patet, quibus vel ipse *Abbas* refutatus est, cui *in citato loco additionum tom.3. summæ* Rodericus adhæsit.

Neque juvat dicere, quòd Fratres ita suadentes, procurantes, vel inducentes suadent, 24 procurant, inducúntque fideles ad quoddam bonum, seu pium opus, cujus ipsi Fratres sunt capaces per viam eleemosynæ, quæ utique nō est civiliter certa ex contractu aliquo politicè inito, sed tantùm moraliter. Hæc, inquam, dicere non suffragatur, nec sufficientem aperit evasionem; ut putāt Rodericus primus, & alter Nam prævaricatio Paupertatis altissimæ in hujus doctrinæ praxi non consistit in perceptione rei, aut operis executione, quorum Fratres sint incapaces, secluso, ut supponitur, civili cōtractu; neque in certitudine morali eleemosynæ tali operi correspondētis ex misericordia fidelium; quam & ipse æquè benè stare novi, & fateor cum dependentia à Providentia Dei, ad quam tenētur Fratres minores stare, juxta suæ professionis puritatem: sed consistit in procuratione provisionis in annos futuros, etiamsi hujusmodi provisio sit tantùm moraliter certa. Unde dico, Fratres non esse quidem incapaces talis operis boni, & pij exercendi, eleemosynæque ex misericordia fidelium correspondētis percipiendæ simpliciter; benè tamen incapaces esse tùm talis operis, tū talis, consequenter eleemosynę in futuros annos procurādę; quippè quæ hæc est procuratio provisionis in futurum, quæ penitùs sicut & receptio, per minoricæ paupertatis votū interdici, excludique perhibetur, ut patet ex *declarationibus Regulæ expositorū omniū*, maximè Nicolai III. & Clem. V. quorum textus alibi attulimus; præcipuè verò patet ex textu Clem. *in eo §. Proinde*: ubi hunc quoque & quidem primum omnium refert abusum

abusum ex illis quinque ad ipsum pro reformatione delatis; quòd scilicet tunc temporis Fratres non solùm instituti hæredes sustinebant, sed etiam procurabant. Quòd si procurabant hæreditates, multò magis profectò credibile est, quòd procurarent, etiam annua legata, & annuos reditus. Quare nulla est utriúsque Roderici evasio, eorúmque doctrina minimè subsistit, juxta Regulæ puritatem. Quòd verò hujusmodi abusus grassatus sæpiùs in Ordine fuerit, tùm ante tùm post tempus Clementis V. ejusque splendorem obscuraverit, quomodóque contra eum semper veri Minoricæ paupertatis zelatores exurrexerint, constabit ampliùs ex dicendis *§. sequente.*

§. XXI.

Ostenditur amplius abusus procurandi per Fratres Minores legata, præsertim annua, ex Quarta funerali, ad quam solvendam fuerunt idcircò obligati Fratres ipsi per eundem Clementem V. explicantúrque omnia ad eandem Quartam, seu Canonicam portionem pertinentia.

SVMMARIVM.

1 *Minoritæ non debent procurare sepulturas divitum in suis Ecclesiis, neque legata.*
Ad quod refertur Epistola S. Bonaventuræ. ibid.

2 *Statutum Minoritarum refertur quo prohibentur divites in suis Ecclesiis sepulturam eligentes admittere.*

3 *Concilium Viennense sub Clemente V. anno 1311. inchoatum.*

4 *Fratres Prædicatores, & Minores, obligatæ ad Quartam funeralem, ex* Clem. dudum de sepultur. & num5.

6 *Quarta funeralis à Minoritis, & Dominicanis debetur, etiam ex relictis privilegiatis.*

7 *Clementina*; Dudum, *cum sit juris veteris correctoria, est restringenda ad Fratres Prædicatores, & Minores, circa Quartam funeralem.*

8 *Quarta funeralis non debetur ex relictis Minoritis, aut Dominicanis, si testator defunctus in eorum Ecclesiis non sit sepultus.*

9 *Quarta funeralis, quæ aliàs Canonica portio appellatur, longè ante Concilium Viennense fuerat introducta.*
Atque ante Bonifacium VIII. Et à variis Pontificibus fuit confirmata. num. 10.

11 *Quarta funeralis sublata est tum præscriptione immemoriali sine titulo, vel cum titulo spatio* 40. *annorum: tum per dispensationes Pontificias Mendicantibus Religiosis, & aliis concessas.*

12 *Derogatio specialis, & individua requiritur, si derogetur dispositionibus in Concilio generali factis.*

13 *Clementina*, Dudum, *derogatum fuit per Nicolaum V. circa Quartam funeralem.*

14 *Communicatio privilegiorum non extenditur in præjudicium Tertij.*

15 *Minoritæ exempti sunt à præstatione Quartæ funeralis ex proprio privilegio, non per communicationem.*

16 *Concilium Tridentinum Quartam funeralem iterum reduxit.*

17 *Quarta funeralis secundum consuetudinem legitimè præscriptam solvenda.*

18 *Quarta funeralis ex quibus rebus debeatur.* & num. 19.

20 *Constitutio Pij V. declaratoria decreti Concilij Tridentini circa Quartam funeralem, non fuit revocata per Gregorium XIII.* & num. 21.

22 *Constitutiones pro Regularibus factæ de Quarta funerali, intelligendæ sunt & producendæ ad Moniales.*

23 *Quarta funeralis solum debetur de candelis seu cereis qui circa Crucem & cadaver defuncti deferri solent: non de iis quos Religiosi manibus deferant, vel Confratres seculares.*

24 *Quarta funeralis non debetur ex iis quæ offeruntur Ecclesiæ, in qua quis sepultus est, extra diem funeris.*

25 *Monasteria ædificata & fundata à* 40. *annis ante Concilium Tridentinum, nec per id temporis fuerunt solita solvere Quartam funeralem, non tenentur illam solvere ex decreto ejusdem Concilij.*
Secus si solita sint eam solvere. num. 26.

27 *Monasteria fundata & ædificata ante Concilium & à* 40. *annis citra illud, sive Quartam solverint aliquando, sive non, ad illam postmodùm solvendam non tenentur.*

28 *Monasteria fundata & ædificata post Concilium, aut in posterum ædificanda Religionum exemptarum à solutione Quartæ ex privilegijs Pontificijs non tenentur illam solvere.*
Odiosæ constitutiones sunt restringendæ. ibid.

29 *Ordinarij cogentes Regulares ad solutionem Quartæ funeralis, quam non debent, quas pænas incurrant? remissivè.*

IRrepserat igitur inter Fratres Minores tempore Clementis V. qui regnavit à 5. Iulij 1305. heu nimis! irrepserat vulpes illa, haud tamen parvula; quin aptiùs dixerim, aper ille de sylva, & immaniter ferus, adde- 1

moliendam, exterminandam, depascendámque Evangelicam Ordinis vineam, quam utique de mundi Ægypto translatam plantavit Dominus per Seraphicum vinitorem suum Franciscum, quæque eodem cultore extendens palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen, & ultra, propagines suas operiensque montes, umbrâ suâ, & arbustis suis Cedros Dei, implevit terram. Ille, heu! inquam, nimis irrepserat abusus à Seraphico Patre Francisco, prophetico jam pridem spiritu prævisus, ac toto cordis dolore deploratus, (ut observant Constitutiones nostræ *cap.*4.) procurandi nimirum avida quadam invasione testamenta, seu legata, & sepulturas, maximè divitum, ut notat Gloss. *in Clem. dudum: de sepulturis: ad v. Quartam partem*: sed & jam ante irrepserat, tempore Clementis IV. ut fatetur dolens D. Bonaventura, in quadam sua Epistola ad Ministros Provinciales cùm esset ipse Generalis minister incipiente: *Licèt insufficientiam*: quæ habetur *in tom.* 1. *Opusc. ejus pag. mihi* 488. Unde & Clemens ipse IV. qui præfuit Ecclesiæ, à 5. Februarij 1265. mandavit eidem Seraphico Doctori, tunc temporis Generali, ut dictum est, totius Ordinis Minorum Ministro, ut commoneret Fratres omues ad cavendum hujusmodi abusum; prout idem Sanctus Doctor testatur, & præstitit in quadam alia Epistola incipiente: *Quoniam ad hoc potissimum*: quæ habetur *in cit. opusc. loco, pag. mihi* 487. hisce verbis: Sanè cum Evangelici culminis observata perfectio hactenùs spectabiles, & amabiles nos mundo reddiderit, omnique favore, ac reverentiâ dignos, ecce jam nunc, multitudine in procliva tendente, & remissius agentibus his, qui præsunt, vitiorum quædam sementes cernuntur succrescere, quæ dum Sacrum hoc, venerandúmque Collegium despicabile, & onerosum reddunt populis, convertunt in scandalum, quod cunctis esse debuerat in exemplum. Nam frequentia discursus, & importunitas quæstus, viles nos, & graves efficiunt &c. Et post pauca: sed & sepulturarum ac testamentorum litigiosa, & avida quædam invasio, cum exclusione illorum, ad quos animarum cura spectare dignoscitur, non modicum nos Clero toti fecit exosos; sicut (experientia docente) percipimus, & ipse Sanctissimus Pater Pontifex summus Dominus Clemens, Fratres omnes ad cavendum hujusmodi (piâ providentiâ) per me voluit commonere: Hæc ibi Sanctus Doctor; qui id ipsum *in Epistola primò cit.* recenset inquiens: Sanè perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodammodo obscuratur, ordo exterius inficitur, & nitor conscientiarum interiùs fœdatur: occurrit negotiorum multiplicitas, qua pecunia nostri Ordinis paupertati super omnia inimica auidè petitur, incautè recipitur, & incautiùs contrectatur; occurrit quorundam Fratrum otiositas &c. occurrit evagatio plurimorum &c. occurrit importuna petitio &c. occurrit ædificiorum constructio sumptuosa, & curiosa &c. occurrit multiplicatio familiaritatum &c. occurrit improvida commissio officiorum &c. occurrit etiam sepulturarum, & testamentorum avida quædam invasio, non sine magna turbatione Cleri, & maximè sacerdotum occurrit &c. Hæc iterum ille: qui idcircò contra hujusmodi pestes præfervido exurgens zelo, sibique ad eas extinguendas, Ministrorum omnium Provincialium sollicitudinis in idipsum asciscēs adminiculum, singulos eorum hisce excitat, coarctát: que verbis: Ne igitur sanguis animarum non solùm nostræ sollicitudini commissarum, sed etiam omnium, quæ ad lumen sanctæ Religionis per viam salutis incedunt, de nostris manibus requiratur, Charitatis tuæ zelum (quantū possum efficaciori mandato duxi præsentibus excitandum, adjurans te per aspersionem Sanguinis Iesu Christi, & stigmata passionis ejus quæ in Sacro Patris nostri corpore indubitabili claritate fulserunt, ut sicut Christi servus fidelis, & prudens, ad præfatarum extirpationem pestium toto te animi vigore succingas, tota mentis attentione invigiles, totóque fervore spiritus succendaris. Et primùm quidem ad sanctæ Orationis studium Fratres tuæ curæ commissos efficaciter incitans, ad Regulæ promissæ observantiam sinceram Inducas pariter, & compellas &c. Et quoniam paupertas est nostræ Religionis prærogativa sublimis, ne nobilis hæc margarita conculcanda porcis viliter exponatur, discursuum causam, & quæstuum, sumptuositatem scilicet ædificiorum librorúmque, vestium, ac ciborum, sic studeas amputare, quòd à professionis excellentia vitæ observantia non discordet. Fœdum est enim, profanúmque mendacium summæ paupertatis professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle, interiùs divitum instar affluere, & exteriùs more pauperum mendicare &c. Et post pauca: Mandes etiam Fratribus universis, ut pacem Clericorum omnium tàm in testamentis, quàm in sepulturis (quantùm in eis est) sic studeant observare, ut nullam habeant contra nos occasionem justæ querelæ simúlque sæculo toti clarescat, quod non commoda rerum, sed lucra quærimus animarum. Hęc sanctus Doctor *in epist. suprà cit. secundò loco*: in alia verò idipsū etiam inculcans ait: excitetur ergo cordis nostri devotio, & fervor ad zelum, ut ejectis negotiatoribus de domo Patris cœlestis, Fratres omnes ad orationis, & devotionis studium accendatis &c. Et post pauca, Constitutionem de testamentis

mentis olim factam, & de novo de sepulturis, faciatis arctiùs observari, &c. Hanc autem literam legi in singulis Conventibus vestræ Provinciæ faciatis. Atque hæc iterum S. Bonaventura.

2 Ex quibus colligitur, jam olim ante ipsius regimen cautum fuisse in Ordine contra hujusmodi abusum procurandi testamenta, idest hæreditates, & legata Quemadmodum præcautum fuisse vidimus *suprà* in nostra Congregatione à primis nostris Patribus eundem, vel à longè antevertere volentibus, ne ad hanc quoque novissimam accederet Reformationem inficiendam. A quibus pariter juxta Seraphicæ doctrinæ amussim incedentibus, cautum etiam fuit, quoad sepulturarum abusum: nam *in Constitutionum cap.* 3. illa haberi in Ecclesijs nostræ Congregationis pro sæcularibus omninò interdixerunt, ajentes: *S'ordina ancora per schifare quelle cose, le quali potrebbero offendere l'altissima Povertà, e la spirituale quiete & tranquilla humiltà; e per conservare la pace con gli altri Chierici, e Sacerdoti, e fuggire ogni impurità, la quale potrebbe col tempo macchiare la nostra Congregatione: Che ne nostri Luoghi, non si ricevano Morti, eccetto se non fussero tali, che per povertà non havessero chi gli sepellis c: in tale caso si deve loro aprire le viscere della charità, e riceverli con licentia de gl' Ordinarij: Si prohibisce parimente il fare sepulture nelle nostre Chiese per secolari. Et i Frati visitando secolari infermi, si guardino, non solamente d'indurgli à sepellirsi ne Luoghi nostri, mà ne anco riceverati di questo, consentano loro in modo alcuno: & acciò che tal cosa per la novità non sia occasione di scandalo à quei; che di ciò non sanno le cause ragionevoli; si potranno ben informare di questo, e fargli capaci.* Hæc Patres nostri, rerum Magistrâ experientiâ edocti pro Reformationis puritate servanda, & ut jam nullus prædicto abusui aditus patere posset.

3 Profligato igitur per Seraphicum illum Generalem Ministrum D. Bonaventuram, tunc temporis hujusmodi monstro pestifero, Ordinem universum devastante; observantia refloruit Paupertatis. At, dormitantibus ijs, quibus post illum, pari inconniventia vigilare incumbebat, factum est, ut revixerit idem monstrum, quoadusque tempore Clementis V. contra ipsum jam manifestè grassatum exurgentes zelatores Ordinis, ad eundem Pontificem re delata, petierunt ab eo provisionis remedium: quod & præstitit quidem ille, ut patet *in d. Clem. Exivi: §. Proinde:* edita in Concilio Viennensi, quod inchoatum fuit 1. *Octobris* 1311. & terminatum 6. *Aprilis* 1312. ut restatur Gloss. *in Clem. Cum sit: ad v. In posterum: de censibus, exactionibus, &c.*

4 Neque tamen ea unica provisione ex vi Regulæ, & professionis Fratrum met ipsorum deprompta contentus Clemens; ut adhuc efficaciùs eidem abusui, ne iterum inter eosdem Fratres subreperet, viam omnem præcluderet, atque ad omnem fraudem per hujusmodi procurationes legatorum, ac sepulturarum in Parochorum præjudicium invectam; addidit aliam efficaciorem forsitan, quàm conscientiæ stimulus, ad hujusmodi procurantium turpissimam cupiditatem coërcendam: hæcque habetur *in Clem. dudum: de sepulturis*, per quam videlicet in eodem Viennensi Concilio sancivit, ut Fratres Prædicatores, & Minores, de obventionibus omnibus tam funeralibus quàm quibuscunque & quomodocúnque relictis; distinctè, vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam Quarta, sive Canonica portio dari, sive exigi non consueverat, vel non debebatur tunc temporis de Jure; nec non de datis, vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de quo decesserit, quumodocúnque directè, vel indirectè, Fratribus ipsis, vel alijs pro eisdem; Quartam partem (quam Auctoritate Apostolica ita taxavit, & limitavit) Parochialibus Sacerdoribus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis largiri integrè tenerentur.

Addens etiam, & mandans, ad omnimodam cautelam, quòd ijdem Fratres facturi, & curaturi essent imposterum, quòd nec alij, nec alijs, à quibus Quarta hujusmodi minimè deberetur ad ipsorum Fratrum utilitatem, vel commodum hujusmodi fiant relicta; aut in eos taliter data, vel donata, procedant, seu quod in morte, vel ab infirmis hujusmodi dandum, vel donandum Fratribus ipsis existeret, in eorumdem dantium, vel donantium sanitate sibi dari, vel donari procurent. Ita Pontifex ille *in d. Clement. dudum* &c. 5

Ubi Abbas, & ex Abbate Gloss. vult, quod ex vigore hujus Constitutionis, cum sit veteris Juris correctoria, debeatur Quarta etiam de relictis cæteroqui privilegiatis, quæ per eundem Abbatem latè recensentur *in cap. fin. de testamentis: num.* 2. qualia summatim sunt ea quæ relinquuntur pro Ecclesiasticis ornamentis habendis, vel recuperandis, vel reficiendis, pro fabrica, vel restauratione Ecclesiæ, pro luminaribus sacris, pro anniversarijs, diei scilicet sepulturæ, vel obitus, testatoris; pro septima, vel vigesima, aut trigesima post sepulturam ejusdem defuncti, seu alia die, secundùm varias locorum consuetudines de quibus diebus videre est *in cap. Quia alij: 12. quæst.* 2. tandémque pro perpetuo cultu divino, purà, ut quolibet die celebretur in certo Altari; sive etiam pro Capella dotanda, vel similibus concernentibus perpetuum cultum divinum. 6

7 Advertit tamen idem Abbas, & Gloss. *loc. cit.* quòd hæc Constitutio est restringenda, seu strictè intelligenda, cùm sit veteris juris correctoria: atque idcircò ad alios Regulares non extendenda, quàm ad eosdem Prædicatores, & Minores, de quibus signanter loquitur. Unde & Oldradus *cons.* 289. ut notat Marginista *ad d. Clem. dudum: in V. de obventionibus omnibus tam funeralibus, quàm quibuscùnque, & quomodocùnque relictis, distinctè, vel indistinctè:* ait, quòd ista verba videntur loqui de legatis factis universo Collegio Fratrum; non de ijs, quæ fiunt alicui singulari Fratri; atque ideò de his, non esse dandam Quartam, ex vigore hujus constitutionis: *argum. l. tutor petitus: §.1. ff. de Castrensi pecul. & l. A Titio: §. fin. ff. de alim. & cibar. leg.* Et idem observat, & docet Sylvester *in Sum. V. Canonica portio, quæst. 9. num. 7.* de relictis occasione loci, non intuitu personæ, seu personarum Fratrum, modò non fiant eo modo in fraudem.

8 Præterea idem Abbas *loc. cit. num.* 45. ait, prædictos Fratres Prædicatores, & Minores ex vigore hujus Constitutionis minimè teneri ad Quartam relictorum per illos, qui apud eos sepulti non sunt, nisi in fraudem alibi electa fuerit sepultura: quod ex conjecturis poterit judicari. Alias exceptiones in hoc proposito, quoad alios etiam Regulares; à quibus scilicet, & de quibus debeatur Quarta, sive Canonica portio parochialis, Vide apud Abbatem *loc. cit.* Joan. Andreæ *in cap. certificari: de sepulturis*: Sylvestrum *loc. cit. & num.* 8. *& seqq.* Joan. Bapt. de Lezana *tom.* 4. *Sum. v. Quarta funeralis, & tom.* 1. *cap.* 3 *num.* 13. *& tom.* 2. *cap.* 1 *n.* 29. *& 30. & tom.* 3. *v. Canonica portio*; Mirandam *tom.* 1. *Manualis, quæst.* 48. *art.* 4. *& seqq.* alió sque plures ab his citatos, & indicatos.

9 Verùm hic sciendum, quòd hæc Quarta, seu Canonica portio, (ita *Portio Canonica* nuncupata, quia per sacros Canones invecta, & instituta) non fuit primò ordinata à Clemente V. sed ante ipsum statuta fuerat à Bonifacio VIII. qui rexit Ecclesiam à 24. Decembris 1294. per Decretalem, quæ incipit: *Super Cathedram praeminentiæ*: habetúrque *in 6. inter Extravag. communes, cap.* 2. *de sepulturis*; refertúrque, & innovatur *in d. Clem. dudum: eod. tit.* quia nimirum in favorem prædictorum Fratrum Prædicatorum, & Minorum fuerat revocata à Bonifacio IX. (qui aliàs dicitur XI. & Pontificatum obtinuit à 22. Octobris 1303.) per Constitutionem incipientem: *Inter cunctas*: quæ habetur *in 6. inter Extravag. communes, cap.* 1. *de privilegiis*. Huic autem Pontifici immediatè successit Clemens V. prædictus, 5. Julij 1305. ut alibi notavimus.

10 At neque Bonifacius ipse VIII. hujusmodi Quartam primò invexerat in Ecclesiam: confirmavit equidem per aliam etiam Decretalem; ut habetur *cap. cum quis: de sepulturis, in 6.* ante ipsum autem jampridem statuta fuerat non Quarta, sed Tertia pars à Leone III. ut habetur *in cap.* 1. *Extra, de sepulturis*: immò & dimidia pars, quoad eos, qui sepeliebantur in aliqua Ecclesia Regularium, seu Monasterijs, ab eodem Pontifice fuit decreta, ut habetur *in cap. relatum: eod. tit.* regnavit autem iste Pontifex à 26. Decembris 795. Confirmata postmodum fuit eadem Canonica portio solvenda, per Alexandrum III. qui rexit Ecclesiam à 5. Septembris 1159. & habetur *in cap. de his, qui: eod. tit.* per Lucium etiam III. qui Pontificatum tenuit à 29. Augusti 1181. & constat ex *cap. cum super quodam: eod. tit.* itémque per Innocentium III. qui præfuit Ecclesiæ ab 8. Januarij 1198. & ita habetur *in cap. in nostra præsentia: eod. tit.* immò & per Clementem III. qui ante prædictum Innocentium obtinuit Ecclesiæ regimen à 16. Januarij 1188. & habetur *in cap. certificari: eod. tit.* ubi per ipsum Clementem declaratur, quòd cùm hæc Canonica portio diversimodè à Summis Pontificibus suis prædecessoribus fuerit ordinata; quandóque scilicet Tertia, quandóque Media, quandóque Quarta pars, unaquæque Provincia in suo sensu abundet, secundùm rationabilem consuetudinem regionis.

11 Iterum tamen sciendum, hujusmodi Quartam Mortuariorum, seu relictorum, de jure communi, ut præfertur, debitam, hisce temporibus sublatam omninò esse, quoad legata quæcunque facta Ecclesiæ; vel Monasterio Ecclesiæ, in qua quis eligit sepulturam: sublatam, inquam, non solùm per consuetudinem legitimè, juréque communi præscriptam; prout verè potuit contra illam præscribi, tùm in partem, tùm etiam in totum, quadraginta annorum spatio cum titulo, vel ab immemorabili sine titulo; ut tradit Abbas *in cap. requisisti: de testamentis: num.* 18. cum Vin. & Jo. & Hostien. *in Sum. tit. de sepulturis, in §. An licitè: Vers. Quid, si consuetudo*: & favet expressus textus, & Gloss. *in cap. de quarta: de præscription.* & iterum Gloss. *in cap.* 1. *de statu Monachorum: in v. Accesserit*: Sylvester *in Sum. v. Canonica portio, num.* 2. *& 3.* Lezana *tom.* 3. *cit. num.* 9. Miranda *cit. art.* 5. Bassæus noster *v. Quarta Parochialis*; & alij communiter. Sed etiam sublatam per dispensationes, & privilegia Summorum Pontificum, nempe Innocentij IV. Alexandri IV. Clementis IV. Eugenij IV. Nicolai V. Gregorij XI. Sixti IV. Alexandri VI. Julij II. Leonis X. & Clementis VIII. quorum Regulæ respectivè allegantur à Miranda *loc. cit. art.* 6. relatæ per Casarubium *in Compend. Privileg. Mendicantium, v. Canonica portio*, ex Monumentis Ordinis; &

a

à Lezana *tom.4.Sum.cit.num.*3.& alijs. Non solùm autem per pleráque prædictorum Privilegiorum exempti fuerunt Mendicantes,necnon communicantes cum ipsis à portione Canonica, quoad legata, tum privilegiata, tum alia quæcunque absolutè eis relicta pro ipsorum victu, vel alijs necessitatibus; sed etiam quoad funeralia; ut cuique eorundem Privilegiorum tenores apud Auctores citatos legenti, facilè constare potest: sed & docent ijdem Doctores.

12 Et quamvis Cæsar Carena *resol.*245.*num.*2. contendat, prædicta omnia privilegia, excepto illo, quod est Nicolai V. minimè suffragari contra dispositionem illius *Clement. dudum*: eo quòd scilicet dispositionibus in generalibus Concilijs factis (qualis est illa *Clement. dudum*:) derogari non potest (ut ipse ait, & benè:) nisi de ipsis specialis,expressa, & individua mentio fiat in derogatoria Constitutione; ut *in text. cap.ex parte: de Capell.Monach.* ubi Canonistæ; Rota *decis.*122.*part.*1.*diversor.* Coccinus *decis.*269.*num.*6. Rota *decis.*341. *num.*2.*v. Tamen quia: part.*1. *in recent.* & *decis.*42.*num.*9.*&* 10.*part.*2.*diversorum.* Quin & addit idem Carena *ibid.* quod in terminis Quartæ funeralis, de *d. Clement.* requiratur specifica derogatio,nec intelligatur sufficienter derogata per derogatorias generales;& ita pronunciatum fuisse testatur per Rotam apud Card. Cavaler.*decis.*101. *num.*2.

13 Hoc tamen non officit; quia, quidquid sit de alijs privilegijs, sufficit illud unicum Nicolai V. (ipso etiam consentiente *Carena*) quod insuper amplissimè confirmavit, & per extensum inseruit in *Mari Magno Carmelitanorum* Sixtus IV. ut habetur in Monumentis Ordinis, & refertur ex *Compend. Casarubij* per Mirandam *cit.art.6.concl.*5.& per Lezanam *tom.*3. *Sum.v.Canonica portio,num.*7. Et illud expressè derogat *d. Clementinæ, dudum*: estque melius, & copiosius quocunque alio, quod in hac materia adduci possit; ut testantur omnes Doctores *sup.cit.*& ipse Carena *ibid n.*3.

14 Neque item officit, quod ait idem Carena *ibid. num.*3. *&* 4. Privilegium istud solis Carmelitis, quibus concessum fuit, suffragari;nec posse alijs Mendicantibus communicari. Nam (inquit) communicatio non extenditur ad ea, quæ sunt alijs præjudicialia ut in terminis Quartæ funeralis Cavaler. *d.decis.*101.*num.*3. ubi etiam allegatur similis decisio *in Vallisoletana, Quarta funeralis*, 19. *Aprilis* 1606. *coram bon. me. Iusto*; Rota *in Valentina decimarum coram Lancelloto*, impressa apud Marches. *de Commission. tom.*1. *fol.* 639. Modern. Barbosa *de Iure Eccles. universo lib.*3. *cap.*24. *de Quarta Parochiali, n.*9. & *de offic. & potest. Parochi cap* 25. *n.*9.

15 Non, inquam, istud officit, præsertim in causa, de qua *ibi* agit *Carena*, pro quodam scilicet Parocho contra Fratres Minores de Observantia: Quia Fratres illi Minores non gaudent illo Privilegio Nicolai V. per simplicem communicationem, ut ipse non benè informatus supponit; sed gaudent per specialem concessionem sibi ipsis de eo factam, ac si ipsis specialiter esset concessum. Nam Alexander VI. per Bullam, quæ incipit: *Sacra Religionis*: datam Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 5. Februarij 1501. Pontificatus sui anno 9. & habetur in Monumentis Ordinis, referturque *in compendio Privileg.* à Casarubio, *V. Canonica Portio*, §. 10. omnia privilegia concessa Ordinibus Mendicantium (inter quæ est illud Nicolai V. qui ante ipsum Alexandrum præfuit Ecclesiæ circa annum 1447. pro Carmelitis) concessit Fratribus Minoribus Regularis observantiæ; ac si eis specialiter fuissent concessa, specificans signanter, etiam quoad exemptionem à solutione Quartæ funeralis prædictæ; ut refert Miranda *art.6. cit. concl.6.* ubi etiam hanc Alexandri concessionem magnam quidem esse, multúmque notandam advertit; & *concl.7. seq.* aliam similem concessionem affert Julij II. qui rexit Ecclesiam à 1. Novembris 1503. per Bullam quæ incipit: *Sacræ Religionis*: (sicut illa Alexandri) datam *die 6. Novembris* 1511.*apud S.Petrum anno* 8. *sui Pontificatus.*

Atque hi sunt termini, ad quos secundùm 16
historicam, doctrinalémque veritatem, ut patet, Ius commune, & antiquum de Quarta funerali, vel Parochiali à Mendicantibus, seu Regularibus solvenda deductum est, usque ad dispositionem, exclusivè, & decretum Concilij Tridentini *sess.*25. *de Reformatione, cap.*13.*de Quarta funerali*: cui profectò standum hodie à Mendicantibus, seu Regularibus omninò censeo cum Lezana *loc.cit.num.*8. & Miranda *cit. art.*7. 8. *&* 9. decretum autem est hujusmodi: *Decernit sancta Synodus, ut quibuscunque in locis, jam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio alijs Monasterijs, Hospitalibus, aut quibuscunque locis pijs concessa, eadem planè integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur; non obstantibus concessionibus, gratijs, privilegijs, etiam Mari Magno nuncupatis, aut alijs quibuscunque.* Ita Concilium.

Et ecce,quàm consonum rationi, quamque 17
juridicum sit istud decretum? Pende illa verba: *Iam ante quadraginta annos Quarta, quæ funeralium dicitur solita esset persolvi*: Illis enim Concilium & funeralia tantùm exprimito; idest illa, quæ ad funus præcisè defuncti

cti feruntur: & apprimè canonizat consuetudinem legitimè præscriptam circa dictam Quartam solvendam, sive non solvendam. Cum enim, ut diximus *suprà* ex Panormitano, & alijs; & iterum dicimus ex eodem communiter recepto *in cap. fin. de consuetudine, num. 9.* non præscribatur contra Ecclesiam, aut contra Monasterium, nisi per annos ad minùs quadraginta; hinc voluit, ut vbicúnque ejusmodi præscriptio non fuerit tunc temporis invecta, Quarta prædicta solvatur; ubi verò invecta fuerit, non solvatur; ne videlicèt tollere videretur jus ea præscriptione ultro citróque acquisitum, ex parte nempè Parochialium, & ex parte Regularium Ecclesiarum.

18 Quare ex hoc decreto, ejúsque posita ponderatione, sequentia deduco asserta, tanquam certa, nec minimùm ab ejus amussi retorta.

19 Primum, ubi Quarta solvi consuevit, juxta illud Decretum, eam non deberi, nisi tantummodò de ijs, quæ allata sunt cum corpore Defuncti, vel ei præcisè deserviunt, & immediatè, cùm funus, seu exequiæ eidem celebrantur, eo die, quo datur sepulturæ. Hæc conclusio traditur etiam à Miranda *loc. cit. art. 8.* & prætereà habetur expressa in Motu quodam proprio, sive Bulla Pij V, incipiente: *Et si mendicantium*: quam affert idem Miranda *art. 7.* & Lezana *tom. 2. sum. cap. 1. num. 12.* confirmatúrque consuetudine, & praxi communiter recepta, ubi fit Quartæ solutio; ut testatur Card. Zabarella *in d. Clem. Dudum: § Verum*: Abbas *in cap. fin. de testamentis: num 6. & 7.* & videri potest hac de re Covarruvias *in cap. in causis: de elect. col. 3.* ubi ad hoc propositum plura dicit notatu dignissima, & novissimè Molina *in 2. 2. tit. 2. disput. 215.* quos allegat Miranda *cit. loc.*

20 Neque Constitutio Pij V. allata, revocata est, quoad hoc, per Gregorij XIII. constitutionem incipientem: *In tanta*: cujus etiam meminit Navarrus *in manuali cap. 27 in fi.* qua revocantur, & ad terminos juris communis reducuntur omnia, quæcúnque Regularibus concesserat ipse Pius V. contra formam prædicti decreti Concilij Tridentini. Quamvis enim per illam revocentur privilegia concessa contra prædictam formam; non tamen revocantur, aut annullantur explicationes, & declarationes ab eodem Pio V. factæ circa dictum Concilij decretum, etiam in favorem Regularium: qualis est ista, quæ profectò non concessio, sed vera; atque germana (strictè, ut decet, interpretando) verborum illius Decreti declaratio est, ubi hæc Canonica portio, simpliciter *Quarta funeralium* nuncupatur, quasi insinuando, & significando id, quod diximus.

Et ad hoc facit alia Bulla ejusdem Pij V. incipiens: *Ad hoc nos Deus*: quam refert Lezana *tom. 4. cit. num. 6. & 7.* ex Bullario Laërtij *tom. 2. sub num. 41.* Videatur Peyrinus *tom. 2. Privileg. Minorum in constit. 7. Pij V. num. 3.* Præterquàm quod non defuerunt, qui dixerint, Prædictam Constitutionem Gregorij XIII. non fuisse sufficienter promulgatam, nec in praxi receptam: Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 24. num. 8.* & alij, quos allegat Lezana *t. 1. sum. cap. 3. num. 12. in fi. & tom. 2. cap. 3. n. 14. 15. & 16.* ubi tamen ipse Lezana amplectitur priorem responsionem traditam, quam & confirmatam asserit per declarationem sac. Congregationis, & allegat Rodericum *tom. 1. qq. Regul. q. 8. art. 9. & quæst. 39. art. 2. & q 43. art. 7.* Sorbum *in annot. ad compend. privileg. mendicantium, v. Privilegia Fratrum: §. & licet Gregorius XIII.* Molfesium *2. p. sum. tract. 13. cap. 9. num. 30.* Rotam *in una Liciensi, Quartæ funeralium, 15. Ianuarij 1618. coram Decano,* apud Barbosam *de offic. & potestate Episcopi, allegat. 86. num. 17.* & Tamburinum *de jure Abbatum tom. 1. disp. 15. quæst. 17.* Thomam à Iesu, *de procuran. omnium gentium salute, lib. 12. cap. 8.* & alios alibi.

Quæ autem dicta sunt, & dicentur, quoad hoc propositum, pro Regularibus, intelligenda etiam sunt pro Monasterijs, seu Ecclesijs Monialium. Quia Pius V. *in utráque constitutione relata,* ipsarum quóque expressam mentionem fecit. Portel *in dub. Regular. v. Canonica portio, num. 8.* apud Lezanam *tom. 4. cit. num. 8.* contra Novarium *in Lucerna Regularium, v. Quarta, num. 1.* 22

Quando autem dictum est in asserto isto, *debere Quartam solum de ijs, quæ deferuntur cum corpore Defuncti*; intellige, quoad cereos, de ijs tantùm, qui circa Crucem, & Cadaver deferri solent, maximè in Italia: Barbosa *de jure Ecclesiast. lib. 3. cap. 24. num. 42.* apud Lezanam *tom 4. cit. num. 7.* non autem de Candelis, quæ Religiosi deferunt in manibus; ut ait idem Lezana *cit. tom. 2. cap. 1. num. 48.* ex Privileg. Sixti IV. pro Minoribus; de quo idem Barbosa *cit. num. 39.* qui *num. 40.* idipsum quóque declaratum refert per Sac. Congregationem de candelis, aut cereis Confraternitatum sæcularium, aut locorum piorum associantium funera. 23

Dixi etiam in assertione: *Eo die, quo datur sepulturæ*: ut exclusi fierent alij dies, in quibus aliquando funeralia celebrantur: qui profectò excludendi sunt, cùm cerei vel Candelæ, aliavè, quæ in illis diebus funeri deserviunt, non possint cum veritate dici, quòd cum corpore Defuncti deferantur. Ita Lazana *tom. 4. cit. num. 9.* Cum Roderico *quæst. 39. cit.* Molina *de just. & jure tract. 2. disp. 215.* & Miranda post Panor 24

Panormitanum, Azorio item *tom.2. Instit. moral.lib.9.cap.13.§. Funeralia:* Advertit tamen, cautè procedendum in casu contentionis, seu controversiæ in hoc puncto; si authenticè constaret de quadam Declaratione Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium huic doctrinæ contraria, quam refert Barbosa *cit. num.*38.& *in Collect. Bullarum, v. Quarta.*

25 Secundum assertum; Monasteria Regularium, quæ fuerunt ædificata,& fundata à quadraginta annis ante Tridentinum,& per idem temporis spatium non fuerunt solita solvere dictam Quartam; neque in præsentiarum teneri; quia Concilium noluit eis jus illud tollere per talem præscriptionem acquisitum. Miranda *cit. art.*7. & Lezana *tom.4.cit. num.*5. Neque unquam Parochialis contra ipsa monasteria præscripsit.

26 Tertium; Ea verò Monasteria, quæ fuerunt fundata, & ædificata à quadraginta annis ante Concilium, & dictam Quartam solita erant solvere, etiamnum teneri eandem solvere,non obstantibus privilegijs: Ita expressè Inquitur Concilium: cum contra ipsa jam fuerit sufficienter præscriptum per Parochiales *Doctores citati.*

27 Quartum; monasteria fundata,& ædificata quidem ante Concilium,sed à quadraginta annis citra illud,sive dictam Quartam aliquando solvere consueverint, sive non, minimè teneri nunc ex vi Decreti allati ad illam postmodùm solvendam. Concilium enim *in eo Decreto* solùm loquitur de monasterijs fundatis, & solitis solvere à quadraginta annis ante ipsum, non autem citra. Et ratio est eadem, quæ *suprà*: quia nimirum etiamsi aliquando solvere eam consueverint, nondum tamen contra ipsa fuit sufficienter acquisitus Parochialibus titulus præscriptionis legitimæ;quippè qui non acquiritur per minus temporis spatium contra Monasterium, quàm quadraginta annorum; ut dictum est.

28 Quintum; Monasteria fundata,& ædificata post dictum Concilium, aut in posterum fundanda,non teneri ad dictam Quartam solvendam; supposito tamen quòd sint ejus Religionis, cui favent privilegia Pontificia eximentia à tali solutione: cujusmodi profectò sunt Monasteria Capuccinorum,quippè quæ quadraginta annis ante Concilium non erant ædificata, cum neque eorum Religio adhuc esset initiata. Ratio est; quia nullo modo id exprimitur *in dicto Tridentini Decreto*; utpotè quod tantùm loquitur de Monasterijs jam ante annos quadraginta ante ipsum fundatis, & solvere solitis: hoc autem ad alia non est extendendum, cum sit odium,non favor; juxta *regul. Iuris* 15. *in 6. Odia restringi*: ubi Glossa, & Doctores citati. Et ita ijsdem testibus, declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini per decretum sub 21. Septembris 1591. quod habetur authenticum; ut testatur Miranda *cit. art.*7. & colligitur ex duabus Bullis Pij V. *suprà* allatis, itémque ex alia Pauli V. incipiente: *Decet Romanum*: & ex alijs Decretis *Sac. Congreg.*& Decisionibus *Rotæ*; ut tradit Lezana *tom.4. cit. num.6. & tom.1. cap 3. num.*13. ex Roderico, Quaranta, Barbosa, Tamburino, & Casarubio, quos apud ipsum videre est allegatos *locis cit.* & in *sum. v. Quarta Funeralium* Et sacra ipsa Congregatio moderatur passim, juxta prædictas Declarationes, in controversijs occurrentibus circa solutionem Quartæ funeralis, ut tradit Angelus à Lantusca *in suo Theatro Regularium, v. Quarta, numer. 3. in fine*; & videre est apud Dianam *p.7 in fine*, ubi plures hac de re Decisiones Rotæ, ac Declarationes Sac. Congregationis referuntur.

29 Quod si Ordinarij cogere contendant Regulares ad solutionem Quartæ, quando eam non debent, juxta Concilij decretum explicatum, incurrunt pœnas,de quibus videre est apud Rodericum *cit.q.39.art.9.*(& qualiter in tali casu non teneantur ipsi Regulares coram Ordinarijs comparere) mirandam *cit. art.*14. & Portel. *cit. num.*11. apud quos alia plura ad hoc spectantia videat qui voluerit. Procedamus nos ad alia pro nostro instituto.

§. XXII.

Quomodo Apostolicæ Sedi, sive summo Pontifici,tanquam Patri Speciali Fratrum Minorum, acquiratur Dominium, & proprietas rerum ijsdem Fratribus legatarum. Vbi etiam,quid propriè,& formaliter sit annuus reditus.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex, tanquam Pater specialis vel Dominus Minoritarum, quare non acceptat civiliterque acquirit legata annua perpetua ipsis Fratribus relicta* & num.2.

2 *Certitudo civilis, & non immobilitas reditruum repugnat statui mendicitatis minoricæ.*

3 *Annui reditus quo sensu bona immobilia reputentur.*& num.4.

4 *Census est pensio Prælatis debita de proventibus Ecclesiasticis, in signum subjectionis singulis annis solvenda.*

5 *Annui reditus appellatione intelliguntur iura ad pensiones annuas exigendas.*& n.7. *Annui reditus cur non possunt dari in emphyteusim.*

6 Sensus

6 *Census dupliciter accipitur; materialiter, & formaliter.*

8 *Census formaliter acceptus, est Ens rationis.*

9 *Census nomen sex modis sumi potest, qui referuntur,* ibid.

Census propriè sumpti definitio, ibid. & numero 10.

10 *In Censu tria considerantur, scilicet res ipsa, pensio, & jus.*

11 Extrau. Exijt, *perperam plures DD. intelligunt.*

12 *Minoritæ sunt incapaces legatorum annuorum seu largitionum quarumcunque ratione tituli seu juris politici & certitudinis civilis tantùm.*

13 *Pontifex quo ordine acceptet legatum Minoribus relictum unica solutione præstandum, declaratur.*

14 *Et utrum illud exigere possit per syndicum? ubi* Cordubæ *opinio adducitur, & reyicitur*, n.15.

15 *Exactio rerum legatarum vel donatarum Minoribus per Syndicum, puritati mendicitatis Minoricæ repugnat, juxta Authoris sententiam*, & n.16. cum al. seqq.

16 *Syndici usus nomine Sedis Apostolicæ agentis in uno tantum casu permissus in* cap. Exijt, §. quia verò, vers. si vero ref. de verb. sig. in 6.

17 *Minoritæ vivere debent & sustentari ex misericordia Fidelium, non de rebus politicè suis, aut civiliter debitis.*

18 *Legatum annuum importat plura legata, quorum jus singulis annis cedit initio cujusque.*

Legatum annuum pro primo tantum anno est purum, pro sequentibus conditionale, ibid.

19 *Usus rerum Minoribus legatarum civiliter Sedi Apostolicæ acquisitarum non potest admitti absque privilegio Regulæ relaxativo.*

20 *Legatum annuum seorsim sumptum an veniat appellatione Reditus annui.*

Reditus annuus propriè quid sit, & unde dicatur.

21 *Quicquid percipitur ex obligatione civili & politica repugnat mendicitati Minoricæ.*

22 *Quæ sunt moderamina servanda in relictis Fratribus Minoribus, etiam unica vice præstandis ad puritatem Regulæ observandam.*

23 *Legatum annuum Minoribus relictum si à Sede Apostolica acceptaretur pro ipsis, importaret annonam civilem & reditum annuum.*

24 *Syndici usus ad exigendas res Minoribus relictas officio mercenario Iudicis, seu actione civili, non est licitus absque dispensatione relaxativa.*

25 *Pontifex civiliter non acquirit res sive annuatim sive etiam unica vice præstandas Minoribus relictas, ad illas exigendas in judicio.*

26 *Pontifex quo ordine dominium acquirat, & civiliter acceptet, rerum Minoribus relictarum, inquiritur, & resolvitur*, n.27. cum al. seqq.

27 *Pontifex dominium rerum Minoribus relictarum non acquirit ad eas ex obligatione civili debitas exigendas in judicio, vel extra.*

28 *Dominium rerum quæ usu consumuntur transfertur per traditionem.*

Dominium rei legatæ non semper transit ipso jure in legatarium, ibid.

29 *Pontifex acquirit jus & proprietatem seu dominium pecuniæ, & aliarum rerum distrahendarum, quarum usus Minoritis non est licitus in propria substantia.*

Nisi Testator vel donator hujusmodi rerum dominium sibi retinuerit, n.30.

Et in utroque casu quid & quomodo legata, vel donationes Minoribus factæ, executioni demandari possint, aut debeant? & n.31. & 32.

31 *Res immobilis Minoribus legata, distrahenda & convertenda in ipsorum necessitates, à quibus, & quo ordine vendi debeat*, & num.32.

32 *In venditione rerum Minoribus relictarum ad subveniendum ipsorum necessitatibus, non est opus servare solemnitates requisitas ad alienationem rerum Ecclesiæ.*

33 *Pontifex non acquirit dominium rerum Minoribus relictarum, quarum usus illis licitus est, nisi actu fuerint eisdem præstita, eorúmque usui addicta.*

34 *Res immobilis Minoribus legata dominium utile spectat ad hæredem, donec vendatur ad ipsorum necessitates sublevandas, & interim fructus suos facit.*

Et quid hæres præstare debeat si fuerit in mora distrahendi, ibid.

35 *Res immobilis legata Domui professæ Soc. Iesu, locari potest, & fructus ab ea percipi, donec opportuna præbeatur occasio illam vendendi, scilicet ad modicum tempus, absque præjudicio voti paupertatis.*

Quæ tamen locatio, & fructuum perceptio, paupertati Minoricæ repugnat, contra Sanchez, ibid.

Ad quid teneatur hæres si fuerit in mora vendendi rem immobilem Minoribus relictam, & in quos usus fructus per fraudem ex mora perceptos impendere debeat, ibid.

Superest

1 SUperest adhuc una explananda difficultas pro nostro instituto. Quæret enim aliquis, si Pontifex, seu Apostolica sedes, ut in superioribus dictum est, per Fratres Minores, tanquam Pater, vel dominus, per filios, vel servos, juxta *l. acquiritur: ff. de acquir. rerum dominio*; sive (ut mihi magis placet) immediatè civiliter acceptat, verùmque & irrevocabile ad se dominium, & proprietatem trahit eorum omnium, quæ iisdem Fratribus donantur conceduntur, offeruntur, sive donatione, concessione, vel oblatione inter vivos, sive mortis causâ, sive etiam legato; iis exceptis, vel quorum dominium, & proprietatem sibi ipsis retinent dantes, concedentes, vel offerentes; vel quorum usum in propria substantia Fratribus ipsis Regula eorum interdicit; ut sunt denarij, vel pecunia, putà rem aliquam sive mobilem, sive immobilem distrahendam, ut ejus pretium pro necessitatibus Fratrum expendatur: quandiù hæc in res iisdem Fratribus quoad usum licitas non fuerint per dantium substitutos, vel testantium hæredes, aut executores conversa; Quare non acceptat, civiliterque acquirit eadem sedes etiam legata annua, adeóque perpetua Fratribus ipsis facta, cùm hujusmodi rebus simpliciter legato relictis possint hi (ut ex præmissis liquet) licitè, & sui puritate status considerata, uti? Aut ergo dicendum est, non posse Fratres hujusmodi res accipere, illísque uti, etiam præstitis, seclusâ acceptatione, & prætensione civili: aut, si possunt accipere, illísque uti, necesse est etiam dicere, quòd Pontifex ea legata acceptat, eorúmque ad se jus, & dominium trahit, quando Fratribus relinquuntur: quod si dicatur, jam juxta doctrinam traditam eadem legata annua erunt propriè dicta, atque adeò annui reditus à Clemente V. damnati, stando interpretationi exhibitæ textui illi *§. Proinde: verf. Cumque annui reditus*.

2 Huic difficultati respondeo, quòd Pontifex agens, ut Pater specialis, & dominus Fratrum Minorum, non ideò noluit (eorundem Fratrum conditione, & professione considerata) civiliter acceptare legata annua iisdem facta, etiamsi citra ullam modi ipsis illiciti expressionem; hoc est dicere, non ideò noluit civiliter acceptare res illas legatas annuatim in futurum præstandas, acquirendo pro iisdem Fratribus titulum civilem ad annuatim in futurum percipiendas illas, júsque ad easdem exigendas tùm in judicio, tum extra illud: quia nimirum adjudicâret usum rei legatæ, & annuatim ab hærede, vel gravato ex sola obligatione conscientiæ, vel etiam justitiæ erga testatorem præstandæ, esse iisdem Fratribus simpliciter illicitum, si absque tali acceptatione, & acquisitione juris ex parte ipsorum quomodocúmque ab hærede præstetur. Sed ideò noluit acceptare titulos hujusmodi, jusque ad res legatas annuatim in futurum præstandas acquirere; quia sic jam legata illa, seu tituli legatorum essent civiliter constituti, & propriè dicti, resque ex illis ad simplicem etiam usum Fratribus provenientes annuatim, provenirent ex politica, seu civili certitudine, & ex jure, sin minùs ipsis, saltem alteri (idest Pontifici, vel Apostolicæ sedi) ad ipsorum utilitatem specialiter acquisito. Sicque per consequens, legata hujusmodi essent annui reditus propriè dicti, quorum iidem Fratres (attenta sui puritate status) non sunt capaces, non solum quoad jus, vel proprietatem, sed neque quoad simplicis facti usum; tametsi, si sint legata simplicia, etiam perpetua, inter immobilia non censeantur à jure; juxta textum *Clementinæ* alibi explicatum; atque ut ex communi docet latè Barbosa *de Appellat. verb. juris significat. Appellat.* 117. *numero* 1. & alij *infrà* cit. Et ratio talis incapacitatis Fratrum non est immobilitas, vel fixio ejusmodi redituum in radice cùm non debeantur ex re immobili ad id specialiter obligata: sed est certitudo civilis, quæ repugnat Mendicitati statui; ut alibi latiùs dicetur.

Censentur siquidem annui reditus, materialiter etiam sumpti, id est pro rebus ipsis annuatim provenientibus; censentur, inquam, inter immobilia non ratione earundem rerum, in quibus consistunt, nam eæ mobiles profectò sunt, nequede his disputare, vel difficultas est, quin mobiles sint, & bona mobilia, sicut & fructus, qui ex fundo percipiuntur, ut benè novit de Lugo *infrà cit. num.* 8. sed propter jura, & actiones civiles, quæ ex parte percipientis se habent, ad res ipsas annuatim percipiendas, vel capiendas; quando scilicet percipiens habet jus ad eas percipiendas per actionem, non solùm personalem, sed etiam per in rem, & hypothecariam, ex re nimirum stabili, seu immobili, aut inter immobilia computata, ad id specialiter obligata, & quasi hypothecata. Atque in hoc sensu quandoque ut in *Bulla Cœnæ*, ubi excommunicantur usurpantes, sequestrantes, &c. reditus Ecclesiasticos, nomine præciso *Redituum* non intelliguntur quidem ipsa jura, & actiones civiles; sed res ipsæ temporales, & in se ipsis mobiles, quæ immediatè percipiuntur, usurpantur, sequestrantur &c. in quacunque specie, & materia consistant, etiamsi sit pecunia numerata; quippe quæ de jure spectant ad Beneficiarios: ut benè advertit Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16. *quæst.* 6. *de Censuris in particulari, cap.* 8. *n.* 220. 3

Annui igitur reditus, sic accepti, res scilicet annuatim cuipiam provenientes, eatenùs inter immobilia à Iure, & à Iuristis recensentur, quatenùs correspondent juribus 4

M fructise

fructiferis; ut juri census, seu reditus, locationis, possessionis, usufructus inter vivos donati, vel concessi, aut mortis causâ legati; vel hujusmodi; ratione quorum dicuntur eædem res provenientes, seu reditus materialiter sumpti, certi, & constituti civiliter, super re tamen immobili, vel inter immobilia computata, ad id specialiter obligata: atque hi propriè dicuntur annui: ut appositissimè notat Glossa *in Clementina, Exivi: §. licet verò.* Videatur Lezana *tom.2.Sum.cap.*19. *num.*3. Sicque etiam *Filliucius cit.* optimè advertit, quod annui reditus, materialiter sumpti, sunt propriè fructus civiles, idest supponentes jus civile ad illos in percipiente, & ex consequenti etiam obligationem civilem in solvente, cùm scilicet ab alio solvuntur. Et idem tradit Lancelottus *Instit. juris Canonici lib.*2. *tit.*21. *de Censibus:* dicens, quòd *Census* appellatio in Iure sumitur generaliter pro omni pensione, quæ Prælatis, de Ecclesiasticis proventibus singulis annis in signum subjectionis, vel alterius juris penditur. Quo utique sensu etiam *Clementina* textum, *vers. Cúmque annui:* afferunt, & intelligunt Didacus Covarruvia. *tom.*2. *variar.resolut. lib.*3. *cap.*7. *num.*1. Allegans Alexandrum Jasonem, Alciatum, & Tiraquellum; Joannes Guttierres *practicar. quæst. lib.*5. *quæst* 83. *num.*1. 2. 3. *& seqq.* & Ludolphus Schraderus *in tract.Feud.part.*3. *cap.*3. *num.*2. citans Bartolum, Baldum, Abbatem, & Alexandrum: ait enim hoc verum esse, (quòd scilicet annui census, vel reditus, materialiter sumpti, inter immobilia computentur) si annui reditus, idest pensiones annuæ, ex re aliqua immobili, vel quæ immobili æquipollet, quale est jus, debeantur, & percipiantur. Et hoc est commune apud Doctores, tam quoad jus Canonicum, quàm quoad Civile: Felinus *in cap. ad audientiam: de præscrip.par.*3.*col.*257.*num.*20. Joan. de Turrecremata *in cap. Quæsitum:* 1. *quæst.*3.*num.*1. *&* 2. Abbas etiam *apud Lancelott. cit. in Gloss.* Hostiensis *in Sum. lib.* 3. *de censibus* Atque in hoc sensu sumitur nomen *annui reditus*, vel *census*, cùm à Iure, vel à Iuristis non formaliter, sed materialiter usurpatur.

5 Cæteroqui tamen magis communiter à Doctoribus, nomine præciso *annuorum redituum*, vel *censuum* intelliguntur jura ad annuas pensiones; ut insinuat Lezana *in Sum.tom.*3.*v.Alienare: num.*6. ubi contra Naldum *in Sum. v. Annuus, num.*7. *& v. Bona, num.*16. sustinet, annuos reditus etiam citra decennium esse bona immobilia; quia videlicet sunt bona fructifera. Unde etiam Layman.*lib.*3.*de Iust.tract.*4. *cap.*18. *n.*4. ait, quòd Census, seu reditus realis, est quasi Ususfructus, vel portio ejus. Certè autem non possunt dici bona fructifera ipsæ res annuatim provenientes, sive fructus; sed jura, ut patet consideranti. Quod confirmatur ex eo, quod docent Doctores Filliuc.*t.*1.*tr.*36.*p.*2.*c.*7. *n.*127. & alij dicentes, Annuos reditus, vel Census (idest jura) non posse in emphyteusim dari; quia scilicet, etiamsi censeantur inter bona immobilia, & fructifera, non possunt tamen meliorari, & reddi fructuosiores, sicuti res soli immobiles, qualis debet esse res emphyteotica.

Et ita intellexit textum *Clement. vers. Cúmque annui reditus:* Juan.Medina *t.*2.*de rebus per usuram acquisitis, q.*11. *de Censibus,* ubi doctrinam omnẽ, quam *hic* mox *suprà* edisseruimus, enucleans, ait: Censum sumi dupliciter, scilicet materialiter, & formaliter: Et quidem formaliter sumptum, docet esse jus percipiendi pensionem aliquam de re ipsa, (scilicet immobili, vel inter immobilia computata) in qua constitutus est census: materialiter verò esse ipsam pensionem, quæ ex præfata re percipitur. Et *paulò infrà, coroll.*2. docet, Censum formaliter sumptum diversum quid esse à fructibus ex re ipsa perceptis, seu à pensione, quæ singulis annis percipi solet. Hoc (inquit) patet de se; tum quia priùs est jus ipsum, quàm quis fructum rei percipiat: eo enim ipso, quòd contractus censualis est celebratus, dicitur ipse Censualista præfatum jus ad pensionem annuam habere; & tamen nondum pensionem percipit, immò nec fortè percipiet: tum etiam quia multi illius rei fructus actu percipiunt, qui tamen nullum jus ad eos percipiendos habent: tum denique quia fructus illius sunt res mobiles, & corporales, quæ corpore apprehendi possunt, ut constat: Census autem formaliter, & propriè sumptus, nec res mobilis est, nec corporalis; quia non corpore apprehenditur; sed immobilis; & incorporalis, quæ (suppleo ego) animi consensu apprehẽditur, cùm vel ex fundatione acquiritur, vel etiam alicui civiliter acceptanti constituitur donatione, vel legato, in perpetuum, ad vitam, vel ad aliquot annos; quemadmodum constitui cuipiam capaci potest; ut docet Layman *cit.num.*3. Et ita (concludit Medina) inter bona immobilia solet connumerari; ut habetur *in Clementina: Exivi: de verb. signif. in* 6. *§. Cúmque annui reditus:* Hæc ille, germanam callens intelligentiam illius textus. 6

7 Et ita sanè intelligere textum illum oportet. Etenim famigeratum est apud Canonistas, & Juristas; ut tradit Tamburinus *lib.*9. *de Contract. tract.*2. *cap.*1. *num.*2. Censum, seu reditum significare jus, seu facultatem civilem, ex contractu aliquo, pensiones sive reditus, vel proventus annuos ex re aliqua (scilicet immobili, vel inter immobilia computata, & fructifera) exigendi,

&

& percipiendi: v.g. ex prædio, seu domo, vel ædibus tuis habet Petrus jus exigendi certam pensionem, sivè pecuniam, sive fructum aliquem, ut frumentum, uleum, vinum, &c. jus illud compellendi te, quod habet Petrus, ut præfata sibi solvas, Census, seu Reditus nominatur apud Juristas, & Canonistas: Angles *part.2. Florum quæst. Theologicarum, quæst. de Censibus, propositione* 1. Layman *cit. num.1. & seqq.* Fernandez *part.1.cap.15.§.3.num.3.* & alij communiter.

8 Unde subtiliter commutatur Corradus *in suo volumine de Contract. quæst.72. tract.4. sup-posi*.1. apud Comitolum *lib.3. resp. moral. q.14. num.7.* inquiens: Census, seu Reditus formaliter nihil aliud est, quàm Ens rationis causatum à voluntate tantùm, incorporeum, & immobile. Est ens rationis; quia nulla mutatione facta in rebus commutatis, oritur hoc jus exigendæ pensionis; quod jus, Censum, seu reditum dicimus, estque subjectivè in eo, cujus est pensio.

9 Quapropter concludo, in hac re valdè advertendum esse, quòd nomen Census, seu reditus variè sumitur; ut notant in primis omnes Doctores, ubi de Censibus agunt: Covarruvias *3.variar. resolut. cap.7.* Filliucius *tom 2.tract.35.part.2. cap.1. num.242.* Card. de Lugo *tom.2.de just.& jure disp.27.sect.1. num.1.* & alij. *Primò*, pro æstimatione Bonorum cujusque, (vulgò *l Estimo*) quæ fit, ut sciatur, quantum tributi Principi solvere debeat. *Secundò*, pro ipsis bonis quæ æstimantur, quo pacto dici solet: Dat census honores, census amicitias, &c. *Tertiò*, pro ipso tributo, quod Principi solvitur; sic dicitur *Matth.22.* Licet censum dare Cæsari? *Quartò*, pro omni eo, quòd annuatim alteri datur in signum subjectionis, aut alterius causæ; & in hoc sensu, & etiam in præcedenti procedunt *l.1.ff.de Censib.* itemque Canones *tit. de Censibus*: &c. *Quintò*, pro pensione annuatim solvenda titulo, & jure census, vel reditus. *Sextò*, & potissimùm, pro jure ipso, vel titulo civili, vel Canonico pensionem prædictam percipiendi, & exigendi. Sicque generaliter, & propriè sumitur à Doctoribus cit. & alijs communiter de eo agentibus, census, seu reditus annuus, sive perpetuus, sive ad vitam, sive ad aliquot annos; & ab ipsis definitur, esse jus percipiendi annuam pensionem ex re alterius, vel persona, certa, & designata; ut dictum est etiam *suprà §.18.* ex Beyerlinch.

10 Explicantes autem Doctores allati definitionem positam ajunt communiter. Dicitur primò, *jus*: sunt enim tria in Censu, vel Reditu: *primò* res, in qua constituitur census, vel reditus; ut domus, vel fundus: *secundò* est pensio, quæ percipitur ex re subjecta censui, vel reditui, sive sit in fructibus, sive in pecunia, sive in alia re utile: *tertiò* est jus percipiendi annuam pensionem. Census igitur propriè non est res, nec pensio, sed jus percipiendi pensionem? quod & vendi, vel emi dicitur, quando dicitur vendi vel emi ab aliquo census, vel reditus annuus. Quemadmodum & Beneficium non est fundus, ex quo percipitur fructus, nec fructus ipsius, sed jus percipiendi fructus ex fundo. Dicitur secundò, *ex re alterius*; quia super re sua nemo dicitur propriè habere censum; habet enim in ea jus multò perfectius nempè dominium: super re autem alterius ex censu nullum aliud habet jus, nisi ut ex ea percipiat pensionem; cum dominium directum, & utile sit apud alterum. Dicitur tertiò, *vel ex persona*; quia etiam super persona fundari potest hoc jus; quando scilicet quis vendit annuum censum solvendum ex fructibus propriæ industriæ, vel laboris: & hic dicitur Census consignatiuus personalis; sicut qui fundatur in re aliqua, ut in fundo domo, &c. dicitur realis: & ille dicitur consignativus; quia fit, cùm quis retento dominio rei suæ, vel personæ, partem aliquam fructus ejusdem rei, vel personæ suæ in alium transfert: ad differentiam Census reservativi, qui fit è converso, cùm nempe quis rei suæ, vel etiam personæ dominium directum, & utile alteri transfert, retenta sibi aliqua fructus portione, vel pensione. Alias divisiones Census vide apud Filliucium, Fernandez, & alios cit. Vide, quæ dicuntur *infrà, §.23.& 31.*

Atque hæc pro completa elucidatione intelligentiæ *text. Cem. in vers. Cùmque annui reditus*: de qua *suprà*, §.18. in qua paulò diutiùs, non plus æquo tamen, in gratiam eorum Doctorum, qui eundem textum perperam intelligentes usurpant, in præjudicium non solùm Fratrum Minorum, sed etiam animarum, cùm Testatorum, qui suis voluntatibus fraudantur, pijsque operibus in animarum suarum suffragium ordinatis, tùm etiam hæredum, vel gravatorum hujusmodi, qui suis conscientijs non, ut par est, satisfaciunt: quæ omnia sunt expressè contra mentem Nicolai III. *in cap. Exijt: eo §. Ad hæc quia*: & alibi: Teneant igitur sanæ intelligentię viam, & caveant sibi. Nos verò redeamus ad solutionem difficultatis propositæ à qua digressi sumus haud tamen abs re. 11

Dictum est igitur, ideò noluisse Pontificem civiliter acceptare titulos legatorũ annuorum pro Fratribus Minoribus relictorum, jusque ad res legatas, cæteroqui eis licitas, quoad usum, purà panem, vinum, oleum, carnem, pisces, ceras candelas pro Missis &c. annuatim in futurum præstandas acquirere; quia sic jam legata illa, seu tituli legatorum, essent civiliter constituti, & propriè dicti, juxta doctrinam superiùs traditam §. 12. resque ex illis, ad 12

 simpli

simplicem etiam usum facti, annuatim Fratribus provenientes, redirent, provenirentque ex politica, seu civili certitudine, ut potè ex jure, sin minùs ipsis Fratribus, saltem alteri (idest Romano Pontifici, vel Apostolicæ sedi) ex parte ipsorum, & ad ipsorum utilitatem specialiter acquisito: sicque per consequens legata hujusmodi jure optimo censenda essent annui reditus, vel census propriè dicti, sive formaliter, sive materialiter sumantur; quorum ijdem Fratres (attenta sui ipsorum puritate status) non sunt capaces, non solùm quoad jus, vel proprietatem, sed neque quoad simplicis facti usum; cum inter immobilia censeantur à Jure, si sint usufructus simpliciter legati, vel saltem sint civiliter certa, si sint legata simplicia; juxta *Clementinam* sanè, ut explicaũ est, intellectam *in eo versic. Cumque annui reditus.*

13 Neque verò idcircò usus rerum hujusmodi legatarum annuatim ab hæredibus, vel gravatis præstandarum ex mera obligatione conscientiæ, & justitiæ erga Testatores, censendus est Fratribus Minoribus illicitus; quia Romanus Pontifex, non acceptando, ut præfertur, titulos, &c. illas quòque res nunquam acceptet, earundem ad se, & ad Apostolicam Sedem assumendo dominium, & proprietatem. Acceptat siquidem, earúmque dominium, & proprietatem acquirit: sed alio ordine; quem sic explico. Res quæ Fratribus Minoribus unica solutione præstandæ legantur (si pecuniariæ non sint, aut superfluæ, vel curiosæ) acceptat Pontifex, acquiritque jus, & titulum ad illas civiliter exigendas, secundùm aliquos, immediatè post mortem testatoris, etiamsi nondum actu solvantur; ita ut habeat ex tunc verum, & irrevocabile jus, & actionem, tùm in personam, tùm ad rem, ad eas exigendas, & de ijsdem disponendum ad placitum; ut tradit Abbas *part.1. Consil. cons. 27. num. 1.* ex *l. fin. C. de Sacrosanct. Eccles.* & ex *Clem. quia contingit: de religiosis domibus.* Dixi, *immediatè post mortem testatoris*, simpliciter; neque addidi, *post aditam, aut acceptatam hæreditatem ab hærede*, quia quamvis institutus, vel substitutus hæres non acceptet, nec adeat hæreditatem, adhuc legatum illud, & titulus hujusmodi est civiliter validus, ut potè ad pias causas, jámque Ecclesiæ acquisitus immediatè per se ipsam acceptante in declarationibus Pontificum; nisi velimus dicere (quod tamen mihi non placet) per Fratres ipsos: ideóque implendus, & solvendus, attento Iuris rigore, & per actionem in foro competentem, à quocúnque ad quem hæreditas ipsa sive per substitutionem, sive ab intestato, vel ipsius administratio devolvatur. Unde (secundùm hanc sententiam) Pontifex ipse agens, ut Pater specialis, & dominus Fratrum Minorum, per syndicum, vel procuratorem; sive œconomum, quem, cùm opus fuerit, Ministri, & Custodes eorundem Fratrum, vel habentes commissionem ab illis nominare possunt: (nominare, dicitur, & assignare; non autem instituere; nam instituitur propriè à Pontifice, vel à Romana Sede, cujus est jus ad id: & hæc nominatio potest fieri tùm coram Notario, & testibus, tùm etiam absque eis simpliciter sola nominatione vocali; ut ex communi Doctorum, & Regulæ Expositorum sententia docet noster à Politio *in c. 4. Reg. n. 49. in fin.*) Per syndicum, inquam, hujusmodi legata, materialiter sumpta; hoc est res legatas, ad Fratrum utilitatem exigi sinit, agendo etiam in judicio nomine tamen ipsius Papæ, vel Apostolicæ sedis.

Uti autem syndico, quoad hunc actum, quãvis Cordubæ *in cap. 4. reg. q. 16. punct. 3.* videatur sine offensione puritatis Regulæ, & mendicitatis Minoricæ, dummodò fiat citra scandalum pusillorum, neque ipsi Fratres litigijs assistant, fiatque ob præsentes tantùm, vel imminentes necessitates: *Speculatori* tamen, & *Collectori Compendij* non videtur sine aliquali relaxatione. Unde *Politius* concludit, quòd licet *Cordubæ* opinio satis rationabilis sit, & in nullo puritati Regulæ præjudicare videatur; tamen *Speculatoris, & Collectoris Compendij* præscriptus modus sanctior ad ædificationem populi comprobatur. Quo & Religio nostra Capuccinorum hactenùs usa est, & utitur, Deo comite, etiam in præsentiarum. Vide *Politium cit.* & alios. 14

Ipse tamen, si mihi detur pronunciare, quid in hoc sentiam, dicere mallem, quòd uti syndico, vel procuratore, quoad actum prædictum, quantumvis fiat cum cautionibus omnibus à *Corduba* intentis, adhuc sit expresè cõtrarium puritati Regulæ, & mendicitati Fratrum Minorum; hocque ita mihi persuasum est, ut Cordubæ ipsius sententiam non possim cum Politio satis rationabilem judicare, nec habere probabilem, atque adeò nec in praxi à quoquam aut ducendam, aut consulendam in nostra Congregatione, quæ privilegijs omnibus Regulæ relaxativis abrenunciavit; ut alibi diximus, allato *Constitutionis* textu. Hujus mei sensi rationem non sumo à posteriori; à communi scilicet praxi negativa talis usus in nostramet Congregatione ex primorum traditione Patrum nostrorum; quod quidem satis firmum argumentum esset: sed ratio mea est à priori; quia videlicet in eam quoque mihi placet ire sententiam, quòd Pontifex neque ipsas res legatas pro unica vice præstandas civiliter acceptet, & ad eas jus acquirat, tanquam specialis Fratrum ipsorum Pater, & Dominus, nisi cùm actu præstantur; non autem à morte testatoris immediatè; ita ut in illo tantùm instanti, in quo primùm res hujusmodi ab hæredibus, vel gravatis præstantur Fratribus, ceduntque in 15

usum

usum ipsorum Pontifex, vel Apostolica Sedes earundem dominiũ & proprietatẽ acquirat: nõ autẽ citiùs aut dominiũ earum acquirat, aut jus civile ad illas. Et ita mihi sentire placet; *primò* quia ita magis videtur sibi velle textus Nicolai III. *in eo §. Ad hæc, cum Fratres:* grammaticaliter, & ad literã, ut vult eum intelligi idem Pontifex. Ait enim: *Ad hæc, cum Fratres ipsi nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possint, et in communi; & cum aliquid propter Deum ipsis offertur, conceditur, vel donatur, ea (si secus non exprimat) offerentis, concedentis, vel donantis verisimiliter credatur intentio, ut rem hujusmodi oblatam, concessam, vel donatam perfectè concedat, donet, auferat, à se abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum; nec sit persona, in quam loco Dei congruentiùs hujusmodi rei dominium transferat, quàm Sedes præfata, (idest Apostolica) vel persona Romani Pontificis, Christi Vicarij, qui Pater est omnium, & Fratrum Minorum nihilominùs specialis: ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium; cùm patri filius suo modo, servus domino, & Monachus Monasterio res sibi oblatas, concessas, vel donatas acquirant: omnium utensilium, & librorum, ac eorum mobilium præsentium, & futurorum, quæ, & quorum usumfructum, scilicet Ordinibus, vel Fratribus ipsis licet habere, proprietatem, & dominium (quod & felicis recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster fecisse dignoscitur) in Nos, & Romanam Ecclesiam plenè, & liberè pertinere, hac præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus.* Hactenùs Nicolai textus.

16 Secundò, quia in *eadem* Nicolai III. *Decretali*, (sed neque in *Clementina, Exivi:*) nunquam legitur concessus syndicus, aut procurator ad quicquam hujusmodi legato relictum exigendum in judicio, vel extra: quin, & *Martiniana* concessio, quoad hoc, improbatur jure optimo à Joanne XXII. *in Extravag. Ad conditorem: §. Rursus:* tanquam occasionaliter redundans in notam, & injuriam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, propter lites, & multorum vexationes, quandóque indebitas per hujusmodi Syndicos, vel procuratores, nomine ejusdem Ecclesiæ, in foro tùm Ecclesiastico, tùm sæculari, & interdum coram pedaneis Judicibus excitatas; prout ibi latè ponderat idem *Ioannes*. Solùm legitur in Decretali Nicolai III. §. *Quia verò: vers. Si verò res hujusmodi:* Concessus usus syndici, & procuratoris agentis nomine Papæ, vel Apostolicæ Sedis, quando libros, aliave mobilia, quibus tam Ordo, quàm Fratres jam utuntur, quæque idcircò jam sunt in dominio, & proprietate Ecclesiæ, contingit, seu expedit (putà quia non sunt ampliùs necessaria, aut usui apta) vendi, vel etiam commutari, æstimato pretio, ut ibi: ergo uti syndico, vel procuratore in alijs casibus, quàm in prædicto per *Nicolaum* expresso, concedi debet dispensatio puritatis, & rigoris Regulæ relaxativa.

Tertiò, quia hic modus accipiendi res illas legatas, pro unica etiam vice, jam civiliter debitas à morte testatoris, aut per Syndicum, ut præfertur, exactas, sive in judicio, sive extra illud, ab hæredibus, vel gravatis ex obligatione politica, non est conformis, quin è regione adversatur puritati mendicitatis Minoricæ, quę essentialiter, & necessariò importat, (ut alibi vidimus) quòd Fratres semper vivant, sustententur de non suo politicè, & de non debito civiliter sive ipsis, sive alteri ex parte ipsorum specialiter se habenti, qualis esset Pontifex in casu præsenti; sed ex misericordia Fidelium, tametsi ex aliqua alia obligatione conscientiæ quicquam præstantium, putà ex voto, vel ex testatoris mandato. 17

Quartò denique; quia idem posset dici etiam de rebus annuatim præstandis, ex simplici legato annuo quia cùm legatum annuum non sit unum, sed plura, quorum jus singulis annis cedit ab initio anni, posset res illa legata præstanda considerari singulis annis, ac si esset legatum pro ea tantùm vice solvendum; eo vel maximè, quod legatum annuum non solùm est plura legata, sed etiam pro primo tantùm anno est purum, pro sequentibus verò est conditionale; ut ait textus *in l. si in singulos annos: ff. de annuis, & menstruis legatis*: ex *Sabini* sententia, quam veram affirmat. Ubi *Glossa*, quam vide. 18

Quare ex his concludo, usum legatarum hujusmodi rerum, vel unica vice solvendarum, sic Pontifici à morte testatoris civiliter acquisitarum, non licere Fratribus Minoribus, nisi ex concessione Pontificia puritatis regulæ ipsorum relaxativa: quemadmodum nec licet usus Syndici, vel procuratoris ad cas exigendas, tanquam sic civiliter debitas; ut ostensum est. 19

Neque juvat dicere, quòd hujusmodi legata seorsim sumpta, sunt unum, non plura; ideóque hac ratione veram speciem præseferunt simplicis doni, oblationis, & eleemosynæ; ut sentiunt plures Doctores, & tangit etiam Politius *in cap. 6. Regulæ*; unde nullam habent speciem reditus annui, sive propriè, sive impropriè dicti. Cùm enim sint unum, & unica solutione præstentur, aut præstari debeant, jam non redeunt annuatim; quæ est ratio literalis *Reditus*: Siquidem annuus reditus dicitur à *Redeundo*; eo quòd redeat singulis annis jus illud pensionis exigendæ, vel pensio ipsa; ut benè observat Duardus *in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 17. quæst. 4. numero 5.* ac proindè cum simplici *D*, scribendum esse hoc nomen, *Reditus*, jure contendunt Tiraquellus *de retract. leg. §. 1. gloss. 6. n. 1.* Navarrus *de* 20

*de Reditib. Eccles. quæst.*1. *mon.*1. & Jodocus Loricbius *in suo Thesauro novo utriusque Theologiæ, tom.*2. *v. Redditus, num.*1. faventque textus plures *l.* 1. *ff. de usu,& usufructu, & reditu legatis*: & ibi Gloss. & *ff. de annuis legatis*: *l. Titia*: & *cap. Generali*: *de Elect. & electi potest. in* 6. ubi Gloss. sed & Sanctus Bonaventura, qui pluribus in locis suorum Operum, cum simplici, D. hoc nomen scribit, signanter *in libello apologetico*: *quæst.*9. 11. & alibi: quin & Calepinus ipse, *eo verbo*: Consentit Hermannus *in Medulla Theolog. mor.* sparsim, præsertim verò *lib.*4. *cap.*1. *dub.*4. & *cap.*2. *dub.*1. & Glossa *in Clem. Monasteriorum*: *de rebus Eccles. non alien. in prin.* & Barbosa *de appellat. verb. juris significat. Appellativo* 131. *num.*5. apud quem plura, atque ita ratio, seu quantitas syllabæ necessario exposcit; ut patet in illo Ovidij *de Ponto*:

At reditus jam quisque suos amat:

& in illo ejusdem, *lib.*1. *de arte amandi*:

Turpe thori reditu census augere paternos.

21 Non, inquam, juvat hæc evasio; quia adhuc res illæ percipiuntur sic à Fratribus, tanquam debitæ & certæ ex obligatione & certitudine civili & politica, qua hæredes, tenentur, sin minùs Fratribus ipsis, saltem Pontifici ex parte ipsorum Fratrum specialiter se habenti: quòd repugnat mendicitati ac dependentiæ speciali à divina Providentia, quas profitentur ex regula. Quare non possunt eas sic præstitas, vel per Syndicos exactas sive in judicio, sive extra illud, sine dispensatione, seu Concessione relaxativa puritatis Regulæ percipere, ut dictum est. Videatur Casarubius *in comp. Privil. mendicant. v. Hereditas*; ubi ait graviter errare Fratres minores, qui utuntur Syndico pro petendis in judicio nomine Sedis Apostolicæ legata sibi relicta, vel Ecclesijs suis: affirmátque hujusmodi concessiones utendi Syndico in his actibus esse relaxativas, & destructivas perfectionis voti Paupertatis: ut verbatim ex ipso referemus *infrà*, *art.*3. *§.*3.

22 Relicta igitur illa prima sententia, (recepta utcunque apud alios) tum quòd Romanus Pontifex, ut Pater specialis, & dominus Fratrum Minorum se habens, civiliter acceptet, & acquirat immediatè post mortem testatoris titulum legati, immò res ipsas legatas pro unica vice præstandas; tùm quòd ex consequenti possint ijdem Fratres nominare Syndicum, eóque uti ad hujusmodi res nomine Papæ, ut præfertur, se habentis exigendas ab hæredibus, vel gravatis: sequor meam jam satis comprobatam, videri meo, atque tutiorem; & à fortiori dico, multa minùs acquiri eodem modo à Pontifice legata annua ijsdem Fratribus facta de rebus mobilibus annuatim præstandis, ipsisque cæteroqui quoad usum in propria specie vel substantia licitis, modò percipiantur ab ipsis cum moderaminibus requisitis; idest non ad ullam superfluitatem, divitias, seu copiam, quæ deroget paupertati; vel ad thesaurizationem, vel eo animo, ut ea distrahant, sive vendant, recipiantne c sub colore providentiæ, in futurum, nec alia occasione; quinimò In omnibus appareat in eis, quoad dominium, omnimoda abdicatio, & in usu necessitas: id quod semper in rebus omnibus ublatis, seu præsentis etiam pro unica vice legatis, servandum est. Hoc autem, secundùm exigentiam personarum, & locorum Ministri, & Custodes simul, & separatim in suis administrationibus, & custodijs cum discretione disponant: cum de talibus interdum personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circumstantiæ plus, minùsve, ac aliter provideri requirant. Ista tamen sic faciant, quòd semper in eis, & eorum actibus paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eorum Regula invenitur indicta. Atque hæc sunt moderamina per Clementem V. *in Clem. Exivi*: *§. licet verò*: & per Nicolaum III. cujus utrique hæc mox allata sunt ipsissima verba *in cap. Exyt.* §. *Insuper nec utensilia.*

Ratio est jam *suprà* insinuata; quia si acceptaret, & acquireret, ut præfertur, Romanus Pontifex legata illa annua, jam res illæ legatæ annuatim redeuntes, & pervenientes eo modo ad Fratrum usum, verè essent annui Reditus, vel proventus propriè dicti, & materialiter sumpti; idest civiles annonæ; ut loquitur textus *in Authent. de non alienand. Novell.*7. *collat.*2. §. *Hac ergo*: & in *l. jubemus*: 2. *Cod. de sacrosanct. Eccl.* quæ civiles Annonæ propriè sunt reditus annui, materialiter sumpti, qui inter immobilia computantur; ut ait *ibi* Glossa; & de quibus necessariò intelligendus est Clemens V. *in eo versic. Cùmque annui reditus*: quorum non solùm quoad jus, sed etiam quoad usum, sunt Fratres ipsi incapaces, quantumlibet cum cæteris moderaminibus requisitis acciperentur ab ipsis: essent enim provisiones in futurum, & quidem civiliter certæ, & debitæ, contra Paupertatem, & Mendicitatem; etiamsi cæteroqui non deberentur ex re aliqua immobili ad id specialiter obligatas atque adeò nec propriè inter immobilia, ut radicaliter talia, computarentur. 23

Confirmatur hæc ratio, simúlque rationes etiam *suprà* allatæ pro mea sententia, quoad legata unica solutione præstanda relicta, ex mente Nicolai III. *in eo §. Ad hæc, quia*: ubi de legatis, quæ Fratribus Minoribus interdum in ultimis voluntatibus relinquuntur, ex professo, & generaliter determinans, sive ea sint unica vice, sive pluribus in plures annos, mensesvè præstanda, ut satis explicuimus *suprà §.*4. nullatenùs indicat hujusmodi legatorum titulos, aut 24

res

res legatas ullas à se, vel Apostolica sede acquiri immediatè post mortem testatoris, ut præfertur sed solius obligationis in foro conscientiæ ex parte hæredum meminit, Iudicibúsque cùm Ecclesiasticis, tùm sæcularibus, quibus de jure vel consuetudine provisio competit, ut piæ voluntates deficientium impleantur, officium tantùm nobile exhibendum ab ipsis commendat, cùm expedierit; prout *ibi in textu* apparet. Ubi præterea mentem suam exprimit idem Pontifex eam fuisse; providere scilicet per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos, quòd *hæredum cupiditas legitimis testibus feriatur; ne pia defunctorum destituatur intentio; ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxiliis non fraudentur.* sunt verba *Nicolai*: Ex quibus, tanquam certum, deduco, quòd uti syndico, vel procuratore, ut præfertur, atque adeò officio mercenario Iudicis sive Ecclesiastici, sive sæcularis, pro exigendis rebus legatis (etiam pro unica vice relictis, nomine Papæ, vel Apostolicæ sedis, quasi eæ fuerint ab eodem Pontifice, vel Romana sede civiliter acquisitæ, vel ad eas acceptatus politicè titulus legati, immediatè post mortem testatoris; ut volunt Doctores refutatæ à me sententiæ; non est modus Fratribus citra dispensationem licitus, utpotè nec eorum Regulæ congruus.

Quare, si Pontifex non acceptat civiliter, nec acquirit (ut præfertur, & volunt illi) pro
25 Fratribus specialiter se habens, res legatas unica vice præstandas, nec tribuit adhibendum per syndicum Judicis officium mercenarium ad eas exigendas; multò minùs id dicendum est, ipsum præstare, quoad res legatas in futurum annuatim, vel menstruatim, aut alia temporis divisione præstandas; propter rationem etiam mox suprà factam.

26 Quomodò igitur, inquies, quo ordine hujusmodi res acceptat civiliter Pontifex, & acquirit earum Dominium?

27 Respondeo, quòd toties quoties, in singulos annos, aut menses, toties, inquam, quoties ab hæredibus, vel gravatis actu præstantur, & à Fratribus accipiuntur in usum, atque adeò è proprietatibus testatorum, seu hæreditatum eorundem, in quibus censebantur, extrahuntur: itaut de vice ad vicem nullum sit peculiare jus; seu titulus legati acquisitus, in Pontifice, tanquam Patre, ac domino speciali Fratrum se habente, ad dictas res legatas in judicio, vel extra, exigendas, ad eorundem Fratrum utilitatem, neque per consequens debitum, seu obligatio civilis in hæredibus, vel gravatis erga Fratres, aut Pontificem ita se habentem.

28 Et certè, quoad dominij acquisitionem super res legatas, de quibus est sermo; ait benè Bartolus *lib. 2. Minoric. quæst. distinct. 4. cap. 2.* quod si quidem vinum, frumentum, & similia in genere legentur, tunc non tractatur de translatione dominij antequam perveniatur ad traditionem, ut not. *c. communia de legatis: l. 2.* & *Institut. de legatis*, §. *Nostra*: Cùm autem venitur ad rerum legatarum traditionem, tunc Fratres capere eas dicuntur, sed dominium earum transit ad Pontificem, seu ad Apostolicam sedem, cepisse siquidem quis intelligi potest, quamvis alteri acquisiverit id, quod erit: *ff. de verborum, & rerum significat. l. cepisse*: Ita Bartolus: & communiter DD. neque enim secundùm juris dispositionem in omni legato transit ipso jure rei legatæ dominium ad legatarium; sed tantùm in legatis ususfructus, vel hujusmodi: atqui in legatis simplicibus, rei legatæ dominium, saltem utile, manet apud hæredem, vel gravatum, cum obligatione solvendi, ut patet ex dictis *suprà* §. 7. & dicendis *infrà* §. 23. & alibi nempè *in casu* 2. §. 6. *num.* 30.

Eodem etiam modo, & ordine proceditur 29
in legatis, sive denariorum, sive aliarum rerum distrahendarum ad Fratrum utilitatem, utpotè quarum usus in propria substantia non est ipsis licitus; tunc enim tantùm hujusmodi legata Pontifici, & Sedi Apostolicæ acquiruntur, quoad jus, proprietatem, & dominium, cùm actu ab hæredibus, vel gravatis conversa in res, quarum usus est Fratribus licitus præstantur, & ab ipsis Fratribus actu capiuntur. 30

Atque hæc dicta sunt de acquisitione juris proprietatis & dominij, apud Pontificem, vel Apostolicam sedem, quoad res Fratribus minoribus actu præstitas, quomodocúnque sive donatione, vel oblatione inter vivos, sive mortis causâ, sive etiam legato proveniant, semper intellige, modò dantes se se intendant earundem rerum proprietate, & dominio exspoliare: quòd si hoc non intendant, maximè verò si contrarium exprimant, semper apud ipsos manet earundem jus, proprietas, & dominium, cum libera potestate ad eas repetendas, quoad usque fuerint per Fratrum usum consumptæ, si sint usu consumptibiles: si verò non sint usu consumptibiles, & contingat eas non esse ampliùs necessarias, vel aptas usui Fratrum, itaut expediret eas aut commutare, aut distrahere; noverint Fratres non licere eis uti Syndico, vel procuratore, qui nomine Apostolicæ sedis id præstet, sed ipsorum concedentium auctoritate, vel per se ipsos, vel per suos substitutos id faciendum est; quemadmodùm de pecuniæ conversione determinat Nicolaus *in cap. Exyt*: immò si commutatio tantùm rerum facienda esset sine æstimatione pretij, itaut per ipsos Fratres de licentia Generalis, vel Provincialis fieri posset,

ſet, noverint Fratres ipſi, requiri ad id etiam licentiam ipſorum concedentium : ubi enim Pontifex id fieri concedit, loquitur in rebus, quarum dominium, & proprietas jam ad ipſum, vel ad Apoſtolicam ſedem tranſierit. Atque hæc ex declarationibus Nicolai III. *in eo cap. Exijt* : & Clementis V. *in ea Clement, Exivi.*

31 Confirmantúrque per ea quæ ſimiliter docet Ferdinandus de Caſtro Palao *part.3. tract.15.diſp.3.p.9. num.5.6.& 7.* ubi agens de legato rei immobilis, aut inter immobilia computatæ (ut reditus, ſeu cenſus annuus fundatus,& conſtitutus) Fratribus minoribus relictæ, non ut retineant ad annuas penſiones habendas, vel fructus, ſi v. g. ſit ager, aut vinea ; quæ proindè vendenda eſt, & pretium in Fratrum utilitatem impendendum ; ut dictum eſt alibi ſecundùm Nicolaum III. *in eo§. Ad hæc quia* : quærit quis teneatur illam rem vendere ; & ſi eſt res frugifera, ut Cenſus, vinea, ager, vel domus locata, cujus ſint illius fructus, dum non venditur.

32 Reſpondétque, hæredem in primis eſſe obligatum, illo autem negligente, (quod præſumi poterit, ſi oblata occaſione, juxta rationabilem eorundem Fratrum voluntatem, noluerint vendere) teſtamenti executores. Quòd ſi hi bis moniti non præſtiterint, Epiſcopus, vel Iudex ſæcularis ex proprio officio vendere poteſt. *Authent. de Eccleſ. tit. §. Si quis autem* : ipſi vere Minores nec vendere, nec permutare poſſunt ; (intellige etiam per Syndicum nomine Papæ, vel Apoſtolicæ ſedis agentis) quia legatum immobile non tranſit in eorum poteſtatem, aptiùs tamen dixiſſet : non tranſit in poteſtatem, ſeu dominium Pontificis, vel Apoſtolicæ ſedis) quouſque immobilitatem amittat ; (ſupple) & actu præſtetur eis ab hærede, vel gravato, vel alio executore. Quapropter in ea venditione (ut benè advertit etiam Sanchez *lib.7.in Decal.cap.26. num.30.* alijs relictis,) non eſt opus ſervare juris ſolemnitates requiſitas in alienatione rerum Eccleſiaſticarum ; quia res illa vendenda, ex voluntate, & diſpoſitione teſtatoris venditur, in cujus bonis connumeratur, donec fuerit converſa in rem, vel res, quarum uſus ſit Fratribus minoribus licitus ; quemadmodum de denarijs, ſeu pecunia declarat Nicolaus III. *in cap. Exijt ; §. Cæterùm* : neque idcirco cenſetur Eccleſiaſtica, dum immobilis perſiſtit, vel inter immobilia computata ; cùm non ſit Minorum uſui addicta, neque addici poſſit. Secús verò dicendum eſt in legato rei immobilis alijs Religionibus relicto : nam eo ipſo eſt bonum Eccleſiaſticum, quod non diſtrahitur ex diſpoſitione teſtatoris, ſed ex voluntate Religionis, cui eſt applicatum, & acquiſitum : Sanchez *cit. num.31.* cum Navarro *comment. 2. de Regular. num.50.* Hæc Caſtro Palao.

33 Ex quibus ſignanter nota rationem, cur talis res legata non cenſetur bonum Eccleſiaſticum : quia ſcilicet nondum eſt Minorum uſui addicta : hinc enim confirmatum apparet quod ipſe tradidi *ſuprà*, nullam ſcilicet rem Fratribus minoribus legatam, etiam unica vice ſolvendam, & in propria ſubſtantia illis quoad uſum licitam, Pontifici, vel Apoſtolicæ ſedi acquiri, fierique bonum Eccleſiaſticum, niſi actu fuerit iiſdem Fratribus præſtita, eorúmque uſui abdicta.

34 Quod verò attinet ad ſecundam partem quæſiti ex eodem Doctore propoſiti, ait ille : met ; quòd interim, dum non venditur res illa legata, fructus illius ad hæredem pertinent ; quippè is eſt illius Dominus, ſaltem dominio utili. Si autem ob fructuum perceptiones ſteterit ille in mora vendendi, & ob eam cauſam minoris deindè vendatur, obligatus eſt damnum Minoribus reſarcire, & tantam æſtimationem dare, quantam dediſſet, ſi vendidiſſet eo tempore, quo res illa poterat pluris vendi : Secùs verò, ſi nullum ſequatur in pretio detrimentum ; quia Fratribus ſolùm pretium debetur; non fructus; nec pretium negotiationi exponendum, ſed in eorundem neceſſitates expendendum. Ita ille cum Sanchez *cit. n.32.* quem vide ſi lubet.

35 Monuerim tamen hìc obiter Fratres minores, ne audiant Sanchez *eo lib. cap.27. num.22.* ubi loquens de re immobili relicta domui Profeſſæ Societatis ſuæ, ei tamen non neceſſaria ad habitationem, vel recreationem, ac proindè vendenda ; ut *ſuprà* : quærit, an dum non venditur non occurrente opportunitate vendendi, integrum ſit ejdem Domui rem illam ſtabilem locare, & percipere annuos fructus : reſpondétque affirmativè ex ſententia ſuimet Patris Generalis exiſtentis eo anno 1607. modò id fiat ad modicum tempus, ſcilicet infrà decennium, ſecùs, ſi ad longum. Cujus ratio (inquit) eſſe poteſt, quia retinere reditus modico tempore, non repugnat Paupertati noſtræ, nec Fratrum minorum ; ſecùs longo tempore. Hæc ille, quem deinde ſecutus fuit Card. de Lugo *lib.4. reſponſ. mor. dub.11. num.1.* ſeipſum allegans *tom.1. de juſt. & jure diſp.3. ſect.5. num.100.* dicens : Debet tamen Domus profeſſa rem illam ſtabilem alienare quam primùm poſſit, quod intelligitur, moraliter loquendo ; itaut ad modicum tempus retineri poſſit, & fructus percipi, dum emptor commodus inveniatur ; quod modicum tempus intelligitur communiter infra decennium. Ita ille ; quem vide cum Suarez *tom.4. de Relig. tract.10. lib.4. num.16.* ſed ad nos:

nos: Ne, quæso, inquam, audiant Fratres minores rationem illam Sanchez; quòd scilicet retinere reditus ad modicum tempus non repugnet Paupertati ipsorum. Neque enim valet pro Fratribus minoribus; (valeat utcúnque pro Domibus Professis Soc. Jesu) ut ostendimus *infra hic* §. 28. *num.* 2. *& seqq.* & alibi. Quòd si valeret, cur non eis deberent hæredes, quandiu existunt in mora vendendi, reddere fructus illos Fratribus ipsis capacibus; ut docet Sanchez *eo lib. cap.* 26. *num.* 32. Certè si fratres sunt capaces retinendi, seu habendi reditus ad modicum tempus (ut vult Sanchez in ea ratione ex re immobili sibi relicta, etiam si vendenda, dicendum est, contra justitiam retineri illos ab hæredibus, atque adeò esse restituendos: contra quod docet Sanchez ipse *eo num.* 32. Non ergo sibi consonant, quæ docet *Sanchez*. Jllud igitur verum est, & tenendum, Fratres minores non esse capaces, neque ad modicum tempus, ac proindè non teneri hæredes quantalibet in mora vendendi existentes, reddere, seu resarcire Fratribus minoribus specialiter ejusmodi fructus, non tamen ob id sic de facile hæredum cupiditati blandirer ego, sicut *Sanchez*, & *Castro Palao cit.* concedendo, quòd fructus ejusmodi, dum res non venditur, ita sint hæredum, ut etiamsi hi sint in mora vendendi ob illos percipiendos, (atque adeò fraudulenter) peccent quidem ob negligentiam implendi voluntatem testatoris; at tutâ conscientiâ possint illos sibi retinere, nec teneantur aliquid restituere, quantumlibet mora vendendi, & implendi testatoris intentionem impia fraude ab ipsis protrahatur. Quamvis enim res illa legata dicatur remanere apud hæredes, quoad dominium utile; hoc tamen intelligendum censeo, quandiù inculpabiliter existunt in mora vendendi illam; quod certè vix ad biennium admitterem. Cum de cætero res illa propriè dicatur manere in bonis testatoris defuncti, ijsque erogandis, non hæredibus reservandis, aut accrescendis, ut ex D. Bonaventura *in cap.* 4. *Reg.* latiùs docemus *infrà*, *in Append. pract. Casu* 1. *num.* 2. Immò pæculiari titulo res illa jam acquisita est Deo per acceptationem actus testatoris, legantis, eámque Deo in Fratribus minoribus, vel alijs pauperibus donantis, & voventis; ut tradidimus ex Navarro, *ubi sup. num.* 5. quapropter si hæredes prædicti diutiùs existant in mora vendendi, quam ferat discreta ratio expectandæ occasionis commodæ venditionis, præsertim verò si id dolosè, vel fraudulenter faciant, gratia fructuum sibi percipiendorum, ego censerem, non amplius illis coram Deo, & in foro conscientiæ suffragari dominium utile, quod cæteroqui habebant illius rei; sed illam debere fructificare piæ causæ, & intentioni, seu animæ testatoris defuncti, & Deo, cui est acquisita peculiari titulo, ut dictum est; itaut fructus illi debeant pro anima testatoris, & pro cultu, seu amore Dei, (respuentibus Fratribus minoribus, ut par est illiusmodi legatis, secundùm nostra principia) in pauperes in communi, vel alias pias causas erogari, & ab hæredibus nullatenus retineri possint. Siquidem ob fraudem, quam faciunt, dolumvè, quo agunt contra testatoris voluntatem privantur (saltem in foro conscientiæ, & in judicio Dei) dominio illo utili; immò & hæreditate tam ex jure civili, quàm Canonico ut ex *Io Bapt à S. Blasio* latiùs ostendimus *in Append. pract. casu* 2. §. 6. *num.* 52. Et ratio esse potest, quia qui facit in fraudem legis (voluntas autem testatoris habenda est ut lex; & ut lex servanda, nec deludenda; prout allatis juribus, & Doctoribus, ostendimus *in Append. pract. casu* 1. *num.* 2. 5. 6. *&* 13.) contra ipsam legem videtur facere: *ff de legibus*, *l. contra legem: & l seq.* & tradit Gloss. *in cap. quanto amplius: extra, de privilegijs, in fin.* & fraus, & dolus nemini debet patrocinari; ut est famigeratum in Iure, & ait Innocentius III. *in cap. ex tenore: extra, de rescriptis*: Esto igitur, ut & ipse concedo, quòd fructus illi non debeant restitui signanter Fratribus minoribus, quippè quibus, non res ipsa ad fructus habendos, sed pretium illius debetur, quod non possunt negotiationi exponere, aut ita fundare, ut fructificet, sed expendendum est in eorum necessitates; unde nullum illis sequitur ex mura detrimentum, aut lucri cessantis, aut damni emergentis; ut benè etiam Sanchez expendit: adhuc tamen restituendi sunt Deo, piæ Causæ, & animæ testatoris, quibus morosa, eâque per fraudem dilatione fit injuria, hócque maximè, ut cupiditas, & fraus ipsa hæredum legitimis ictibus feriatur:) quod præ oculis habuit Nicolaus III. *in cap. Exyt: §. Ad hæc, quia:* ubi de morientium eleemosynis agens; quarum Fratres minores sunt capaces, ait: Ad quæ legata solvenda tàm hæredes testatorum, quàm executores se liberales exhibeant; & etiam Prælati, & sæculares, quibus de jure, vel consuetudine provisio ista competeret (cum expedierit) se ex officio suo promptos exhibeant ad pias deficientium voluntates adimplendas. Nam & nos etiam per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos intendimus providere, quòd hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur; ne pia defunctorum destituatur intentio; ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur: Hæc Pontifex ille, quæ valdè sunt in præsenti materia notanda pro recto judicio ferendo.

36 Et ecce ex hactenùs per hos viginti duos Paragraphos

Paragraphos prænotatis, & digestis in propatulo positam, simúlque ab objectionibus ferè omnibus, saltem præcipuis, quæ fieri possent, cautam expeditámque resolutionem quæstionis ab exordio *hujus Articuli* propositam. Verùm quia pro diverso, (ut notavimus) scribentium placito diversimodè quæstio ipsa legitur instituta; ideò sub singulis titulis ab initio hujus Articuli notatis, quibus eam inscriptam passim mihi contigit intueri, ipsam resolvere placet, antequam sub proposito per me ipsum titulo eandem definiam.

§. XXIII.

Solvitur jam quæstio in Titulo cardinali hujus primi Articuli proposita; sed priùs sub singulis alienis titulis, sub quibus diversimodè ab alijs Doctoribus circumagitur, & etiam resolvitur.

SVMMARIVM.

1 *Quæstio, An Fratres Minores sint capaces legatorum, præsertim annuorum, à variis Doctoribus, variisque titulorum ac terminorum figuris agitata, ad verum intellectum reducitur.* & num. seq.

2 *Minores non possunt acceptare legata sibi relicta?* & num. 3.

3 *Minores non possunt acceptare politicè & civiliter res sibi relictas: neque S. Pontifex, pro ipsis.*

Quid de Minoritis qui acceptarunt privilegia Pontificum de Syndico habendo. ibid.

4 *Religiosus privatus non potest authoritate propria legatum acceptare civiliter sibi, vel monasterio, absque peccato, sed acceptatio in favorem monasterij tenet.*

Idemque est de repudiatione legati, vel donationis. ibid.

Quid de hæreditate? ibid.

5 *Religiosus potest acceptare naturaliter res quoad usum sibi licitas, & cum moderaminibus requisitis.*

6 *Minores an possint agnoscere legata sibi facta.* & num. 7.

8 *Minores an possint capere ex testamento aliáve ultima voluntate.* & num. 9.

10 *Minores an possint accipere, recipere, vel habere legata.* & num. 11.

11 Recipere, *grammaticaliter, vel politicè, quid sit? & qualiter Minoribus liceat.*

12 *Minores an possint institui legatarij.* & n. 13.

14 *Minoribus an possit legari.* & num. 15.

16 *Minores an sint capaces legatorum censuum, & redituum, vel alterius rei immobilis.* & num. 17.

18 *Minores an sint capaces legati cujuscumque rei mobilis.* & num. 19. *ubi explicatur & declaratur.*

20 *Minores an sint capaces cuiuscúmque legati.* & num. 21.

22 *Qui vocabulorum vim ignorant, facilè paralogizant; & sic falluat, vel falluntur.*

23 *Minores an sint capaces legatorum? Distingue ut* num. 24. & seqq.

24 *Minores sunt capaces legati cujuscumque ad usus licitos per modum eleemosynæ relicti, hoc est absque civili obligatione & certitudine.*

Sive legatum sit merè gratuitum, sive cum onere Missarum: sive ad sustentationem Fratrum, sive ad cultum divinum n. 25.

Dummodò usum, vel usumfructum, aliúmque modum illicitum non importet. n. 26.

27 *Minores, quibus aliquid legatur, in primis observare debent modum legandi à testatore expressum.*

Legatum variis modis relinqui potest, qui referuntur. ibid.

28 *Legatum annuum fructuum, an idem sit quod ususfructus legatus.*

Legatarius quid iuris habeat in legato fructuum. ibid.

29 *Usufructu legato, fructuarius non ab hærede, sed per seipsum singulis annis fructus percipit.*

Legato fructu fundi sub propria forma legati, censetur legatus usufructus. ibid.

Et quid iuris habeat usufructuarius super re fructili. ibid.

Et quæ sit differentia inter Fructus, & Reditus. ibid.

Legatum Minoribus relictum modo illicito, non cedit hæredi, sed pauperibus distribuendum est. ibid.

Et an Minores ex hac erogatione aliquid per modum eleemosynæ capere possint. ibid.

30 *Modus legandi summoperè attendi debet, ad dijudicandum utrum legatum sive annuum, sive pro unica vice vel uno anno Minoribus relictum, sit usufructus, necne.* & num. 31.

32 *Inter legatum annuum, & usumfructum maxima differentia est.*

Novitius in Religione Minorica ante professionem potest testari de usufructu ad vitam sibi relicto. ibid.

Secùs est de legato in annos singulos. ibid.

Quid pro alimentis? ibid.

Legatum juxta intentionem legantis præstari debet. ibid.

33 *Minores quorum legatorum, & in quo sensu, dicantur incapaces, juxta* Clement. Exivi.

34 *Legata relinqui possunt ijs omnibus qui hæredes sunt instituti.*

Minoribus

Minoribus legari potest, non tamen hæreditas relinqui, ibid.

35 *Legatum annuum qua ratione Minoribus relinqui possit.*

1 EVestigio præsentis articuli notavimus, diversimodè Quæstionem hanc, qua de agimus, cardinalem à Doctoribus, cùm quoad terminos, tùm quoad eorumdem etiam terminorū vim, & significationem proponi, & resolvi; ita ut alij alijs è regione contrarij in suis assertionibus videantur, qui tamen sano adhibito intellectu ad terminorum, quibus utuntur, propriam, vel impropriam vim, & significationem, facilè conciliari possunt, deprehendíque vera locuti, nisi alioqui exorbitare perhibeantur. Ideò non abs re, neque minùs gratum lectoribus futurum censeo, si hic brevi methodo sub singulis notatis alienis titulis quæstioni ipsi satisfaciamus, priusquam sub nostro.

2 Primò igitur, si quæratur sic: An Fratres minores possint acceptare legata; idest tum titulos legatorum, tum res ipsas legatas; prout in futurum præstandas; sive pro unica vice, sive in annos singulos ad tempus, & in perpetuum.

3 Respondeo cum distinctione: si ly, *Acceptare*, sumatur in sensu Iuristarum, seu civiliter, & politicè, nulla penitùs legata, neque pro unica vice, possunt acceptare, non solùm pro seipsis, sed neque pro Pontifice, vel Apostolica sede. Hoc enim importat acquisitionem civilem, & politicam certitudinem, & obligationem; quæ omnia eorundem Fratrum statui (puritate ejus attenta) repugnare perhibentur: patétque ex fundamentis præjactis. Atque hoc est, quod sub his terminis negat, & benè, Portel. *in suis dubijs Regul. v. testamentum, num.* 8. §. *Nunc petitis*: & in *additionibus, v. legatum, num.* 3. apud Rodericum *in compend. resol.* 88. §. *Portel.* sed & Politius noster *in cap.* 6. *Reg.* & alij Doctores pariter negantes, sanè intellecti, sique & ipsi sic sanè loqui, & intelligi voluerint. Unde optimè Corduba *in cap.* 6. *Regul. quæst.* 2. *p.* 1. *in fi.* quem etiam citat, & immeritò improbat Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 26. *num.* 18. docet, quòd Minores, qui non acceptaverunt Privilegium Martini IV. sed & Martini V. & aliorum summorum Pontificum, de syndico, procuratore, seu œconomo, (cujusmodi sumus nos Capuccini,) non possunt acceptare legata annua; (ego tamen dico, legata quæcunque etiam pro unica vice; ut patet ex dictis *in* §. *præcedente*) secùs de ijs, qui tale privilegium, seu privilegia acceptarunt. Vixque admitto, quòd in hoc sensu dicantur Fratres minores acceptare pro Pontifice, vel pro Romana sede res legatas toties, quoties ipsis præstantur, atque ipsorum usui addicuntur. Cum mihi meliùs videatur dicere, quod Pontifex ipse, seipso immediatè eas accepiet, & acceptare intendat, quoties res hujusmodi legatæ, & actu præstitæ Fratribus tribus, ab iisdem cum moderaminibus requisitis, Prælatis consultis, actu admittuntur in proprium usum: hocque ita mihi videtur, ut longius absint fratres ab omni actu politico, qualis est actus acceptandi civiliter, etiam pro aliis.

4 Vbi notandum, quod talis acceptatio, etiam naturalis tantùm, vel in sensu grammaticali, ut mox dicam; fieri debet à Prælatis, non autem à fratribus privatis, nisi de Prælatorum licentia. Vnde Frater Minor, sicut & quilibet alius Religiosus, acceptans donationem, aut legatum, sive etiam rem donatam, vel legatam sine sui Superioris licentia, peccat. Et ratio est, quia vel acceptat sibi, vel Monasterio, (loquendo de Possidentibus in communi, aut Pontifici: (loquendo de Minoribus, neque in communi possidentibus) si sibi, est proprietarius: si Monasterio, aut Pontifici; nisi ad hoc habeat consensum, saltem implicitum sui Superioris, usurpat auctoritatem illius. Ita Lezana. *tom.* 1. *sum. cap.* 6. *num.* 37. allegans Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 31 *num.* 34. Talis tamen acceptatio, si est in favorem Monasterij, tenet; quia semper præsumitur voluntas Monasterij, & Ecclesiæ, seu Pontificis in ijs, quæ cedunt in ipsius utilitatem; ut benè *Lezana cit.* cum Navarro *comm.* 2. *de reg. num.* 32. & Azorio *tom.* 1. *Instit. mor. lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 2. Et concordat Castro Palao *p.* 3. *disp.* 3. *p.* 5. *num.* 4. dicens, valere quidem hujusmodi acceptationem legati; non tamen hæreditatis additionem, quia prima præjudicare non potest Monasterio; secunda verò utique præjudicare potest: in his autem, quæ Monasterio præjudicare possunt, non potest Religiosus, absque Superioris licentia validè consensum præbere: allegátque Navarrum *cit. num.* 65. Sanchez *cit. cap.* 12. *num.* 37. & Lessium *de just. & jure, cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 87. Et quod dictum est de actu acceptandi, idem proportionaliter dic de actu respuendi: sunt enim correlativa; & regula correlativorum est regula parium; prout latè ex juribus, & Doctoribus *art.* 3. §. 2. *num.* 24. Nisi fortè donatio, vel legatum fiat. Religioso ipsi particulari intuitu personæ ipsius, non autem Religionis; ita ut intuitu illo cessante, non fieret Religiosi, vel monasterio: nam in tali casu non puto peccaturum Religiosum respuentem donum oblatum; quia in nullo præjudicat monasterio, & utitur jure suo. Vide quod dicitur *infra art.* 2. §. 7. *num.* 32. *in fine*, cum de Lugo, & Sanchez.

5 Si autem ly, *acceptare*, simpliciter sumatur in

in sensu grammaticali seu naturaliter, possunt Fratres minores quascúnque res legatas, quoad usum sibi licitas, & cum moderaminibus requisitis, consultis superioribus, & de eorum licentia, acceptare. Patet ex superioribus explicationibus, & notandis.

6 Secundò, si quæratur sic: An Fratres minores possint cognoscere, seu agnoscere legata sibi facta?

7 Respondeo cum eadem omninò distinctione, & doctrina, qua *suprà*. Et ex notatis, clarè liquet responsio.

8 Tertiò, si quæratur sic: An Fratres minores possint capere ex testamento, vel quacunque alia ultima voluntate?

9 Respondeo, quòd (exceptis hæreditatibus, & legatis cum expressione modi ipsis illiciti, aut pecuniarijs) possunt capere, juxta distinctionem primò traditam: ità tamen, ut dominium, & proprietas rerum, quas capiunt, cum moderaminibus requisitis, ad Pontificem, vel ad Apostolicam sedem transferatur. Constat ex dictis.

10 Quartò, si quæratur sic: An Fratres minores possint accipere legata? & Quintò, & sextò, sic: An possint recipere legata: vel habere?

11 Respondeo, affirmando, & negando, juxta distinctionem primò adhibitam. Hicque propriè intelligendum est de acceptione, & receptione rerum legatarum: & in eo sensu, (scilicet grammaticali) in quo affirmo posse Fratres accipere, & recipere, vel habere legatas res: exceptas volo res provenientes ex legato facto cum expressione modi illiciti; aut quæ sunt denarij, vel pecunia. Hanc distinctionem, quoad verbum, *Recipère*, optimè se callere ostendit quidam Pater Servatius Vicarius Provinciæ inferioris Germaniæ minister *in suo Enchiridio Fratrum minorum*, explicans illud Regulæ *cap.* 4. quòd Fratres nullo mudo denarios, seu pecuniam recipiant. Ait enim: Prohibetur Fratribus receptio pecuniæ, quæ tunc recipitur, cùm corde sic admittitur, ut dominium ab alio transferatur, ut potestati plenè Fratris subjiciatur, ut eâ plenariè ad libitum, per se, vel alium utatur, & expiret datoribus jus repetendi: Quicúnque sic recipit, Fratrer minor non est, in cujus dominium nulla pecunia transire potest, etiamsi (quod absit) gremio infundatur. Hæc ille *ibi*, ad verbum illud, *Recipere*, allegátque Io. de Pecano *in cap.* 1. *Reg* & post pauca, ille ipse iterùm respondens cuidam objectioni, ait: Ad hoc patet responsio, quoniam *dare*, & *accipere*, opponuntur relativè, igitur de necessitate, sicut *dare* se habet ad dominij translationem, ita se habet *Recipere* ad dominij acquisitionem. Sicut ergò nullus dat aliquid, nisi se intendat privare dominio ejus, quod dat, & ipsum transferre in alium; sic nec recipit propriè aliquid, secundùm quòd receptio opponitur donationi, nisi secundùm quòd intendit rei dominium acquirere. Hæc iterum ille. Cui ipse addiderim juxta superiùs dicta, denariorum, vel pecuniæ acceptionem, vel receptionem, ita esse Fratribus minoribus interdictam, etiam quoad simplicem facti usum, (prout tales sunt) ut nec accipere, vel recipere eam, vel eos possint, loquendo in sensu merè grammaticali, translato dominio, & proprietate in Pontificem, vel Apostolicam Sedem; quemadmodum accipere, & recipere possunt alias res legatas, quoad usum sibi licitas.

Septimò, si quæratur sic: An Fratres Minores possint institui legatarij. 12

Respondeo cum distinctione, sicut de legatis prænotatum est §. 12. Legatarij propriè dicti; dico, quòd non impropriè dicti; dico, quòd sic. Exceptis legatis cum expressione modi ipsis illiciti, aut denariorum, vel pecuniæ, quorum non possunt institui, vel esse legatarij etiam impropriè dicti, cum hujusmodi rebus uti non possint, quandiù vel modus illicitus non fuerit sublatus, vel denarij, aut pecunia conversa in res ipsis utibiles. Patet ex dictis. Si tamen cui placet dicere, Fratres posse institui legatarios etiam in legatis pecuniariis impropriè dictis, manente dominio, & proprietate denariorum, vel pecuniæ penè hæredes, vel in bonis testatoris, donec convertantur in res Fratribus utibiles, & necessarias; non gravabor admittere: sicut admitto in alijs rebus licitis, manentibus ijs quoad dominium, & proprietatem penes hæredes, donec actu præstentur Fratribus, & eorum usui addicantur. 13

Octavò, si quæratur sic: An Fratribus Minoribus possit legari? 14

Respondeo cum eadem distinctione. Impropriè, affirmo, exceptis excipiendis, ut mox suprà. Propriè, nego. Recole dicta, & habebis intelligentiam, præsertim ex Nicolao III. 15

Nonò, si quæratur sic: An Fratres Minores sint capaces Legatorum Censuum, & Redituum annuorum, vel alterius rei immobilis? 16

Respondeo, esse capaces legatorum impropriè dictorum tùm censuum, tum annuorum redituum tùm etiam alterius rei immobilis, non ut retineantur aut ab ipsis Fratribus, aut ab alio ad habendas annuas pensiones, vel proventus; pro ipsis; sed ut vendantur ab hæredibus, & pretium in Fratrum necessitates impendatur: nisi fuerit tale legatum in fraudem aut paupertatis, aut hæreditatis. Si tamen res illa alia immobilis fuerit eis necessaria ad habitationem, vel pro hortalitijs habendis Conventui contigua vel etiam pro Ecclesia, possunt eam retinere, transeunte dominio ad Pontificem, 17

Pontificem, cum actu eis ceditur ab hæredibus; sicut & in alijs quibuscúnque rebus, etiam mobil ibus, quæ ipsis ex testamentaria ordinatione præstantur. Legatorum verò propriè dictorum, rerum prædictarum, nullatenùs sunt capaces, salva puritate Regulæ. Dixi *Nullatenùs* quia neque sunt capaces itaut vendantur per Syndicum, vel procuratorem, velut jam acquisitæ pro Fratribus à Pontifice. Patent omnia ex dictis.

18 Decimò, si quæratur sic: An Fratres Minores sint capaces legati cujuscúnque rei mobilis.

19 Respondeo negativè, prout sic absolutè jacet generale quæsitum: & quidem sumendo legatum tùm materialiter, tùm formaliter, & tàm impropriè, quàm propriè: quia sunt nonnullæ res mobiles, quarum vel simplex facti usus est eis interdictus; ut sunt v. g. denarij, equi, arma, & hujusmodi: sunt tamen capaces legati impropriè dicti cujuscúnque rei mobilis ipsis quoad usum licitæ; atque adeò in hujusmodi res licitas convertédæ sunt ab hæredibus vel gravatis eæ, quæ sunt ipsis quoad usum illicitæ. Et sic etiam legati impropriè dicti rei mobilis, quoad usum ipsis illicitæ, sunt capaces, non ut recipiant, & teneant, eáque utantur, sed ut distrahatur, vel convertatur, ut dictum est. Caventibus tamen Fratribus, ne ullo modo in hujusmodi distrahendarum rerum cùm mobilium, tùm immobilium, vel inter immobilia cōputatarum, de quibus *suprà*, venditionibus se immisceant; sed per hæredes fieri sinant, cum apud eos sit earundem rerum dominium, saltem utile, ut supra dictum est § *præcedent. n.* 32. Et ita monet benè Sanchez *suprà cit. num.* 29. ex Bartolo *in Minor. qq. lib.* 2. *dict. cap.* 3. ubi hic concludit, solùm licere Fratribus monere humiliter, & charitativè hæredes, vel Executores extra judicium, eísque supplicare, ut votum impleant testatoris. Dixi *humiliter, & charitativè*; quia ab omnibus abstinere debent ipsi Fratres quæ jus aliquod, vel juridicam prætentionem apta sint præseferre, prout cavet *Nicolaus III.* in recursu quem possunt habere Fratres ad substitutos dantium denarios, vel pecuniam, post mortem etiam ipsorum dantium, nun revocatâ pecuniâ. Et quamvis per hoc non tollatur, (ut notat etiam *Sanchez cit.* & benè juxta Declarationem Nicolai III. *in eo* §. *Ad hæc, quia*: & Doctrinam D. Bonaventuræ alibi relatam, & communem) quin possint Fratres Judicis officium nobile implorare, ut suo ufficio cogat implere testatoris votum: satius tamen ego ducerem ab hoc officio implorando abstinere; nam & si, cæteroqui non repugnet Fratrū mendicitati, & statui, est tamen res scandalo valdè obnoxia, ideóque cavenda. Multa enim adhuc licēt, quæ nō expediūt, ut ait Apostolus.

Undecimò, si quæratur sic: An Fratres Minores sint capaces cujuscúnque legati? 20

Respondeo negativè, etiamsi sit sermo de legato impropriè dicto. Patet ex digestis in superioribus, præcipuè verò ex Nicolai textu *in eo §. Ad hæc quia*: & ejus explicatione tradita. 21

Et ecce, quomodo intra unius Veritatis orbem quamplures adeò ab invicem, quoad terminos, dissitæ positiones in hac quæstione solvenda, quæ apud Scribentes lectitantur, conciliari facilè possunt; & quomodo convinci possint, si qui plus æquo in proprio sensu abundantes, vel zelo nimio ducti, vel blandiendi ingenio, malunt exorbitare. Recole igitur, & alta mente reconde doctrinas prajactas, earúmque reminiscere, ne aut tu paralogizes, aut à paralogizantibus capiare: credéque Philosopho dicenti 1. *Elench.* Qui virtutes vocabulorum ignorat, de facili paralogizant: hoc est apparentibus quidem, sed sophisticis, captiosisque, ac deceptorijs argumentationibus aut falluut, aut falluntur. 22

Duodecimò tandem, si quæratur sic: An Fratres Minores sint capaces legatorum? hic re ipsa titulus cum nostro convenit ab initio præsentis Articuli proposito, hisce verbis: *An Fratres Minores sint capaces legatorum præsertim verò annuorum, etiam perpetuorum, quorumnam, & quomodo, conditione, seu professione, & statu suæ ipsorum specialis paupertatis consideratis?* Jamque facio utrique satis, duplici conclusione expositâ. 23

Prima Conclusio.

Omnis simplicis legati de re mobili quoad quemcúnque usum Minoritis licita, cùm pro unica vice, tùm in annos singulos, ad decennium, & ultra, etiam in perpetuum, tàm formaliter, quàm materialiter sumpti, impropriè tamen dicti, hoc est absque civili obligatione, & certitudine, seu (ut alij dicunt) per modum eleemosynę sunt capaces Fratres Minores, pro prę sentibus, vel imminentibus tamen necessitatibus tantùm, conditione, seu professione, & statu suæ ipsorum specialis paupertatis consideratis. Ita intelligo, tametsi non ità se explicent omnes, quotquot in hac quæstione Doctores affirmativam statuère sententiam: inter quos Gallitius, noster *in suo M.S.* & novissimè P. Franciscus de Torano *in suo brevi compendio ad Generalem Ministrum: tit. de legatis Fratribus Minoribus relictis*, n. 4. & alij. Sed est expressa S. Bonaventuræ sententia; ut patebit ex ejus Responsione afferenda *Art. seq. §.* 3. *n.* 19. *&* 20. 24

Conclusio autem procedit de legatis sivè gratuitis, & sine ullo onere; sive etiam cum onere Missarum celebrandarum, sive de rebus ad sustentationem Fratrum, sive ad Ecclesiā & divinū cultū attinentibus: dummodò tamē legata 25

N hujusmodi

hujusmodi non sint in fraudem aut Paupertatis, aut Hæreditatis, aut cum expressione modi, secundùm quem Fratribus (eorum conditione inspecta) recipere non licet; idest, qui importet usum, vel usumfructum alicujus (præter concessas, & limitatas *in Clement. Exivi* : *§. licet verò :*) rei immobilis, vel inter immobilia computatæ, juxta declarationes Nicolai III. *in cap. Exyt : de verbor. signif. in 6.* & Clementis V. *in Clem. Exivi: tit. eod.* in præcedentibus abundè expositas. Suppositisque hîc, & ubique semper moderaminibus requisitis sæpiùs *suprà* indicatis, in hujusmodi rebus legatis, capiendis, seu accipiendis, etiam in ijs, quæ unica solutiuue præstandæ relinquuntur.

26 Dixi: dummodò tamen legata hujusmodi non sint cum expressione modi, secundùm quem Fratribus (eorum conditione inspecta) recipere nun licet; idest qui importet usum, vel usumfructum alicujus rei immubilis (præter concessas &c.) vel inter immubilia computatæ: hoc enim est, quod sibi vult in sua declaratione Nicolaus III. *in eo §. Ad haec quia:* illis verbis *: Ut si legaret* (Testator) *Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel similia verba in similibus proferret, aut modos similes in relinquendo servaret.* Hæc ille. Similia autem verba in similibus proferrèt, si non diceret quidem : *Lego Fratribus Minoribus vineam meam, vel agrum ad excolendum : domum ad locandum* : sed diceret : *Lego Fratribus Minoribus fructus, vel proventus annuos vineæ meæ, vel agri talis. Lego pretium annuum locationis domus meæ; horum omnium proprietate manente apud hæredem meum, vel in reliquis bonis meis.* Modos similes in relinquendo servaret, si diceret : *Lego, vel relinquo Fratribus Minoribus Censum illum, vel reditum mille v.g. aureorum, quem habeo fundatum & constitutum apud talem; ut pensiones annuas ipsi habeant pro suis necessitatibus &c.* vel etiam si diceret : *Lego, vel relinquo Fratribus Minoribus annuas pensiones talis Census, vel reditus.* Sensus enim est, ut illo censu, vel reditu retento pro ipsis Fratribus, ipsi annuas pensiones ex eo provenientes percipiant. Quæ omnia summatim exprimuntur, dicendo modum, qui importet usum, vel usumfructum alicujus rei immobilis, vel inter Immobilia computatæ, qualis est annuus census, vel reditus; ut alibi explicatum est. Uide dicta *suprà, paragrapho 4. & 5.*

27 Quapropter valdè in primis observandus est à Fratribus Minoribus, modus quem testator servavit, & expressit in legando. Ut enim non solùm colligere est ex textu allato *Nicolai*, sed etiam expressè habetur ex *l. damnas esto : l. fundi Trebatiani : l. patrimonij : & l. cum ita. ff. de usu, & usufructu, & reditu, per legatum, vel fideicommissum legatis :* & alijs Legum textibus, ut *in l. 1.* & ibi Gloss. *C. de legatis, & fideicommissis:* & insuper observat Glossa *in l. si quis ita : ff. de usufructu, & quemadmodum quis utatur, fruatur:* traditque Antonius Nebricensis *in suo Vocabulario utriusque Iuris, v. Legatum:* quod pluribus modis legatum fieri potest, seu exprimi per testatorem legantem: quandóque scilicèt per venditionem; ut his verbis : Jlle à modò vendicet à me illam rem sibi, ut dicat suam esse, & petat ut suam : quandóque relinquendo ipsi legatario; ut si dicat : *Do* Lego, relinquo illi hoc, vel illud, vel fructus talis fundi: & hic modus ferè coincidit cum prædicto, ut patebit *infrà*, & tale legatum, vocatur legatum in forma legati: quandóque per damnationem, hisce, vel similibus verbis : hæres meus damnas esto, idest obligatus esto, seu gravatus esto dare illi hoc, vel illud, vna, vice, vel in singulos annos ad tempus, vel in perpetuum: vel sic: Jubeo, aut mando hæredi meo, aut præcipio, dare illi hoc, vel illud, tot, vel tot: vel etiã sic: Rogo hæredem meum, ut det illi &c. & tale legatum vocatur propriè fideicommissum, seu legatum in forma fideicommissi, eo quòd hæredis fidei solvendum, seu implendum committatur. Alios etiam modos vide apud *Nebricensem cit.* Notati nobis sufficiunt pro nostro instituto.

Hinc Glossa *in l. si quis ita : ff. de usufructu :* 28
ubi Ulpianus decernit, quòd si quis ita legavit : *Fructus annuos fundi Corneliani Mævio do, Lego : perindè accipi debet hic sermo, ac si usufructus fundi legatus esset :* Glossa, inquam, ibi quæstionem excitat : An legatum annuum fructuum, sit usufructus legatus? Solvens autem quæstionem ait : Cùm legat (idest testator) ex redactu, vel reditu fundi, vel etiam ex fructibus aliquam partem, non est usufructus; quia partem rerum temporalium legat: (quasi subintelligat *Glossa*, Non autem jus ad talem partem rerum illarum capiendam.) At, cùm fructus annuos, vel reditus (scilicet integros) legat, puto referre, quibus verbis relinquit; nam si dicat : *do, Lego*; (vel etiam relinquo, aut vendicet ille sibi post meam mortem:) usufructus est; quia hæc est mens testatoris. (Et ita etiam benè decernit Vlpianus *in d. l. si quis ita:* sed & Jabolenus *in d. l. cum ita:* cum Labeone) si autem dicat: (sequitur *Gloss. cit*) *dari volo*, idest per hæredem meum; (seu etiam damnas esto hæres meus, obligatur gravatus dare illi fructus annuos:) non est usufructus; quia voluit hæredem in primis dominum esse fructuũ vel redituum, & ab eo colligi : seu exigi, tùm de jure, tùm de facto; & eos postmodum præstare legatario ex obligatione ipsi injuncta nec legatarius eos capere poterit, nisi de manu hæredis. Vnde hujusmodi legatarius si sit

politicæ

politicæ actionis capax, poterit quidem perſequi rem ſibi legatam, per actionem perſonalem, non tamen per in rem, aut hypothecariam, cum rei legatæ dominium, mortuo teſtatore ad ipſum legatarium non tranſierit, ſed manſerit apud hæredem; ut alibi notavimus. § 7. *num.* 1. Videatur *l. fundi Trebatiani: cit.* & ibi Gloſſ. ubi etiam habetur, quòd in caſu prædicto quando ſcilicet non eſt uſusfructus legatus; fructus, ſeu reditus per hæredem legatario ſolvendi, non ſunt adeò fundo illi affixi, quin liceat hæredi fundum ipſum vendere, & ex aliundè, putà ex alio fundo, ſibi provenientibus, ſeu ex alio quocúnque modo ſibi acquiſitis ſubſtantijs, quantitatem illam annuam legatario præſtare, quam ipſe, vel vivens teſtator ex ipſo ſignato fundo excolto, vel locato redigere conſueverat. Sicque quantitas hujuſmodi (quidquid illa ſit, legatario annuatim proveniens, & ſoluta, cùm non debeatur ex re immobili, vel inter immobilia computata, ad id ſpecialiter obligata, adeóque nec ſit radicaliter bonum immobile, non erit annuus reditus, cenſus, vel proventus materialiter ſumptus, & propriè dictus, qui in Iure inter immobilia recenſeatur etiamſi eidem legatario (ſi juris ſit capax) proveniat ex jure, ſeu titulo legati ejus ter acceptato, & acquiſito, adeóque ex politica certitudine, & obligatione civili, actionem perſonalem pariente in hæredem; (prout *infrà, paragrapho* 31. & alibi;) qui tamen donec ſolvit habebit dominium utile ejuſdem quantitatis, cum obligatione civili prædicta ad ſolvendum. At ſi ſolvat juris incapacibus, ut Fratribus Minoribus, ſolvet tantùm ex obligatione conſcientiæ, vel etiam juſtitiæ erga teſtatorem, ut alibi dictum eſt: poſſúntque eam Fratres ipſi accipere: Vide *infrà* §. 27. *num.* 12.

29 Quòd ſi de fructibus ſit ſermo legatario annuatim relictis provenientibus ex fundo per ordinationem teſtatoris legantis illis verbis: *Do, Lego, Relinquo, &c. fructus annuos, vel annuas penſiones talis fundi, vel talis cenſus, aut reditus*; cum verè ſit uſusfructus legatus; (nam legato fructu fundi, ſub forma propria legati, ut hic, videtur legatus uſusfructus; ut benè etiam tradit Duardus *in Bullam Cœnæ lib.* 2. *can.* 17. *quæſt.* 4. *num.* 3. ex *l. per ſervum*, *§. uſusfructu: ff. de uſu, & habitat. & miniſter. ſervor.*) atque adeò legatarius hujuſmodi ſit uſufructuarius illius fundi, vel juris cenſus, aut reditus, uſufructuarius autem non de manu hæredis annis ſingulis, ſed ipſemet per ſeipſum, vel proprio jure per alios percipiat omne commodum, & fructum, ſeu reditum ejuſdem fundi, aut cenſus per actionem etiam in rem, & hypothecariam, itaut nec vendi ab hærede poſſit fundus ipſe, vel cenſus in præjudicium legatarij, vel eo invito, cui eſt quaſi per hypothecam obligatus; ut benè Gloſſ. *in d. l. fundi Trebatiani*: quantitas hujuſmodi legatario, ut præfertur, proveniens in annos ſingulos, quamvis proveniat nullo acquiſito jure civili ex parte legatarij, adhuc tamen erit dicenda proveniens ex uſu, ſi non de jure, ſaltem de facto, boni immobilis, vel inter immobilia computati, in quo eſt, quaſi hypothecariè fundata, & fixa; atque adeò ejus perceptio verè dicenda erit uſusfructus de facto, ſin minùs de jure: quinimmò & ejuſdem rei, in ſe quidem mobilis, uſus, erit uſus boni radicaliter immobilis, atque ideò annuus proventus, cenſus, vel reditus materialiter ſumptus, inter immobilia computatus: juxta textum *Clement. Exivi*: §. *Proindè*: *verſic. Cùmque annui reditus*: ſuprà explicatum §. 18. & 19. Quod dicas, inter fructus, & reditus eſſe differentiam; ut tradit Ioannes Petrus de Fertarijs *in ſua Practica Aurea, ſuper forma libelli in Actione reali, & v. reditibus*, ex *d. l. fundi Trebatiani*: & *l. patrimonij: ff. eod. tit.* Reſpondeo tunc fructus differre à reditibus, nec ritè in Iure cenſeri poſſe reditus, cùm aut non legātur integri, nec ſub propria forma legati: ſed tantùm in parte & ſub forma Fideicommiſſi, aut ſi legantur integri, adhuc legantur ſub forma fideicommiſſi, non legati: & de his loquuntur *leges allatæ*, ſicque intelligendus eſt etiam Ferrarius ipſe. Cæterùm autem fructus integri alicujus fundi; & legati ſub propria forma legati, itaut importent uſumfructum legatum, ad naturam redituum, vel proventuum ita appropinquant, ſecundùm Card. Zabarellam *in d. Clement. Exivi*: *d.* §. *Proindè*: ut reditus, vel proventus ritè cenſeantur, atque adeò inter immobilia computentur à jure: Et de his optimè obſervat *Ferrarius cit.* quòd inter fructus, & uſumfructum, nulla eſt differentia; paria enim ſunt, (inquit ille) legare fructum (ſcilicet integrum, & ſub propria forma legati) & uſumfructum; ut *in l. cum ita: & l. leg. ff. de uſufr. leg.* ſicuti paria ſunt, legare alimenta, vel victum, vel ut talis educatur; ut *in l. alimenta: & l. fin.* & ibi *not. ff. de aliment. & cibar. leg. & l. verbo victus: ff. de verbor. ſignificatione.* Quare ſi hujuſmodi legatum, ſive annuum, ſive etiam pro unica vice, ſeu anno Fratribus Minoribus fiat, debent hi per omnem modum ab eo abſtinere, & ab ejus receptione; tanquam à legato facto cum expreſſione modi, ſecúdùm quem (paritate regulæ ſpectata) recipere ipſi nō poſſunt ac proindè reſpuere illud debent. Perindè enim eſt, ac ſi legatus ipſis eſſet fundus ille ad excolendum, vel cenſus ad habendas annuas penſiones ut ait Nicolaus III. *in eo* §. *Ad hæc*

quia Non ideò tamen cedet hæredi; sed adhuc distribuendum Pauperibus, vel in causas pias, modo magis conformi intentioni testatoris. An verò ex hac erogatione hujusmodi eleemosynæ possint quid accipere Fratres, dicam *infrà*, cum de hæreditate ijsdem relicta, quam pariter tenentur respuere. Interim dico, quòd sic: eò vel maximè, quia est conformiùs voluntati testatoris. Et præterea legatum distribuendum pauperibus, cæteris paribus largiendum est (ut tradit uterque *Rodericus*: primus quidem *tom.2. qq. Regular. quæst.127.art.3.* secundus verò *in compend. resolut.88. num.24.* cum Jo. Andreæ, Federico de Senis, Ripa, Ancharano, juxta doctrinam D. Thomæ *2.2.quæst.32.art.3.ad 1.& art.9. in corp.*) Largiendum, inquam, est pauperibus religiosis propter Deum mendicantibus, potiùs quàm alijs; nisi hi in arctissima paupertate, & necessitate exciterint; ut benè explicat Benincasius *apud Rodericum primum cit.* in illis enim plura jura, vel causæ concurrunt, & circunstantiæ, quæ ita exigunt, & faciunt ad benè esse ipsius eleemosynæ, quàm in alijs: juxta D. Bonaventuram *in 4. sentent. distinct.15. p.2. dub.8.* nam concurrunt non solùm jus, seu titulus, vel causa paupertatis, ut in alijs, sed insuper causa, vel jus, seu titulus Religionis, quo solemniter se Deo voverant in tanta paupertate perpetuò victuros: immò & major dignitas, & plurium necessitas, nam pluribus indigent, & majoribus virtutibus pollent. Undè meliùs est eis erogare, utpotè melioribus, etiamsi minùs indigeant: ut ait *D. Thomas cit.* quàm alijs. Uide Doctores *cit. loc.*

30 Hanc igitur observationem circa formam, seu modum legati: an scilicet sit legatum simplex, sive annuum, sive pro unica vice; an verò sit ususfructus legatus? simúlque illam jam traditam *§. 12.* de simplici etiam legato propriè, vel impropriè dicto: legitimam reor esse clavem omnium in hac quæstione difficultatum aperiendarum, ut iam patet.

31 Quapropter ad ritè dijudicandum, utrùm legatum sive annuum, sive etiam pro unica vice, vel anno, Fratribus Minoribus relictum, sit ususfructus, nec ne? valdè observandum est, quibus verbis relictum, expressúmque sit à testatore: ut benè docet Glossa recepta *in d. l. fundi trebatiani*: & *in d. l. si quis ita*: & appositissimè tradit ad hoc Regulam, ex eadem Glossa primò cit. doctissimus Ferdinandus de Castro Palao *p.7. de just. & jure, disp.6. pun.2. num.6.* hisce verbis. Ut legatum reputetur ususfructus, vel annuum legatum simplex, spectanda sunt verba testatoris: si ea verba directè ad legatarium referantur, cui facultas percipiendi propria auctoritate legatum conceditur, ususfructus legatus reputandus est: secùs si percipiendum ex manu alterius à testatore indicatum fuerit. Ita ille allegans Arias Pinel *ad l.1. C. de bonis maternis: 2.p. num.11.* & Avendañum plures alios referentem, *de censibus cap.4. num.2.* Videri possunt *ll. ff. quando dies legatorum cedat. & C. eod. titul.* & *ff. quando dies ususfructus cedat*: Glossæ, & Scribentes *ibi*.

Hanc differentiam inter simplex annuum legatum, & usumfructum annuum simpliciter legatum optimè novit, & advertendam tradit Rodericus *tom.3 qq. Reg. quæst. 16. art.5.* dicens: Differentia maxima est inter usum fructum, & legatum in singulos annos. Ususfructus enim cedit dies statim, quòd alicui competit; & ideò ad ejus hæredes transmittitur; est enim quoddam jus purè, & absolutè ipsi usufructuario competens, & jam quæsitum: At annuum legatum pro alimentis non est unum purum legatum; sed est unum purum primi anni, & reliquorum annorum sunt plura legata conditionalia. Ita ille, allegans & afferens textum *l. si in singulos*: ex Paulo I. C. *ff. de ann. legat.* & textum *l. in singulos*: ex Cajo I. C. *ff. eod. tit.* ubi Gloss. *ad ver. non finitur*: Non finitur scilicet in singulos annos relictum; quia legatum sequentis anni est aliud legatum, & sic istud habet legatarius: plura enim sunt legata, & sic in capite cujuslibet anni inspicitur, an sit capax, vel non; sed secùs est in usufructu, cùm legatum est simplex, (id est cùm simpliciter legatur ususfructus & non in singulos annos. Adducit autem hanc Doctrinam ibi *Rodericus*, ad probandum, quòd Novitius in Ordine Fratrum Minorum: de quibus hìc, ante professionem potest quidem testari de usufructu sibi ad vitam legato illum alteri relinquendo pro tota vita sua naturali: nam ususfructus non extinguitur professione usufructuarij, etiam in Religione bonorum in communi incapaci, sed necessaria est mors naturalis, secundùm *Gloss.* notabilem communiter à Doctoribus secutam, quos refert, & sequitur Covarruvias, Antonius Gomez, Pinellus, & Speculum testamentorum, ibi apud Rodericum citati. At de legato in annos singulos non potest testari, nisi pro illo illius anni, in quo profitetur, etiamsi annus fuerit tantùm à paucis diebus inchoatus; cum in ingressu anni cujuslibet cedat dies talis juris legati: non sic in usufructu: ut alibi diximus, & tradit *ibi* Rodericus, ex Cajo I. C. *in l. in annos singulos: cit.* Quod tamen dictum est de annuo legato simplici, intelligendum est cum exceptione, nisi scilicet non intendisset legans ita legare in annos singulos pro alimentis, sed ideò legatum unum intendens, in plures

plures illud pensiones diviserit, exonerandi hæredis gratia, vel minùs gravandi: Nam in hoc casu, juxta legantis intentionem, (quæ quomodò sit conjectanda, docet Gloss. *in l. si cum præfinitione, ff. quando dies leg. & fideicom. cedat:*) unum legatum censetur, & cùm ejus dies jam cesserit ab initio primi anni, poterit dico Novitius prædictus testari, & transmittere illud ad hæredem suum; ut ait secundùm veram sententiam; Martianus *in d. l. si cum præfinitione*: Atque hanc Roderici doctrinam optimè nouit, & approbavit Sanchez *lib. 7. in*
33 *Decal. cap. 13. à num. 52. & cap. 15. num. 28.*

Quare ex hac observatione clarè colligitur, quòd ubi Clementina *Exivi:* quatuor Magistri multique alij Doctores tam Theologi, quàm Iuristæ, & Generalis, eáque antiquissima regularis Seraphici Ordinis practica, & consuetudo, quæ optima legum interpres est; Docent, Fratres Minores esse incapaces annuorum redituum, sive ex legato, sive con cessione, vel donatione inter vivos provenientium, etiam quoad simplicem usum factis loquuntur vel de legatis, usufructus legati rationem & formam habentibus; vel, si etiam de simplicibus annuis legatis loqui eos quis contendat, sensus est de ijs propriè dictis, juxta traditam Doctrinam § 12. Sed dic, quòd potissimùm de primis, ut paret ex quadam concordi determinatione facta in Congregatione Provinciali in Conventu S. Mariæ de Iesu Barchinon. capitulariter celebrata *anno* 1456. *die* 4. *mensis Decembris*, per Vicarium Provincialem, Diffinitores, Discretos, & Vocales omnes circa quosdam hujusmodi perpetuos annuos reditus, seu censsus Conventui S. Spiritus muri veteris Valentinæ diœcesis legatos, & assignatos ex juribus, & reditibus, seu censibus Vallis de Almonazir dictæ diœcesis, & loci de Paterna, per Mariam, & Martinum conjuges Reges Aragonum: quæ determinatio refertur *in Bulla Calixti III. edita anno* 1457. *duodecimo Kal. Iulij* pro translatione prædictorum redituum, quos tanquam sibi prohibitos repudiarunt Patres prædicti de Observantia, innixi auctoritatibus Doctorum prædictorum, & *cap. Exijt:* quia importabant usumfructum saltem de facto, etiamsi jus esset acquisitum Apostolicæ Sedi. Fuerunt autem translati auctoritate Papæ reditus illi ad Monasterium Clarissarum S. Trinitatis Valentinum. Latè hæc omnia, cum doctrinali ratione prædictorum Patrum Congregatorum, habentur *in d. Bulla*, apud V Vadingum *tom. 6. Annal. Minorum, in Regesto Pontificio sub anno Christi* 1457. *Calixti III. anno* 3. *Bull.* 23.

34 Valdè igitur, statimque post conclusionem à me statutam, observanda est adjecta ei à me moderatio, ne exorbitans cuipiam videatur conclusio ipsa. Cujus tamen veritatem optimè jam pridem nouit, & docuit Ludovicus Molina *tom. 1. de just. & jure tract. 2. disput* 195. *pag. mihi* 773. Ubi quærens, legare quis, & cui possit? respondensque cum communi Iuristarũ placito, ait legata ijs omnibus, & solis possunt relinqui, qui hæredes institui possunt. A Regula tamen ista (inquit) excipiuntur Fratres Minores, qui neque in communi possunt hæredes institui juxta ipsorum Regulam; eò quòd neque in communi sint dominij rei alicujus capaces; ut habetur *Clement. Exivi: paragrapho cupientes: de verbor. signficat.* eorum tamen Conventibus, seu communitatibus possunt legata in Eleemosynas relinqui; dummodò non sint in tanta quantitate, vt videantur facta in fraudem, quasi sub legati forma videatur hæreditas eis relinqui; ut *in eadem Clem. & d. paragrapho, subjungitur.* Ita ille; qui, ut constat, non excipit legata annua; sed tantum ea quæ fiunt in fraudem hæreditaris, & per consequens etiam paupertatis. Nec mirere si non excipit legata facta sub forma usufructus: nam loquitur propriè de legatis generaliter, quæ fiunt simpliciter sub forma propria legati. Et de cætero, legata facta Fratribus prædictis sub forma, & modo usufructus, jam excepta sunt per Nicolaum III. *ubi suprà*, tanquam facta sub modo, secundùm quem Fratribus ipsis (eorum Regulæ puritate spectata) recipere non licet, vel ea habere, etiam de facto simplici, quoad usum. Quia videlicèt reditus annui materialiter sumpti ex annuo usufructu legato pervenientes, cum de sua natura debeantur; & proveniant ex re immobili, vel inter immobilia computata, cui fixi sunt, quæque pro ipsis est obligata; idcò habentur in jure, tanquam bona immobilia, ut tradunt Lodulphus Schraderus *in tract. Feudor. p. 3. cap. 3. n. 2.* & Io. Dinstomus *in Comment. ad lib. 3. institut. Imper. tit. 1. de hæredit. quæ ab intest. deferuntur: § de success. inter virum, & uxorem, num.* 38. & communiter Doctores ita etiam intelligentes *Clement.* textum citatum.

Sed adæquatiùs adhuc positam assertionem cum exceptione legatorum usufructus, 35 confirmat P. Ludovicus Parisiensis noster, quem affert noster item Crousers Antuerpiensis *lect. parænet. 6. ad cap. 6. Regul.* asserens, quòd si quis v.g. ædificaret Conventum Fratribus Minoribus in luco, ubi cùm sustentationem aliundè habere nequeant, eus ipsemet vivens aleret de suo; mortis verò causâ hæredes suos obligaret testamentaria ordinatione ad eosdem Fratres ibi alendos, ordinando alimentum Fratrum desumi ex aliqua villa, vel territorio, vel censu: asserens inquam,

N 3 quòd

quòd vivente ipso Conventus illius fundatore, possent Fratres acceptare talem Conventum, & alimenta prædicta; non autem illo defuncto; nisi renunciatione (aptiùs dixisset respuitione) legitimè facta hæredes nihilominùs vellent adhuc Fratres ibidem retinere, & solitum alimentum præbere. Si tamen (sequitur ille) aliquis daret Fratribus Conventum in simili loco imponendo hæredibus, quòd casu, quo Fratres indè discederent, Conventus cedat alijs Religiosis, cum duobus millibus aureorum annuatim accipiendis ex bonis per defunctum ipsum relictis, & solvendis per hæredes, licitè Fratres acceptarent talem Conventum, & eleemosynam sic oblatam. Quia (inquit) non habet speciem reditus annui, sive ususfructus de facto; (dixerim ipse) sicut habebat in primo casu; ut patet ex observatione præmissa: supposito, quòd testator ille in forma legandi reliquerit directè Fratribus alimenta illa, per ipsos, vel per Syndicum nomine ipsorum, aut Papæ, etiamsi absque juris civilis prætensione desumenda ex Villa, vel territorio, vel censu: hæc enim forma dicit usumfructum legatum; ut vidimus *suprà*: secùs autem, si reliquisset gravando hæredem; quia sic esset simplex legatum, nec differret à secundo casu. Et ita idem fuit responsum (testatur ille) à Gregorio Papa XIII. pro quodam Conventu non longè ab Vrbe, in loco, qui dicitur *Raiue.* Atque hinc arbitror Patres nostros ad primum illum casum de legato usufructus pro sustentatione Fratrum aspexisse, cùm præcaventes statuerunt *in Constit. cap.6.* quoad accepiandos Conventus ad instantiam, vel requisitionem Communitatum, aut Dominorum; illis verbis: *E guardiensi di non accettarne ò pigliarne alcuno, se non con protesto di portelo lasciare ogni volta, che fosse espediente per la pura osservanza della promessa Regola; accioche, accadendo lasciarne alcuno, non si dia scandalo*: Eandem veritatem disertè decrevit Sacra Congregatio *anno* 1632. die 12. Novembris, per *decisionem in ordine* 194. qua dicitur: licèt Capuccini, & Observantes sint incapaces legatorum annuorum (id est formaliter, & propriè, seu titulo nominis civilium, etiam legati simplicis annui non sunt tamen incapaces recipiendi subsidium, quod eis daret aliqua Communitas, vel persona particularis ad hoc à testatore gravata: licèt alij negent. Hæc sacer ille Senatus, re optimè perpensa.

§. XXIV.

Eadem Conclusio probatur adhuc magis, & ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Legatum annuum, etiam perpetuum, impropriè dictum, factúmque simpliciter gravando hæredem de præstando aliquid Minoribus per modum eleemosynæ, vel sub onere Missarum, non repugnat paupertati & conditioni ipsorum politicè non recipientium.*

2 *Legatum annuum Minoribus relictum censetur pro alimentis factum, neque est unum, sed plura legata.*

3 *Bartolus* in l. si cui legetur, in pr. ff. de legat. 1. *& alibi de legato annuo, explicatur.*

4 *Legatum singulis annis Minoribus præstitum ab hærede jussu testatoris, non dicitur liberalitas hæredis, sed eleemosyna ipsius testatoris.*

5 *Legatum sicut à pluribus testatoribus ad plures annos separatim relinqui potest; ita etiam ab uno testatore multiplicari.*

6 *Incapacitas legati annui à quibusdam Doctoribus Societatis Iesu Minoribus impacta refellitur.*

7 *Minores sunt capaces legati rerum, quarum usus in propria substantia ipsis licitus non est; ergo multo magis earum quibus uti possunt.*

8 *Minoribus legata à Morientibus liberè relinqui possunt, licet speciali prohibitione Minores ipsi ea procurare non debeant.*

9 *Minores ex speciali prohibitione non possunt recipere sibi concessa, ad thesaurizationem & superfluitatem, sed tantum ad præsentes seu imminentes necessitates.*

10 *Minoricæ paupertati non repugnant legata, aliave largitiones, dummodo serventur moderamina requisita, in recipiendo tali subsidio.*

11 *Minoricæ paupertati non repugnat eleemosyna etiam ex voto, vel alia obligatione debita, politicè tamen non exacta, nec accepta.* & num. 12.

13 *Eleemosyna Minoribus relicta, quandiu non fuerit consumpta, ab ipsis etiam invitis auferri posset.*

Sed inde non sequitur quòd legata Minoribus relicta sint caduca, & cedant hæredi. ibid.

14 *Diana asserens donationem factam Capuccinis, esse nullam, refellitur: nisi intelligatur de hæreditate, vel aliis rebus modo illicito consumendis, vel retinendis.*

15 *Donatio*

15 *Donatio Minoribus facta per modum legati, non est irrita, cùm legatum non sit per modum rei stabilis ac perpetui reditus.*

16 *Minoribus prohibentur reditus annui stabiles & certi.*

17 *Differentia notatur inter paupertatem Minoricam, & Iesuiticam Domus Professæ Societatis.*

18 *Singuli Fratres Minores sunt capaces eorundem legatorum, quorum ipsa Communitas capax est.*

19 *Minores accipientes legatum in fraudem hæreditatis, vel paupertatis, faciunt contra paupertatis votum: & non tantùm contra juris prohibitionem. Vbi assignatur ratio.*

20 *Legatum quando censeatur factum in fraudem hæreditatis.*

Et quid ex tali legato Minoribus relicto liceat accipere, ibid.

21 *Legatum Minoribus relictum cum expressione modi illiciti, an sit caducum; an verò in usum licitum convertere debeat hæres*, & num.22.

22 *Legati illicitè Minoribus relicti æstimatio etiam ab ipsis respuenda est: hæres tamen ad pias causas expendere debet, proximè ad voluntatem testatoris.*

23 *Legatum sub modo illicito Minoribus relictum non fit caducum, nec cedit beneficio hæredis.*

24 *Legatum Minoribus relinqui prohibitum non liberat hæredem ab illius præstatione, sed solùm prohibentur Minores recipere.*

1 IAm verò probatur Conclusio hactenùs explicata, & ostensa, ratione illa communi, eâque nihilominùs efficacissima: quia videlicet legata per eam, & eo modo admissa, nullam habent cum statu, & conditione seu professione speciali paupertatis, & Mendicitatis Fratrum Minorum repugnantiam: ergo ipsi Fratres, considerato tali statu, & conditione, sunt talium legatorum capaces. Probatur antecedens: quia legatum annuum, etiam perpetuum, impropriè dictum, factúmque simpliciter, gravando hæredem, manet præcisè, quale essentialiter est, nempè gratuita quædam annua donatio, seu eleemosyna testatoris, (vel etiam remuneratoria, vel antidoralis, si fit cum onere Missarum, vel hujusmodi) ad quam annuatim præstandam damnatur, sive obligatur hæres acceptans, adjensque hæreditatem ab ipso testatore ita disponente, & ordinante pro bono animæ suæ; ut patet ex fundamentis præjactis, ex quibus item patet, quomodo legatum annuum prædictum maneat præcisè tale: manet enim, quia nullum ex parte Fratrum acquiritur unquam jus ad illud civiliter exigendum, sive in judicio, sive extra. Unde adhuc, quatenùs ex illo vivunt, vivere dicendi sunt Fratres ipsi de non suo politicè, aut civiliter certo, & sine ullo usu, vel facti simplicis, alicujus boni immobilis, sive inter immobilia computati à Iure, atque insuper cum perfecta exclusione quinque actuum politicorum; prout status, & professio specialis Minoricæ paupertatis requirit tam in communi, quàm in particulari. Annua autem donatio, seu eleemosyna, etiamsi ex obligatione conscientiæ proveniens ex parte hæredis præstantis, nullam habet cum statu, & professione speciali Fratrum Minorum repugnantiam; ergo nec si dicatur annuum legatum impropriè dictum. Minor propositio non potest negari à Sanchez *lib.7. in Dec. cap.26. num.*10. ubi ex eo, quòd Frater Minor est capax, ut sibi donetur, concludit: ergo etiam ut sibi legetur. Loquitur autem generatim, itaut, si capax est, ut sibi legetur ab uno hoc anno, ab alio altero anno, tertio anno ab alio, & sic annuatim in perpetuum, capax quoque erit, ut sibi legetur ab uno, & eodem, ad annos singulos in futurum. Nec quicquam discriminis est, stando in terminis legati impropriè dicti, quòd res legata præstetur hoc anno ab uno hærede gravato, alio verò ab altero, & quòd præstetur quotannis ab eodem hærede, vel ab hæredis hæredibus, qui semper dicuntur testatoris ordinantis hæredes; secundùm *antiquam regulam in Iure*, quæ voluit, hæredem hæredis testatoris esse hæredem; ut ait Imperator Justinianus *in l.fin.§.1.C.de hæredibus instituendis: & in l.antiquitas: Cod.de usufructu, & minister servorum* & Paulus J. C. *in l. si quis filiumfam. §.fin.* & ibi Gloss. cum multis concordantijs, & *in l. sciendum: ff. de verb. & rerum signific.* Sed Ulpianus *in l.hæredis: ff. eod.tit.*

Eò autem vel maximè id verum est; quia legatum annuum pro alimentis relictum (quale profectò censendum est, quod relinquitur Fratribus Minoribus, qui nullatenùs ad thesaurizationem, vel ad superfluitatem, vel ad provisionem in futurum, nisi pro imminente necessitate, accipere possunt, sed tantùm necessaria cùm pro sui ipsorum sustentatione, tùm pro executione officiorum sui Ordinis, etiam quoad cultum Dei exercendum) non est unum, sed plura legata; ut in superioribus repetitum est: & tot sunt legata, quot anni, & cedit dies solutionis ejus in principio cujusque anni, quo tempore considerari debet capacitas legatarij: unde & dilatio solutionis non deducitur ex principio temporis pro toto tempore, idest à primo anno pro omnibus annis in futurum: sed consideratur, & deducitur de anno in annum à principio singuli anni; ut benè tradit Christophorus Torniola *p.1. Consil. consf.91.num.26.* allatis legibus à nobis *suprà* adductis, & alijs cum Decio *consf.621. col.1.* Soc- 2

cino juniore *conſ.157. col.1.* Corneo *conſ.168. col.4.lib.3.* & alijs alibi ſæpè numero Doctoribus idem docentibus. Et idem confirmat *ibid.num.28*, ubi addit, quòd in dubio, legatum annuum præſumitur factum ad alimenta: Et ita notari affirmat per Gloſſam, Bartolum, & Doctores *in l. ſi cui annuam: & in l. codicillis: in princ. ff. de annuis legatis: & in l. cum hi: §. ſi in annos: ff. de tranſactionibus:* Bartolus *in l. alio: colum.2. ff. de alimentis, vel cibar. legatis: & in l. ſi Stichum: §. ſtipulatio: ff. de verb. obligationibus.*

3 Contraria autem, quæ ex Bartolo *in l. ſi cui legetur: in princ. ff. de legatis: 1. & in l. qui hoc anno: ff. de verb. obligat.* per tex. *in l. de ſi cui legetur: & in l. lecta: C. ſi certum petatur:* & ex Abbate *in cap. auditis in fin. de præſcriptionibus*, quem ſequitur Balb. *de præſcriptionibus p.4. quartæ partis principalis, quæſt.4. col. fin.* & ex textu *in l. nec ſemel: verſ. niſi fortè: ff. quando dies leg. ced.* allegari poſſent ad probandum, quòd legatum annuum, videatur legatum unum, dilatum in plures ſolutiones favore hæredis gravati; & cedat ab initio pro toto futuro tempore; & ſolutiones fieri debeant in fine anni: non procedunt in legato pro alimentis: per text. *in l. ſi cum præfinitione: in primo & ſecundo reſponſo*; ubi etiam Bartolus *ff. quando dies leg. ced.* & declarat Paulus I.C. *in l.1. C. eod. tit.* & Bartolus *in l ſi in ſingulos:* & in *l. codicillis: in princ. ff. de annuis legatis:* & Alexand *conſ.23 col. fin.* Socinus *in l. ſi ex toto: §. ſi ita legatum: ff. de legatis: 1.* Socinus junior. *d conſ. 157. col. pen. in fin.* & Zanchus *in rep. §. cum ita: num. 173.* ut tradit *Torniola cit.* qui etiam addit, quod in annuo legato pro alimentis, hoc quod dictum eſt, notat Gloſſ. *in d. l. nec ſemel: §. ſi in habitationem:* & Bartolus *in l. fin. ff. de liberis agnoſcendis, & conſ.216.* Addelandus *in 2. dub lib.1.* & Socinus *conſ.10. in 5. quæſt. lib.1. & conſ.11. col. pen. & fin. in 3. quæſt. eo. lib.* Vide dicta in hoc propoſito *ſuprà, § 22. a num.18. uſque ad n.23.*

4 Quæ cum ita ſint, nulluſque legati titulus civilis, juſvè politicum ex parte Fratrum ſe habeat; inſuperque, etiam ſi hæres eleemoſynam illam, ſeu rem legatam præſtet annuatim iiſdem Fratribus ex obligatione conſcientiæ, vel etiam juſtitiæ erga teſtatorem, adeóque non ut dominus ejus, dominio pleno & abſoluto, ſed tantùm utili, donec ſolvat; eam tamen non cenſetur largiri ipſemet, ſed defunctus teſtator, qui eam mittit; ut novit etiam Sanchez *lib.6. in Decal. cap 11. num.54.* ex *l. unum ex familia: § ſi de Falcidia: ff de legatis: 2.* ubi I.C. Papinianus, de hærede juſſo per teſtaturem eligere aliquem, cui quippiam reſtituatur, ait: Non enim facultas neceſſariæ electionis propriè liberalitatis (id eſt hæredis) beneficium eſt: quid eſt enim, quod de ſuo videtur reliquiſſe; quia quod reliquit, omnino reddere debuit: Ubi Gloſſa *ad verb. Beneficium*, ait: Non dicitur hæc liberalitas provenire ab hærede; quia tunc non detraheret Falcidiam; ſed modo detrahit; quia non provenit ex eo legatum. Et hinc ſubjicit: Quid eſt enim &c.

Cum inquam, hæc ita ſint; & non repugnet conditioni; & Statui Fratrum Minorum, quòd ex legato capiant, modo prædicto, hoc anno ex liberalitate unius teſtatoris per ipſius hæredem, ſecundo verò anno ex liberalitate alterius; & ſic in poſterum: cur repugnare quis dicat, quòd capiant in ſingulos annos ex liberalitate ejuſdem teſtatoris per ejus hæredem, & ſucceſſores? Ego ſanè cauſam non video repugnantiæ, neque collyrio indigere me reor. Neque diutiùs immoror in hoc probando; cum ex præjactis fundamentis jam pateat ſatis ſupérque, & adhuc ex dicendis, & ſolutionibus objectionum ponendum ſit in propatulo. 5

Iam verò ſupereſt, ut mei memor promiſſi, fideíque datæ *§.9. in fine*, rationes hîc adaptem, quas affert *Card. de Lugo* ibi relatus, pro capacitate oſtendenda Domus Profeſſæ Societatis, ſuæ quoad recipiendam certam ſummam quotannis titulo expreſſo eleemoſynæ ex ordinatione teſtatoris eidem Domui ab hærede præſtandam; prout in caſu *ubi ſuprà* relato, quem hîc recenſitum volo, & ſuppono, cum confutatione ibi tradita ad rationem, qua utitur ipſe *de Lugo*, quoad excludendos Fratres Minores à capacitate beneficij talis eleemoſynæ legatæ, etiam cum expreſſione, ut *ibi*: dicens, id provenire ex prohibitione ſpeciali: quam tamen non adducit vel ex Fratrum Regula, vel ex aliqua declaratione Pontificum, aut Ordinis, cum nec potuiſſet adducere: quippè quæ nullibi reperitur, prout ipſe reperiri ſupponit, ex errore tamen, & falſa intelligentia cum ſuo *Sanchez* ibi cit. & alijs, eam communiter deducentibus ex *Clement. Exivi: eo verſ. Cumque annui reditus*: hi tamen omnes digni ſunt veniâ; nam dum hujuſmodi incapacitatem in Fratribus Minoribus paupercul is aſtruunt, eo ipſo incapaces ſeipſos comprobant (ſicut etiam in tot alijs relaxationibus, quas è contra iiſdem Fratribus admittunt; ut infrà oſtendam) tum Declarationum Pontificum, in hac materia, præſertim Nicolai III. *in eo §. Ad hæc quia:* & alibi *in cap. Exiit:* ſed & ipſius *Clementinæ*, cui innituntur, ſenſum ejus germanum non tenentes; tùm uno verbo ſtatus, & Profeſſionis Minoricæ mendicitatis. Vide, quæ dicuntur *art.3. §.7. in fin.* 6

Quare iterum dico, nullam adeſſe hujuſmodi prohibitionem ſpecialem, quoad Fratres Minores recipiendi ſubſidium hujuſmodi legari, 7

gari,

gati, (dixi, subsidium;)quia certum est adesse prohibitionem specialem recipiendi denarios, vel pecuniam per se, vel per interpositam personam id est recipiendi hæc in propria substantia, & ut talia; pro ut alibi dixi ex *cap.4. Reg.* præsertim cum illa expressione testatoris: quin etiamsi illa non adesset, sed tantummodò non adesset expressio modi, secundùm quem Fratribus ipsis (eorum conditione spectata) recipere non licet; ut ait *Nicolaus III. cit.* Si autem hoc dicitur de legato certæ summæ denariorum, ut ibi, pro Fratribus expendendæ; quantò magis dicendum est, ubi legatum sit de rebus usu consumptibilibus, quarum usus in propria substantia est ijsdem Fratribus paupeiculis licitus, sive pro sui ipsorum sustentatione, & Ordinis officiorum executione, sive etiam pro cultu Dei; prout mea procedit conclusio?

8 Equidem tamen non eo inficias, specialem prædictis Fratribus incumbere prohibitionem procurandi, seu inducendi testatores, seu decumbentes ad mortem, ad tales eleemosynas, præsertim annuas, sibi, vel Ordini relinquendas; quæ prohibitio obligat sub mortali, immò quandóque (ut vidimus) attulit secum excommunicationem, non autem est ad majorem tantùm ædificationem; prout in Societate, ut tradit Sanchez alibi cit. scilicet *lib.7. in Decal. cap.27. num.11.* cum tamen liberum omninò, integrúmque maneat cuique testanti jus, & arbitrium ad id faciendum; neque si fiat, irritum usquam declaratur; ut patet tùm ex *textu Constitutionum nostrarum supra expenso*, tùm maximè ex *Declarationibus* Nicolai III. & Clementis V. *alysque Canonibus.*

9 Fateor etiam, specialem adesse, quoad prædictos Fratres, probibitionem non accipiendi sive ex legato, sive ex donatione, vel exbibitione, aut concessione inter vivos, mortisvè causâ, nisi secundùm exigentiam præsentium, vel imminentium necessitatum: omni superfluitate, divitijs, copiâ, thesaurizatione, ac provisione in futurum interdictis; ut alibi diximus cum Nicolao III. *eo §. Insuper nec utensilia:* qualis sanè prohibitio in Societate non viget.

10 Speciales hæ nihilominùs prohibitiones, quæ Minoricam paupertatem supra Jesuiticam adeò extollunt, non efficiunt, quòd in legatis, de quibus nostra procedit assertio, quippiam reperiatur statui, vel professioni Minorum, Regulæ, vel Constitutionibus eorum cæteroqui repugnans; modò ab ipsis fideliter serventur moderamina requisita, ut præfertur, in recipiendo tali subsidio; maximè ubi legata fuerint pecuniaria, in quibus, præter præmissas, aliæ quoque servandæ sunt cautiones, quas tradit Nicolaus III. *in §. Cæterùm: in §. Et quia oportet: & in §. Ad majorem autem, &c. relatis ad verbum supra; §.111.* à nobismet *infrà* enucleandas *artic.3.§.10.11.12.13.14. & 15.*

Et quia usquequaque quadrant, ut dixi, nostræ assertiuni rationes, quas pro sua resolutione in favorem Domus professæ Societatis suæ affert de Lugo, *ubi suprà*; idcircò, mutatis terminis, Societatis, seu Domus Professæ, in Fratrum Minorum verbatim illas ipsas pro meamet conclusione adducam. Sunt autem hæ duæ. 11

Prima igitur ratio à priori est; quia totum hoc, quod asserimus, non opponitur voto paupertatis, etiam illius, quæ excludit à Communitate omne jus civile, dominium, & proprietatem, vel etiam usum simplicem facti bonorum stabilium, (præter necessaria, & expresse concessa, ut talia) & redituum, qui inter Immobilia recensentur à Iure. Non enim est contra mendicitatem, quòd quis det Fratribus Minoribus eleemosynam singulis annis, etiamsi hoc faciat ex voto, & obligatione erga Deum, vel ex obligatione erga alium hominem; quia Fratres Minores adhuc manent pauperes, & in sua mendicitate stabiles; hoc est sine dominio, & jure aliquo ad illas eleemosynas, cásque accipiunt, tanquam non suas, nec civiliter debitas, vel certas; solùm autem jus facit divites, sicut & vivere de accepto, vel habito tanquam suo civiliter, vel politicè debito, & certo, lædit mendicitatis statum; non certitudo eleemosynæ accipiendæ, quantumcúnque, & quomodocúmque fundata sit, etiamsi in revelatione Dei infallibili, dummodò non fundetur in jure Fratribus ipsis, alterivè cuipiam, putà Pontifici summo, vel Apostolicæ sedi ex parte ipsorum specialiter se tenenti, acquisito. 12

Secunda ratio a posteriori est; quia id quod nostrum est, non potest, nobis invitis, à nobis auferri: ejusmodi autem eleemosyna legatorum assertorum posset, Fratribus ipsis invitis, ijsdem denegari; immò, & postquàm semel fuerit eis actu collata, quandiù non fuerit per eorum usum consumpta, posset auferri. Nam, si Petrus v. g. ex obligatione sola erga, Joannem, deberet dare Fratribus Minoribus eleemosynam annuam, putà panis, vini, olei, cereorum pro altari, vel etiam certæ summæ pro ipsis Fratribus expendendæ; posset sine Fratrum consensu, sed ex solo consensu Joannis illam amplius non dare; ergo nullum jus erat apud Fratres ipsos, vel apud quempiā ex parte ipsorum, sed sola potētia passiva, & capacitas ad recipiendum tale beneficium, & subsidium, cum moderaminibus requisitis. Quòd autem in casu nostro hæres non possit, provenit ex eo, quòd testator mortuus est; quod est per accidens: nam si testator resurgeret, posset 13

Fratribus

Fratribus ipsis invitis, revocare mandatum, donationem, vel legatum, ut potè nec à Fratribus, nec à Pontifice, vel alio ex parte ipsorum Fratrum specialiter se habente civiliter acceptatum, vel acquisitum. Et de facto Pontifex summus potest faciliùs commutare illam eleemosynam ex causa in aliud opus pium, (quod de facto dispositum fuit à pluribus Summis Pontificibus in statu Ecclesiastico circa legata pro Fratribus Minoribus relicta; applicatis scilicet hujusmodi eleemosynis fabricæ Sancti Petri de Urbe, prout alibi dicam, & quo ordine procedat hæc lex: quàm si esset in præjudicium Tertij, cui esset jus acquisitum: quia nimirum nullum jus habent ad illam Fratres Minores, nec alius pro ipsis; sed tota obligatio est in hærede ad exequendum mandatum, & voluntatem testatoris, quæ ei est tanquam lex ligans; ut alibi diximus. Cum ergò nec secundùm se, hoc repugnet mendicitati; nec in constitutionibus nostris, aut declarationibus Pontificum, præsertim *Nicolai III.* & *Clementis V.* ad quas signanter se remittunt Patres nostri *in constitutionibus*, ubi de acceptione hujusmodi legatarum eleemosynarum agunt, ut *suprà* vidimus, neque alibi usquam specialiter prohibitum perhibeatur: quinimmò videatur clarè expressum, tanquam licitum *in cap. Exijt*: per Nicolaum III. *eo §. Ad hæc quia*: non est, cur Fratres Minores incapaces ejusmodi legatorum adjudicentur, aut quòd per consequens (perperam tamen, cum verè non consequatur; ut ex dictis jam patet, & alibi ex professo ampliùs ostendo) voluntates illæ testatorum censeantur caducæ, & pro non scriptis habendæ prædicentur à Doctoribus; præsertim ubi accesserit hujusmodi ultimis voluntatibus adeò expressa cautio illa, quòd semper largitio illa ab hærede præstita Fratribus futura sit eleemosyna; ne forte putaretur, jus aliquod Fratribus ipsis relinqui, aut Apostolicæ sedi pro ipsis: cùm tamen sufficiat, quod id, aut alius modus, secundùm quem Fratribus (eorum puritate professionis spectata) recipere non licet, non exprimatur, ad hoc, ut legatum censeatur factum sub modo licito, ut declarat Nicolaus III. *ubi suprà*. Et ecce conclusionem nostram efficacissimis vallatam rationibus, à priori, & à posteriori: quæ præterea munita satis est à dextris per prænotata; & à sinistris tuta erit in posterum per responsiones ad objecta.

14 Hinc minimè assentior Dianæ *p. 8. tract. 6. de donationibus, resol.* 104. absolutè asserenti, donationem factam Capuccinis Minoribus, & Patribus Societatis Iesu in domo professa invalidam esse. Neque placet, vel cogit ratio, quam affert; (quoad nos loquor Fratres Minores; nam domos Professas Societatis Doctoribus ejusdem vindicandas relinquo) quia scilicet sunt incapaces dominij perpetui, etiam in communi. Concedo quidem, quòd non possint succedere ab intestato, sicut nec possunt ex testamento instituti. Hoc tamen non est sufficiens, etiamsi sint incapaces dominij perpetui, ut ipse ait; sed & cujuscunque juris usus, vel ususfructus, etiam in communi; non, inquam, est sufficiens ad pronunciandam invalidam omnem donationem ipsis factam, etiam alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati, ut reditus, vel census annui constituti: An non enim sunt capaces talis donationis, ita ut res donata distrahenda sit, vel vendenda, & pretium in eorum necessitates expendatur; ut declarat *Nicolaus III. cit.* disertis verbis? Sed fortè loquitur Diana de hæreditate, vel etiam de legato, seu donatione ususfructus, seu reditus, censusvè annui constituti, cum expressione modi, ita ut retineant, & non vendatur; & non se satis explicat: si autem id sibi velit, do libens manum, idipsum egomet asserens. Certè tamen ità voluit Diana, ut ipse arbitror; sequitur enim, & benè ait: Cæterùm non esset irrita donatio facta per modum legati, cum legatum non sit per modum rei stabilis, ac perpetui reditus; sed per modum temporalis eleemosynæ, cujus hæ Religiones capaces sunt. Et ita docet Amicus *in cursu Theolog. tom. 5. disp. 17. sect. 7. num.* 103. Uide etiam Rodriquez *in sum. tom. 1. capit.* 166. *num. sexto*. Ita ille confirmans Assertionem nostram.

15 At primo verba Doctoris: *Cæterùm donatio facta per modum legati non esset irrita, cùm legatum non sit per modum rei stabilis, ac perpetui reditus; sed &c.* Quasi dicat, donationem factam per modum legati, etiam annui, non esse irritam; ejúsque capaces esse Religiones prædictas; cùm legatum, etiam annuum, simpliciter factum saltem, ad alimenta, non sit per modum rei stabilis, ac perpetui reditus, sicut est ususfructus legatus: nam illud cedit de anno in annum in principio anni, ac si esset novum legatum; hic verò acquiritur à principio pro toto tempore futuro, & redit singulis annis idem jus suo tempore cedens ad fructus percipiendos, si sit ususfructus fundi legatus; vel ad percipiendas pensiones annuas, si sit ususfructus census legati; ut patet ex dictis *suprà cum Roderico, & Torniola & juristis*. Unde patet, quòd propria ratio reditus, secundùm etymologiam *Redeundi* in superioribus traditam, & probatam competit annuo legato ususfructus, non autem annuo legato simpliciter facto, præsertim ad alimenta: nam primum, est unum & idem jus quotannis rediens; alterum verò sunt plura advenientia quotannis, quasi de novo. Illud autem profectò redire dicitur, quod idem

idem iterum accedit;non autem quando plura diſtincta adveniunt.

16 Atque hinc eſt, quòd juxta *Clementina* textum *in eo verſ.cúmque annui reditus* : Fratribus Minoribus interdicti declarantur reditus,etiam quoad ſimplicem facti uſum ; idest nullo jure ad hujuſmodi uſusfructus, ſive legatos, ſive etiam inter vivos conceſſos , exiſtente apud Fratres ipſos, aut apud alium ex parte ipſorum ſpecialiter ſe habentem. Et hæc eſt quidem prohibitio ſpecialis,quam fortè voluit judicare de Lugo cum ſuo Sanchez cit. quæque etiam exprimitur à Nicolao III. *ubi ſupra*, illis verbis : *declaramus,ordinamus, & dicimus, quòd ſi teſtator modum,ſecundùm quem Fratribus (eorum conditione inſpecta)recipere non licet, exprimat in legando ; ut ſi legaret Fratribus vineam,vel agrum ad excolendum,domum ad locādum,vel ſimilia verba in ſimilibus proferret , (ut cenſum, vel reditum annuum ad retinendum aut modos ſimiles in relinquendo ſervaret ; (ut Fructus annuos talis agri &c.) à tali legato , & ejus receptione per omnem modum (id eſt ſecluſo etiam omni jure ex parte ipſorum) Fratres abſtineant.* Ita Pontifex ille.

17 Prohibitio,inquam, ſpecialis hæc eſt Fratribus Minoribus incumbens,qua Minorica paupertas Jeſuiticam in Domibus etiam Profeſſis excellit; quibus hujuſmodi reditus legatos licitos eſſe,& perceptibiles , dummodò nec diſpoſitio eorum ad Societatem pertineat , nec ſit undè ei competat actio in illos ; ut tradit Sanchez *lib.7 cit.cap.17.num.9.* exiſtimans inſuper, teneri hæredem in foru conſcientiæ ad ſolvendum,& ſic poſſe Domum Profeſſam accipere ab hærede ſolvente ex vi illius obligationis, quia(ut ait)Conſtitutiones Societatis Jeſu non omnino prohibent hos reditus accipere ; ſed ſolùm jus aliquod civile, ad eos recuperandos, acquirere ; & adminiſtrationem illorum habere ; ut conſtat ex verbis earundem Conſtitutionum *p. 6. cap.2. §.2. & 6.* & ibi *in declarat. lit.B.* quæ ab ipſo afferuntur, & ab aliis Scriptoribus Societatis cum ipſo ſentientibus in hoc puncto. Quos tamen confundere arbitror uſusfructus annuos legatos, cum legatis annuis ſimpliciter factis ; ut patet conſideranti verba *Conſtitutionum , & declarat. cit.* Aiunt enim Conſtitutiones *in illo* §.2.*cit*. In Domibus, vel Eccleſiis , quæ à Societate ad auxilium animarum admittentur , reditus nulli ; ne Sacriſtiæ quidem , aut Fabricæ applicati , haberi poſſint , ſed neque ulla alia ratione , ita ut penes Societatem eorum ſit ulla diſpenſatio : & *ibi, in declaratione cit.* dicitur : ſi aliquis ex Fundatoribus domorum , vel Eccleſiarum vellet reditus aliquos ad fabricæ uſum relinquere, dummodò nec diſpoſitio eorum ad Societatem pertineat, nec ſit, unde ei competat actio in illos, quamvis id illi curæ eſſet,ut is, cui tale munus commiſſum eſt ſuum officium faceret; & ſic in rebus ſimilibus;non eſt id à paupertate Societatis alienum. Ex quibus cùm *Conſtitutionum*, tùm *Declarationis* verbis clarè colligitur,ibi non eſſe ſermonem de reditibus legatis, qui important uſumfructum legatum, directè teſtatoris verbis in legandi forma relatis ad Domos,vel Eccleſias Societatis, quibus facultas percipiendi propria authoritate res legatas concedatur ex tali fundo,vel cenſu conſtituto; juxta alibi notata : Sed ſeorſum eſſe expreſſum de relictis ſub forma ſimplicis legati annui, vel fideicommiſſi , facti ſcilicet ſimpliciter gravando hæredē, cui tale munus ſolvendi tales fructus,vel penſiones , etiamſi integros, integraſvè determinati fundi , vel cenſus , commiſſum eſt : adhuc enim ſic non ſunt uſusfructus legatus, ſed ſimplex annuum legatum;ut notatum eſt *ſuprà*. In eo verò §.6. *Conſtitutionum* dicitur: ſi aliquis ſpontè ſua eas (loquitur ibi textus de eleemoſynis annuis perpetuis Societati ; vel ejus Eccleſiæ,aut Fabricæ relictis) relinqueret, nullum jus civile ad eas petendas in judicio acquiratur. Ex quibus verbis colligitur,ibi quóque ſermonem eſſe de annuis eleemoſynis relictis ſimpliciter, ſive gravando hæredem , ſive etiam in forma legati , directo ad legatarium verbo,non determinato capitali,vel fundo particulari , unde trahantur quotannis , ſed ſic indeterminatè gravando hæreditatem:quæ proinde eleemoſynæ, quæcúnque in legando ſervata fuerit à Teſtatore forma ex prædictis , etiam directis verbis ad Domos , vel Eccleſias prædictas , adhuc non eſſent uſusfructus legatus,cum non legentur fructus integri alicujus determinati fundi.Quapropter non abs re dubitari poſſet,an Domus ipſæ profeſſæ Societatis ſint capaces, etiam ſecluſo omni jure , id eſt quoad uſum de facto ſimplici , legati uſusfructus; cùm in earum Conſtitutionibus,aut Declarationibus non reperiatur ita expreſſum , ſicut de legatis annuis ſimpliciter factis. At quidquid ſit de hoc,quod diſcutiendum remitto ſapientioribus ejuſdem Societatis Doctoribus, quorum non mea intereſt, neque mei inſtituti : hoc, quod ad nos attinet , certum eſt, incapaces illius eſſe Fratres Minores per omnem modum ; idque eſt,quod diſertis verbis,& ad literam declarat Nicolaus III. *ſuprà* allatus, inquiens , *Ut ſi legaret Fratribus vineam , vel agrum ad excolendum,&c.* ecce formam, & modum legandi uſumfructum vineæ illius , vel agri : directo verbo ad Fratres in legando , & inſuper relictis eis integris fructibus ejuſdem agri, vel vineæ : quæ duo requiruntur ad legatum uſusfructus;itaut ſi alterum deſit , illud tale non ſit , ſed ſimplex legatum non importans de ſua natura uſum illius fundi , agri , vel

vineæ:

vineæ: ut si diceret Testator: *Mando hæredi meo, ut det quotannis Fratribus Minoribus tantam portionem vini, quod colliget ex tali vinea:* vel etiam: *Lego Relinquo Fratribus tantam vini quantitatem:* Quinimmò nec tale erit, si damner, sivè gravet simpliciter hæredem suum totum vinum talis vineæ præstare Fratribus ipsis; ut constat ex *Iuribus, & Glossis suprà allatis.* Quare hujusmodi legatum, sicut & quodcúnque aliud simpliciter relictum de re utibili Fratribus, vel convertibili in eorum usum, putà si sit de denarijs, vel pecunia; poterunt Fratres Minores, nullo ex parte ipsorum acquisito jure civili ad tales res legatas repetendas, admittere, & accipere cum moderaminibus requisitis; dummodò non fuerit factum in fraudem hæreditatis, vel paupertatis; prout alibi cautum est. Quidquid dicant Sanchez, & alij asserentes prohibitionem illam specialem, quæ sanè alia non est, quàm ea quæ enucleata à me fuit ex *textu Nicolai III.*

18 Cæterùm, quæ dicta sunt de capacitate assertorum legatorum, quoad Fratrum communitatem, eadem, eodémque prorsùs modo intelligenda sunt de legatis cuilibet Fratri in particulari relictis; ut benè Sanchez *cap. 26. cit. num.* 10. inquiens: sicut autem tota Fratrum Minorum communitas capax est, ut ipsi legetur; sic quilibet Frater Minor est similiter capax; & in solis illis casibus, quibus illa est incapax, erit quóque hic. Ratio est aperta; quia sicut quilibet Frater Minor est incapax proprij, & hæreditariæ successionis, similiter quóque est incapax tota communitas: & ideò si capacitas legati esset contra paupertatem Fratris singularis, esset quóque contra paupertatem totius Communitatis. Præterea, quia legatum est quædam donatio à defuncto relicta, & ab hærede præstanda: *§. legatum: instit. de legatis, & l. Regia 1. tit. 9. p. 6.* At Frater Minor est capax, ut sibi donetur; ergò ut legetur. Sic colligitur ex *Extravag. 1. verf. Porrò: de Privilegijs*: ibi *de quibuscunque verò relictis præfatis Fratribus in communi; vel singulis, ultimis decedentium voluntatibus, &c.* & docet *Bartolus* dicens, ita decrevisse Benedictum Papam: cujus verba refert *in tract. Minor. qq. lib. 2. dist. 5. cap. 1. num. 28. & cap. 2. num. 31.* & *in l. servos: 17. num. 2. ff. de aliment.* Imola *cap. 2. num. 42. de testamentis*; & *ibi* Ancharanus *num.* 30. Parisius *cap. in præsentia: n. 175. & 178. de probat.* Manuel *qq. Regul. tom. 2. q. 125. art. 6.* Hæc Sanchez, & benè.

19 Benè item impugnat Cordubam *in cap. 6. reg. quæst. 11. p. 1.* ajentem, quòd si Fratres Minores accipiant legatum in fraudem hæreditatis, vel paupertatis, ut alibi explicatum est, ex *Clem. Exivi: §. Cupientes: verf. Nec liceat eis:* non faciunt contra Paupertatis votum, sed contra Iuris prohibitionem. Verè enim faciunt contra Paupertatis, suæ votum: ut vult *Sanchez.* Non tamen propter rationem, quam affert *ibi* Sanchez, dicens: Quia cum dominium omnium bonorum ad Minores pertinentium sit apud Pontificem, solo facti usu ipsis relicto, ex ejus licentia, quam in hoc casu denegat, ipsi acceptando hoc legatum, usurpant illius usum contra voluntatem veri domini, & legitimi Superioris: ergò delinquunt in Paupertatis votum. Sed dico ego, peccare Fratres contra suam ipsorum Paupertatem; quia excessivam illam quantitatem legatam recipiunt, vel ad superfluitatem, & copiam, vel ad divitias, & thesaurizationem, vel ad provisionem in futurum; quæ omnia speciali prohibitione ex sua ipsorum paupertate illis sunt interdicta. Neque hujusmodi receptarum rerum acquirit dominium Pontifex, sed tantùm necessariarum, eùm actu ipsis præstantur, vel donantur; non autem à morte testatoris, ut supponit *Sanchez in sua ratione*, Recole superiùs dicta §. 22.

Benè etiam ex speciali *cit. Clementina* prohibitione, de non recipiendo valore, seu æstimatione hæreditatum, vel tantam earum partem legatam, quòd præsumi possit hoc in fraudem fieri hæreditatis: colligit, (quod æquè benè colligere potuisset ex Nicolai III. verbis, *eo §. Ad hæc quia:* quibus jubet ipsos Fratres à legato sibi facto cum expressione modi illiciti &c. ut *ibi* & ejus receptione per omnem modum abstinere: quæ est prohibitio specialis, de qua *suprà*) colligit indè, inquam, quòd Pontifex ille Clemens non irritat valorem legati magnæ quantitatis, & quod præsumi possit in fraudem: nec liberat hæredes solutione hujus legati; sed limitat receptionem à Fratribus faciendam: vult enim Fratres non recipere legatum, quod in hæredis fraudem fieri præsumitur. Quod tunc evenit, quando esset tanta quantitas, ut ejus receptio magis saperet thesaurizationem, quàm imminentibus necessitatibus prospicere. Quare tunc ex quantitate illa legata dabitur Fratribus, quod imminens necessitas postulabit; residuum verò tunc Fratres nequeunt admittere; & si nunquam supervenerit necessitas, nunquam admittere poterunt: at id poterunt, aliâ necessitate superveniente: quia nequit thesaurizatio præsumi, nec in fraudem admittere, cùm id solum recipiant quod imminenti necessitati sublevandæ opus est. Sic Bartol. *tractat. Minoric. lib. 2 dist. 1. cap. 1. num. 4. & 5. & 6.* Manuel *qq. Regul. tom. 2. quæst. 126. art. 1.* Sorbus *in compend. Privileg. Mendicant. v. legata, in suis Annot. verf. sed si quæras:* Ministri autem, & Custodes, simul, vel separatim arbitraturi sunt, quando hæc quantitas sit immoderata, attentâ personarum, 20

personarum,& temporum qualitate, varietate, & conditione locorum,& alijs circumstantijs; ut expressè habetur in *cap. Exijt: §. Insuper nec utensilia:* & benè tradit Bartolus *eod. dist. 1. cap. 1. num. 3.* qui benè ait *cap. 2. num. 8.* idem dicendum esse,quando in diversis testamentis diversa legantur,quorum quodlibet non est immoderatum; at tota quantitas simul est immoderata. Quare Guardianus, & Conventus nequibunt arbitrari, quæ sit quantitas immoderata, sed supradicti Prælati, ut benè ait Sorbus *cit. vers. Quando ergò pecunia:* Hactenus Sanchez *cit. num. 13.* & benè signanter quoad validitatem talis legati.

21 At memorem ipsum fuisse noluissem hujus sententiæ, & doctrinæ, cùm paulò post *n. 18.* agens de prohibitione speciali Fratribus Minoribus facta per Nicolaum III. *eo §. Ad hac, quia:* ut per omnem modum abstineant à receptione legati sibi facti cum expressione modi illiciti; *ut suprà*: Quærit, An tunc id legatum sit omnino caducum,ac proindè possit illud retinere hæres;an æstimationem teneatur Fratribus dare, aut in alium usum sit convertendum? Solvens autem dubium; quamvis prævias habuerit leges tùm Canonicas, tùm Civiles, D. Antoninum,& Menochium,clarè dictantes,id legatum non esse caducum,sed convertendum in alium usum,vel modum possibilem,aut scilicet vendendo fundum illum, vel censum, & æstimationem, vel pretium pro Fratribus impendendo, citra obligationem civilem ad id,aut etiam, illo fundo,vel censu ab hærede retento distribuendo quotannis fructus, vel pensiones pauperibus in communi, pro bono animæ testatoris;ut pietatem decet, ac religionem,quæ relictis ad pias Causas, & pro anima debetur, secundùm omnes leges;ut alibi ostendam: his non obstantibus,suæque met sententiæ paulò antè expressæ immemor,ait: Cæterùm dicendum est, nec tunc deberi æstimationem, nec eam posse recipi à Fratribus, tanquam debitam.Constat;quia *d. §. Ad hac quia:* dicitur sic: *A tali legato, & ejus receptione, per omnem modum Fratres abstineant.* At modus legati recipiendi est æstimationem recipere: *l. si domus, 71. §. qui confitetur, 3. ff. de leg. 1. & l. non dubium, 14. §. fin. ff. de leg. 3.* Atque ita docent Bartolus *cit. lib. 2. dist. 2. cap. 1. num. 9.* Ancharanus *in Clemen. Exivi: num. 17.* Manuel *cit. art. 1.* Sorbus *cit. v. Idem dicendum est:* Hæc ille,minùs tamen probè,nisi explicetur.

22 Quare ipse sic eum, omnesque alios ita loquentes, juxta germanum *illius* Nicolai *textus* intellectum explicaverim.Nec tunc scilicet deberi Fratribus signanter,tanquam legatarijs institutis etiamsi impropriè,&ex sola obligatione conscientiæ in hærede;itaut possint ijdem Fratres,tanquam legatarij instituti, Judicis officiũ nobile implorare; prout eis integrum licitúmque relinquitur per Nicolaum III. *in d. §. Ad hac quia:* in omnibus alijs legatis, in quibus modus ipsis illicitus nõ exprimitur:neque eam (scilicet æstimationem talis legati)ut sic,nempe ex obligatione conscientiæ,minùs verò ut civiliter debitam posse à Fratribus recipi,sed ab ipsis respuendam esse, quô à Fratribus præstito, adhuc tamen incumbit hæredi obligatio in foro conscientiæ,sed & justitiæ erga testatorem, impendi piam ejusdem voluntatem modo meliori,(ut communiter expressè cavetur,adjecta clausula *& omni meliori modo:* in ultimis voluntatibus) & proximiori, secundùm Tridentini decretum *sess. 25. cap. 8. de reformat.* Hicquè erit, sivè vendendo, vel distrahendo semel fundum illum, vel censum, cui id legati affixum est, æstimationémque in Pauperes, vel pias Causas distribuendo; sive, retento quidem fundo, vel censu ipso distribuendo quotannis fructus,& pensiones indè provenientes; ut *suprà* Quo casu poterunt & Fratres ipsi ex tali erogatione recipere, tanquam pauperes; nulla penitùs existente obligatione in hærede, vel executoribus ad dandum signanter ipsis, sed tantùm pauperibus in communi,inter quos tamen Fratres ipsi proximiores profectò sunt voluntati testatoris; ut alibi diximus, & adhuc ampliùs dicemus *infrà* in simili, de erogatione hæreditatis.

Quapropter minùs adhuc probè loquitur idem, *Sanchez* subjungens: immo id legatum prorsùs non valet,sed est caducũ;& sic non est convertendum in alium usum. Adducens Baldum ita probantem *in Authent. Ingressi: in nova edit. cap. 58. & 59. C. de sacrosanct. Eccl.* Bartolum *cit.* & Abbatem *in cap. in præsentia: num. 63. de probat.* Federicum etiam ita docentem *cons. 175.* Corneum explicantem, posse hæredem retinere, *cons. 217. num. 4. vol. 4. & Cons. 117. num. 9. vol. 2.* Navarrum *lib. 3. cons. tit. de Testamentis, in prima edit. cons. 14. num. 5.* in *secunda verò edit. cons. 8. n. 5.* Manuel *cit. §. ult.* & Sorbum *cit. vers. sed est advertendum:* quos tamen omnes eum ipso Sanchez, caveant hæredes, vel gravati, ne audiant, aut ex horum opinione consulentes. Nam ut alibi ostendam, evacuata etiam Baldi ratione, (*Hic §. 26 & art. 3. §. 8.*) quam affert Sanchez, hujusmodi legata, utpotè pia, nunquam censenda sunt caduca, & prò non scriptis habenda, atque ideò hæredibus accrescentia. 23

Memorem interim voluissem *Sanchez*, ut dixi, suæmetipsius sententiæ, & doctrinæ; quoad legata speciali prohibitione Fratribus Minoribus, interdicta per Clemen. V. *in eo loco Clement. citat.* Nam neque 24

Nicolaus III. in prædicta speciali prohibitione legatorum irritat valorem ipsorum, nec liberat hæredes solutione: sed tantum jubet Fratres ab eis, & eorum receptione per omnem modum abstinere, itaut respuere teneantur; ut patet legenti. Neque modus in hujusmodi legatis expressus, magis repugnans est professioni speciali Fratrum Minorum, quàm modus legatorum magnæ quantitatis, quæ in fraudem præsumi possunt hæreditatis, suntquè expresse in fraudem paupertatis. Quinimmò dixerim, rationabiliùs dubitari posse, an valida sint legata facta in fraudem hæreditatis; quàm facta cum expressione modi Fratribus illiciti, ex sua ipsorum professione tantùm; ut sunt ea, quæ fiunt in fraudem paupertatis ratione excessivæ quantitatis, quamvis cæteroquì possint non esse in fraudem hæreditatis; ut patet consideranti. Et de his satis pro nunc. Redibit alibi Sanchez ad examen nimirum *art. 3. §. 7. per totum*, sed & *hic* obiter, *& §. sequenti.*

§. XXV.

Secunda Conclusio.

SUMMARIUM.

1 *Legata omnia ex obligatione civili & politica certitudine debita repugnant paupertati Minoricæ, ex prohibitione speciali Nicolai III. & Clementis V.*

Ad quemcunque usum etiam privilegiatum relicta fuerint. num. 2. & seqq.

4 *Minores non possunt petere eleemosynas eisdem civiliter assignatas, sive habentes obligationem civilem annexam, etiam, pro Missis, alijsvè pijs Officijs celebrandis.*

Et qua ratione eleemosynaliter & humiliter petere possint, non exigere. & num. 5.

6 *Annua eleemosyna pro Missis, alijsvè pijs Officijs qua ratione & licitè assignari Minoribus, & peti seu recipi possint.*

7 *Legata ad pias causas dicuntur quæ sunt relicta ad cultum Dei, ad animarum salutem, & subsidium pauperum.*

Et gaudent eisdem privilegijs, quibus relicta ipsi Ecclesiæ. ibid.

8 *Legata pia omnimodo implenda sunt, vel de facto, vel de jure, vel præcisè si modo licito relicta sint, vel interpretativè ad mentem testatoris ad licitum modum & usum.*

9 *Legata ad causam pietatis quæ dicantur?* & num. 10.

Ubi sententia S. Augustini explicatur.

10 *Pietas dicitur tripliciter, erga Deum, erga Parentes, erga proximum per opera misericordiæ.*

11 *Legata dicuntur pietatis causa relicta quæ sunt ad egentium subsidium.*

Nullius omninò legati, (sivè eleemosynæ à testatore relictæ) præsertim annui, maximéque perpetui, tàm formaliter, quàm materialiter sumpti, propriè tamen dicti, sive (ut alij dicunt) per modum legati, sunt capaces Fratres minores, quoad quemcúnque usum conditione, seu professione, & statu suæ ipsorum specialis paupertatis consideratis: immò, si legatum factum fuerit cum expressione modi importantis usum, vel usumfructum legatum Fratribus ipsis alicujus rei immobilis, vel inter Immobilia computatæ à Jure, adeóque annuum reditum certum, & constitutum, ejusmodi legati, vel impropriè dicti, & de facto simplici, nullatenùs sunt capaces, itaut ab eo per omnem modum debeant abstinere, etiam pro unica vice, & quoad quemcúnque usum. Ratio est; quia hujusmodi legata omnia repugnant Minoricæ Mendicitati. Et quidem *primò*, legata simplicia propriè dicta (etiam, quæ pro unica vice præstanda relinquuntur, & citra fraudem hæreditatis, vel paupertatis) repugnant; quia proveniunt ex obligatione civili, & politica certitudine; & ratione juris, ex quo pruveniunt, si sint annua, habent rationem annui reditus materialiter sumpti, & propriè dicti. *secundò* verò, legata usufructus, vel usumfructum importantia, etiam impropriè dicta, repugnant; quia dicunt suaptè natura usum de facto boni immobilis, aut inter immobilia computati à Jure. Patent hæc omnia ex dictis in superioribus; ubi explicuimus prohibitiones speciales Nicolai III. quoad legata Fratribus Minoribus relicta, & Clementis V. quoad annuos reditus: & per illos Pontificum textus, qui ita intelligendi sunt, & non aliter, ut ostensum fuit, confirmatur ipsa conclusio, quæ præterea patebit ampliùs ex dicendis *per totum Consilium*, & *practicam Appendicem adjectam.* 1

Procedit autem Conclusio de legatis, Fratribus relictis ad quemcúnque usum, sive scilicet pro Ecclesia, vel divino cultu; sive pro Fabrica; sivè pro Infirmis; sive pro advenis hospitandis, scilicet sæcularibus, vel alterius Ordinis Regularis; sivè pro libris emendis, vel pro studio; sive pro Fratrum ipsorum victu, vel vestitu; sive pro qualibet alia eorundem necessitate. Equè enim tenentur ad mendicitatem, & paupertatem 2

tatem in omnibus, ut alibi ostendimus ex *declaratione Clementina*, & ad mentem Seraphici Patriarchæ Francisci ab ipsomet *in suo Testamento* expressa.

3 Per bimembrem hanc itáque mearum Conclusionum distinctionem intra unius veritatis orbem omnium, ut *suprà* innui, Doctorum positiones, Sacræque Rotæ, Congregationisve hac de re decisiones consistere perhibentur; nisi fortè Scribentes in interiori sensu exorbitare maluerint. Quotquot autem hujusmodi sunt, illos nec audio, nec audiendos censeo.

4 At, quoad legata simplicia, ne vel in puncto quidem exorbitat Corduba *in cap.6. Regul. quæst.* 10. dum ad utriúsque amussim conclusionis nostræ sic ait: Ex dictis sequitur, quòd Fratres non possunt petere, aut recipere eleemosynas frumenti, vini, & cæterorum hujusmodi, & multò minùs eleemosynam pecuniarum, quas aliqui Domini, seu Magnates, seu Communitates, aut Confraternitates solent facere quotannis, habentes eas scriptas in suis libris inter salaria famulorum, seu inter sumptus, seu Eleemosynas alias, quas ipsi solent, aut debent facere, seu solvere alijs, modò sint tales eleemosynæ liberaliter assignatæ, modò sint pro Missis, Exequijs, aut pro Sermonibus; quia non licèt eis petere, aut accipere, quòd tales eleemosynæ sic se habent, aut tali modo sunt in libris scriptæ, seu assignatæ, quòd per viam obligationis politicæ essent solvendæ; ita scilicet, quòd civiliter in judicio essent repetendæ. Ratio patet ex dictis; quia tales eleemosynæ appropinquant ad naturam redituum, & sunt certæ civiliter, seu habent obligationem civilem annexam; ut supponitur, cujus nos sumus incapaces; ut etiam *suprà quæst.* 5. dictum est. Hæc Corduba: Et quia (subdens) solùm per viam eleemosynæ possumus humiliter recipere, aut petere aliquid: de ratione autem eleemosynæ, & mendicitatis est, quod res, quæ sic eleemosynaliter petitur, accipitur, aut datur, sit incerta civiliter, (ut *suprà, ex cap. Religionum: de Religios. domibus*) aut quòd non habeat obligationem civilem annexam. Ergò non possumus petere, aut recipere talem eleemosynam certam civiliter, seu habentem obligationem civilem annexam, modò sit data, aut oblata per dantes viventes, aut in testamento legata; nisi Fratres, quando eam petunt, aut recipiunt; expressè protestentur, quòd purè eleemosynaliter eam petunt, & recipiunt; sicut de legatis perpetuis dicetur *infrà, quæst. undecima*. Hæc iterum ille, quem etiam vide *in quæstione ipsa undecima ab ipsomet citata, in paragrapho. Quartum punctum est*; ibi enim inter cætera clarè ducet, eandem, quam ego in superioribus tradidi, intelligentiam tenendam esse illius versic. *cùmque annui reditus*: quòd scilicet solùm habeat veritatem, quando nos Fratres Minores, (supple, aut Pontifex ex parte nostra specialiter se habens) tanquam habentes aliquid dominij, aut juris in tali legata pecunia, vel quocunque alio legato; ijs gaudemus. Ita ille. Ad quæ paulisper reflectens dico: Quomodo potest in nobis, aut in Pontifice pro nobis specialiter se habente esse quicquam dominij, aut juris in talia legata annua, quæcúnque illa sint; aut quomodo potest annecti tali rei legatæ, exhibitæ, petitæ, vel receptæ obligatio politica, & certitudo civilis, nisi nos ipsi, aut Pontifex, ut præfertur, se habens, acceptaverimus titulum civilem, assensúmque præbuerimus translationi dominij, aut juris, quæ ex tali acceptatione suaptè fluit naturâ? Nunquid autem non est omnibus satis compertum, ac protestatum per Declarationem Nicolai III. *in eo paragrapho Ad hæc quia*: quòd neque à Fratribus, neque à Romano ipso Pontifice, tanquam ipsorum Patre, ac Domino speciali, ad eorundem utilitatem hujusmodi legata, seu tituli acceptantur; ac per consequens, quòd res ipsæ legatæ non sunt nobis, aut Pontifici ad nostram utilitatem civiliter acquisitæ, aut debitæ? Non ad alium igitur finem requiri potest, quòd à Fratribus petentibus, vel recipientibus hujusmodi res legatas protestatio prædicta fiat, nisi ad evitandum scandalum, quod ex falsa imaginatione posset in aliquo oriri. At satis id evitabitur, si Fratres in petendo, & recipiendo humiliter se habeant, abstinendo ab omnibus cùm verbis, tùm factis, quæ jus, aut dominium, vel proprietatem, aut administrationem in ijs apta sunt præseferre: sic enim fiet, ut ostendant, se eleemosynaliter tantùm petere, & recipere. De hujusmodi tamen Protestatione facienda dicetur *artic. secundo paragrapho secundo & tertio*.

Atqui eundem Cordubam, *ubi suprà*, differentem audiamus. Ait igitur: Quòd si tales eleemosynæ non sic haberent talem certitudinem, seu obligationem civilem annexam; sed sic promittuntur, aut in libris scribuntur, aut assignantur, quòd civiliter contra eos non est agendum, sed solùm est promissio, aut debitum naturale pro Missis, aut Sermonibus, aut aliâ quacúnque causâ, tunc licitè possunt Fratres eam eleemosynam petere, & recipere per viam eleemosynæ; quia talis eleemosyna est incerta civiliter, quamvis sit certa moraliter, tamen sic, quòd probabiliter creditur, 5

O 2 quòd

quòd dabitur: nunc autem licitum est nobis petere, seu mendicare eleemosynam ab eo, qui probabiliùs creditur daturus ex quacúnque causâ aliàs licita, dummodò non sit annexa certitudo, aut obligatio civilis, seu politica; ut dictum est. Et hoc modo credo, quòd sunt omnes ferè eleemosynæ, quas Domini, & Communitates Regnorum Hispaniæ solent facere, & relinquere in testamento, Monasterijs, aut Fratribus purè liberaliter, aut pro Sermonibus, licèt eas habeant in suis libris scriptas, & assignatas; & ideò sic licitè recipiuntur, quantùm est ex vi Paupertatis, nisi aliundè adveniat alia prava circumstantia; utpotè superfluitas, vel alia ejusmodi: cujusmodi esset, (suppleo ego) si tales eleemosynæ importarent usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati. En, quàm affatim meas edisserat Conclusiones *Corduba* afferens Sylvestrum *in sum. vers. legatum 2. quæstione quarta.* Uideatur ille *ibid. quæst* 11. *paragrapho secundum in hoc secundo puncto &c. & quæst.* 8. §. *Nunc ergò his suppositis.* Cum Corduba pari passu incedit Politius noster *in cap. sexto Reg. num. quadragesimoquinto, &* 46.

6 Jntelligentiam porrò *Clementinæ Exivi: in eo vers. Cúmque annui reditus:* quam nos tradidimus *suprà* §. 18. & in præsenti teneri etiam à *Corduba* ostendimus; tradit insuper Rodericus *qq. regular. tom.* 2. *quæst.* 126. *art.* 4. *Neque argumentum:* dicens: Existimo, *in dicta Clementina* omnino tantùm (idest etiam quoad usum) Fratribus prohiberi habere census & jura redituum annualium, quæ propriè bona immobilia reputantur: non tamen prohiberi, ut dicta legata annualia (loquitur de annuis legatis simplicibus; nec admitto, si loquatur de legatis ususfructus annui) tanquam stipendia pro celebratione Divinorum, ipsis possint legari, & ab ipsis recipi, & ipsis in foro conscientiæ deberi, licet ad ea petenda in foro exteriori nullam habeant actionem. Eandem prorsùs *Clementinæ* intelligentiam tradit idem Auctor *in Addit. sum. tom.* 3. *cap* 174. *num.* 1. Roderico altero mihi teste *in illius qq. Reg. comp resolut.* 88. *num.* 11. *vers nec obstat:* dicens: quòd annui reditus dictis Fratribus prohibiti *in d. Clem. Exivi*: solùm dicuntur illi, qui percipiuntur ex fructibus agrorum, ex censibus, ac juribus pecuniarijs, seu reditibus, quæ inter bona immobilia numerantur; non autem quod relinquitur aut debetur tanquam debitum naturale, seu stipendium pro Missis, & alijs Officijs: quæ per actionem civilem non petuntur, sed tantùm per modum puræ eleemosynæ. Hæc ille optimè, etiam *ibidem* sustinens contra Navarrum, & alios, talia legata annua non esse irrita. Id, quòd ego adeò pro certo habeo, ut irrefragabile censeam, scitúmque voluerim & benè, intellectum à conscientiarum moderatoribus non solùm quoad legata annua simpliciter Fratribus Minoribus relicta; sed etiam quoad alia quæcúnque relicta cum expressione cujuscúnque modi, vel circumstantiæ, secundùm quam recipere, vel de facto, ijsdem Fratribus specialiter est interdictum, ipsorum statu, & conditione spectatis; prout tetigi contra Sanchez *in paragrapho præcedente*, alibíque tradidi, & tradam *in sequentibus.*

Quòd autem ita certum, & irrefragabile sit, ex eo constat; quia nimirum hujusmodi legata, quæcunque illa sint, in ijs profectò legatis, quæ ad pias Causas fiunt, numerari debent. Sunt enim ad Dei honorem, & cultum; ad animarum testatorum salutem; & ad pauperum, egentiúmque subsidium; quæ omnes causæ, piæ sunt; ut tradit Paulus Comitolus *lib.* 7. *resp. mor. quæst.* 4. *num.* 3. cum Sylvestro *in sum. verb. Legatum* 4. *quæst.* 1. Angelo *in sum. tit. eo.* 2. *quæst.* 1. Tabiena *in sum. titul. eo.* 2. Armilla *item in sum. eod. tit. num.* 44. Panormitano *in cap. Relatum:* 1. *de testamentis: num.* 7. aiente: Dicuntur relicta ad pias causas omnia, quæ relinquuntur pro anima. Allegat autem hic Glossam civilem, & Bartolum *in l. si quis Titio: ff. de legatis:* 2. Relicta verò ad pias Causas eodem privilegio gaudent, quo relicta Ecclesiæ, ut tradit Panormitanus *cit.* ex verbis Pontificis *in d. cap. Relatum* 1. Et *ibi* expresè *Glossa.* Sicut ergo nullus laicus, aut hæres, vel alius gravatus intervertere potest, aut suo jure consequi, vel sibi retinere relictum Ecclesiæ, sic nec quodlibet legatum pium vendicare. Jta *Panormitanus citat.* Sylvester *cit. numer. quinto.* Angelus *cit. num.* 4. Armilla *cit. num.* 48. & ex his Comitolus *cit. num.* 4. qui etiam *lib* 1. *quæst.* 70. *num.* 10. ait: Uoluerunt enim (legantes scilicet ad Dei cultum, & pias causas) & sibi mortuis prodesse, & divino cultui, & pauperum indigentiæ inservire. Religiosam ergo testatorum, legantiúmque mentem iugulare, hominis est impij, atque Sacrilegi. Hæc ille. Qui legit intelligat. 7

Hinc fit, ut legatum pium implendum omninò sit, vel de facto, vel de jure. Quòd si neutro horum modorum impleri nequit, juxta ordinationem testatoris, commutari debet Ecclesiastica Auctoritate in alium pium usum; ut docent Doctores omnes *locis citatis:* Sylvester *quæst.* 10. Angelus *num. duodecimo* Tabiena *quæst.* 10. qui hujus sententiæ Auctorem dilaudant, & sequuntur *Angelum* 8

Perusinum

Perusinum. Quapropter, cùm legata omnia Fratribus Minoribus relicta, verè sint ad piam Causam, quippè invehentia aut Dei, Sanctorumvè honorem, aut animarum testantium bonum, aut, ipsorummet Fratrum pauperculorum subsidium; possintque esse in duplici differentia, juxta positas Conclusiones: vel nimirum talia, quæ ex eorundem Fratrum professionis vi, & declarationum Pontificum dispositione de facto tantùm, non de jure ab ipsis recipi possunt; vel talia, quæ nec de jure, nec de facto ex obligatione conscientiæ speciali hæredis, vel gravati erga ipsos, sed ab ipsis sunt respuenda: Ideò, cùm de primis sermo est, impleri ea debent de facto, si non possunt de jure; nam supponitur, & præsto esse rem à testatore legatam, vel quoad usum in se Fratribus licitam, vel convertendam, ubi talis ipsa non fuerit, in aliam, cujus usus sit licitus, juxta eorum indigentias; & adesse hæredem, gravatum, vel Executorem, qui solvere in conscientia teneatur, & possit, ipsis signanter Fratribus, secundum ordinationem testatoris: cum verò de secundis sermo est, quæ nec de facto recipi à Fratribus possunt, sed respui debent, utpotè relicta cum expressione modi, secundùm quem ipsis (eorum conditione, & mendicitate spectata) recipere non licet; tunc non idcircò censenda sunt irrita, & hæredibus cedentia; sed dicendum est subesse causam, cur auctoritate sua possit Episcopus in alium usum illa convertere. Quare hæredes caveant conscientijs suis, ne sibi illa retineant; sed cum suis respectivè Episcopis, aut summo Pontifice de commutatione agant, vel distribuant pauperibus, qui in hujusmodi legatis, sicut & restitutioni, incertorum, succedere eum Christo censendi sunt; ut benè Comitolus *cit. n.* 11. *in fin.*

9 Neque dicas, legata, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur, nisi sint expresse pro cultu Dei, vel Sanctorum, aut pro bono animæ, non habere causam pietatis. Non, inquam, ità dixeris, minùs piè loquens, innixus fortè (sed perperam) auctoritate D. Augustini *lib. decimo, de Civit. Dei, cap. primò* ajentis, Pietatem propriè, Dei cultum intelligi solitam esse. Dei autem cultus non dicitur ex comparatione ad homines, sed ad Deum: Ergo saltem, cùm legata prædicta referuntur simpliciter ad subsidium Fratrum, non erunt pia censenda.

10 Respondeo enim ex D. Bonaventura *in* 3. *sentent. distinct.* 9. *artic.* 2. *quæst.* 1. *ad tertium*, & *distinct.* 35. *quæst. ultim. in corp. & per totam*, & ex D. Thoma *ibid. & in* 2. 2. *quæst.* 101. *artic.* 3. *& quæst.* 121. *artic.* 1. *ad tertium*, cum quibus communiter incedunt Theologi: & dico cùm S. Doctore meo *primo loco cit.* quòd, sicut dicit idem D. Augustinus *loco cit. in opponendo*, Pietas dicitur tripliciter. Uno modo Pietas idem est, quod apud Græcos θεοσέβεια Theosebia dicitur, & sic propriè, ut ait D. Augustinus, dici solet, & est cultus Dei. Alio modo dicitur Pietas, officium parentibus exhibitum. Tertio modo dicitur Pietas, misericordia, quæ proximis in operibus exhibetur. De his autem dicitur, secundùm priùs, & posteriùs, & secundùm quandam rationem analogiæ, secundùm quòd dicitur ibidem, (apud D. Augustinum) quia in omnibus est cultus Dei: principaliter tamen dicitur de cultu divino, idest de illa virtute, qua colitur Deus: Et idipsum adhuc expressiùs docet idem S. Doctor *secundo loco citat.* inquiens: dicendum, quòd vocabulum *Pietatis* multipliciter habet accipi, secundùm quod innuit August. *in princ.* 10. *de civit. Dei*: ait enim sic: Pietas propriè Dei cultus intelligi solet, quam Græci Theosebiam vocant: hæc tamen etiam erga parentes officiosè haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ, nunc frequentatur. Cum igitur pietas sic dicatur multipliciter, videlicèt erga Deum, & erga parentes, & erga quemcunque hominem; secundùm quod ordinat erga Deum, non est nomen doni Spiritus Sancti, sed potiùs est idem, quod Latria, & Theosebia, seu Eusebia: secundum autem, quòd ordinat ad parentes, adhuc etiam non tenet rationem doni, sed potiùs est species justitiæ virtutis, pro eo quod ad hoc ordinatur secundùm regulam naturalis juris, & secundùm obligationem necessitatis: secundùm autem quòd attenditur respectu cujuscùnque proximi, sic Pietas est nomen Doni. Aliter tamen attenditur erga proximum Pietas donum, & Misericordia Virtus. Misericordia enim Virtus respicit conformitatem in natura, & necessitatem in indigentia, sive in miseria: Pietas verò attendit in proximo imaginem divinam: unde dono pietatis est homo benevolus cuicunque homini, qui habet in se imaginem Dei, ita quòd benevolentia illa pro loco, & tempore aliquando progreditur in compassionis affectum, aliquando in operis beneficium. Et sic patet, quis sit actus, & objectum pietatis Doni; quia ipsius est, facere hominem benevolum respectu cujuslibet proximi, inquantùm gerit imaginem Dei. Et quoniam ad hoc habet dirigi per donum scientiæ, quòd quidem fundatur super principia Fidei, & dirigit in conversatione, secundùm exemplar Christi; hinc est, quòd actus Pietatis, etsi principaliter consistat erga proximum, nihilominùs consistit respectu sacræ Scripturæ, ut eam cum benevolentia audiat; &

etiam respectu passionis Christi, ut eam eum benevolentia ad memoriam reducat: unde usus doni Pietatis attenditur in his tribus in exequendo, secundùm quòd & usus doni Scientiæ, quod est ejus directivum in cognoscendo; principaliter tamen, secundùm quòd donum est, attenditur in benevolentia respectu proximi. Et in hoc sensu accipitur propriè Pietas donum. Hæc S. Bonaventura à quo in nullo discors est D. Thomas *locis cit.*

11 Ecce igitur, quomodo Pietas accipitur & more Theologorum, & more vulgi, ut ait ipsemet D. Augustinus cit. & quomodo nomen Pietatis, etiam secundùm Theologos, & Sacros Canones, legatis, quæ etiam ad egentium subsidium relinquuntur competere perhibetur. Et sic patet falsa objectio, & firma manet sententia, quòd legata in subsidium Fratrum Minorum relicta, etiamsi non exprimatur causa divini cultus specialis, verè sunt causâ Pietatis Theologicæ, quæ est Donum, tametsi non sint causâ pietatis Theologicæ, quæ est Virtus; quinimmò reductivè dixerim, esse etiam causa pietatis, quæ est Virtus; nam à Fidelibus fiunt præcipuè quia ea fieri commendat Deus, eadémque sibi pro Sacrificijs, & præ Sacrificijs placita esse testatur. Ad hæc, vide dicta §. 18.

§. XXVI.

Ex prajactis fundamentis in duobus præcedentibus §. §. refelluntur positiones aliquot Sanchez, & aliorum in hac materia.

SVMMARIVM.

1 *Hæredes caveant ne ex prætensa incapacitate Minorum in recipiendis legatis, suam prægravent conscientiam in eisdem sibi retinendis.*

2 *Legatum domus ad habitandum, vel ad Ecclesiam novam ædificandam, an sit inutile? & qua cautela testator uti debeat, si Minoribus relinquere velit*, & num. 3.

3 *Minores non possunt habere Ecclesias aut domos separatas à propria habitatione, nec possessiones, nec redtus, &c.*

4 *Aliud est, legatum non valere quoad obligationem illud præstandi signanter Minoribus: aliud nullo modo absolutè.*

5 *Legatum Minoribus relictum potest intelligi dupliciter ad usus illis incongruos: & quid inde sequatur, & fieri opus sit & deceat.* & num. 6.

7 *Prohibitio ne Minores nova loca acquirant, est communis Religiosis Mendicantibus: & quomodo intelligi debeat.*

8 *Interpretatio* Sanchez *circa prohibitionem acquirendi nova loca Religiosis Mendicantibus factam, refellitur.*

Quid senserit Rodericus *circa prohibitionem acquirendi vel nova loca, vel bona immobilia Religiosis Mendicantibus factam, adducitur.* ibid.

Cautela, ut testator relinquat Religiosis Mendicantibus bona immobilia in tempus cùm habita fuerit licentia à Papa. ibid.

Quid pro Minoribus specialiter inde colligi & inferri possit. num. 9.

10 *Prohibitio acquirendi nova loca Mendicantibus facta absque speciali Pontificis licentia, non plus afficit Minores, quàm cæteros; neque facta est intuitu status mendicitatis.*

11 *Prohibitionis acquirendi nova loca, & ædificandi nova Monasteria, & Oratoria absque Papæ licentia, origo, ordo, rationes, & moderationes enarrantur.* & num. seq.

Collegia absque permissu Principis de jure civili prohibentur. ibid.

12 *Concilium generale Lugdunense sub Gregorio X. prohibuit novos Ordines seu Religiones adinveniri, & Ordines Mendicantes non approbatos suppressit.*

Hæc constitutio non tangit Ordines Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum. ibid.

13 *Constitutio Bonifacij VIII. circa prohibitionem Mendicantibus factam nova monasteria construendi, aut antiqua immutandi.*

Confirmata fuit in Concilio Viennensi à Clemente V. num. 14.

15 *Privilegia seu rescripta Pontificia à diversis Ordinibus impetrata ad nova Monasteria ædificanda, à Gregorio XV. & Urbano VIII. revocata, & moderata.*

Modus ab Episcopis observandus in concedenda licentia ædificandi nova monasteria, ex constitutionibus Gregorij XV. Urbani VIII. & Clementis VIII. petendus & servandus. ibid.

16 *Decretum Concilij Tridentini circa prohibitionem erigendi nova Monasteria sine licentia Episcopi cujusque loci, quomodo intelligendum respectu Minorum.* & n. 17. & 18.

18 *Mendicantium monasteria nova non erigenda, nisi habita priùs licentia Episcopi, & vocatis omnibus interesse habentibus.*

19 *Prohibitionis ædificandi nova Mendicantium monasteria præcipuus finis exponitur.* & n. 18

20 Baldi *opinio rejicitur volentis legatum Minoribus relictum sub modo illicito, sive eorum statui incongruo, esse caducum, & accrescere hæredi.*

21 *Legatum*

21 *Legatum Minoribus relictum ad ædificandum Conventum, aut Ecclesiam, non est sub modo, vel conditione; sed potius sub causa, vel demonstratione,* & num. 25.

22 *Legatum potest relinqui sub conditione, vel modo, vel demonstratione, vel causa.*

23 *Legatum sub demonstratione relictum exponitur.*

24 *Legatum sub causa, conditione, vel modo factum, declaratur.*

Causa interdum pro conditione accipitur. ibid.

Conditio, & modus, in quibus conveniant, vel discrepent, in relinquendis legatis. ibid.

Causa falsa non vitiat legatum. ibid. & num. 25.

25 *Legatum domûs ad ædificandum Minoribus relictum, intelligitur ex causa ædificandi si indigeant.*

26 *Legatum Minoribus relictum sub modo illicito, non vitiatur, sed modus habetur pro non scripto, ad instar conditionis impossibilis: & convertendum est ad modum licitum.*

27 *Conditio impossibilis non vitiat legatum: neque possibilis non impleta si non stet per legatarium quominùs impleatur.*

28 *Legatum ad pias causas continet duplicem favorem, legantis, & legatarij.*

29 *Modus legato adscriptus si specificè impleri non posit, debet converti in alium honestum usum: ut declaratur* ibid.

30 *Legatum ad pias causas sub conditione impossibili ex parte seu errore legantis, non vitiatur, sed solvi debet.*

31 *Legatum Minoribus relictum ad usus superfluos an & quomodo sit invalidum, vel sustineri posit.* & num. seqq.

32 *Legatum Minoribus relictum ad usus superfluos & eorum professioni incongruos, valet absolutè ad favorem piæ causæ, non respectivè quoad obligationem solvendi eo modo quo relictum est.*

33 *Aliud est legatum relinqui ad opus de jure prohibitum: aliud relinqui ad usum quidem honestum; qui tamen ratione modi incongrui respectu legatarij, vel alterius causæ, impleri specificè non potest.*

34 *Legatum Minoribus relictum absolutè, non expresso usu superfluo, valet ex suppositione si indigeant, & eis solvi debet specificè; sin minus ad alios usus necessarios convertitur.*

35 *Legatum Fratri Minori relictum ad usus sibi non convenientes, veluti libros Fratri laico particulari ignaro literarum, valet, & convertitur ad usum ipsi consentaneum.*

36 *Legatum Fratri Minori relictum sub conditione si ejus Superior uti permittat, & eo non permittente amittatur legatum, an valeat.*

EX universalitate incapacitatis Fratrum Minorum, secundùm quam procedere, assertum, probatúmque est, secundam Conclusionem nostram, quoad legata propriè dicta, idest legata simplicia civiliter debita, aut quoad legata usumfructum importantia, simúlque ex pietate eorumdem legatorum *in præcedente item* §. comprobata; duo genera assentantium (alterum, hæredibus, vel gravatis; alterum Fratribus:) positionum refutanda iure optimo perhibentur. Ut igitur distinctè id prosequar, recensebo in primis, quæ ad hæredes, vel gravatos pertinent: deinde verò quæ ad Fratres ipsos. Et quidem, quod ad primum attinet. 1

Reijcio primò docentes, non valere legatum, sed esse inutile, quando v.g. Fratribus Minoribus legatur domus ad habitandum, aut ibi construendam Ecclesiam. Sunt autem Federicus *cons.* 175. *Viso instrumento per totum*; Baldus *in auth. ingressi: in nova edit. num.* 59. *C. de sacros. Eccl.* Ancharanus *in Clem. Exivi. n.* 19. Gualdensis *de arte testandi, tit.* 6. *cautela* 62. *num.* 1. qui *num.* 2. ait, cautelam esse, ut valeat dictum legatum, si adijciatur conditio, ut si is modus impleri nequeat, convertatur in alium licitum. Et *tit.* 1. *cautela* 11. *ad fin.* docet similiter inutile esse legatum pecuniæ Fratribus Minoribus relictum ad novum locum emendum, in quo construatur nova Ecclesia pro ipsis: atque ut valeat, ait cautelam esse, si apponatur conditio, obtentâ priùs Romani Pontificis licentiâ. Hisque accedit Devagoas *Reg.* 382. *amplat.* 2. dicens, inutile esse id legatum, quamvis sit pecuniæ ad locum illum emendum, aut construendum. Horum rationes sunt. Prima; quia dictis Fratribus interdictum est nova loca acceptare: *cap.* 1. *de Religios. domib. & cap.* 1. *de excessib. Prælat. in* 6. Secunda; quia hujusmodi legatum, cum capiat substantiam ex modo, hic autem sit impossibilis, vitiatur, nec convertendum est in alium usum. 2

Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 26. *num.* 22. veram pronunciat hanc opinionem in eo tantum casu, quo Fratres Minores non egeant illa domo, ut domum, seu Conventum, quem actu inhabitant, aut Ecclesiam quam colunt, extendant, & ut cum illa continuent; vel ut inhabitent, aut Ecclesiam in ea ædificent. Quippè (inquit) Fratres Minores nequeunt habere Ecclesias aut domos separatas à propria habitatione, sicut nec possessiones, aut reditus, aut Parochias alias. Si verò egeant ad prædictos usus, ut Ecclesia, aut Domus extendatur, ac ex utráque unica construatur, valet legatum, 3

quippè tunc non est modus Regulæ Fratrum contrarius. Affertque Cordubam *in cap.6.Reg. quæst.*11 *punct.*1.*dub.*1. *ad finem*; qui etiam addit, in quadam Congregatione Patrum Ordinis declaratum fuisse, licere Fratribus hospitari in domo relicta alicui, ut ibi hospitentur Minores, alimentáque illis præbeantur. Benè autem ita declaratum; & de facto etiam in præsentiarum frequens est hujusmodi legatorum pro Fratribus Minoribus praxis.

4 Verùm rejicio adhuc opinionem illam, etiam in eo casu, in quo eam approbat *Sanchez*. Illud autem in primis hic scitum volo ex alibi dictis, quòd aliud est, Legatum nullo modo valere, quoad obligationem præstandi illud signanter Fratribus, quoquo modo; aliud est, Legatum nullo omninò modo valere in se, & absolutè, ut in pauperes, vel alias pias Causas erogetur pro bono animæ testatoris, utpotè pium, quod est. Et, si quidem primùm tantùm sibi vellent Doctores illi, & Sanchez, tolerabilius esset; At secundùm, quod certè sibi velle indicant, dum docent, legatum illud cedere hæredi, omninò intolerabile est; nam manifestè derogat privilegijs, & favoribus, quibus legata ad pias causas Iura omnia sustinent.

5 At neque illud primum dicendum est in legato proposito. Advertendum enim est cum *Roderico, & alijs infrà cit.* quòd quando legatum pro Fratribus Minoribus relictum, annexum habet modum aliquem, vel usum expressum ijsdem Fratribus incongruum, modus ipse vel usus potest esse talis dupliciter: aut scilicet ratione status, & conditionis specialis ipsorum, ut sic, & generaliter; aut tantùm in particulari, & hic, & nunc, putà ratione alicujus singularis Fratris, aut usus particularis hic, & nunc non necessarij: Et quidem si modus sit primi generis; ut si legetur vinea, vel ager ad excolendum; census constitutus ad habendas annuas pensiones; domus ad lucandum; vel etiam certa pecuniæ summa cum expressione, ut ex ea emantur pro Fratribus paramenta, vel alia superflua, pretiosa, vel curiosa pro servitio Ecclesiæ, aut etiam pro usu ipsorum Fratrum; tale legatum nullo modo valet, quoad vim relativam erga Fratres signanter; atque hi debent ab illo, & illius receptione per omnem modum abstinere, itaut neque ejus æstimationem admittere possint ex vi ordinationis testatoris in ordine ad ipsos: adhuc tamen, cùm sit pium, absolutè valet pro anima testatoris, eritque erogandum in alias pias Causas cum consilio, & licentia Episcopi, vel summi Pontificis; ut dictum est §. *præcedente*, *numero* 8. Si verò modus, vel usus sit secundi generis; ut si legentur Biblia, vel Breviarium, Missale, aut libri Doctorum Fratri laico; tunc legatum non solùm valet absolutè, & in se, sed etiam signanter pro Fratribus, ita ut res legata vel in aliorum Fratrum usum, quibus ipse usus congruit, cedat, si ferat necessitas; vel si hic, & nunc abest necessitas, vel congruitas, convertatur per hæredem, vel executorem in aliam congruam, & necessariam. Et hujusmodi est legatum, quo de loquitur. Neque enim modus ille, vel usus expressus à testatore continet incongruitatem, vel impossibilitatem ratione status, & conditionis Fratrum, ut sic, & generaliter; cùm possint ipsi habere loca hujusmodi: sed tantùm continet incongruitatem, & impossibilitatem in particulari hic, & nunc, ex eo scilicet quòd Fratres hic, & nunc habent locum, & Ecclesiam sufficientem, & non indigent alijs; & ideò in alias ipsorum Fratrum commutandum est necessitates per hæredem, vel executorem testamentarium, ut dictum est, de consilio Episcopi, non autem Ministri Provincialis, aut Generalis Fratrum; ut tradit Rodericus *qq. regul tom.*2.*quæst.*125.*art.*9. *&* 10. & *quæst.*126. *art.*1. Quinimmò cavere debent Fratres, ne in hujusmodi venditione, distractione, vel commutatione interveniant, ut alibi diximus; nisi manifestando necessitates, in quas converti debet.

Quapropter, rejectâ sententiâ illâ, teneo 6
cum Bartolo *in tract. Minor.qq.lib.*2.*dist.*2.*cap.*1. *num.*9.*& cap.*2.*n.*12. Sorbo *in Compend. Privil. v.Legata, in suis annotat.vers.Et idem dicendum est*: Roderico *quæst.*126. *art.*1. *cit. ad finem*, & alijs asserentibus, illud legatum valere, etiam quoad Fratres, non ut servetur præceptum, & modus, sive usus testatoris, sed ut convertatur in alium usum Fratribus ipsis congruum, & necessarium, juxta *l. legatum*: *ff. de usufructu leg.*

Rationes porrò Doctorum rejectæ sententiæ 7
tiæ respuuntur & ipsæ quippe quæ ipsæ potiùs, quàm legatum, contra quod militant, nil valentes, & nullæ, cassæ, & pro non scriptis habendæ. Nil valet prima; quia illa prohibitio, ne Mendicantes nova loca acquirant, non est specialis Fratrum Minorum, ratione sui ipsorum status, & conditionis; sed est communis omnibus Mendicantibus, non solùm attento antiquo eorum statu, & veteri Iure, sed etiamnum post Concilium Tridentinum. Canones enim illi loquuntur de domibus, vel locis ad habitandum de novo non acquirendis sine speciali licentia Papæ; non autem de non acquirendis novis locis, aut bonis immobilis per Mendicantes, ubi jam habent domicilium; quod hodie post Concilium Tridentinum *sess.*25.*cap.*2.*de Regularibus*, omnibus Mendicantibus integrum est, exceptis Fratribus Minoribus Capuccinis, & qui de Observantia nuncupantur.

Unde perperam prohibitionem illam interpretatur 8

pretatur Sanchez *cit. num.*23. hisce verbis: Quatenùs autem interdicitur omnibus Mendicantibus nova loca acquirere id habebat verum; attento antiquo eorum statu, quando eis non erat permissa bonorum immobilium possessio. At, cùm hodie omnibus illis sit permissa, exceptis Franciscanis de Observantia, & Capuccinis, in Triden. *sess.*25. *cap.*22. *de Regular.* cessat in reliquis ea prohibitiò. Hæc ille, perperam interpretatus prohibitionem illam, & malè allegans pro hac interpretatione Rodericum *tom.*2.*qq regular.quæst.*125.*art.*1. *in fine*; sicut & malè allegat pro ipsa prohibitione *cap.*1.*de Privileg.in* 6. ubi nihil habetur de illa; nisi fortè voluerit allegare *cap.*4. *eo tit.* in quo Alexander IV. Sancivit, quòd Exempti in locis non exemptis Oratoria, vel Capellas sine Diæcesanorum licentia cōstruere non possint; nec in Exemptis sine licentia Papæ. Rodericus verò & ipse neque ibi, neque usquam alibi illam insinuat interpretationem. Docet quidem *loco cit.§. secundò infertur*: Posse Mendicantes omnes (exceptis Minoribus) secundùm jura antiqua, capere ex testamento etiam bona immobilia, non ut ea retineant, sed ut vendant, & eorum pretia in suas necessitates convertant; (& hoc per se ipsos, vel per interpositas personas, quod non licet Minoribus, eorum Regula prohibente: quæ tamen non prohibet eos capere hujusmodi bonorum pretia, si per hæredes bona ipsa distrahantur, & convertantur in eorum necessitates) ut tradit Gloss. *in d.c.*1. *v.domum, de relig.domib.* quam sequuntur Calderinus *cons.*46.*de test.*& testantur communem Alexander *cons.*88. *num.*1. *lib.*2. & Decius *in cap.in præsentia: num.*59.*de probationibus*; non enim dicuntur accipere immobilia, ex quo statim illa vendere, & pretium in suas necessitates convertere intendunt: ut post alios resolvit Julius Clarus *lib.*2. *Sentent.* §. *Religiosus*: Hæc ille, quæ, proportione servata, valent etiam pro Fratribus Minoribus; nam multò minùs hi dici possunt accipere immobilia legata, quæ per hæredes, vel testamentarios executores distrahuntur, & in eorum necessitates convertuntur. Docet item Rodericus ipse *ibid.*§. *ex his sequitur tertiò*: posse Mendicantes omnes (exceptis Minoribus) capere, & possidere in communi domum v. g. sibi legatam ad construendam novam Ecclesiam, vel novum locum ubi commorentur: non obstante Iure antiquo prohibente: Atque hæc sunt ipsius verba: Ex his sequitur tertiò, quòd licèt secundùm jus *d.cap.*1.*de excess.Prælatorum*, *& Clement. de pœnis, cap. cupientes*: Fratribus Mendicantibus non possit relinqui domus, in qua debeat construi nova Ecclesia, ut ibi Fratres commorentur; quia prohibitum est per dicta jura Fratribus novum locum acquirere: & quamvis asserat Durantus, *de Cautelis,caut.*11. quòd, ut dispositio testatoris effectu non careat, remedium est, quòd testator relinquat in tempus, cùm habita fuerit licentia à Papa, juxta doctrinam communem notatam à Doctoribus *in l.in tempus*: *ff. de hæred. instit.* & traditam per Federicum de Senis *cons.*175. *Viso instrumento*: hoc tamen cessat, attentis privilegijs à Sede Apostolica impetratis, quibus permittitur dictis Fratribus bona immobilia in communi possidere. Hæc iterum ille: quibus insinuat, posse Mendicantes, qui post *Concilium. Trid.suprà cit.* possunt possidere bona immobilia in communi, capere ex testamento domum illam, etiamsi nondum obtinuerint à Papa licentiam ædificandi Ecclesiam, vel locum ubi commorentur; atque adeò etiamsi de facto ibi non habitent.

Atqui ex hisce omnibus nihil habere potuit Sanchez ritè favens suæ interpretationi. 9
Colligere quidem poterat, non licere Fratribus Minoribus ex suæ ipsorum Mendicitatis statu, & conditione generaliter hujusmodi domum, si eis legetur, capere, ut retineant, nisi egeant ad habitandum, vel ad construendam Ecclesiam; neque capere, ut per se, vel per Syndicum, aut interpositam aliam personam vendant, & convertant in alias suas necessitates: non tamen colligere poterat, quin debeat domus illa vendi, & converti, ut *suprà*, per hæredes, vel executores testamentarios: quinimmò id expressè asserit faciendum idem Rodericus *quæst.*126.*art.*1.*in fine*.

Verè igitur prohibitio illa objecta, cui innitur contraria sententia in casu nostro, non 10
tangit specialiter Fratres Minores, quinimmò in ea constitutione *cap.*1. *de Relig.domib.* excipiebantur expressè Fratres ipsi Minores, & Prædicatores, ut patet *ibi in tex.* §. *sanè*: sed, quod attinet ad Bonifacianam constitutionem *illius cap.*1.*de excessibus Prælatorum*, æquè obligat etiam post Concilium Tridentinum, omnes omninò Mendicantes; neque enim est facta intuitu status Mendicitatis, cui, etiam Minoricæ, non repugnat habere domos necessarias ad habitandum, & Ecclesias ad divinum cultum exercendum, & competentes hortos, vel areas: ut alibi dictum est ex Nicolao III. & Clemente V. sed facta fuit, repetita, & diversimodè moderata usque in hodiernam diem propter alias rationes; ut videre est in Canonicis ipsis sanctionibus explicatum.

Ut autem hujus nostræ responsionis veritas 11
clariùs eluceat, hic breviter rationes, auctores, moderationes, & ordinem ejusdem prohibitionis recensere non piget. Cum quidam olim Monachorum habitu utentes indifferenter per Civitates incederent, necnon & Monasteria, & seipsos præsumptione propria commendarent;

rent; (ut refertur *cauſ.* 18. *quæſt.* 2. *cap. quidam:* ex Concilio Chalcedonenſi *cap.* 4. quod celebratum fuit *anno* 451.) ut nihil præter ordinem, quem in omni ſtatu maximè diligit, ſummoperéque curat ſancta Mater Eccleſia, velut ſapiens Sponſi ſui cœleſtis, à quo non niſi ordinata procedunt, fidáque æmulatrix; ut nihil, inquam, præter ordinem fieret, ac indecenter, in dicto Concilio ſtatutum fuit remedium, hiſce verbis, *ubi ſuprà*, relatis: *Placuit igitur neminem aut ædificare, aut conſtruere Monaſteria, aut Oratorij domum ſine conſcientia ipſius Civitatis Epiſcopi.* Similiter & in Concilio Agathenſi *cap.* 27. ut refertur, *ubi ſupra*, *cap. de Monachis:* ſancitum fuit hoc modo: *Monaſterium novum, niſi Epiſcopo, aut permittente, aut probante, nullus incipere, aut fundare præſumat.* Itemque ex eodem Concilio *cap.* 58. refertur *ibidem*, *cap. Cellulas:* hoc ſtatutum: *Cellulas novas, aut congregatiunculas Monachorum abſque Epiſcopi notitia prohibemus inſtitui.* Celebratum autem fuit illud Concilium *anno* 506. Et conſimilem proviſionem adhibuit Concilium Aurelianenſe 1. *cap.* 24. ut habetur in decreto, *ubi ſupra*, *cap. Nullus Monachus:* Concilium item Generale Lateranenſe *cap.* 13. ſub Innocentio III. *anno* 1215. & habetur *extra, de Relig. domib. cap. Ne nimia:* quemadmodum vel ipſi Principes ſæculi præſtiterunt pro civili politica; ne ſcilicet nouum Collegium conſtruatur, inconſulto Principe, vel Senatu; ut habetur *ff. quod cujuſque univerſitatis nomine: l.* 1. *& ff. de collegijs illicitis: l.* 3. *& C. de ſacroſanct. Eccl. l.* 2. ubi Gloſſ. & alibi.

12 Cum porrò importuna petentium inhiatio non ſolùm Monaſteriorum, ſed & Religionum poſtmodum multiplicationem extorqueret, præcipuè Mendicantium; quin & aliquorum præſumptuoſa temeritas ſine ulla licentia, & approbatione Apoſtolicæ Sedis effrænatam quaſi multitudinem adinveniret; Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi (quod fuit celebratum *anno* 1274. à principio Maij, uſque ad Auguſtum, ut tradit Gloſſ. *in cap. nemo: de electione: in* 6. ex Franc. Vercell. & Joan. Andreæ; ut notat *ibi* Marginiſta) mentionem faciens conſultæ prohibitionis in hoc propoſito d. Concilij Generalis Lateranenſis, ad confuſionem tollendam, quæ ex diverſitate Religionum, & multitudine, ſeu frequentia locorum præſertim Mendicantium, quibus ad congruam ſuſtentationem reditus, aut poſſeſſiones habere profeſſio, ſive Regula quælibet interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta Mendicitas; oriri perhibebatur; repetita conſtitutione diſtrictiùs inhibuit, ne aliquis de cætero nouum Ordinem, aut Religionem adinveniret, vel habitum novæ Religionis aſſumeret; cunctáſque affatim Religiones, & Ordines Mendicantes poſt dictum Concilium Lateranenſe adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apoſtolicæ meruerant, perpetuæ prohibitioni ſubjecit, & quatenùs proceſſerant, revocavit: Religiones verò, ſeu Ordines Mendicantes per ſedem Apoſtolicam, poſt idem tamen Concilium inſtitutos, confirmatos, ita decrevit ſubſiſtere, ut profeſſoribus eorundem Ordinum ſic liceret in illis remanere, ſi vellent, quòd nullum deinceps ad eorum profeſſionem admitterent, nec de novo domum, vel aliquem locum acquirerent, nec domos, ſeu loca, quæ habebant, alienare valerent ſine ejuſdem Apoſtolicæ ſedis licentia ſpeciali: ut habetur *in cap. unico*, *de Relig. domib. in* 6. Quæ tamen conſtitutio ad Prædicatorum, & Minorum Ordines minimè extenditur, propter evidentem utilitatem quæ ex eis provenit Eccleſiæ univerſali; ut ait *ibi* Pontifex §. *ſanè:* Neque comprehendit Ordines Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum, quos, quia eorum inſtitutio dictum Concilium generale Lateranenſe præceſſit, in ſolido ſtatu voluit permanere Pontifex ille Gregorius, ut *ibi* exprimit *in fine.*

At, cum, ut habetur *in cap. un. de exceſſib. Prælat. in* 6. ex eo, quòd Prædicatores, & Minores, & Religioſi alij Mendicantes in Civitatibus, Caſtris, Villis, aut alijs locis ad habitandum domos, vel loca de novo ſuſciperent, ſeu olim ſuſcepta dimitterent, ſe ibidem ad alia transferentes, diverſa ſcandala quandóque provenirent, & frequentes clamores ad Sedem Apoſtolicam perferrent; Bonifacius VIII. ſuper hoc providere volens, perpetuo univerſis prohibuit edicto, (ut *in d. cap. unic.* continetur) ne deinceps aliquis, vel aliqui de prædictis, (ſcilicet Mendicantibus) quibuſcunque ſuper hoc privilegijs muniti exiſterent, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo recipere, ſeu hactenùs recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujuſvis alienationis titulo quocúnque in alios transferre præſumerent, abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. 13

Hanc autem Bonifacianam conſtitutionem poſtmodùm confirmavit Clemens V. *in Concilio Viennenſi*, ſub pœna excommunicationis, ut habetur *in Clement. un. de pœnis, cap. Cupientes.* 14

Cum tamen exinde multæ Religiones obtinuiſſent privilegia, quæ videre eſt *in Compend. Privileg. Mendicantium*, ubi noſter à Sotho meminit etiam cujuſdam à Gregorio XIII. conceſſi, vigore cujus nos Capuccini, non ſolùm loca nova, ſed etiam novas Provincias abſque alia ſummi Pontificis licentia poſſumus recipere: omnia ejuſmodi privilegia, & conceſſiones 15

cessiones exigendi novos Conventus, & Monasteria revocavit Sac. Cong. Eminentiss. DD. Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium Præpositorum, Gregorio X V. approbante *sub die* 17. *August.* 1621. Et novissimè Urbanus VIII. in sua Constitutione, quæ incipit: *Romanus Pontifex: die* 28. *August.* 1624. revocavit, & annullavit omnes licentias à Prædecessoribus suis concessas fundandi, exigendi, & instituendi ubique locorum Monasteria, Domos, Conventus, Collegia, & alia loca Regularia, servatâ Sacrorum Canonum, & Concilij Trid. forma, de sola Ordinarij licentia, seu etiam non servatâ formâ, & absque licentia hujusmodi. Proindè modus hodie observandus ab Episcopis (quibus per Concilium Trid *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 3. incumbit dare hujusmodi licentiam à Regularibus omnibus petendam) in concedenda licentia pro Monasterijs novis ædificandis desumendus omninò est ex dictis constitutionibus Gregorij X V. & Urbani VIII. & Clementis V I I I. quæ incipit: *Quoniam ad instituta*: quarum tenores per extensum refert P. Bassæus noster *tom.* 2. *v. Ecclesia num.* 15. diffusè autem declarat, & illustrat Lezana *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 34. 35. *&* 36. *& tom.* 4. *v. Monasteria Regular.* & Summariè noster Bonagratia *in sua summa qq. Regular. v. Monasterium, num.* 309.

16 Atque hæc est series historica, eáque fida, & Canonica veritas illius prohibitionis omnibus Mendicantibus incumbentis de novis locis, vel Domibus ad habitandum non acquirendis, ædificandisvè, aut fundandis usque ad terminos Concilij Trident. *loco cit.* ajentis: *Nec de cætero similia loca* (id est Regularium Monasteria, & domus, tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentium, vel non possidentium) *erigantur sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta.*

17 Ex qua habetur primò, eam esse, vel in præsentia rum, omnibus omninò Regularibus communem; quinimò aliquando fuisse ab ea exemptos Fratres Minores cum aliis recensitis *suprà*; ut *in Constitutione Greg. X. allata*, & specialiter nos Capuccinos; ut *in Constitutione Gregorij X I I I. cit.* Et hoc contra *Sanchez*, qui totum vult è contrà, quòd scilicèt ea prohibitio post *Concilium Trident.* cesset in omnibus aliis Mendicantibus, & solùm vigeat in Franciscanis de Observantia, & Capuccinis. Et patet, quàm perperam invertat ipse Sanchez canonicam intelligentiam in hoc proposito.

18 Habetur secundò, prohibitionem illam prospicere quidem mendicitati, ne videlicet nimis frequentia loca mendicantium erigantur, aut fundentur, unde sibi invicem angustias, & molestias populo faciant in mendicandis consuetis eleemosynis, ex quibus commodè valeant sustentari; orientúrque exindè dissensiones, querelæ, & scandala, sicut sæpè contigit, ut aiebat Bonifacius V I I I. *in allata ejus Const.* Unde inter alias conditiones ex allegatis decretis Pontificum in Monasteriorũ erectionibus observandas hæc est repetita per Clementem V I I I. & Gregorium X V. quod Episcopi licentiam ad novos conventus cujúsque Mendicantium Ordinis in civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impertiri non possint, nisi vocatis, auditis, & consentientibus aliorúe jusdem Civitatis, & loci Conventuum jam existentium, necnon, & per quatuor millia passuum circumvicinorum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus; vel nisi aliàs causâ, servatis servandis, cognitâ ijsdem locorum Ordinarijs constiterit, Religiosos Monasterij erigendi absque detrimento Religiosorum antea in locis ejusmodi degentium, numero duodecim, commodè, & congruè ex proprijs in Communi reditibus, sine quæstuatione manuteneri, & ali posse. Immò, si nulli alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij ipsi locorum nihilominùs diligenter inquirere debent, an locorum incolæ, & habitatores (quorum & consensum requirere, ac adhibere debent) hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus instituendis commodè alere, & manutenere valeant: ne postmodum Religiosi ipsi illis graves, & molesti fiant in mendicando, undè sustententur, ut dictum est.

Quare finis illius prohibitionis est avertere 19
dissentiones, clamores, & scandala inter Religiosos, & superfluum populorum gravamen ob ipsorum Religiosorum mendicitatem, quæ ipsis per quæstum publicum victum tribuit; ut aiebat Gregorius X. *in illa Constitutione allata*: nequaquam autem est, quia repugnat Mendicitati, etiam Minoricæ, ut sic, & generaliter, habere domos, & loca, eáque de novo concessa, servatis servandis, obtinere ad habitandum: aut etiam eadem capere ex testamento, si legentur ad hunc finem; vel eorundem divenditorum pretium, si ad habitandum non indiguerint, vel non fuerit concessum ab Episcopo: nam modus ille legati, nisi per modum conditionis fuerit à testatore expressus, non vitiat, seu irritat ullo pacto legatum, idest nec absolutè, & in se; nec respectivè in ordine ad Mendicantes ipsos, etiam Minores, quibus pretium hujusmodi relictorum pro alijs suis necessitatibus capere licet ut bene advertit *Gloss.* in utroque *d. cap. unico.* Et per hæc constat nullitas illius primæ rationis rejectæ sententiæ.

Jam verò nullam ostendo & alteram, qua 20
diceba tur ex *Baldo*, quòd, cùm legatum illud capiat substantiam ex modo; quia scilicet domus illa fuerit legata Fratribus ad habitandum

tandum, aut ibi construendam Ecclesiam; modus autem ille sit impossibilis, vitiatur legatum ipsum, itaut protsùs non valeat, sed sit caducum, nec convertendum in alium usum, sed accrescat hæredi.

21 Dico igitur, legatum illud, non esse sub modo, neque sub conditione, sed potiùs sub causa, vel demonstratione: quia scilicet testator putavit, Fratres indigere illa domo ad ædificandum Conventum, aut Ecclesiam construendam; aut cæteróqui posse, ex parte ipsorum nihil obstante, ibi ædificare: sicque testator absolutè donasse præsumitur; ut tradit Glossa *in §. longè magis: Instit. de legatis*: quamvis falsò id sibi persuaserit; ut ait textus clarus *in l. in summa: §. id quoque: ff. de condict. indebiti*, ubi *Gloss.* Falsa autem causa, vel demonstratio non vitiat legatum, nisi in casibus, de quibus mox dicemus, cujusmodi non est hic.

22 Explico, & probo dictum. Nam legato quandóque ascripta est demonstratio, quandóque causa, quandóque conditio, quandóque ascriptus est modus; ut patet ex *§. huic proxima: & §. longè magis: Instit. de legatis*; & alijs pluribus Legum locis, *C. de falsa causa adjecta leg. & C. de his, quæ sub modo*: & item *C. de conditionibus insertis tam in legatis* &c. & *ff. de conditionibus, & demonstrat. & caus. & modis* &c.

23 Demonstratio adjicitur, cum v.g. dicitur: Servum Stichum, quem à Cajo emi, Titio do, lego: vel lego Titio fundum Cornelianum, quem à Cajo emi. Et tunc licet servus Stichus à Cajo non fuerit emptus, & fundus Cornelianus donatus fuerit à Sempronio, valet nihilominùs legatum; quia illud non vitiat falsa demonstratio, quando de certo corpore constat; *l. demonstratio: 17.* & ibi Doctores, *ff. de condition. & demonstrat.* & *§. Huic proxima Instit. de legatis*: & nisi legati substantia deficiat; si enim species legata non extat, neque est in rerum natura, vitiatur legatum: *l. 1. §. adeò: ff. de dote prælegata.* Item, nisi demonstratio fuerit apposita, tanquam causa ejus relicti; ut si sic legetur: *Filio meo Sticho lego talem fundum*: si non est filius, vitiatur legatum: *l. neque 5. C. de testamentis*: Item, nisi de contraria testatoris voluntate appareat, ita ut, si scivisset causam esse falsam, non reliquisset; quia tunc etiam legatum vitiatur. De quo Oinotomus *in d. §. huic proxima*: & plura apud Doctores *ibid.* & in *d. l. demonstratio, ff. de condit. & demonstr.*

24 Causa adijcitur per dictionem, *Quia*, vel *Quoniam*. Conditio verò per dictionem, *Si*, vel *cum*, aliquando per *Ubi*, aliquando per *In*; ut pulchrè declarat *Fab.* Modus autem per dictionem, *Ut*. Quando igitur legatum relinquitur, adjectâ falsâ causâ, propterea non vitiatur; ut si v.g. dicat Testator: Lego Titio centum, quia ejus patrocinio liberatus sum à crimine capitali: valet legatum, licet Titius non præstiterit patrocinium, & si falsa causa adjecta sit; ut est textus *in §. longè magis: Instit. de legatis*; & *in l. demonstratio: §. 2. ff. de conditionibus, & demonstrat. & in l. in summa: §. id quoque: ff. de condict. indebiti*: Sed quando relinquitur sub conditione, itaut causa sit conditionaliter adjecta, & sit falsa, vitiatur legatum. Deficiente enim conditione, deficit legatum, ut, si v. g. dicat testator: Si Titius negotia mea in Italia curaverit, lego ei centum; ut est textus *in d. §. longè magis*, & in *alijs concordantijs ibi* per Gloss. *allegatis*. Et idem dic, quando non sub conditione, sed sub modo causa adjecta est; ut, si dicat testator: Lego Titio centum, ut hoc, aut illud faciat: hoc legatum, cum sit sub modo, peti non potest, nisi modus, sub quo relictum est, fuerit impletus, *d. l. demonstratio: in fine*: aut legatarius caveat, se facturum, quod defunctus voluit: *l. si tibi legatum: ff. de legatis: 3.* nisi fortè in solius dumtaxat legatarij commodum, vel honorem redeat emolumentum legati, & modi adjecti impletio; ut si dicat: Lego centum Titio, ut fundum emat; vel, ut domum sibi ædificet ad habitandum: tunc enim, cùm modus legato adjectus sit tantùm impulsivus, non finalis, qualis esset, si utilitatem Tertij respiceret, non esse cogendum Titium cavere, Sextus Cæcilius existimat; ut est textus clarus *in l. Titio*: ex Papiniano, *ff. de conditionibus, & demonstrat.* & docet Glossa *in d. l. si tibi legatum.* Et quamvis in hoc conveniat legatum sub conditione, cum legato sub modo, quòd sicut deficiente conditione deficit legatum; ita quoque deficit, deficiente modo; nam in legatis, & fideicommissis etiam modus ascriptus pro conditione ubservatur; ut ait Imperator Antoninus *in l. 1. Cod. de his, quæ sub modo legati, & fideicom. relinq.* ita ut, sicut qui non implet cõditionem, ita omninò qui non implet modum, non habeat legatum; dummodò per ipsum verè stet, quòd non impleatur conditio, aut modus: nam si per ipsum non stet, quò minùs voluntati testatoris pateat, ei non imputatur, nec oberit, quominùs id, quod relictum ei est, retineat; ut est textus *in d. l. 1.* & tradunt *ibi* Gloss. & Scribentes. Differunt tamen legatum sub conditione, & legatum sub modo principaliter in duobus: *Primò*, quòd conditio suspendit obligationem: nam quod sub conditione legatur, id non debetur, nec peti potest ante eventum conditionis, *l. legata sub conditione, ff. de conditionibus, & demonstrat.* Sed modus non suspendit obligationem; & ideo legatum sub modo, statim peti potest, & plerúmque debetur, licet ejus effectus non sit impletus, si legatarius caveat de modo implendo;

plendo; sæpè enim impleri non potest modus à legatario nisi obtinuerit legatum; ut habetur *in l. Ex his: Cod. de his, quæ sub modo legati*: ubi *Gloss.* Et hoc est, quod tradit d. Gloss. *ibid. in l. 1. ad v. pro conditione*; dicens, Conditorem, & Modum, esse similes inspecto exitu; sed differre, inspecto principio. *Secundò* differunt etiam, quia legatum sub conditione non trasmittitur ad hæredes legatarij, quando ante conditionis eventum ipse legatarius decedit; ut habetur *in l. unica, §. Sin autem aliquid: Cod. de caducis tollendis*: non sic autem legatum sub modo; ut tradit Oinotomus *supra cit. in d. §. longè magis*: latiùs Plat. *ibid. numero* 82. Addo, quòd in dubio præsumitur modus potiùs inesse legato, quàm conditio: Bartolus, Baldus, Alexander, & alij *in l. cùm mota: Cod. de transactionibus*; per *l. quæro: §. inter locatorem: ff. locati, & conduct.* Vide Manticam *lib. 10. de conject. vltim. volunt. tit. 5. num. 13. & seqq.* ibi not. contra sententiam Alciati 3. *conf.* 20. & Parif. 2. *conf.* 19.

25 Iam verò adaptemus doctrinam casui nostro. Sanè igitur legatum, de quo est sermo, non videtur expressum sub conditione, cùm non sit per dictionem *Si*, vel *Cùm*: neque sub modo, cùm non sit per dictionem, *Vt*. At neque videtur (inquiens) sub demonstratione, vel sub causa, cùm non sit cum indicatione personæ, ejusvè cujuspiam qualitatis sive veræ, sive falsæ, neque per dictionem, *Quia*, vel *Quoniam*. Iterum tamen dico, potiùs interpretandum esse factum sub causa, vel etiam sub demonstratione, quàm sub conditione, aut modo; si conjectemur, ut in his decet, testatoris voluntatem: dum enim testator dicit: *Lego domum meam Fratribus Minoribus ad adificandam sibi domum, vel Ecclesiam*: perindè est, ac si diceret: Lego &c. causâ ædificandæ domus, vel Ecclesiæ; quia puto, eos illâ indigere, aut id gratum habituros, & nihil obstare, quin illam ædificent. Quibus verbis (si Fratres non indigeant, vel servari non possint conditiones de jure, ut *suprà*, requisitæ ad ædificandum) indicatur falsa necessitas, vel saltem falsa causa per errorem legantis: quæ non vitiant legatum; ut dictum est *suprà*, & tradit Sylvester *in Sum. V. Legatum 1. numero* 16. & alij communiter Juristæ, & Summistæ.

26 Sed esto. Dicamus Legatum illud verè esse sub modo: *argum. illius §. Ad hac, quia cap. Exyt: de verb. signif. in 6.* ubi legata sub modo illicito facta Fratribus Minoribus exprimuntur per dictionem, *Ad*; ut si quis leget eis domum ad locandum, vineam, vel agrum ad excolendum, &c. ita ut sensus legantis perindè sit, ac si diceret; Lego domum Fratribus, ut eam locent: & in casu præsenti, lego domum, ut ibi ædificent sibi locum, vel Ecclesiam. Dicamus etiam modum esse impossibilem; non tamen ratione repugnantiæ cum statu mendicitatis Fratrum, ut sic: quales tamen utique sunt modi expressi *in d. §. Ad hac, quia*: & probatum est *suprà*: adhuc nihilominùs, cùm modus in legatis, & fideicommissis ascriptus pro conditione observetur, ut dictum est *suprà*; conditiones autem impossibiles testamento ascriptæ (in persona tamen honorati, non in persona onerati, idest in commodum, & utilitatem legatarij dumtaxat, non alterius Tertij) pro nullis babendæ sint; ut obtinuit Jus, & praxis, teste Vlpiano *in l. obtinuit: ff. de condition. & demonstr.* & ibi Gloss. *cum alijs concordantijs*; teste etiam Pomponio affirmante banc sententiam esse admittendam, ex Neratio, Labeone, & Sabino, *in l. mulcta: §. si servos: ff. eod. tit.* cùm, inquam, bæc ita sint, etiam in legato, de quo agimus, modus ipse ei ascriptus pro non scripto habendus est, & valebit legatum, etiamsi non possit impleri; eò vel maximè, si per Fratres ipsos non stet, quin impleatur; ut patet ex dictis: eritque convertendum legatum ipsum per hæredes in alium usum, secundùm eorumdem Fratrum necessitates; ut declarat Nicolaus III. *in d. §. Ad hac, quia*: utpotè relictum sine expressione modi repugnantis statui, & conditioni eorumdem Fratrum, ut sic. Præsumendum est enim, voluisse testatorem domum suam donare pro anima sua, & cultu Dei.

Atque boc totum confirmat Sylvester *in Summa, V. Legatum 1. numero* 8. inquiens: 27
Dico quòd conditio, si sit impossibilis, non vitiat legatum; ut *l. obtinuit: ff. de condition. & demonstr.* Immò nec, si sit possibilis, sed per legatarium fieri non potest, alieno arbitrio, & voluntate resistente; ut, si legatur aliquid alicui, & ejus fidei (tanquam conditio) committitur, ut emptum alienum servum manumittat, & Dominus eum vendere non vult: habebit enim legatum; quia per eum non stetit, quominùs fideicommissum præstiterit: undè, & si servus mortuus fuisset, à legato non submoveretur: *l. si Titio: ff. de legatis 1.* & idem dico de conditione inhonesta.

28 Confirmat iterum idem Doctor ipsam doctrinam *ibid. n.*10. hac ratione. Quia videlicet in legato ad pias causas, quale absque dubio est istud, de quo est sermo, attenditur duplex favor, scilicet legantis, & cui legatur; favor autem piæ Causæ, cui legatur, nunquam cessat. In casu autem nostro nec cessat favor legantis, nisi quatenùs non impletur modus specialis ab eo in legando explicatus; quatenùs enim ad bonum animæ ipsius attinet, conservatur, & omni meliori modo ita est observandum; ut diximus §. *præcedente*.

29 Confirmat tertio idem Sylvester idipsum *ibid. V. Legatum* 4. *num.*11. allato exemplo in nostris terminis dicens, quòd, si testator leget, quòd Prædicatores, aut Minores se conferant ad habitandum in suis domibus, & ibi divina celebrent pro salute animæ suæ; quod de jure fieri non potest per *cap. unic. de excess. Prælator. in* 6. id est, nisi servatis servandis, secundùm Ius novum, *Tridentini* scilicet, & aliarum constitutionum Apostolicarum; ut *suprà*: quæ si servari non possint, adeóque legantis modus expressus impleri nequeat; tamen, quia usus legatus est honestus, & cæteroqui statui prædictorum Fratrum (suppleo ego) non repugnans; & pro anima, & cultu divino, valebit legatum, nec cedet hæredi, sed convertetur in alium usum honestum, ut *suprà* ex *declaratione* Nicolai III. ex qua colligitur, quòd coorversio hujusmodi legatorum in alias Fratrum necessitates facienda est ab hæredibus, & fieri potest absque alia licentia, & consilio Papæ, vel Episcopi; siquidem adest Pontificis ordinatio super hoc, *in eo* §. *Ad hac, quia*: Non sic tamen dico in conversione legatorum cum expressione modi statui, & mendicitati Fratrum, ut sic, repugnantis: nam tunc requiritur consilium, & licentia prædicta, ut dictum est supra, & tradit *Sylvester cit.* quem vide. *Baldi* sententia iterum amplius refellitur *infra, art.*3.§.8.

30 Et ecce opinionem illam de invaliditate, & nullitate legati propositi, quam absolutè tuentur Baldus, & alij *suprà* allegati, & Sanchez cum limitatione, prostratam, ejúsque rationes funditùs eversas. Stat autem aliorum sententia, & nostra, illud valere, & robur habere non solum in foro poli, sed etiam in foro fori, quoad pariendam civilem actionem, si Fratres essent juris capaces; hócque etiamsi non esset ad pias Causas. Quantò igitur magis, cum pium sit? Et miror, quòd hoc non adverterit *Baldus*, qui alioqui *in l. si quis ad declinandam: Cod. de Episc. & Clericis, & in l.*1. *Cod. de his qua pœna nom.* sequitur sententiam *Bartoli* post Dynum *in l. miles: §. ream.* 13. *ff. ad leg. Iul. de adult.* & clarè docet legatum factum Ecclesiæ sub conditione, quæ impleri non potest, impedimento non se tenente ex parte ipsius Ecclesiæ, sed aliunde proveniente, putà ex parte legantis, vel alterius prohibentis; solvendum nihilominùs esse Ecclesiæ: nec obstare, quòd non sit impleta conditio, quia est impossibilis, & consequenter non vitiat legatum, nec facit cessare favorem piæ causæ: ut tradit Sylvester, *cit. V. Legatum* 1. *num.*10. ex *d. l. obtinuit.* Rationem porrò *Baldi* suprà indicatam ampliùs evacuabimus *infrà art.*3. § 8.

Reijcio secundò eorum sententiam, qui 31 dicunt; quòd si legetur Fratribus Minoribus aliquid pro certo usu, explicando usum superfluum, non valet legatum; quia est modus contrarius eorum professioni. Hi autem sunt Bartolus *in tract. qq. Minor. lib.*2. *dist.*3. *cap.*3. *in fin.* Rodericus *qq. Regular. tom.*1. *quæst.*126. *art.*1. §. *sed advertendum:* Sorbus *in Compen privil. Mendic. V. Legatum vers. sed est advertendum:* quos allegat, & sequitur Sanchez *in Decal. lib.*7. *cap.*26. *numero* 24. Ratio eorum est apud Rodericum; quia usus ille superfluus in legando expressus repugnat professioni, & statui Fratrum, ut sic, & generaliter. At *cap. Exijt*: §. *Ad hac, quia: de verb. signif. in* 6. tunc dicitur (ait ipsissimis hisce verbis Sanchez *cit. numero* 25. *in fin.*) legatum non valere, quando modus legato adjectus, est contrarius statui Fratrum Minorum; ut constat ex exemplis *ibi* adductis, scilicet quando legatur vinea ad eam excolendam &c. lapsi tamen sunt hi Doctores.

Dico igitur, Legatum non valere quidem, 32 quoad obligationem hæredis solvendi illud, vel illius æstimationem Fratribus signanter; quod est dicere, quoad vim relativam, & quoad favorem legatariorum signatorum: adhuc nihilominùs valere illud in se, & quoad vim absolutam, & quoad favorem animæ testatoris, & piæ Causæ, qui nunquam corruit, aut cessat; ut patet ex dictis *in præcedentibus*. Et sic tantùm suadet ratio allata ab illis Doctoribus. Falsum enim omninò est, quod ait Sanchez, *in eo* scilicet §. *Ad hac, quia:* dici, legatum hujusmodi non valere; ut patet legenti textum illum à nobis toties relatum; præcipuè verò per extensum *in* §.3. Ibi quidem Nicolaus providet conscientijs Fratrum, & etiam hæredum in ijs, quæ secundùm modum licitum, aut sine expressione modi illiciti ijsdem Fratribus legatu relinquuntur, accipiendis: in ijs verò, quæ cum expressione modi illiciti, secundùm Fratrum statum, & professioocm eisdem relinquuntur, providet conscientijs Fratrum tantùm, expressè prohibens hujusmodi legatorum receptionem

ceptionem per omnem modum, ut alibi diximus: non tamen dicit legata ipsa esse cassa, & nulla; sed ea relinquit dispositioni Juris communis; secundùm quod (ut vidimus) à legatis, præsertim ad pias Causas, omnis subducitur impossibilitas usus à testatore assignati, & fit commutatio in alium authoritate Superioris, Papæ scilicet, vel Episcopi; etiamsi in testamento fuerit clausula, quòd ad alium usum converti non possit, quàm deputatum. Ratio est; Quia voluntas testatoris interpretanda est, secundùm Jus commune, ut res magis valeat, quàm pereat. Est enim hæc materia favorabilis, maximè animæ Defuncti, in qua fit plena interpretatio; *cap. cum dilecti, extr. de donationib.* Undè verisimiliter præsumitur, quòd defunctus non contradixisset, demonstrando ei alium usum possibilem, vel utiliorem; ut tradit optimè Sylvester *in summ. verf. legatum 4. numero undecimo & decimoquarto.* ubi addit facere ad hæc, quod notat Bartolus *in l. fin. ff. de operibus publicis.*

33 At veniam per me habeant Sanchez, & alij quos nempè hallucinatos perhibeo, nec benè, ut par erat distinxisse inter legatum ad usum, vel opus de Jure prohibitum, quia in se est inhonestum; & inter legatum ad usum, vel opus in se quidem honestum, & decorum, sed de Jure prohibitum, quia non convenit ratione modi incongrui, vel personæ legatarij, vel loci, vel alterius causæ. Quando enim relinquitur ad usum, vel opus determinatum, sed illicitum de Jure, quia est in se inhonestum, & turpe, purà si quis leget centum Fratribus Minoribus, aut cuipiam alteri, ut fiat ludus theatralis in Ecclesia, tunc tantùm, quia hujusmodi usus est in se illicitus, & ut talis in Jure prohibitus, *cap. cum decorem: de vita, & honest. Cleric.* legatum est omninò inutile, nec fiet conversio, sed redibit ad hæredem: argum. eorum quæ notat Gloss. *in l. 1. de condition. instit.* quando verò relinquitur ad usum, vel opus determinatum, sed illicitum, vel impossibile legatario, non quia usus, vel opus sit in se inhonestum, & indecorum, sed quia jus, vel status Legatarij prohibet, vel aliud impedimentum occurrit citra culpam legatarij, tunc legatum non est inutile, sed convertetur in aliud opus, vel usum authoritate proximi Superioris, causâ cognitâ, & vocatis his, quorum interesse potest; ut *l. legatum: ff. de usufruc. legato:* etiamsi (saltem in legato ad piam Causam) expressisset testator clausulam, quòd ad alium usum converti non possit legatum, quam deputatum; ut dictum est *suprà.* Ad hæc faciunt, quæ docet *in speculo* Guillelmus Durandi, quòd scilicet, si mihi legentur centum, ut vadam ultra mare, & nullus audet ire; assequar legatum, licèt non vadam, modò vadam ad similem locum. Similiter, si testator legat pro labore itineris, vel pœnitentiæ sibi injunctæ, ut vadam Romam, & propter impedimenta non possum, cum cæteroquí per me non stet quò minùs vadam; quòd assequar legatum, modò vadam ad locum similem: *l. legatum: ff. de administrat. rer. ad civit. pertinent.* & *argument. cap. nos quidem: de testamen. & cap. si festatus: de rescriptis.* Et ita tradit Sylvester *citat. numer. undecimo & duodecimo*, ubi agit, an, & de cujus authoritate conversio legati ad certum usum in alium usum fieri possit. Ualet ergò legatum illud saltem pro alijs pijs Causis, sin minùs pro Fratribus.

Benè tamen loquitur Sanchez, & conformiter ad ea, quæ dixerat *ibidem num.* 13. allata à nobis *in §. præcedente*, scilicet 24. *numer.* 19. benè, inquam, loquitur in reliquis, quæ *ibi eo num.* 24. subjungit, dicens: Si verò non explicetur usus superfluus, sed absolutè legetur pro usu aliquo licito, ut pro induendis hoc anno Fratribus, & eo anno non sit necessarius; sed esset superfluus, eò quòd decenter omnes essent induti, & duplices habere vestes repugnet eorum statui, valet utique legatum, quia usus in se est licitus, (ecce insinuatam doctrinam mox traditam ex *Sylvestro* de conversione legati in se honesti) nec repugnans Regulæ Minorum; sed tantùm ex suppositione, quòd habeant alias vestes, est illicitus: & tunc, si esset eleemosyna data à vivente, convertenda esset in alios usus Fratrum, de licentia donantis; & si renuat; restituetur ipsi; ut habetur *cap. Exijt: §. Quia verò: de verb. signif. in 6.* At, si est legatum, non habet hoc locum: quia licet vivens posset revocare donationem; attamen hæres nequit legatum revocare; ut probavimus *hoc libro suprà.* (En, quàm benè ad hominem argui possit Sanchez, dum alibi requirit revocabilitatem in legatis; de quâ *suprà paragrapho* 10. & 11.) Quare tale legatum validum est, ac debet converti in alias Fratrum necessitates. Sic Bartolus *lib. 2. cit. dist. 3. toto c. 2.* Manuel *loc. cit.* Sorbus *cit. in suis annotat. verf. sed si aliquid legatum:* Addit Manuel convertendum illud legatum in alium usum authoritate Ordinarij. Sed Bartolus *cit. distinct. 2. cap. 3.* & Sorbus *cit. verf. sed dices per quem:* dicunt de consensu Custodis, vel Ministri Fratrum, & hæredis; (quibus & ipse assentior, non Roderico) &, si discordent, consulendum Judicem, & ejus sententiæ standum, (ab hoc tamen monuerim Fratres abstinere.) Et quamvis non explicent, quis Judex sit ille clarum est futurum Ordinarium Ecclesiasticum, ad quem hæc causa spectat Hactenùs Sanchez, & benè. 34

P 2 Rejicio

Reijcio tertiò eorum opinionem, qui dicunt non valere legatum factum alicui particulari Fratri Minori, cui usus illius legati convenire nequit; ut si legentur Biblia Fratri Minori cæco, vel laico, aut Opera Scoti: Sunt autem hi, Baldus *in Authen. ingressi: in nova edit. num.* 58. *Cod. de sacrosanct. Eccles.* & Ancharanus *in Clement. Exivi: num.* 28. *de verb. signif.* Patet ratio rejectionis ex dictis *suprà* Hos allegat, & refutat Sanchez *cit. loc. num.* 25. & benè, dicens: ducuntur; quia, cùm usus illius legati nequeat illi convenire, non est tacitè illi legatus usus licitus. Sed quod attinet ad hoc exemplum, lapsi sunt hi Doctores; quia potest cæcus ille uti eo libro, audiendo alium sibi legentem, & ita est usus licitus conveniens illi: sicut de quocunque alio devotionis libro diceremus. Quare aptius exemplum esset, si Fratri Minori laico legarentur Biblia, aut Opera Scoti. Et adhuc contra *Baldum* sentio, valere legatum, & convertendum in alium usum; ut benè docent Corduba *in Reg. D. Francisci cap.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 2. *dub.* 2. Manuel *qq. Regul. tom.* 2. *quæst.* 126. *art.* 1. *§. ult.* Sorbus *eo V. Legata vers. sed est advertendum*: Immò, etsi expressisset testator modum non convenientem illi Laico, valeret adhuc legatum; ut si dixisset: *Lego ei hos libros, ut literis vacet*; convertendúmque esset pretium illorum librorum venditorum in alium usum ei Fratri permissum, vel in usum aliorum; ut benè ait Corduba *ibidem*. Et ratio est; quia etsi modus expressus non sit aptus illi Laico, est tamen conveniens statui Fratrum Minorum. Hæc optimè *Sanchez*. Valet ergo legatum illud non solùm absolutè, & in se, sed etiam respectu Fratrum.

35 Reijcio quartò opinionem dicentium, legatum factum cuidam Fr. Minori, adjecta conditione, ut Superior permittat, eum Fratrem illo uti, & eo non permittente, amittatur legatum; non valere, sed haberi, tanquam non scriptum; quia modus repugnat statui eorum. Sunt autem Baldus *in l. unic. num.* 44. *Cod. de his, quæ pœna nom. relinq.* & Angelus *in l. Lucius: §. tres gradus: num.* 2. *ff. Ad Trebellian.* quos benè item refutat Sanchez *cit. num.* 26. dicens: Cæterùm nullam statui illorum repugnantiam video, ut legatum non debeat valere, quando alias, juxta dicenda *numeris sequentibus*, valeret legatum annuum relictum Minoribus; quia in hoc eventu solus facti usus ex Superioris licentia illi Fratri Minori relinquitur, & semper est ab ipso revocabilis; & solùm amittentur ipso revocante licentiam fructus in posterum percipiendi. Et ideò, sive dicatur in legato, *ea lege, ut permittat superiori, cum Religiosum eo legato frui*; sive *sub pœna amittendi*; sive *donec patiatur Superior ipsum frui*; sive *ea lege, ut retineat, velit, nolit Superior*: existimo, quod attinet ad legati, & conditionis valorem, aut non valorem, idem prorsùs dicendum, quod diximus *suprà* de legato similiter relicto alijs Religiosis, *cap.* 17. Ita Sanchez.

§. XXVII.

Sequitur idem argumentum, refellendarum scilicet sententiarum.

SVMMARIVM.

1 *Legatum rei immobilis, vel census annui Minoribus relictum absolutè, nullo expresso modo, vel usu, an & quomodo valeat*, & n. 2. cum al. seqq.

Legatum deportatis factum, nullum est ipso jure, ibid.

3 *Legatum Minoribus relictum sine modi expressione, censetur modo licito factum*, & num. 6.

4 *Legatum Minoribus relictum an sit dumtaxat validum ratione solius causæ licitæ.*

Legato Minoribus relicto an & quomodo jus resistat, ibid.

5 *Legatum Minoribus relictum cum expressione causæ, vel modi illiciti, non est irritum, vel caducum, sed solùm cessat ordinatio specifica testatoris, quæ converti debet in aliam licitam.*

7 *Legatum Minoribus relictum longè differt à legato facto deportatis & damnatis*, & n. 8.

8 *Legatum ad alimenta relinqui potest deportatis.*

9 *Legatum annui reditus per verba obliqua Minoribus relictum, an heres gravatus teneatur illis præstare, & quomodo?* & n. 10. cum al. seqq.

10 *Legatum annuum Minoribus relictum non repugnat ipsorum mendicitati, modo purè eleemosynaliter recipiant, & servatis moderaminibus requisitis.*

Expenduntur varij modi relinquendi legatum Minoribus ibid. & n. 11.

11 *Inter usumfructum, & ejus commoditatem, longa est differentia.*

12 *Legatum annuum Minoribus relictum intelligi debet ut & proprietas & ususfructus ad hæredem spectent, Fratribus autem quædam commoditas eleemosynaliter recipienda, & ex aliis etiam rebus præstanda ab hærede gravato*, & n. 13. cum al. seqq.

13 Castro Palao *laudatur.*

14 *Census annuus tripliciter Minoribus legari potest: & isti tres modi expenduntur*, n. 15. 16. & 17.

18 *Authoris sententia circa legatum annuum Minoribus relictum.*

19 *Census*

19 *Census annuus Minoribus relictus, posito quòd Fratres sint illius legati incapaces, an possit, & debeat vendi ad instar alterius rei immobilis pro necessitatibus ipsorum sublevandis*, & n.20.

20 *Censum annuum Minoribus relictum supposita ipsorum incapacitate, tenetur hæres semper impendere ad pios usus pro anima testatoris*, & n.21.

21 *Causæ piæ favor pro qua legatum relictum est, nunquam deficit, ideóque semper obligat hæredem.*

1 REijcio quintò, velut expresè contrariam declarationi Nicolai III. *in eo §. Ad hæc, quia:* sententiam illorùm, qui docent, quòd si legetur Fratribus Minoribus res immobilis, nullum explicando modum, vel usum; ut si verbi gratiâ absolutè legetur eis quoddam prædium, domus, aut census anouus constitutus: legatum est nullum, & ita neque quoad æstimationem debetur. Et ita docent Bartolus *in l. unic. in fin. Cod. de Conductorib. lib.*11. & ibi Platea *in fine*; Jacobus Rebuffus *num.*4. Imola *consil.*224. *de testamentis*; Aretinus §. *Constat: num.*11. quem legit *in l. Africanus: ff. de legatis:* (quamvis hi concludant, articulum esse valdè dubium in decidendo, & meliùs cogitandum. Sanè autem, ut ajunt, meliùs est cogitandum) Cumanus *§. eod. Constat: in fin.* quem legit *in l. cum servus: ff. eod. tit.* Gualdensis *de arte testandi tit.*1. *cautela* 11. *num.*2. & in hanc sententiam, quamvis fateatur rem esse dubiam, magis inclinat Mantica *de conject. ult. volunt. lib.* 9. *tit.*9. *num.*13. & hujus sententiæ videtur manifestè Azorius *tom.*1. *Inst. moral. lib.*12. *cap.*23. *quæst.*11. inquiens, reliquis Mendicantibus, præter Franciscanos, integrum esse recipere bona stabilia testamento legata, non ut retineant, sed ut vendant. Hi autem, quos omnes allegat Sanchez *loc. cit. numero* 27. ducuntur ea ratione; quòd videlicet jus resistat Fratribus; sunt enim (inquiunt) rei immobilis incapaces. Et quando legatum est ratione solius alicujus causæ licitæ validum, & absque illa esset ipso jure irritum, ratione incapacitatis personæ, cui relinquitur; si fiat simpliciter, & non expressâ illâ causâ, non convertitur in causam licitam, sed manet irritum; sicut constat in legato facto deportatis, & damnatis ad metallum, quod est nullum ipso jure, nec convertitur in alimentorum causam; pro qua sunt capaces legati acquirendi: *l. si in metallum: ff. de his, quæ pro non scriptis hab. & l. si deportatis servis: in princ. ff. de legatis* 3. Cùm ergo Fratres Minores sint incapaces legati rei immobilis, nisi ut ea vendatur, & non adjecta sit hæc causa, legatum illius erit omninò irritum, nec in causam licitam convertetur. Ita illi, minùs tamen aptè ratiocinantes, quàm par esset: quos propterea benè refutat etiam Sanchez *cit. n.*28. asserens legatum illud valere, & deberi æstimationem: & quidem hoc intelligendum est de legato illo non solùm in se, & absolutè, sed etiam respectivè ad Fratres, quibus signanter debetur ea æstimatio in foro conscientiæ à testatoris hærede, vel executore; non autem ut ipsi vel per se, vel per interpositam personam, etiam per Syndicum nomine Papę recipiant, & vendant prędium illud, vel aliud quodcunque bonum stabile, vel inter immobilia reputatum; hoc enim, considerata eorum puritate status, non est eis integrum, quemadmodum integrum est reliquis Mendicantibus, secundùm jus antiquum ante Concilium Tridentinum, cùm bona immobilia possidere neque in communi eis licebat. Et ita intelligo, & benè locutum concedo (secùs autem non) Azorium mox *suprà cit.* pro contraria sententia; juxta alibi dicta.

Atque hæc refutatio illius sententiæ habetur expressa *in cap. Exiit: eo §. Ad hæc, quia:* ut benè observat etiam *Sanchez cit.* adducens verba Pontificis alibi à nobis allata.

Ad rationem: *Quòd scilicet Ius resistit Fra-* 2
tribus: dico id esse omninò falsum. Immo enim expresè assistit, non quidem in foro fori, sed in foro poli. Nam Nicolaus *in eo §. Ad hæc, quia:* palmaribus literis exprimit, velle se, & jubere, Constitutione illa in perpetuum valitura, quòd legatum hujusmodi generaliter, & sine modi expressione relictum, sub modo licito Fratribus intelligatur esse relictum; ita quòd nec legans merito, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur. Modus autem licitus est, quòd per hæredem, vel Executorem distrahatur, & pecunia de ipso accepta in Fratrum necessitates convertatur, prout ibi *in textu*; servatis à Fratribus moderaminibus requisitis in acceptione effectus, seu subsidij, vel incommodi eleemosynæ pecuniariæ.

Quare falsum item est, quod Doctores illi 3
in eadem ratione supponunt: Legatum scilicet Fratribus relictum, esse ratione solius causæ licitæ validum, & absque illius expressione esse ipso jure irritum. Hoc autem adeò falsum est; quòd neque veritatem habet in legato Fratribus Minoribus relicto cum expressione causæ, vel modi illiciti. Tunc enim verum quidem est, quòd Ius *in eo §. Ad hæc quia:* resistit Fratribus; (ut ajunt Doctores illi) idest resistit receptioni Fratrum, quibus (eorum conditione inspecta) præcipitur, & ordinatur à Pontifice illo, quòd à tali legato, & ejus receptione per omnem modum abstineant. At non resistit ordinationi testatoris; quæ, cùm sit pro bonu animæ ipsius, adeóque ad piam Causam

ubi deficit quoad favorem Fratrum, qui sunt legatarij signati, non deficit quoad favorem piæ Causæ, & ipsius testatoris, sed relinquitur dispositioni Iuris communis, ut scilicet convertatur legatum in alias pias causas pro anima testatoris; prout in superioribus ostensum est. Paucis igitur dico, hujusmodi legatum, & ejus receptionem prohiberi quidem Fratribus per omnem modum; illud tamen non irritari ab vllo jure; neque prohiberi testatoribus ita legare. Hicque obiter etiam patet, quomodo intelligendus, & cautè legendus sit Rodericus *qq. Reg. tom. 1. quæst. 125. art. 1. §. ex his sequitur:* ubi dicit, quod secundùm Ius antiquum Fratribus Mendicantibus non potest relinqui domus, in qua debeat construi nova Ecclesia, ut ibi Fratres commorentur: *cap. 1. de excessib. Prælator. in 6. & Clement. unic. de pœnis.* Siquidem intelligendus est, quoad prohibitionem, ne ipsi tale legatum accipiant, nisi servatis servandis, etiam secundùm Ius modernum, *Conc. Trid.* scilicet, & *aliarum constitutionum, Apostolicarum:* (qua de re *suprà*, etiam quoad Fratres Minores) non tamen, quòd sit prohibitum testatoribus ita legare, adeò quòd, si ita legent, resistat Ius, ne legatum convertatur in alium pium usum, (ut alibi docuimus) rejecto illo, à testatore ex ignorantia, & incapacitate status Mendicantium, præcipuè Fratrum Minorum, expresso. Ipse autemmet *Rodericus cit.* talem esse suum sensum in prædictis verbis, insinuat in ratione, quam subdit: quia, inquit, prohibitum est per dicta jura Fratribus novum locum acquirere.

5 Non igitur irritum, caducúmque absolutè censendum est legatum Fratribus Minoribus relictum cum expressione causæ, vel modi ipsis illiciti; sed tantùm cessat ordinatio testatoris, quoad illud Fratribus signanter præstandum ob omnimodam ipsorum incapacitatem ratione proprij Status, & mendicitatis. Unde benè aliqui, ut testatur Ferdinandus de Castro Palao *part. 3. Sum. moral. tract. 15. disp. 3. punct. 9. num. 3.* asserunt tale legatum valere, reijciendamque esse conditionem, ut impossibilem, & juri contrariam: siquidem (ajunt) commune est, conditiones impossibiles ab vltimis voluntatibus reijci: *l. obtinuit: ff. de cond. & demonstrat.* sic Menocbius *consil. 1014. num. 19. volum. 11.* & quidem optimo jure procedens. Quare in hoc lapsum arguo eundem Castro Palao *ibidem* ajentem: sed omninò dicendum est, caducum esse id legatum. Inepta enim poriùs omninò est ratio, quam affert dicens: cum expresse Pontifex *in d. Clement.* (potuisset addere, & *d. §. Ad hæc, quia:*) dixerit abstinendum esse à receptione vineæ, vel agri legati ad colendum, repugnatéque Regulæ, & Ordinis puritati. Et ratio est manifesta; quia Minores non sunt capaces legari rei immobilis, nisi ex modo adjecto, vel subintellecto, mobilis fiat. At sic modus, qui debebat legatum aptum constituere, expressè à testatore reijcitur: non igitur illius capaces sunt. Quare hic modus non est conditio adjecta legato, ut possit reijci, quia absque illa non est legatum constitutum, & illa conditio posita impedit, ut constituatur. Hæc ille: allegans pro hac sententia Bartolum *tract. Minor. lib. 2. dist. 2. cap. 1. num. 9.* Baldum *in auth. ingressi: numero 58. Cod. de sacros. Eccles.* Navarrum *lib. 3. Consil. de Testamentis, consil. 14. aliàs 8.* Sorbum *in Compend. Privil. Mendic. v. Legata, versic. Idem dicendum:* & Sanchez *cit. numero 18.* Atqui tota hæc ratiocinatio inepta est, nec aliud probat, quàm Fratres esse incapaces. Cum tamen de cætero legatum sustinendum sit, & valeat, tanquam pium. Falsum autem omninò est, quòd modus, qui debet legatum aptum constituere, seu in quem posset converti, expressè à testatore reijciatur. Quinimmò, si legans, seu testator expressisset clausulam, quòd legatum ad alium usum converti non possit, quàm deputatum, adhuc valeret legatum, & esset in alium usum pium convertendum; ut diximus *suprà* cum *Sylvestro.* Potest igitur modus ille, vel conditio reijci, & absque illa est satis constitutum legatum, nec impedit, quin constituatur; ut putant Castro Palao, & alij: Est enim fundatum, & constitutum hujusmodi legatum in Causa pia, & in favore animæ testatoris, saltem: Causa autem pia sustinet vicem non solùm legatarij, sed etiam hæredis; ut dicam *infrà.* Quare non audio in hac parte *Castro Palao*, cæteroqui omnium optimè in hac materia locutum; sicut neque ipsum audio ubi *loco cit. numero 2.* loquens de legato continente totam hæreditatem, vel majorem illius partem, concludit hisce verbis: *Hinc infero legatum caducum esse, & nullum; neque teneri hæredes illud solvere: quia frustranea est solutio, ubi non est qui possit admittere.* Hoc, inquam, non mihi probatur: nam semper adest pia Causa, quam Iura omnia sustinent, quæ potest admittere in alium usum; ex quo Fratres sunt incapaces, nec tale legatum, vel ejus æstimationem admittere possunt, etiam de facto tantùm, nisi postquam expressè respuerint omninò titulum legati, etiam impropriè dictum, itaut protestentur, & innotescant hæredi, vel gravato, nulla penitus eum teneri obligatione, non solùm civili, sed neque in foro conscientiæ, ad tale legatum sibi specialiter præstandum; sed

sed tantùm teneri erogare pauperibus in communi, vel alijs pijs Causis. Adest præterea justa sententia,& expressa voluntas ultima testatoris,quæ omni meliori modò implenda est, tanquam pia; & habenda est pro lege, cum nullatenùs contraria sit dispositioni juris: quippe nullum invenitur jus prohibens legari Minoribus; neque proindè testator legans, ullam transgrediatur formam à lege traditam. Ioan.Oinotomus *super Institut. lib. 2. titul. 10. de testam. ordinand.* ex §. *disponat: in Authent. de nuptijs*; & ex *l. nemo potest: ff. de legatis* 1. Strictiùs autem ligat præceptum testatoris, quàm legis, hujus enim præceptum mitius est,quàm præceptum illius;ut benè observat Glossa *in l.alio:v.cautionem:ff.ut legatorum. seu fideicom. nom. caveatur.*

6 Si igitur legatum Fratribus Minoribus relictum cum expressione causæ, modive illiciti, adhuc validum est,non caducum, sed convertendum in alium usum piæ Causæ, quæ semper adest, sicut nec unquam deficit favor animæ testatoris; ut probatum est; quantò fortius id dicendum est de legato ijsdem Fratribus relicto sine ulla expressione, quale est illud, de quo procedit rejecta sententia? Valet ergo illud non solùm in se, & propia causa generaliter, sed etiam respectu Fratrum specialiter, & est in alias eorundem necessitates convertendum, juxta *Canonem expressum Nicolai III.*

7 Quod verò attinet ad paritatem illam in ratione (ut ad illam redeamus, eámque penitùs confutemus) rejectæ sententiæ adventum, de legato scilicet facto deportatis, & damnatis ad metallum, quod est nullum ipso jure. Dico longè disparem esse rationem; ut alibi latiùs ostendam *in Casu altero, §. 4. à num.* 20. quin miror, quòd Doctores illi non erubuerint comparare servos Dei, servis pœnæ, & personis, quibus jura resistunt, tanquam odiosis, & in pœnam: cùm cæteroqui Fratribus Minoribus jura nulla resistant, sed tantùm non assistant, propter eorundem professionem Mendicitatis, & paupertatis, qua omni juri, ejúsque actibus abrenuntiarunt virtute heroica. At sanè Bartolus in saniorem devenit sententiam *alibi*, ut mox dicemus.

8 Interim rationi illi respondet Sanchez *cit. num.* 28. quoad comparationem illam tantùm vim faciens, bisce verbis: Non obstat ratio contraria; tùm quia, quidquid sit in eo speciali casu propter dispositionem legum volentium sic punire damnatos illos; id non potest habere locum in nostro casu, cum Fratres Minores non sint incapaces rei stabilis propter delictum aliquod, sed ratione suæ professionis: & cùm habeamus expressam Juris Canonici decisionem, qua declaratur illi legatum reputari modo licito factum, ac valere: tum etiam quia, ut optimè ait Aretinus *num. præcedenti* allegatus, si quantitas legati relicti damnatis illis esset alimentis eorum proportionata, fortè posset dici, legatum illud interpretandum in dubio relictum ad alimenta, & sic valere. Secundò; quia cùm res immobilis legatur simpliciter, non repugnat verbis, ut præsumatur relicta eo modo, qui ad legati valorem necessarius est; quia semper in dubio ea præsumptio capienda est, ut faveat actus valori; eò vel maximè, quòd hic de Causa pia, & Religione agatur; in quo eventu in dubijs opinionibus præferenda est Ecclesiæ favens; ut probavimus *suprà*. Tandem, quia verba simpliciter prolata intelliguntur in dubio juxta conditionem personæ, ad quam diriguntur, ut diximus *in quæstione: Utrum valeat legatum sub conditione, ut Monasterium illi non se intermisceat.* Cùm ergo verba hujus legati rei immobilis dirigantur ad Fratres Minores, qui nullatenùs sunt illius capaces, nisi ut pretium ejus venditæ recipiant, sic intelligenda erunt verba illius legati. Et ideò hanc partem sustinet Bartolus *tract. Minoric. lib. 2. dist. 4. cap. 1. num.* 19. & *in l. Fideicommissa* 11. §. *Si servo*, 16. *in fi. ff. de legatis* 3. & *in l. apud Iulianum*: 40. in alijs incipit, *Africanus: §. Constat: num.* 4. qui §. in alijs ponitur post *l.* 41. *ff. de legatis* 1. & ibi Paulus *n.* 4. Alexander *num.* 10. Imola *cod. §. fin.* quem legit *in l. cum servus, ff. cod. tit.* Abbas *cap. in præsentia: num.* 63. *de Probationibus*: & ibi Parisius *num.* 265. Florianus *in l. Cætera: § si duobus: ff. de legatis* 1. Cardinalis *cons.* 66. *n.* 3. & *cons.* 102. *num.* 2. *dub.* 2. Corneus *cons.* 117. *num.* 8. 9. & 10. *vol.* 2. & *cons.* 217. *num.* 4. *vol.* 4. Ananias *cons.* 30. *num.* 7. Spino *in spec. testam. glossa* 12. *principali num.* 39. Manuel *qq. Regul. tom.* 2. *quæst.* 126. *art.* 1. Sorbus *in Compend. Privil. Mendic. v. legata: in suis annotat. versic. Idem dicendum.* Hæc Sanchez; qui doctrinam illam, quam tangit, & optimè se novisse ostendit, de pietate Causæ legati prædicti, cui semper in dubijs favens opinio præferenda est; potuisset pariter adhibere in alijs legatis quantumlibet Fratribus Minoribus illicitis, quæ caduca, & nulla pronunciat, hæredibúsque accrescentia; prout *suprà* in rejectis ejus sententijs, & *infrà* etiam mox mox. Quare vel ex hoc solùm ad hominem etiam arguitur de nullitate earundem sententiarum. Doctoribus autem, quos Sanchez allegat, addi possunt omnes omninò Regulæ Minoricæ Expositores, Corduba, Politius, Crousers Antuerpiensis, Sanctes Romanus, & alij. Addo Ferdinandum de Castro Palao *cit. num.* 3. aientem: si Minori, vel illius Conventui, domus, ager, vinea, aliáve res immobilis absolutè donetur, vel delegetur, non est præsumendum legari, ut sic retineatur, sed ut vendatur, & pretium illius in usum, & utili-

tatem legatarij convertatur; ut expressè deciditur *in cap. Exyt: §. si verò Fratribus:* & tradunt communiter Doctores. Idipsúmque affirmat *num.*11. cum Bartolo *in Minoric. lib.*2. *dist.*6.*cap.*1. Et idem docet Sanchez *cit.num.*33. de legato census simpliciter Minoribus relicto, quòd scilicet vendi debeat per hæredes, & æstimatio expendi in Fratrum necessitates.

9 Reijcio sextò eorum quóque sententiam, quos sequitur *Sanchez*, ajentium, quod si legetur Fratribus Minoribus census, vel annuus reditus, non directò in legando testatoris verbo ad Fratres, itaut ipsis directè, legetur, & committatur perceptio annuarum pensionum; sed ad hæredem, vel gravatum, ejus fidei, curæque id committendo: jubente scilicet testatore (sunt hæc ipsissima verba, sub quibus difficultatem istam proponit Sanchez *cit.num.*34. *&* 48.) quotannis tantam quantitatem illis tribui, vel per alias temporum divisiones; ut quotidie, vel tertio quoquo anno: hoc legatum est prorsùs nullum, & inutile, nec tenetur hæres, vel gravatus in foro conscientiæ implere voluntatem testatoris, solvendo Fratribus Minoribus quotannis eam quantitatem. Sunt autem hi Doctores, quos citat Sanchez *num.* 49. Bartolus *in tract. Minoric. lib.*2. *distinct.*6. *cap.*1. *num.*32. *&* 33. addens, nec deberi æstimationem; Abbas *in cap. in præsentia: num.*63. *de probationibus, & cap. nimis:* 2.*num.*2. *de excess. prælat* Baldus *in authent. ingressi: in nova editione, num.*59. *C. de Sacrosf. Eccles.* Ancharanus *cap.*2. *num.*30. *de testam.* & ibi Imola *num.* 42. Rossella *in sum. v. legare, num.*19. *&* 20. addens, solùm recipere posse Fratres, quando merè volet hæres dare: Armilla, *v. Legatum num.*3. Navarrus *lib.*3. *consil. tit. de testamentis*, in prima editione, *cons.*14 *num.*8. in secunda, *cons.*8. *num.* 8. explicans, nec æstimationem deberi, sed haberi legatum pro non scripto; loquitúrque de annuis redditibus cum onere faciendi Sacra, & alia divina Officia: & Quæsada *in diversis qq. Iuris cap.*22. *num.*9. inquiens, nec æstimationem deberi: Et idem, quod *Quæsada*, dicit etiam Sorbus *in compend. Privil. Mendicant. v. legata, in suis annotationibus, vers. si verò aliquid annuum, seu aliquis reditus:* Corduba *in Regul. D. Francisci, cap.*6. *quæst.*11. *pn.*4. *notab.*2. & Surdus *de aliment. titul.*3. *quæst.*4. *num.*13.

10 Dico igitur, hujusmodi legatum, stando in terminis, sub quibus repræsentatur scriptum à *Sanchez*, verè validum esse, non solùm in se & absolutè, tanquam ad piam Causam; sed etiam respectu Fratrum, qui licitè (eorum, conditione inspecta) possunt illud præstitum quotannis accipere cum moderaminibus requisitis; quibus proinde signanter tenetur hæres, vel gravatus illud præstare quotannis, tanquam eleemosynam à testatore ordinatam, & relictam, non ex jure aliquo civili Fratribus, Sedivè Apostolicæ ex parte ipsorum specialiter se habenti acquisito, sed ex obligatiune conscientiæ, & justitiæ ex quasi contractu cum testatore defuncto; ut alibi ostendimus. Et ratio patet ex fundamentis præjactis, præsertim *in* §.5. *& in* §.23. quia nimirum id legati est simplex legatum annuum, gravando hæredem relictum; non autem ususfructus annuus legatus. Quapropter percipientes Fratres Minores hujusmodi annuas præstationes purè eleemosynaliter, & citra ullum jus ex parte ipsorum existens, & civiliter acquisitum, non possunt dici habere aut usum simplicem facti alicujus boni immobilis, præter concessa, vel inter immobilia computati; aut percipere annuos reditus materialiter sumptos, & propriè dictos: atque adeò non violant, vel minimùm, suæ ipsorum Mendicitatis statum, modò percipiant cum moderaminibus requisitis. Neque percipere annuatim, ut sic, est modus ipsis Fratribus illicitus; ut falsò putat Sanchez, & nos alibi ostendimus. Cæterùm dicta, & fundamenta Sanchez in hoc proposito magis ex instituto evacuabuntur *infrà. Art.*3. Interim Achilles illius, qui est in verbis *Clement. Exivi: in eo vers. Cúmque annui reditus:* nullam vim habet contra meam sententiam; patet enim ex fundamentis præmissis, quomodo textus ille sit intelligendus. Certè autem in hoc hallucinatus fuit Sanchez. Quod verò attinet ad alios Doctores, quos ipse pro sua affert sententia, puto, quòd eorum plerique nisi manifestè exorbitent, ut Sanchez ipse, quoad Fratrum capacitatem, loquantur de annuo censu, vel reditu constituto Fratribus legato sub modo, & forma annui ususfructus legati; non de simplici annuo legato, quale est legatum, quod exprimit in suis terminis Sanchez: vel si loquuntur de simplici etiam annuo legato, loquantur necesse est de eo propriè dicto, sive formaliter, sive materialiter sumatur; secùs enim à veritate aberrant. Nam non supponit Sanchez in suo modo loquendi, quòd testator legaverit sub hac forma: *Lego Fratribus minoribus annuas pensiones talis mei census, vel reditus annui:* vel, *Lego Fratribus minoribus talem meum censum, vel reditum annuum constitutum ad percipiendas, vel ut ipsi annuas pensiones percipiant.* Sed supponit dixisse testatorem sic: *Lego talem meum censum, vel annuum reditum, gravando hæredem meum, eumque jubendo. præstare quotannis, vel singulis mensibus tantam quantitatem earum pensionum annuatim ab ipso capiendarum in beneficium, & commodum Fratrum Minorum.* Primus modus, vel forma importat annuum usumfructum legatum: Secundus verò simplex annuum legatum, etiamsi integræ

integræ ex pensiones annuæ essent ab hærede expendendæ in Fratrum necessitates. Recole dicta *locis supracitatis*, ex *Iuribus*.

11 Vel dic etiam secundum illum modum, vel formam legandi, importare ad summum, annuam quandam commoditatem usufructus à testatore relictam Fratribus, & ab hærede, qui verè est usufructuarius illius census, vel reditus, iisdem Fratribus annuatim præstandam, citra ullum jus civile, vel politicam certitudinem ad illam habendam ex parte Fratrum se habentem. Sanchez autem ipse *lib.7.in Decal. cap.13.num.12.& 18.* latum esse discrimen docet inter usumfructum, & ejus commoditatem, quæ videlicet potest ab usufructu separari, si usufructuarius alteri concedat, vel largiatur fructus, sive concedendo, vel largiendo jus civile ad eos capiendos, sive (quod fit in casu nostro) citra omne jus civile præstando, & largiendo alteri per seipsum, vel per aliam personam fructus ipsos, usufructu verè apud se manente, ipsóque in jure adhuc usufructuario appellato. Ita docet *Sanchez citat.* cum Joanne Garzia *de expensis cap.10.num.39.* Molina Societatis Jesu *tom.1.de just. & jure, disp.7. colum.ult.* Barbosa *in l.usufructu: 58. num.3. ff. soluto matrimonio:* dicente, multas esse reales differentias inter usumfructum, & ejus commoditatem; ut prosequitur Jason *in l.cum filio: à num.157.ff. de legatis.1.* & Tiraquellus *de retractu lignager.§.1.glossa 7. à num.46.* Garzias *cit. à num.42.* Antonius Gomez *tom. 2. variar. cap.15.num.15.* Alexander de Nevo *in leg. nuper 42.num.6. ff.de donat. inter virum & uxor.* Romanus *in l.usufructu: 58.num.1.ff.soluto matrim.* & Sarmiento *lib.3. selectar. cap.9. num.2.* quos allegat, & sequitur *Sanchez citat.* dicens *numer. 58.* commoditatem usufructus, non esse verum usumfructum, sed illius effectum.

12 Quapropter in legato, quo de loquimur, attenta ejus forma à testatore servata, directo verbo ad hæredem, quem gravat; censendus est testator ipse relinquere hæredi census illius non solùm proprietatem, sed usumfructum quóque, & dominium non solùm utile, sed plenum fructuum ipsorum; Fratribus autem annuam tantummodò relinquere commoditatem legatæ portionis, seu quantitatis eorundem fructuum; & hanc quidem non ab ipsis authoritativè, quasi de jure ex parte ipsorum acquisito capiendam; sed gravando hæredem ad illam iisdem Fratribus quotannis præstandam: (quoquomodo tamen intelligo: idest non necessariò ex pensionibus, vel fructibus ejusdem census, vel reditus, quippe qui ex forma legandi ad id oneris specialiter non obligatus; sed ad placitum, etiam ex aliunde acquisitis, vel sibi provenientibus; juxta doctrinam ex jure traditam *S. § 23. à num.27.*) quæ, cùm nullo jure civili ex parte ipsorum Fratrum existente ad illam aut petendam, aut percipiendam ipsis annuatim proveniat, sed ex misericordiâ testatoris simpliciter, tametsi ex obligatione hæredis in foro conscientiæ, & justitiæ erga testatorem, verè eleemosynaliter provenire perhibetur, & citra ullam politicam certitudinem; atque adeò absque ulla repugnantia cum statu mendicitatis, & paupertatis Fratrum. Sicque potuisset Sanchez veritatem istam æquè benè cognoscere; sicut eam cognovit in hujusmodi legaris relictis pro Domibus Professis Societatis suæ, quas in Paupertatis voto suppares Minoribus, quin & in aliquibus superiores jactat; qua de re alibi justituetur censura, & judicium, *art.3.*

Deo tamen gratias, quòd omnium optimè 13 ex Doctoribus præsertim recentioribus Societatis Jesu veritatem hanc, & cognovit, & docuit, juxta à nobis tradita principia, doctissimus, Iurisque consultissimus Ferdinandus de Castro Palao *in sum.mor.p.3.tract.15.disp.3.pu.9. n.10. 11.& 12.* cujus resolutionis ordo est iste; videlicet.

Secunda difficultas, & gravior est de Cen- 14 sibus, annuisque Reditibus: An, inquam, hujus legati Minores capaces sint, possintque illud retinere? Pro cujus explicatione adverte, tripliciter censum, annuumque reditum legari Minoribus posse. *Primò*, per modum unius, ut si dicas: Lego Minoribus hunc censum, annuúmque reditum, quem possideo. *Secundò*, si leges illum censum, exprimens, ut singulis annis reditus illius ipsi accipiant. *Tertiò*, si hæredem, vel legatarium constituas cum obligatione singulis annis donandi Minoribus certam pensionem.

Si primo modo Censum leges, valet legatum; 15 sicuti valet legatum simpliciter relictum alterius rei immobilis, non quidem ut sic accipiatur, & retineatur ab ipsis; sed ut accipiatur in æstimatione, conversa scilicet (suppleo ego) in res, quarum usus sit Fratribus licitus. Sic Bartolus *tract. Minoric. lib 2. distinct.6. cap.1. num.33.* quem sequitur Sanchez *lib.7.sum.c.26. num.33.*

Si verò secundo modo leges, corruit lega- 16 tum; (hoc non probo, nisi in ordine particulari ad Fratres, juxta superiùs dicta) quia continet modum paupertati Minorum adversum; scilicet esse legatum perpetuum annui reditus Minoribus ex voluntate testatoris translatum: sic expressè deciditur *in Clement. Exivi: vers. Cúmque annui reditus inter immobilia censeantur à Iure:* En quàm egregiè intelligat *Clementinam* Doctor iste.)

Si tertio modo leges, majorem difficulta- 17 tem habet; quia verè sunt annui reditus, (materiales

riales scilicet) perpetui, quorum Minores incapaces sunt: (intellige tamen, si sint propriè dicti, id est si proveniant ex titulo civiliter acquisito ex parte Fratrum) & ita tenet Bartolus *suprà*, Abbas *cap. in præsentia: num.* 63. *de probationibus*, Navarrus *lib.* 3. *consil. tit. de Testament. consf.* 14. *alias* 8. Sanchez alios referens *lib.* 7. *cap.* 26. *num* 46.

18 Cæterùm veriùs censeo, legatum subsistere. Sic Sylvester *v. legatum* 2. *q.* 3. *dicto* 3. Angelus *eod. tit.* 1. *num.* 5. Tabiena 1. *quæst.* 4. *num.* 5. Manuel Rodrig. *qq. Regular. tom.* 1. *quæst.* 126. *art.* 4. Suarez *tom.* 3. *de Religione lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 19. *&* 25. *& tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 9. & probabile reputat Sanchez *num.* 35. Ratio est; Nam esto hæredi, vel principali legatario imponatur obligatio perpetua donandi Minoribus annuos reditus; (scilicet materiales) at hæc obligatio non est ex jure aliquo civili Minoribus requisito, (supple, aut alteri ex parte ipsorum specialiter se habenti; nec ipsi sic sunt, vel de facto usufructuarij) sed ex hæreditate relicta à testatore, & comparatione illius: sicuti, si tuo famulo donares divitias pauperibus distribuendas, famulus obligatus esset pauperibus donare, non ex jure aliquo, quod pauperes habuerint, sed ex tuo imperio, & dispositione. Unde cùm Pontifex prohibet Minoribus annuos reditus, intelligi debet de reditibus, qui comparatione Religiosorum & ex jure ipsis competente sunt debiti: non de reditibus, qui comparatione Religiosorum eleemosynæ sunt, & gratis donantur. Hactenùs ille optimè interpretatus *Clementinæ* textum, quoad reditus materiales, & etiam quoad formales, qui inferunt usumfructum, suntque per *dictam Clementinam* Fratribus Minoribus interdicti, etiam quoad simplicem facti usum, & omni civili jure secluso ex parte Fratrum.

19 Unum habet in hoc proposito Ferdinandus *num.* 13. in quo non mihi probatur. Ait enim: Verùm, ut hæc doctrina ex omni parte luceat; concedamus, hoc legatum caducum esse, neque Minores capaces esse illius; poterit ne vendi, sicuti venditur legatum alterius rei immobilis? Respondeo, consentiente hærede, certum est vendi, vel potiùs de novo constitui posse. An verò teneatur hæres vendere, vel venditioni consentire? non caret difficultate: Siquidem hac venditione facta, voluntas testatoris meliori modo, quo potest, impletur, Monasterium enim recepto pretio recepit æquivalentem pensionem sibi legatam, hæres verò manet gravatus, emptori singulis annis concedere. Sed oppositum veriùs est; nempè hæredem non esse obligatum vendere, neque venditioni consentire; imò nec posse; quia ex illo legato nullum jus Monasterio accrescit, sed solùm in hærede resultat obligatio comparatione testatoris dandi Monasterio annuam pensionem. At, ubi nullum adest jus transmissibile, nulla esse potest venditio; ergò hoc legatum annuæ pensionis capax esse non potest venditionis, Ita ille.

Uerùm, inquam minus mihi probatur. Supponatur enim, & non concedatur, Minores esse illius legati percipiendi incapaces; (sicuti verè sunt, quoad legatum relictum secundo modo ex *suprà notatis*) adhuc non admitto, legatum esse caducum, sicut nec illud, dicto secundo modo relictum. Censeóque hæredem, vel gravatum teneri in foro conscientiæ in aliam piam Causam erogare annuas pensiones illas, vel reditus; etiamsi non vendat censum ipsum formalem, ad quem vendendum concedo illum non esse obligatum: cum tamen si maluerit, possit ipsum, vel ejus commoditatem vendere, & pro vnica vice satisfacere obligationi suæ erogando æstimationem in pias Causas: id tamen non fiet sine consilio, & licentia Papæ, vel Episcopi, juxta dicta *in superioribus*. 20

Ad rationem verò *Ferdinandi* respondeo, negando, quod ille falsò supponit: nullum scilicet adesse jus transmissibile. Nam suaptè natura jus, & titulus adest ex institutione legati, & ordinatione testatoris legantis pro bono animæ suæ, ut interpretandum est, etiamsi non expresserit; cum legatum sit pium. Quòd porro Fratribus, seu Monasterio tale jus, vel titulus civilis non accrescat, hoc est per accidens, non ex natura rei, scilicet legati: provenit enim propter incapacitatem juris, jurisque effectuum, quam importat Fratrum (etiam in communi) mendicitas, & paupertas heroica. Adest igitur suapte natura legati titulus, & jus transmissibile, si vendere illud malit hæres, vel gravatus sicut etiam adest alia pia Causa, quæ annuarum pensionum solutionem admittat, si legatum ipsum, seu jus legati nolit hæres vendere, vel gravatus: qui præterea poterit, retentis sibi tùm censu formali, tùm usufructu, tùm titulo legati, vendere simpliciter commoditatem, ut tradit Sanchez *suprà citatus*, cum Doctoribus *ibi* allegatis; & hujus venditionis pretium erogare, ut *suprà*. Non peribit tamen commoditas illa in emptore, aut ejus hæredibus, per mortem hæredis vendentis; ut in alijs casibus, juxta *l. necessario*: 8. *§. fin ff. de periculo, & commodo rei venditæ*, & ibi Gloss. *v. Tuum*: & *v. Nihil*: ut tradunt Doctores apud *Sanchez citat.* nam in hoc casu, cum sit usufructus perpetuus legatus, cujus titulus transit in hæredes hæredis vendentis commoditatem; perpetua quoque erit commoditas, vel jus commoditatis venditum in emptore, & ejus hæredibus, non obstante morte primi venditoris. 21

ris. Uideatur Sanchez *loc. cit. à num. illo* 12. *usque ad* 20.

22 Atque hactenus per duos istos §. §. ad reijciendas, quod attinet, opiniones hæredum, gravatorumvè conscientijs falsò blandientes; à quibus propterea hos cavere moneo, velut à Lacte Jaëlis, quô potionatis sibi æternæ mortis somnus concilietur, clavo culpæ defixis. Vide etiam dicta *art. seq.* §. 5. Jam verò ad illas etiam accedo reijciendas, quæ Fratrum ipsorum Minorum aures periculosa persuasione demulcent.

---

§. XXVIII.

Sequitur argumentum §. 26. quoad opinionum Fratribus Minoribus in hac materia assentantium refutationem.

SVMMARIVM.

1 *Minores sunt incapaces legati simplicis propriè dicti & civiliter debiti.* & num. 2.

2 *Minores non sunt capaces reditus annui civiliter debiti, etiam ad modicum tempus relicti.*

Tempus modicum quale sit in hac materia. ibid.

Lex, hæreditatum, ff. ad leg. Falcid. *exponitur.* ibid.

3 *Census annuus ad breve tempus relictus an computetur inter Immobilia.*

4 *Census annuus etiam materialiter sumptus, & infra decennium Minoribus relictus, censeri debet illicitus & repugnans eorum mendicitati ratione certitudinis.*

5 *Census annuus Minoribus relictus pro expensis necessarijs ad divinum Officium, an sustineri possit?* & num. 6. cum al. seqq.

6 *Minores an dicantur tantum mendicantes ratione victus, an etiam aliorum quæ spectans ad cultum & ornatum Ecclesiæ.*

7 *Minores an sint capaces reditus annui ad emendos libros, vel ad cultum Ecclesiæ ipsorum.*

8 *Minorum Ecclesia an possit institui hæres.*

9 *Minores, eorúmque Ecclesiæ in paupertate dicuntur fundata, itaut ab annuis reditibus & successionibus hæreditarijs abstinere debeant.*

Minorum mendicitas heroica excludit omnem superfluitatem, & provisionem in futuram, præsertim cum politica certitudine. ibid.

10 *Legata Minorum Ecclesijs relicta sub annuo censu, vel hæreditariæ successiones, præsumuntur in fraudem mendicitatis ipsorum facta.* & num. 11.

11 *Ecclesiæ & Sacristia Minorum non possunt institui hæredes, non minùs quàm ipsi Minores.*

12 *Minores non admittunt legata civiliter debita pro Anniversarijs & Missis celebrandis.* & num. 13.

14 *Minores qua ratione stipendia pro Missis, alijsque divinis Officijs humiliter, & eleemosynaliter recipere possint.* & num. 15. & 16.

15 *Legatum Minoribus relictum sub modo ipsis illicito, est quidem caducum respectu ipsorum, debet tamen impleri ab hærede onus ipsi injunctum per alios Religiosos capaces.*

16 *Hæredes tenentur impendere annuum legatum Minoribus relictum pro Missis, cedendo usumfructum alijs Religiosis qui oneri satisfaciant; vel eo retento, erogare ipsis Minoribus, aut alijs, stipendium pro anima testatoris.*

17 *Minores respuunt legata sibi relicta pro libris emendis ad studium ipsorum, si per modum annui reditus certi & civiliter debiti instituta sint.* & num. 18. & 19.

20 *Minores an sint capaces legatorum pro necessitatibus infirmorum, vel pro ipsis curandis.* & num. 21. & 22.

21 *Alimentorum nomine etiam Medicina continetur.*

23 *Minores an possint recipere legata sibi relicta pro sustentatione hospitum.* & n. 24.

25 *Omnes omnino reditus annui tam ad unicum annum, quàm perpetui; tam pro expensis divini cultus, quàm pro stipendijs Missarum, aut pro libris emendis, aut pro infirmis curandis, aut pro hospitibus excipiendis, aut victu Religiosorum, paupertati Minoricæ repugnant.*

Declara, si secum afferant politicam certitudinem num. 26. & num. 28.

Secùs de legatis simplicibus impropriè dictis nec civiliter debitis. num. 27.

29 *Paupertas Minorica non est indulgentior paupertate Domus professæ Societ. Iesu.*

Alterum refutandarum propositionum genus, quod proposuimus *in Exordio* §. 26. est eorum, qui benigniores plus æquo Fratrum Minorum conscientias, in hac materia consulenda, permulsent. Igitur, quod ad hoc attinet. 1

Reijcio primò sententiã eorum, qui docent Fratres Minores esse capaces annui legati simplicis propriè dicti, idest civiliter debiti, & certi, acquisito nimirum jure Apostolicæ sedi: non solùm autem simplicis annui legati, ut præfertur, sed etiam annui census, & annui usufructus, minimæ tamen quantitatis, si eis legetur: dummodò hujusmodi legata sint ad 2

modicum

modicum tempus. Et ita docent Federicus Antoninus, Abbas, Cardinalis, Ancbaranus, Imola, Ananias, quidam Consulens innominatus, cujus consilium habetur, post *consl.* 12. *Federici*, Gualdensis, Rosella, Angelus, Sylvester, Tabiena, Serena Conscientia, Corduba, Sorbus, Emanuel Sà, & alij, quos allegat, & sequitur Sanchez *lib.* 7. *sum. cap.* 26. *num.* 36. quibus addi possunt Azorius *p.* 2. *Institut. moral. lib.* 9. *cap.* 1. *§. sextò quæritur:* Cardin. de Lugo *tom.* 1. *de just. & jure disp.* 3. *sect.* 5. *num.* 102. *&* 103. Marcus Antoninus Cucchus *Instit. mai. Iuris canon. lib.* 3. *de Regul. tit.* 1. *à num.* 34. Politius, Crousers, & alij apud istos.

Tempus autem modicum communior sententia statuit illud esse, quod est infra decennium: ut pluribus allatis firmat Sanchez *cit. num.* 39. & Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 20. paucis exceptis, quorum aliqui illud arctant ad quinquennium, juxta doctrinam Gloss. fin. *in Clement.* 1. *de rebus Eccles. non alienan.* Aliqui verò illud ostendunt etiam ad durationem vitæ unius Religiosi, quæ propter incertitudinem, & frequentia pericula non reputatur longum tempus; ut videre est apud Sanchez *cit. num.* 37. *&* 40. Suarez, & de Lugo *loco cit. & citan.* Corduba etiam apud Sanchez *cit. num.* 39. ait modicum tempus censendum esse, si legentur annui census, vel reditus tertio quóque anno, usque ad viginti annos solvendi. At quidquid sit de temporis longitudine, aut brevitate, seu modicitate dijudicanda; quodnam scilicet tempus censeatur longum, vel breve, seu modicum; (mibi námque probabile est, quod breve, seu modicum tempus censeatur; tàm infra decennium existens, quàm ad quinquennium tantùm pertingens) id certum est in Iure, ut decernit Venulejus *in l. hæreditatum. ff. ad legem Falcidiam;* quòd simplex annuum legatum v. g. alimentorum ad vitam alicujus relictum, non eodem modo judicatur, quoad annorum computationem durationis vitæ in quocúnque legatario, seu alimentario instituto; sed diversimodè, pro diversis scilicet respectivè ætatibus legatariorum, seu alimentariorum; nam qui Minoris ætatis est, plus vivere posse præsumitur: minùs verò, qui majoris est: itaut ad summum præsumatur victurus triginta annos, si videlicet à prima ætate (quæ est à nativitate usque ad duodecimum, vel quartum decimum annum) non excedat ætatem annorum viginti; ad minimum verò præsumatur victurus quinque annis, si nimirũ excedat ætatem annorum sexaginta, si verò fuerit ætatis annorum quinquaginta in quinquaginta quinque præsumitur victurus novem annis; vel etiam duntaxat septem, si annos quinquaginta quinque excedat ætatis, at non sexaginta. Alias diversarum ætatum computationes vide ibi *in d. l. hæreditatum:* ubi Gloss. & Scribentes. Et adverte cum eadem Gloss. *ibi, in v. ulpianus ait:* quòd adhuc aliud est in legato ususfructus, quàm in simplici legato alimentorum, scilicet ad vitam alicujus: nam usufructuarius, secundùm computationem *d. leg.* æstimatur, seu præsumitur diutiùs vivere, quàm simplex alimentarius. Cæterùm verò in alimentis legatis citius præsumitur moriturus legatarius seu alimentarius senex, quàm juuenis, ut benè etiam notat *ibid.* Gloss. Quare vides, quòd sententia prædicta de annuo legato simplici ad durationem vitæ unius Fratris Minoris, intelligenda adhuc est de Fratre tantùm, qui sit ætatis quinquaginta saltem annorum, aut sexaginta, vel ultra. Atque ità à fortiori, juxta prædicta intelligenda est eadem sententia, quoad legatum ususfructus. Nam absolutè tempus vitæ non est censendus breve; ut patet; atque adeò legatum absolutè relictum ad vitam alicujus Fratris Minoris, censendum est regulariter ad longum tempus relictum, & consequenter ijsdem Fratribus illicitum, in omnium sententia. Prout optimè mihi novissimè, post hæc scripta, confirmavit per Epistolam ad memet super hoc datam R. P. Hiacynthus à Fulgineo Minoricæ paupertatis, ac Regulæ studiosissimus cultor, atque assertor egregius, acerrimúsque in Provincia S. Francisci.

Ratio autem hujus sententiæ est: quia census, seu reditus annui ad breve tempus, inter immobilia non computantur; censerique debent, ac si tota illa quantitas simul, & per modum unius legaretur, neque ratione illius mendicitas tollitur, sed sublevatur. 3

Hanc tamen sententiam reijciendam puto cum Bartolo *tract. Minoric. lib.* 2. *dist.* 6. *cap.* 3. *num.* 35. Mariano Socino *in tract. de oblation. libello* 8. *quæst.* 7. *num.* 7. *in fin.* Roderico *qq. Regul. tom.* 2. *quæst.* 126. *art.* 3. & Castro Palao *cit. num.* 14. & alijs. Rationem autem ampliorem reddam, & universalem (*num.* 26. *infra hic*) post recensitas alias etiam sententias, quas rejectas à Fratribus Minoribus volo, suæ ipsorum Regulæ, & Mendicitatis puram observantiam æmulantibus. Interim dico, annuos census, vel reditus propriè dictos, etiam materialiter sumptos, inter Immobilia computari, etiamsi sint infra decennium: at dato, & non concesso, quòd non computentur, sicut legata simplicia, etiam propriè dicta, & repertibilia per solam actionem personalem: adhuc tamen receptio cujusquam rei civiliter debitæ, & certæ (vel pro unica vice) violat Mendicitatem; ut patet ex dictis pro *secunda Conclusione.* Vnde fundamentum contrariæ, ejúsque rejectæ sententiæ nullam apud me obtinet probabilitatem; quantumlibet alij in suo sensu abundent. 4

dent. Neque valet ratio quam, affert Sanchez *eo num.36.* à simili probare intendens, non repugnare Paupertati Fratrum Minorum annuam perceptionem redituum, nisi sit ad longum tempus. Quia (inquiens) sicut locatio rei immobilis Ecclesiasticæ, vel ejus fructuum venditio ad longum tempus, æquipollet alienationi ipsius: *Clement. 1. ad fin. de rebus Ecclef. non alienan.* sic à simili receptio redituum ad longum tempus, æquipollet possessioni rei immobilis, quæ Paupertati Minorum repugnat. Non, inquam, valet hæc ratio, ut mihi suadeat, integrum esse Minoribus recipere fructus annuos rei immobilis, ad breve tempus: quia hæc receptio non æquipollet possessioni illius rei immobilis. Neque enim sola possessio rei immobilis, sed etiam ejusdem vel simplex facti usus, etiam ad breve tempus, repugnare perhibetur paupertati, & mendicitati Fratrum Minorum; ut patet ex *Clement. Exivi: §. Proinde: verf. cumque annui reditus:* Recole monitum, quod tradidimus *hic supra, §.22. n.34.* circa hoc ipsum subjectum.

5 Rejicio secundò eorum sententiam, qui legata generis prædicti, etiam perpetua Fratribus Minoribus admittunt pro expensis necessarijs ad divinum cultum, ceræ, vini, olei, ornamentorum, & similium, & à fortiori pro Ecclesiæ fabrica. Et ita sustinent Federicus, Author innominatus *supra cit.* Antonius, Mantua, Abbas, Cardinalis, Ancharanus, Imola, Ananias, Baldus, Rosella, Angelus, Sylvester, Tabiena, Navarrus, Serena Conscientia, Corduba, Sorbus, Menochius, Emanuel Sà, Ribadeneira, Rodericus, & alij, quos allegat, & sequitur Sanchez *cit. num.42. & cap.25. num.13.* quorum aliqui concedunt etiam, posse Ecclesiam Fratrum Minorum hæredem institui. Addo Castro Palao *loc. citat. num.15.* qui affirmat de communi praxi hujus sententiæ, (fallitur tamen, saltem quoad nos Capuccinos) & allegat pro eadem Suarez *citat. num. 28.*

6 Ratio communis hujus opinionis est illa Federici de Senis *conf.12.* quam affert, & approbat Abbas *p.2. Consilior. conf.63. num.2. tom. mihi 8.* hisce verbis: Fratres Minores & alij, qui sunt de genere Mendicantium, dicuntur Mendicantes: quia incerta mendicitas debet eis victum tribuere; ut dicit textus *in cap.1. de relig. domibus lib.6.* & sic, quòd in pertinentibus ad victum duntaxat dicuntur Mendicantes, & tenentur servare Mendicitatis statum. Appellatione autem victus veniunt duntaxat ea, quæ esui, potui, cultuique corporis necessaria sunt; ut vestes, habitatio, & similia; ut dicit textus *in l. verbo victus: ff. de verb. & rer. signficat.* & idem voluit textus, respectu alimentorum *in l. legatis ff. de alimen. & cibar. legat.* ubi dicitur, quòd legatis alimentis, debentur ea sine quibus corpus ali non potest; ut cibaria, vestitus, & habitatio: cætera verò, quæ ad disciplinam pertinent, legato non continentur, &c.

Ex quibus idem Abbas deducit, Fratres Minores, & alios mendicantes non debere dici mendicantes, & per consequens nec teneri ad servandum mendicitatis statum respectu eorum, quæ concernunt disciplinam addiscendam, aut cultum Ecclesiæ: & super consequens eos esse capaces annui reditus, etiam perpetui, relicti pro libris emendis, & pro rebus ad divinum cultum spectantibus; ita ille, id prosecutus *loco cit. num.3.4. & seqq.* cum *Federico cit.* & Baldo *in authen. ingressi: C. de sacrof. Eccl.* & Io. de Ligniano, post Bartolum, *in Clement. Exivi: in ultim. q. tract.* 7

Atque ex hac ipsa ratione deducit *ibid.* Panormitanus ille Doctor, cum Bartolo *in tr. Minor. lib.4 dist.4. & dist.6. c.1. n.20.* quòd Ecclesia Fratrum Minorum possit hæres institui: vel etiam Sacristia: quódque talis institutio benè teneat de jure; si fiat: quam sententiam sequuntur *Cucchus, & Rodericus*, reputátque probabilem (heu!) etiam noster *à Sorbo*, quos affert, sed benè refutat Castr. Palau *supr. cit. pu.8. n.6. & 7.* 8

Verùm hæc sententia, cùm quoad legata annuorum redituum, tùm quoad hæreditarias successiones, improbanda, & cavenda omninò est à Fratribus Minoribus suæ puritatem Regulæ observantibus. Siquidem ex illa eorum manifestè labefactatur Mendicitas, quæ tam in communi, quàm in particulari receptionē excludit omnis omninè rei civiliter debitæ, seu à Fratribus, vel ab alio ex parte ipsorum specialiter se habēte civiliter acquisitæ, & habitæ ante actualem ejusdem præstationem. Excludit etiam superfluitatem, & provisionem in futurum, præsertim cum politica certitudine, quæ propriè opponitur dependentiæ à providentia Dei, ad quam Fratres ipsi ex sua professione tenentur; etiam quoad ea, quæ ad cultum spectant Ecclesiæ; qualis profectò esset provisio legati annui reditus, etiam materialiter sumpti, sed civiliter debiti, sive debeatur ex obligatione personali tantùm, quamvis sit pro re mobili in Iure habeatur, sive debeatur ex re immobili, ut ex fundo, prædio, domo, vel inter immobilia computata, ut ex jure cēsus, vel reditus cōstituti, quo modo verè annui reditus, etiam materialiter sūpti, inter immobilia computantur à Iure: ut tradit Ioan. Oinotomus *in Comment. in quatuor. lib. Instit. Imper. lib.3. de hæredib. quæ ab intest. deferuntur: & de success. inter vir. & uxor. tit.1. n.33. & 38.* ubi in hoc sensu intelligit, & affert textum Clementinæ *exivi: v. Cumque annui reditus*: testatúrque; ita etiam eundem textum 9

Q intelligis

intelligi, & adduci in Iure Saxonico *lib. 3. artic. 76. in fine.*

10 Præterea tùm legata prædicta, tùm hæreditates Minorum Ecclesijs per Doctores illos admissa, præsumuntur in fraudem mendicitatis, sicque pariter Clementina *Exivi:* denegans omninò Fratribus Minoribus, non solùm hæreditarias successiones, sed etiam legata, quæ præsumi possunt in fraudem suæ ipsorum paupertatis prorsùs violatur: Probatur assumptum quia facilè testator optans Minoribus hæreditatem, vel legatum annui reditus relinquere, posset, omisso nomine Conventus Ecclesiæ nomine uti. Falsumque item est, quòd Ecclesia, vel Sacristia Minorum hærede, aut legataria instituta, immediatè censeatur institutus Pontifex, aut ejus Syndicus; (ut supponunt Doctores rejectæ sententiæ) neque enim hæreditas, vel legatum relictum Ecclesiæ Minorum, censetur relictum immediatè Pontifici, & ejus Syndico; sed Minoribus ipsis, quoad utilitatem, & usum. Si igitur Minores cujuslibet hæreditariæ successionis, & cujuscùnque annui reditus propriè dicti incapaces sunt, etiam in communi eorum quóque Ecclesiæ, & Sacristiæ hanc eandem incapacitatem habebunt.

11 Deindè longè diversum est, instituere Pontificem, vel ejus Syndicum hæredem, aut legatarium annui census, vel reditus, cum obligatione reparandi Minorum Ecclesiam, vel subministrandi necessaria ad ejus cultum, & ad hunc finem; ac instituere ipsam Minorum Ecclesiam quia in priori institutione solus Pontifex, vel ejus Syndicus est institutus hæres, vel legatarius ususfructuarius; Ecclesia verò Minorum simpliciter legataria talis legati, quod citra obligationem politicam admittere potest, non aliter. Si igitur Minorum Ecclesia immediatè directo scilicet testatoris verbo ad ipsam, instituitur aut hæres, aut legataria annui census, vel reditus constituti, Minores instituuntur: atqui hi nullius hujusmodi institutionis capaces sunt, juxta *Clementinam, Exivi: §. Proinde:* ergo neque ipsorum Ecclesiæ, aut Sacristiæ. Et ita sustinent, quoad hæreditatem *Bartolus*, retractans priorem sententiam *in l. unic. in fin. C. de condu. ctorib.* Bald. *in auth. ingressi n. 55. C. de sacros. Eccles.* Corduba *in cap. 6. Reg. q. 11. pu. 1.* Sotbus *in Comp. Priv. v. Hæreditas v. sed cum Fratres*: Sanchez *cit. c. 25. n. 14.* & alij apud ipsum, Castro Palao *cit. pu. 8. n. 7.* qui omnes idem jure optimo concludere potuissent, etiam quoad legata, propter puritatem rationis, ut patet ex dictis: sicut benè conclusit Azorius *instit. moral. p. 1. lib. 12. c. 23. q. 15.* Stet igitur Ecclesiam vel Sacristiam Minorum non esse capacem annuorum legatorum, nisi quatenus asseruimus *in prima Conclusione* capaces ipsosmet Fratres.

Reijcio tertio eorum sententiam, qui legata prædicta civiliter debita, & certa, etiam in perpetuum, admittunt Minoribus, quando sunt relicta pro Anniversarijs perpetuis, vel Missis, alijsvè divinis Officijs. Sunt autem hi Cucchus, Rudriguez, Sylvester, Tabiena, & alij, quos referunt, non tamen sequuntur Sanchez *cit. c. 26. n. 43.* & Castro Palao *cit. pu. 9. n. 16.* & Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 17. num. 31.* 12

Ratio autem hujus sententiæ ab omnibus allata Doctoribus mox citatis ea est: quia nimirum pensiones illæ annuæ ex hujusmodi legatorum solutione Fratribus provenientes, non tam sunt legata, quàm stipendia laboris pro Missis, Officijsvè celebratis. 13

Atqui hæc quóque sententia reijcienda est neque ullo modo à Minoribus secundùm puritatem sui ipsorum status viventibus audienda. Neque in ea improbanda ducor ratione, qua ducuntur Sanch. *cit. n. 44.* alijque apud ipsum, & Castro Palao *loc. cit.* quia nimirum stipendium illud Missarum immediatè cedit in ipsorummet Fratrum sustentationem, & ad hunc finem præstatur, & accipitur, tametsi ratio, vel causa, propter quam præstatur, spiritualis sit, nempè celebratio divinorum. Non, inquam, hac ducor ratione; quia insufficiens est, etiamsi stipendium illud non cederet immediatè in Fratrum sustentationem; sed cederet pro cultu Ecclesiæ. Ducor autem, quia stipendium illud, cum recipiatur per Fratres ab hæredibus ex obligatione civili, ita ut secundùm illam sententiam, possint illud per Syndicum exigere in judicio; habet rationem pecuniæ, & pretij politici laboris: quod est contra præceptum formale Seraphici Patris *in cap. quarto* ajentis: *Præcipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel interpositam personam.* Est etiam expressiùs contra aliud ejusdem Seraphici Patris mandatum *in cap. 5. Regul.* quod æquipollens refertur ad præcedens; illis verbis: *de mercede verò laboris, pro se, & suis Fratribus, corporis necessaria recipiant, præter denarios, vel pecuniam: & hoc humiliter, sicut decet servos Dei, & Paupertatis sanctissimæ sectatores.* Si igitur recipitur stipendium illud, tanquam civiliter debitum, non recipitur humiliter, & tanquam pura eleemosyna respectu Fratrum; habeturque à Fratribus ipsis in futurum tanquam provisis civiliter certa; quod est contra statum Mendicitatis, & expressè interdictum, etiam citra talem certitudinem, si esset ex legato ususfructus; quia importaret Fratribus usum, de facto saltè alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati. Hanc tamen rationem à nobis allatam insinuat, tametsi nō usquequaque, explicet, Castr. Palao *loc.* 14

loc.cit. hisce verbis: Si ergo hoc stipendium illis (scilicet Fratribus) debitum est, & tanquam Oeconomi, & administratores jus habent. medio Syndico, illud exigendi, securi erunt de sua sustentatione, nullámque habebunt necessitatem mendicandi: Hæc ille. Quæ tamen ratio adhuc valet, etiamsi remaneret Fratribus necessitas aliqua mendicandi, in multis scilicet alijs pro ipsorum sustentatione necessarijs. Nam eorum mendicitas, licet (ut putant Doctores sententiæ primò rejectæ per hujusmodi modica legata, vel etiam ad modicum tempus sublevetur, non omninò tollatur; læditur tamen in essentialibus; & verè (ut ajunt) sublevatur; sed tollitur & amovetur à statu humilitatis, & dependentiæ à providentia Dei, & misericordia fidelium, in quô suapte natura per omnimodam abdicationem juris civilis, ejúsque actuum fundata est Non igitur licet Fratribus, eorum puritate status spectata, hujusmodi legata habere, vel recipere. Sic enim declaratum etiam fuisse docuimus *alibi*, in Capitulis Generalibus Ordinis; ut videre est etiam apud Sanchez *citat. num.* 49. Et ita docent Navarrus, Corduba, & alij, quos referunt, & sequuntur Sanchez *citat. num.* 44. & Castro Palao *citat. num. decimosexto*, apud quem Suarez *citat. numer.* 32.

15 Cum his tamen omnibus firmum manet, Fratres Minores esse capaces hujusmodi legatorum, etiam perpetuorum, impropriè dictorum, & per modum eleemosynæ; si tamen sint legata annua simplicia, & usumfructum annuum non importantia: tunc autem hæredes, vel gravati tenentur in conscientia ità specialiter implere testatoris intentionem, præstando annuatim Fratribus portionem legatam, cum tali onere, cui Fratres ipsi citra conventionem, vel contractum ullum satisfacient, sed ex sola obligatione naturali; seu antidorali. Quòd si fuerint usufructus annui legati cum tali onere, tenentur Fratres respuere legatum tali titulo exhibitum; & hæredes tenentur nihilominus testatoris intentionem implere, curando, ut tale onus cum legato ab alijs Religiosis acceptetur, ut fiat satis. Atque in hoc casu tantùm admitto sententiam asserentium, tale legatum esse caducum, & irritum; (intellige quoad Fratres Minores specialiter institutos, non quoad causam piam:) sed teneri hæredem facere ea sacra celebrari; (non tamen teneri, per Minores) &, si fieri potest, in Ecclesijs, & Altaribus à testatore designatis: non tamen ita admitto, quia legatum cedat hæredi cum onere adjuncto; juxta *legem primam, §. pro secundo: C. de caducis tollendis*: sed quia, ut pium, adhuc validum est, & implendum omni meliori modo, & proximiori intentioni testatoris. Undè non approbo dictum *Navarri* apud Sanchez *cit. num.* 51. ajentis, non teneri hæredem ad totam assignatam eleemosynam, sive stipendium illud legatum erogandum ijs, qui Missas celebraverint, sed posse sibi retinere, quod supererit, facta eis satisfactione pro consueta, vel taxata eleemosyna: Non, inquam, approbo; quia supponit falsum: quòd scilicet tale legatum sit absolutè, & in se irritum, & caducum.

Caveant igitur ab hac doctrina hæredibus consulenda conscientiarum moderatores, utpote quæ adeò manifestè contraria est privilegijs piæ Causæ, quibus jura omnia, ut alibi monstrabimus, suffragantur. Sed doceant ipsos teneri in foro conscientiæ, & ex fidelitate erga testatorem ejusdem voluntatem, & dispositionem integrè, quantùm fieri potest adimplere: vel scilicet cedendo usumfructum illum legatum cum tali onere alijs Religiosis illius capacibus, qui oneri annuo satisfaciant, & pensiones, vel fructus integros, per se, vel per suos procuratores annuatim percipiant: vel saltem retento sibi titulo ususfructus, & dominio utili fructuum, uel pensionum provenientium, easdem integrè erogando Religiosis illis, qui oneri satisfecerint, tanquam stipendium à testatore assignatum, quòd sine injustitia, & furti labe fraudari non potest. Ubi adverto, si hæredes maluerint hoc secundo modo voluntatem testatoris implere, postquam Fratres Minores exhibitum sibi sub illa forma legatum respuerint, hæredibúsque declaraverint, eos non teneri ullo modo, neque in foro conscientiæ, ad illam eleemosynam sibi specialiter præstandam cum suo onere: si tamen voluerint ex sua mera electione ipsis committere Missas illas celebrandas, poterunt Fratres, salva sui puritate status, modò abstineant à politica conventione, vel contractu, eas celebrare, & eleemosynam accipere à testatore assignatã: jam enim non censentur percipere ex usufructu sibi legato; sed ex mera electione hæredis eleemosynam à testatore relictam implentibus illud onus. Et in hoc consentit etiam ipse Sanchez *cit. n.* 50. & Patres Ordinis in Decretis Capitulorum Generalium ab eodẽ Sanch. relatis *n.* 49. & à nobismet *in præcedentibus*. Hactenùs, quod ad tertiam illam rejectã sententiã spectat. 16

Rejicio quartò eorum assertum, qui prędicta legata etiam perpetua, Minoribus admittunt, quando eis relinquuntur pro libris emendis ad Religiosorum studium. Hi sunt Abbas *consf.* 63. *suprà cit.* ubi ejus verba retulimus, quibus ipse rationem reddit, cur Minoribus liceant hujusmodi legata facta ad cultum divinum cum Gloss. *in Clemen. dudum: verf. indirectè: de sepulturis*, Sanchez *cit. num.* 45. & 46. & apud ipsum Decius, Parisius, Felinus, Ruynus Re- 17

bussus, Horatius Lucius, Redoanus, & Cucchus; & hanc sententiam probabilem Satis reputat Castro Palao *cit. num.* 18. Quinimmò Sanchez, & Castro Palao allegant pro ipsa etiam Menochium *consf.* 1014. *num.* 38. *volum.* 11. *& num.* 34. *&* 35. qui tamen mihi potiùs videtur stare pro parte contraria; dum *eo num.* 34. limitat (ipsomet teste Sanchez) assertum, modò administratio non sit penes Fratres, sed penes sæculares. Hac enim limitatione insinuat, sensum suum esse de hujusmodi legatis impropriè dictis, idest non civiliter debitis, & non importantibus, vel de facto, usumfructum; nam, dum non vult, quòd ex parte Fratrum sit ulla administratio, multò minùs censendus est admittere ex parte eorundem jus ullum civile, in quo propriè fundatur, & quod indicat administratio.

18 Ratio communis Doctorum est illa: quia hoc legatum non tollit eorum mendicitatem; sicuti non tollit legatum relictum pro reparatione Ecclesiæ, & ad certum divini cultus usum; ut ad frumentum, vel vinum necessaria pro materia consecrationis, oleum pro lampadibus, ornamenta Altarium, Calices, sacerdotalia indumenta &c. ad divina Officia celebranda requisita. Secùs tamen dicendum ajunt Sanchez, & Castro Palao *cit.* si legatum pro Studentium alimentis fieret; quia (inquit Sanchez *eo num.* 46.) cùm sit legatum pro alimentis, tollit mendicitatem.

19 Verùm hæc quóque sententia reijcitur ijsdem rationibus, quibus rejecta fuit secunda, sustinens licita Fratribus hujusmodi legata pro Ecclesiæ cultu. Siquidem una, eadémque est utrinque asserentium ratio. Et bene illam reijcit, improbátque Quæsada *in diversis qq. Iuris, cap.* 22. *num.* 23. apud Sanchez *cit. num.* 45. Quia (inquiens) illi sunt verè annui reditus: non tamen inter Immobilia computati, nisi sint ex usufructu legato; sed tantùm civiliter debiti, & certi quod apprimè mendicitati repugnat Fratrum Minorum. Benè item illam respuit Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 17. *numer.* 30. apud Castro Palao *cit. num.* 18. alia ratione non levi: qoia (inquiens) hoc legatum in Monasterij utilitatem, & in Religiosorum commudum immediatè cedit; ea autem, quæ sic cedunt, sub Religiosorum sustentatione comprehenduntur. Ità Suarez directè excludens illius sententiæ fundamentum, non solùm apud Fratres Minores, sed etiam apud alios Mendicantes, secundùm jus antiquum, cùm bona immobilia in communi non possidebant: quod tamen fundamentum non ita excludi ait Suarez, quoad legatum pro necessarijs ad divinum cultum, quod in Dei honorem cedit immediatè. At quoad hoc, ego sto dictis *suprà*.

Reijcio quintò eorum opinionem, qui legata prædicta Minoribus licita affirmant, si relinquantur pro necessitatibus infirmorum, vel pro ipsis curandis. Sunt autem hi duo, quos viderim, Ananias *consf.* 30. *à num.* 3. *usque ad* 5. & Rodericus *qq. Regular. tom.* 2. *q.* 126. *art.* 4. *in fine*. Et ducuntur hac ratione; quia non videtur ipsis id legati fieri Fratribus, sed loco deputato infirmis; velut etiam quando fit fabricæ Ecclesiæ: &, si censeatur fieri Fratribus, adhuc non videtur ipsis, in infirmorum sustentationem, & alimenta cedere; sed in Medici, & servientium utilitatem. 20

21 Atqui hæc sententia nullatenùs est admittenda: tollit enim mendicitatem, secundùm jus antiquum, non solùm Minorum, sed etiam aliorum mendicantium. Satis enim cedit in Religiosorum infirmorum sustentationem, & alimenta, etiamsi expendatur pro Medicis, & medicinis. Siquidem cùm Medicorum, (qui tamen omnes ubique terrarum gratis, quod noverim, & amore Dei pro suamet singulari pietate ad nostris infirmis consulendum promptè accedunt) stipendia, tùm medicinalium quorumcunque pretia, utpotè in infirmorum vitæ conservationem immediatè cedentia, nomine etiam alimentorum comprehenduntur; ut tradunt Iuristæ, & est textus Caij I.C. *in l. cætera: ff. de verbor. & rer. signif.* hisce verbis: *Cætera quoque quibus vivendi, curandive gratiâ corporis nostri utimur in appellatione* (scilicet victus) ut supplet ibi Glossa) *significantur.* Videantur Molina *disp.* 520. Caspensis *to.* 2. *tr.* 18. *dist.* 18. *sect.* 3. *num.* 20. & Antonius Cotonius *controu. celeb.* 5. *cap.* 2. *n.* 81. ubi docet testamentorum nomine non solùm victum, vestitum, & habitationem intelligi, sed etiam sumptus curationis in ægritudine, honesta quóque solatia, & ludos, juxta morem regionis, & conditionem personarum. Et ita docent Sanchez, & Castro Palao *cit.* eandem refutantes sententiam. Ad illud verò, quod dicebatur, tale legatum videri potiùs relictum loco deputato infirmis, quàm Fratribus ipsis infirmis, ut quando legatur fabricæ Ecclesiæ: Respondeo, non valere; quia vel sic immediatè cedit in Fratrum utilitatem, & alimenta, vel victum, & quod attinet ad relicta hujusmodi fabricæ, vel reparationi, cultuique Ecclesiæ, satis exclusum est *suprà, in secunda refutatione.*

Uerùm, ne calumniam Roderico impingamus, adverto, (quod non advertit Castro Palao, aut Sanchez confusè admodùm in hac materia locutus, Doctorúmque placitis usus) ipsum fuisse locutum de annuis legatis simplicibus, (nullatenùs de annuis censibus) ijsque non civiliter debitis, sed purè eleemosynaliter, non obstante obligatione conscientiæ hæredis, præstitis, & acceptis. Ait enim: Uerum est tamen, quòd non possunt 22

petere

petere Fratres hoc legatum in judicio: possunt tamen implorare officium judicis, ut ipsum solvatur, & voluntas testatoris adimpleatur; prout in superioribus est explicatum. Ita ille manifestè indicans, se locutum, ut ego exposui. Quidquid sit de sensu *Ioan. Andreæ*, & *Ioannis Dilecti Durantis*, quos ille allegat pro validitate talis legati: An scilicet loquantur de validitate in foro fori, an verò in foro conscientiæ.

23 Reijcio sextò eorum quoque opinionem, qui prædicta legata Fratribus Minoribus licita docent, quando relinquuntur pro sustentatione hospitum. De hac sententia mentionem facit Castro Palao *cit. num.* 20. & Suarez *cit. n.* 31. aitque ejus rationem esse; quia hospites sunt à Monasterio alieni. Quapropter, ut veritatem habeat ratio ista, & sententia, quam probat; debet (inquit Castro Palao) intelligi de hospitibus sæcularibus, vel alterius Religionis: secùs de his, qui eadem regula, & observatione tenentur.

24 Verùm ego eam omninò reijcio, etiam in sensu, quo eam approbant *Doctores cit.* Ratio improbandi ea est; quia, vel sic, etiamsi non cedat tale legatum in Fratrum ipsorum sustentationem; cedit tamen in ipsorum usum: nam verè ipsi illo utuntur pro excipiendis hospitibus. Illud autem est bonum immobile, vel inter immobilia computatum, aut saltem civiliter debitum: & præterea præsumi potest in fraudem paupertatis: quemadmodum dictum est de legato relicto Ecclesiæ, vel Sacristiæ.

25 Sex igitur prædictas opiniones, quas præter *Suarez, Sanchez, & Castro Palao cit.* recensent etiam & respectivè vel approbant, vel refutant, Gloss. *in Clement Exivi: ad §. Proinde:* Sylvester *in sum. v. legatum* 2. q. 3. Marcus Antonius Cucchus *Instit. major. seu Pandectar. Iuris Canon. lib. 3. de Regularibus, tit. 1. à num.* 34. *usque ad* 38. inclusivè Pellizarius *t. 1. manual. tract. 4. cap. 2. num.* 103. Diana *p. 3. tract. 2. resol.* 33. Card. de Lugo *tom. 1. de just. & jure, disp. 3. sect. 5. numer.* 102. *&* 103. Glemonensis *de leg. 3. p. 4. §. 6. num.* 19. & alij; omnes omninò rejectas volo, propter rationes in singularum refutatione allatas; quarum summa sit: Quia omnes omninò (etiam prima, non obstante controversia inter Doctores tùm Juris Consultos, tùm Theologos, An Census, vel reditus annui propriè dicti, & civiliter debiti, etiam infra decennium, inter Immobilia censeantur à Jure? Alijs affirmantibus, alijs negantibus; ut videre est apud de Lugo *t. 2. de just. & jure disp. 27. sect. 1. num.* 8. *&* 9. ubi disputat latè de hoc.) Quia, inquam, omnes omninò alienæ sunt ab expressa declaratione *Clem. Exivi: v. Cumque annui reditus*, ubi disertè Pontifex ait, (nullam dubitationem esse, quòd, cum annui reditus, vel census (certi scilicet & constituti ut ait: *ibi* Glossa) inter Immobilia censeantur à Iure, ac proinde eos obtinere, paupertati & mendicitati repugnet, prædictis Fratribus reditus quoscunque, vel eorum etiam usum (conditione considerata ipsorum) recipere, vel habere non licet. Premo enim ly, *Reditus quoscunque*, quo nimirum datur intelligi, excludendos esse à professione Minorum reditus, vel census tàm temporales, vel ad unicum annum, quàm perpetuos; tàm pro expensis divini cultus, vel Ecclesiarum fabricis, aut pro stipendijs Missarum, aut pro libris emendis, & alia ad disciplinas addiscendas, aut pro infirmis curandis, & hospitibus excipiendis; quàm pro sustentatione, & victu Religiosorum ipsorum. Deindè ex vi hujusmodi redituum labefactatur, mendicitas, & paupertas Minorica, quæ certitudinem politicam excludit in ijs omnibus, quæ Minoribus in usum proveniunt. Hæc autem in omnibus servanda ab ipsis Fratribus est, juxta mentem Seraphici Patris in ejus testamento expressam, etiam in ijs, quæ ad cultum Dei sunt deputata; ut in Templis, eorùmque ornamentis; ut declaravit Clemens V *in Clem. Exivi: §. Proinde: vers. Hinc est etiam*: & docent omnes Regulæ Expositores; novitque & tradidit etiam Navarrus *tom. mihi* 2. *in Relect. cap. Novit: de judicijs: notab. primo super exordio num.* 2. Quanto igitur majori jure servanda est in reliquis?

Quòd porrò legata prædicta secum afferant politicam certitudinem contra mendicitatem Minoricam, patet: quia Doctores illa Minoribus concedentes, tanquam valida, & licita, loquuntur (sive de legatis annuis simplicibus, sive de legatis annuis usufructus intelligantur) de ijs propriè dictis, idest civiliter debitis; seu (ut loquitur Castro Palao *cit. num.* 22.) de legatis, ex quibus in legatario actio civilis resultat: ac proinde admittunt omnes, posse eosdem Fratres pro executione talium legatorum experiri in judicio adversùs hæredes civiliter obligatos, medio Syndico, tanquam œconomos nomine Pontificis, vel Apostolicæ sedis; ut expressè (minùs tamen ad puritatis Minoricæ professionis amussim; ut alibi monstratum est) tradunt Suarez *cit. n.* 28. Sanchez *cit. n.* 63. Castro Palao *cit. n.* 22. Corduba *in cap. 4. reg. q. 16. pu.* 2. Rodericus *qq. Reg. t. 2. q. 78. art. 1. & 3. & q. 126. art. 4.* qui etiam *qu. ead. art. 6.* affert verbatim Bullam Clementis VII. concedentis Prælatis Ordinis compositionem facere cum hæredibus, vel gravatis super legatis hujusmodi annuis reditibus; prout videre est *ibi:* & *to. 3.* ejusdem Auctoris *in q. de Procuratoribus, & Syndicis.* Sed istæ concessiones, sicut & opiniones prædictæ, sunt relaxativæ nec admittendæ à Zelatoribus Minorici status. 26

27 Quod si quis prædictarum sententiarum Auctor, vel Doctor locutus fuerit de annuis legatis simplicibus, impropriè tamen dictis, idest non civiliter debitis; do illi manum, & præbeo assensum: sed necesse est dicere, quod si legata illa sunt valida, Fratribúsque licita pro usibus illis limitatis, talia quóque sint pro eorundem Fratrum sustentatione: quia sic non læditur Mendicitas, ut patet; & præterea quia eadem est ratio paupertatis in omnibus: ubi autèm est eadem ratio, eadem juris dispositio etiam est, ut est vulgatum apud Juristas. Vel ergò talia legata, quoad omnes Fratrum usus erunt licita, servatis moderaminibus requisitis; ut ego assero: vel, si sunt illicita quoad usum sustentationis, & victus, erunt etiam in reliquis: quod est contra illos.

28 Si verò loquantur de annuis legatis censuum, vel redituum formalium, vel hujusmodi, quæ important annuum usumfructum legatum, adhuc exorbitant, sive de illis propriè, sive impropriè dictis intelligantur: quia vel usus simplicis facti talium redituum, vel aliorum bonorum immobilium ad usumfructum percipiendum legatorum, est Fratribus interdictus per *illum textum Clem. Exivi: vers. Cúmque annui*. Et ratio interdicti est; quia jam Fratres hujusmodi legata annua percipientes, haberent usum de facto alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati, præter expresse concessa; quod est contra declarationes, & ordinationes Nicolai III. *in cap. Exiit: §. Ad hæc*: & Clementis V. *in Clem. Exivi: §. licet verò*: & ita tradunt communiter Regulæ Expositores, sed & ipse Suarez, *cit. num.* 3. & Castro Palao *cit. num.* 4. Meritò ergò, & jure optimo rejectæ sunt prædictarum sententiarum laxitates.

29 Ex quarum confutatione opinionum, & manifestatione veritatis Minoricæ paupertatis obiter liquet, contra Antonium Cotonium *lib. 4. controv. celebrium, controv. 6. cap. 1. num. 15.* sed & contra Sanchez *alibi* afferendum, Paupertatem Minoricam in nullo indulgentiorem esse paupertate domuum Professarum Societatis Jesu; sed verè esse omnium altissimam, & arctissimam; ut alibi probavimus. Atqui hoc Sanchez assertum, quod paupertas Minorica, & paupertas Jesuitica, quoad domos Professas, se habeant ad invicem, sicut excedens, & excessum, alibi examinabitur, & ad hominem probabitur falsum. Jam verò ad solvendas objectiones accedamus.

§. XXIX.

Solvitur objectio prima contra primam Conclusionem.

SUMMARIUM.

1 *Minores an sint capaces hæreditatis directæ, vel indirectæ, sicut sunt capaces legati simplicis impropriè dicti.*

2 *Inter hæreditatem & legatum maxima differentia est.*

Et inter fideicommissum universale & singulare. ibid.

3 *Hæres non potest dari impropriè dictus, sicut datur legatarius: & ratio assignatur* ibid.

Hæres si non acceptet hæreditatem, hoc fit vel ex defectu voluntatis, vel ex defectu potestatis. ibid.

5 *Hæres longo differt intervallo à legatario.*

Minores servatis moderaminibus sunt capaces legati, non tamen successionis hæreditariæ. ibid.

Hæredi non competit jus accrescendi pro consequenda portione Minoribus cohæredibus institutis relicta. ibid.

6 *Legatum à Minoribus non acceptatum, non habetur pro non scripto, nec cedit beneficio hæredis.*

Legatum Minoribus relictum duplicem habet vim & effectum. ibid.

7 *Hæreditas Minoribus relicta æquiparatur legato sub modo eisdem illicito relicto.*

8 *Testamentum in quo Minores hæredes instituti sunt, corruit quoad ipsos, non tamen quoad favorem piæ causæ, & animæ testatoris.*

Dispositum censetur quod testator disposuisset, si advertisset, vel interrogatus fuisset. ibid.

9 *Testamentum in quo Minores instituti sunt, non est hærede destitutum, sed pia Causa in genere loco hæredis est.*

10 *Testamentum in quo Minores instituti sunt, etiam si corruat ex defectu institutionis, debet tamen hæreditas erogari in pias causas.* & num. 11.

11 *Testamentum ad pias causas non subjacet apicibus juris Civilis.*

12 *Testamentum ad pias causas an corruat ex defectu præteritionis, vel injustæ exhæredationis.*

13 *Testamentum in quo Minores instituti sunt, si irritum est ex defectu institutionis in foro fori; quid operetur in foro poli.*

14 *Minoribus hæredibus institutis, & respuentibus hæreditatem, ipsa cedit substituto*

non

non tamen Cohæredibus, aut venientibus ab intestato.

In relictis ad pias causas, nunquam est locus juri accrescendi, nisi testator expresserit. ibid.

15 *Testamentum, in quo Minores inutiliter instituti sunt, censetur factum ad pias causas: & omni meliori modo per Executorem, aut Episcopum impleri debet ad favorem animæ testatoris.*

1 Contra primam Conclusionem objicitur *primò*; Quod dictum est de legatis, posset omninò dici etiam de hæreditate, in eo casu, quo quis institueret Fratres Minores hæredes, & testamenti executionem alteri mandaret: ergò sicuti prædicti Fratres sunt capaces Legatorum simplicium impropriè dictorum, adeóque possunt esse legatarij impropriè dicti; sic essent in casu posito capaces hæreditatis impropriè dictæ; atque adeò possent esse hæredes impropriè dicti. Atqui hoc est maximum inconveniens, & expressè contra, quæ determinantur *in Clem. Exivi: §. Proindè: vers. Cupientes:* hisce verbis: *Declarando, dicimus, quòd successionum hujusmodi* (scilicet universalium, quæ sunt hæreditates) *quæ etiam ex sui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia se extendunt,* (*considerata sui puritate voti*) *nullatenùs sunt capaces: Nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quòd præsumi posset hoc in fraudem fieri, quasi sub modo, & forma legatis sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere: quinpotius ista sic fieri ab ipsis simpliciter prohibemus.* Hæc Clemens V. quibus declarat, Fratres Minores nullatenùs esse hæreditariæ successionis capaces; itaut id non solùm verum sit in institutione directa, & immediata, sed etiam in indirecta, & mediata; qualis est, quæ fit per fideicommissum; ut si hæredem instituas directè Titium, sed ipsum graves restituere hæreditatem Minoribus. Quia vetè, vel sic, Minores sunt instituti hæredes, tibíque succedere dicendi sunt, Titio hærede directè instituto decedente Ioan. Oinotomus *super instit. lib. 2. tit. 23. de fideicommissarijs: n. 8.* & communiter DD. *ib. in §. Restituta.* ubi Oinotomus ait, quòd fideicommissarius universalis, secundùm Sen. Consf. Trebell. habetur loco hæredis; licet secundùm S.C. Pegasianum habeatur loco legatarij: cùm tamen Pontifex nullatenùs talis successionis capaces eos declaret. Et ita docent, post alios antiquiores, Corduba *in cap. 6. reg. q. 11. pu. 1.* Rodericus *qq. Reg. t. 2. q. 78. art 1. & 3.* Politius, Crousers, Sanctes Romanus, & alij Reg. Expositores *loc. cit.* Devegnas *regul. 381. ampliat. prima,* Sanchez *lib. 7. sum. cap. 25. numer. quinto* Castro Palao *sum. moral. punct. 3. tract. 15. disput. 3. pu. 8. num secundo* & alij. Ergò, &c.

Respondeo negando antecedens: non est 2 enim ibi paritas inter simplex legatum, seu fideicommissum particulare, & hæreditatem, seu fideicommissum universale. Ratio autem disparitatis est; quia legatarius, seu fideicommissarius particularis non est propriè testatoris successor, nec ejus loco habetur, undè potest esse testis in testamento ipsius; hæres autem, vel fideicommissarius universalis est propriè testatoris successor, ideóque testis esse in ejus testamento non potest; ut tradit Ioan. Oinotomus *cit. tit. 10. §. legatarijs. num. 1.* & ibi *in addition.* & communiter Doctores, apud quos videri possunt aliæ etiam differentiæ; sed pro præsenti nobis ista sufficiat, ut magis quadrans pro responsione ad *illum textum Pontificis.* Cum igitur Fratres Minores ex declaratione illa *Clementis* nullatenùs possint esse testatoris successores, seu hæredes, ideò neque possunt esse impropriè dicti: siquidem dictiones istæ: *Penitùs, Nullatenus, Nullo modo:* excludunt omnem dispensationem, ut ait Gloss. *in Clem. ut si: de ætate & qualit. in ordin. præficiendorum:* verbo, *Nullo modo*; & important, *Nullis modis, & sine aliqua distinctione*; ut determinat alia Gloss. *in l. si cum exceptione: §. quatenùs: v. omni modo: ff. de eo, quod met. caus.* & tradit Rodericus *quæst. 78. cit. art. 2.* & communiter Doctores. Legatarij autem aliquo modo, nempè impropriè dicti, possunt esse, dummodò in forma legati non fuerit expressus modus, secundùm quem ipsis non liceat legatum accipere; ut statuitur *in cap. Exijt: eo §. Ad hæc, quia:* Quare corruit objectio.

Præterea (ut & hanc hæreditatum difficul- 3 tatem enucleamus) non potest sic dari Hæres, impropriè dictus, quemadmodum legatarius. Quod sic ostendo. Quia videlicet, si hæres institutus non acceptat, nec adit hæreditatem, hoc evenit; aut quia ipse illam repudiat, & adire respuit; aut quia secundùm Legum dispositionem, ab hujusmodi successionibus prohibetur; quo modo, secundùm Regulam, ex Declaratione *d. Clement. Exivi:* omninò prohibentur Fratres Minores. Si primum, quomodo unquam erit, aut appellabitur hæres, etiam impropriè dictus, si, cum hæreditatem omninò respuat, nullatenùs eam percipiet, nec poterit semel repudiatam ampliùs adire? ut habetur *l. sicut: C. de repud. vel abstinenda hæredit.* nisi fortè sit suus hæres, (ut in hæreditate paterna, modò non fuerint vendita bona) qui postquam repudiavit, potest adire infrà triennium, juxta formam *l. fin. C. eo tit.* & notat Oinotomus *super Instit. lib. 2. tit. 19. §. Extraneis: num. 4.* Atqui jam tunc irritatur, & rumpitur testamentum ipsum; neque ab hinc ad quidpiam

Q 4 obligat

obligat executorem, vel venientem ab intestato erga hæredem nominatum, seu scriptum ordinatio hujusmodi testatoris; corruuntque omnia in tali testamento disposita, etiam legata, exceptis pijs, ut ex *l. eam, quam: & l. ex testamento: C. de fideicommiss. & l. si nemo: ff. de reg. juris, & l. 2. §. adeò: ff. de vulg. & pupill. subst. & l. si nemo hæreditatem: ff. de testamentaria tutela*: tradit Joan. Oinotomus *super Inst. lib. 2. tit. 20. §. sed olim: num.* 13. allata etiam ratione, cùm quibusdam limitationibus. Si secundum, jam item corruit testamentum ipsum, sicut in primo: ad validitatem siquidem testamenti, saltem ut tale est, necessariò requiritur legitimi hæredis institutio; ut cum *Bartolo* tradit Oinotomus *cit. tit.* 10. *de testamentis ordinand. § quid sit testamentum, num.* 4. & Doctores communiter. Unde, cùm tam in primo, quàm in secundo casu nullus adsit legitimus hæres; quippe cùm desit aut ex propria ipsius voluntate repudiante, aut ex omnimoda inhabilitate ad succedendum; sequitur etiam, quòd jam dictum est, nullum scilicet esse, atque omninò irritum testamentum, neque ullam vim habere hujusmodi ordinationem testatoris in executore, vel veniente ab intestato, quoad obligandum cum ad præstandam, seu restituendam hæreditatem hæredi scripto, titulo saltem hæreditatis, etiam impropriè dictæ, juxta traditam de legatis doctrinam.

4 Confirmatur ratio hujus responsionis per definitionem Testamenti: dicitur enim; Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia, seu (ut ait Imperator Justinianus *Instit. lib. 2. in principio, tit.* 10. *de testament. ordin.*) Testatio mentis de eo, quod quis post mortem suam fieri voluit. (Ulpianus *in l. 1. ff. de testamentis, & qui testam. fac. pos.*) cum directa hæredis institutione; ut addunt communiter Doctores, ad distinctionem Testamenti ab alijs ultimis voluntatibus, quæ largè dicuntur & ipsæ, *Testamenta*, quatenùs sunt simpliciter mentis testationes; ut tradit Gloss. *in d. l. 1. ad verbum, voluit.* Unde ibi secundùm *Azonem*, definitur testamentum, quòd sit quædam solemnis ordinatio cum institutione hæredis. Videantur Julius Clarus *Pract. Civil. lib. 3. §. Testamentum, quæst. 1. in annot. num. 1.* Oinotomus *loc. cit.* & communiter alij Scribentes. Oportet autem, (ita ex communi Doctorum sententia tradunt Angelus *in Sum. V. Testamentum*, Lessius *lib. 2. de just. & jure cap. 19. num. 1.* & Oinotomus *cit. §. de solemni testamento num. 7.* & Julius Clarus *cit. quæst. 39. num. 2.*) ut instituatur hæres; quia testamenta vim ex hæredis institutione accipiunt; ita ut sine ejus institutione non sit testamentum, atque ob id, veluti caput, & fundamentum totius testamenti hæredis institutio intelligatur, ut *Institut. de legatis §. ante hæredis:* & ibi *Gloss.* & Marcellus cum Calphurnio Longino *in textu l. proximè: ff. de his quæ in testamento delentur:* & Paulus *in text. l. fin. ff. de jure Codicill.* & concordat Gloss. 2. *in princ. cap. cum tibi: extra, de testamentis.* Sicut etiam irritatur testamentum ipsum, non adita hæreditate ab hærede scripto, seu nuncupato; ut est textus *in l. 1. ff. de injusto, rupto, & irrito facto testam.* ex sententia *Papiniani*; cui concordat Pomponius *in l. si nemo: ff. de testam. tutela*; & ibi in Glossis *cum alijs concordantijs.* Quinimmò facta est hæc sententia, *Iuris Regula* 141. *ff. de reg. Iuris*; ibi: *si nemo subijt hæreditatem, omne jus testamenti solvitur.* Et ibi *Gloss.* & *Decius*, apud quem *in addition.* ex Alexandro *cons.* 109. *n.* 6. *lib.* 2. & Nicolao Boer. *decis. Burdegal.* 41. *n.* 4. additur: *etiamsi sit ad pias causas.* Quod tamen mihi non probatur. Atque hinc benè observat Filliucius *tom. 2. tract. 34. cap. 7. num.* 143. ex Molina *disp.* 142. quòd propriè loquendo, Testamentum est hæredis institutio: nam per hæredis institutionem distinguitur ab alijs ultimis voluntatibus, quales sunt Codicillus, Legatum, Fideicommissum, & donatio causâ mortis.

Non sic autem est dicere in legatis annuis simplicibus etiam perpetuis, quorum capaces de facto simplici asseruimus Fratres Minores, servatis per ipsos in capiendo moderaminibus requisitis. Ipsi enim Fratres non acceptant civiliter hujusmodi titulos legatorum, nec politicè agnoscunt, vel adeunt; non quia illos omninò respuant, aut quia nullatenùs rerum legatarum subsidium percipere licitè possint, si nimirum absque tali acceptatione, & politica acquisitione præstentur, concurrantque necessitas, & moderamina requisita in capiendo: Sed ideò non acceptant non solùm pro se ipsis, idest pro totò Ordine in communi, verùm ne quidem pro Pontifice, vel Apostolica sede pro ipsis specialiter se habente; quia, si hoc agerent, jam quidquid illis annuatim, vel etiam pro unica vice proveniret, aut rediret ex talibus legatorum titulis sic civiliter acceptatis, proveniret ex obligatione politica in hærede, vel gravato, eáque pariente actionem non solùm personalem, sed etiam in rem, & hypothecariam; ut alibi dictum est: & pulchrè edisserit Oinotomus *super Instit. lib. 2. tit. 20. de Legatis, §. sed olim: à num.* 12. id quòd vel pro unica vice est contra Mendicitatis statum, quo Fratres ipsi tenentur ad vivendum de non suo, aut sibi debito politicè, & civiliter certo ex parte ipsorum. Et si quid hujusmodi annuatim Minores ipsi percipiant, annuos jam reditus, vel proventus materiales propriè dictos percipere perhibentur, contra declarationem Clementis V. *in eo vers. Cúmque annui*: ut dictum est. Nihilo tamen minùs cùm Fratres ipsi 5

legata

legata hujusmodi non acceptant civiliter, sed nec omninò respuunt, acceptantes nimirum naturaliter, aut etiam cùm ea respuunt, quæ ipsis sunt relicta cum expressione modi illiciti; ut *suprà*: non idcircò illa omninò irritantur, & corruunt, ita ut nulla, atque adeò pro non scriptis habeantur, & hæredibus cedant; prout de Testamento, in quo Fratres prædicti hæredes instituuntur; cedente hæreditate alijs pijs Causis pro anima testatoris; non autem cohæredibus, si qui sint cum prædictis Minoribus instituti; aut venientibus ab intestato: nam præsumendum jure optimo est, quòd testator voluerit, & intenderit privare tum cohæredes, tum venientes ab intestato, cùm Minores instituerit non contemplatione personarum ipsorum Fratrum, sed contemplatione Causæ piæ, & pro bono animæ suæ; nisi fortè expressèrit substitutum; quo casu, respuentibus Minoribus, substituto defertur hæreditas. Sed de hoc *infrà*.

6 Dixi: Non idcircò illa omninò irritantur: quia (loquor de legatis licitis, & quæ à Fratribus simpliciter non acceptantur civiliter) duplicem habet vim, quoad effectum producendum, legatum abstractivè, seu formaliter sumptum, idest ordinatio, vel testatio ipsa mentis testatoris legantis; ut patet, ex dictis *suprà* §. 12. & ampliùs adhuc patebit ex dicendis *Artic.* 3. §. 1. 2. *&* 3. Unam scilicet, qua hæredem obligat erga testatorem; alteram, qua eundem obligat erga legatarium civiliter acceptantem legatum; eóque ob fidem ab ipsomet hærede utrimque datam, adeundo hæreditatem. Quare, licet sit nulla, quoad obligationem civilem, & justitiæ erga secundum, putà quia incapax est juris effectus, neque acceptat civiliter; non est tamen nulla, quoad obligationem justitiæ erga primum, qua ex consequenti obligatur idem hæres in foro conscientiæ ad præstandum legatum legatario prædicto non acceptanti quidem civiliter, non tamen respuenti, si ei citra juris obligationem præstetur; ut æquum est, præsertim cùm legatum est pium, qualia sunt ea, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur; quæ proinde si talia etiam sint, ut à Fratribus sint respuenda, adhuc sustinenda sunt, & convertenda in alias pias Causas; ut *in superiorib.* ostensum est.

7 Atque ex his patet, non posse sic dari hæreditatem, aut hæredem impropriè dictum, quemadmodum datur, quoad Fratres Minores, legatum, & legatarius. Quod adhuc confirmahitur ex Julio Claro *infrà*, *Art.* 3. §. 2. *numero* 8. Vide etiam Politium nostrum *in cap.* 6. *Regulæ, num.* 50. *& num.* 47. *& alijs.* Paucisque concludo, idem omninò (quod Fratres Minores attinet) dicendum esse de hæreditate ipsis relicta, ac de legatis ijsdem relictis cum expressione modi illiciti: nam etiam de his Nicolaus III. *in eo* §. *Ad hac, quia*: quòd *Fratres à talibus legatis, & eorum receptione per omnem modum abstineant.* Ubi ly, *per omnem modum*, idem est, ac ly, *Nullatenus*, quo utitur *Clemens V.* in hæreditatibus.

8 Dico igitur, Testamentum, in quo Fratres Minores hæredes instituuntur corruere (ipsis omninò; ut tenentur, repudiantibus) quoad omnem obligationem cujuscunque Executoris ad præstandam hæreditatem, vel ejus æstimationem, sive in toto, sive in parte prædictis Fratribus specialiter; prout dictum est *suprà* de legatis, quorum omninò ipsi sunt incapaces. Firmum tamen manere idem testamentum, validúmque in se, & quoad favorem piæ Causæ, & quoad favorem animæ Testatoris; adeóque executorem illum teneri ad erogandam hæreditatem in alias pias Causas, cum consilio, & licentia Episcopi; ut pariter dictum est *suprà* de legatis prædictis: Neque unquam hæreditatem ipsam accrescere ritè posse cuipiam, sive sit cohæres cum Fratribus prædictis institutus, sive sit veniens de jure ab intestato; minùs verò Executori ipsi, nisi testator expressè aliquem, vel aliquos eorum substituerit, casu quo hæreditas ad prædictos Minores primò institutor pervenire minimè potuisset. Ducor autem ea ratione; quia, nisi ita testator expresserit, censendus est, reliquisse absolutè pietatis ergo, & voluisse, quod suffragio, & saluti animæ suæ utilius, Deóque charius est, de hæreditate, vel bonis suis fieri omni meliori modo. Quare, cum testatoris hæc pietas impleri nequeat titulo hæreditario tum testamenti, tum etiam codicilli erga Fratres Minores, ob eorum omnimodam hujusmodi successionum incapacitatem implenda est in alias pias Causas. Id enim ex tacita, ac præsumpta testatoris voluntate censetur dispositum; juxta *communem Regulam*, quòd id dispositum censetur, quod interrogatus testator, vel id advertens disposuisset; ut tradunt Gloss. fin. *in l. tale pactum* : *ff. de pactis*: & multis citatis, Andreas Tiraquellus *in l. si unquam: in præfat. num.* 56. *C. de revocandis donat.* Everardus *in suis Topicis, loco à verisimili, num.* 3. Menochius *de præsumptionibus lib.* 4. *præsumpt.* 26. *num.* 8. *& præsump.* 67. *num.* 18. & alij multi, quos refert Mantica *de conjecturis ultimæ voluntatis*, *lib.* 3. *tit.* 19. *num.* 4. atque ex his Sanchez *de Matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 90. *n.* 10.

9 Quid, quòd dixerim, non esse in casu præsenti censendum testamentum sine institutione hæredis? Siquidem pia ipsa Causa in genere, ex testatoris pia voluntate ritè intellecta, & præsumpta, nec jugulata, sustinet vicem hæredis; & sic non potest dici testamentum invalidum ob defectum institutionis hæredis; ut ex *l. si quis ad declarandum*: *C. de Episcopis, & Clericis:*

cis: tradunt Crousets *infra cit.* & Politius *cit. num.*50.& alij communiter. Sicut enim hæreditas ipsa jacens personam defuncti repræsentat, estque domina rerum, & vicem defuncti sustinet;ut habetur *in l.hereditas : in princ. ff.de acquiren.rer.domin.*& ibi Gloss.*cum concordantys*;& *Institut.de stipulat.servorum, in princ.* & *de hæredibus inst.§.servus etiam alienus*:ubi Oinotomus,& communiter Gloss.& Scribentes: Jta Causa ipsa pia, vel pia intentio testatoris destituta ob incapacitatis impedimentum,personam hæredis nominati, & quodammodo, quoad hunc, jacens, vicem hæredis sustinere dicenda est,& loco ipsius habenda, nisi impiè enecetur,& juguletur.

10 Sed esto: censeatur testamentum illud sine institutione factum:adhuc tamen validum erit, etiam in foro fori, non solùm quoad pia legata solvenda,si quæ in eo scripta sint, & hæreditas sit profana,cedátque aut cohæredi, aut substituto,aut venienti ab intestato; sed etiam quoad ipsam integram hæreditatem,si ad pietatem relicta sit, in pias Causas quoquomodo erogandam.

11 Scio hanc esse famosissimam controversiam apud Canonistas,& Legistas; negaréque Decium *suprà cit.n.*3. cum Bartolo, Baldo, Aretino,Jmola,Andrea Siculo,Alexandro,& alijs. At communior eáque verior, ac pietati conformior sententia est,illud testamentum valere,& obligationē prædictam inducere in utroque foro. Et hanc tenent Jason *in l.eam,quam:C.de fideicommissis XI.v.Item considera*:ubi testatur de communi,Barbatius *in Rubricam,Extra, de Testamentis:col.*58.*v.Nunc ad ultimam quæstionem:* ubi latissimè,& meliùs quàm alibi, Julius Clarus,Covarruvias, & alij,quos referunt, & sequuntur Molina,& Lessius apud Card.de Lugo *t.2.de just.& jure disp.22.sect.9.n.*271.hiscō sentientes; & apud Hermannum pariter sentientem *in Medulla Theol.mor.lib.3.tract.5.c.4. dub.2.§.Quæres An testamentum sit validum &c.* Georgius Gobat *in Praxi clementium Iudicum, decade 6.coroll.2.*ex Tiraq.*in tr. de Privileg. piæ Causæ privil.*15.Filliuc. *t.2.p.2.tr.34.c.7.n.*154. *§.ex his sequitur primò*:Diana*p.2.tr.6.de testam. privileg.resol.*22. allegans Trullench, Card. de Lugo, Molinā,Bartolum,Barbatium, Panormitanum,Paulum Castrensem;Firmianum, Tiraquellum,Manlium,Thuscum, & Lessium. Ratio autem communiter adducta ea est: quia ad valorem ultimæ voluntatis,quoad pias Causas, non requiritur nisi id quod sufficit de jure Gentium, Juris Civilis solemnitatibus, & requisitis penitùs non attentis;ut patet ex *cap.Relatum:1.de Testamentis*:& tenent communiter Doctores,testibus *de Lugo,& Hermanno cit.*cum Julio Claro *in Pract. Civil. lib.3. §. Testamentum,q.6.per totam*.Sed institutio hæredis ad valorem ultimæ voluntatis quæ est Testamentum,requiritur de Jure Civili tantùm, non de jure Gentium,ut patet, ex dictis: Ergò Testamentum ad piam Causam valet,etiamsi nullus in eo hæres instituatur, aut institutus respuat, & non adeat hæreditatem; ut in casu præsenti Fratrum Minorum.

Quæ doctrina adeò vera est,ut *Diana cit.* doceat, semper sustineri dispositionem ad pias Causas,etiam in testamento,in quo vel exhæredentur,vel prætereantur liberi,sive in eo instituatur hæres pia Causa,sive alius non privilegiatus, & aliquid relinquatur piæ Causæ, per viam legati. Nam in primo casu sufficere ait, si liberis relinquatur legitima,titulo saltem legati,licèt non titulo institutionis;quod est de Jure Civili contra Baldum, & Barbatium. In secundo vero casu vitiatur quidem Testamentum, quoad institutum non privilegiatum, ut pia Causa; at legata ad piam Causam conservantur,juxta *Auth.ex causa:C.de liberis prater.* Plura vide apud ipsum Dianam,& alios. 12

At,quidquid sit de Iure Civili, & in causâ 13 foro;an scilicet rumpatur,necne, testamentum in quo Fratres Minores instituti sunt hæredes; & an hæreditas per consequens cedat cohæredi,vel venienti ab intestato?Qua in re Bartoli sententia *in tract.Minoric.qq.lib.1. cap.3.n.7. & 8.& dist.2.cap.3.num.*15. quam affert, & sequitur Sylvester *in sum.v.Testamentum 1.n.6.* ea est,quod,si Fratres nullum habent substitutum vel cohæredem, testamentum nullum est, & hæreditas pertinet ad venientes ab intestato,si autem habent substitutum,valet; & similiter,si cohæredem,& ei accrescit portio Fratrum,ubi nun est substitutus. Quidquid sit, inquam, de hac sententia in Civilis prudentiæ judicio,quid de jure poli, & in foro conscientiæ judicabunt Judices sacri? Audio Sylvestrum *cit.* sic quoad hoc differētem:Utrum autem in foro conscientiæ talis substitutus,vel cohæres,aut veniens ab intestato possit in conscientia hæreditatem tenere?vide per eum(scilicet Bartolum) *ibi*;quia videtur habere hanc Maximam, & Regulam; quòd si talis potest esse certus, quòd testator voluit dispositionem valere jure directo, idest testamenti tantùm, licitè eam tenet in conscientia:Si verò sit certus; quòd voluit valere etiam jure Codicillorum, & omni modo, quo potest; licitè eam non tenet: si verò remanet dubius,nec applicat animum suum ad aliquod prædictorum, sed manet in eo,quod jus præsumit; licitè eam tenet. Tamen quia vix reperiri potest, qui non velit valere omni modo, quo meliùs potest, tutius est, non tenere. Jta Sylvester *ex Bartolo*;quæ profectò animadvertere valdè debent conscientiarum moderatores, & consulentes in hac materia.

Ex quibus iterum concludo quod dixi *suprà*: 14 Hujusmodi

Hujusmodi scilicet hæreditatem (respuentibus eam, ut decet omninò Fratribus Minoribus) non posse tutâ conscientiâ retineri, nisi ab eo, qui est Fratribus prædictis substitutus; quia videlicet jure optimo voluntas Testatoris signantis substituium, ea esse præsumitur, ut institutis Fratribus non adeuntibus, ipse substitutus admittatur: *l. cum. proponas: Cod. de hæredib. instit.* sicuti etiam de legato pio dicitur, quod propter aliquod impedimentum Iuris prohibentis, vel facti impleri nequit in usum à testatore designatum, cæteroqui in se honestum, & pium; quòd scilicet non cedit hæredi, sed in alium usum converti debet authoritate Episcopi Diæcesani, nisi Testator expressè providisset, quid faciendum sit de legato illo, usu designato non impleto; vel scilicet substituendo alium usum, vel declarando, quòd accrescat hæredi; ut tradit Sylvester *in Sum. V. Legatum 4. num.* 12. ex Notatis per Bartolum *in l. liberto: §. Lucius*: ubi etiam text. *ff. de annuis legatis.* Et ratio esse potest; quia in relictis ad Causas pias nunquam locum habet jus accrescendi, nisi exprimatur à testatore, quòd tali usu designato non impleto, relictum cedat hæredi. In hanc autem sententiam, quoad hæreditatem respectu substituti tantùm, consentiunt citra formidinem Bartolus, & Rosella apud Sanchez *lib. 7. cit. cap.* 25 *num.* 7. Cæterùm, quoad cohæredem, vel venientem ab intestato, ea est sententia diffinitiva Bartoli, Ancharani, Rosellæ, Sylvestri, Roderici, & Alciati, apud eundem Sanchez *ibid.* quòd tutius sit in foro conscientiæ talem hæreditatem non retinere: quam sententiam testatur *Bartolus* tenuisse etiam plures Magistros in Theologia.

15 At certè tutum non est, nisi substituto, ut præfertur, talem hæreditatem sibi ab alio retineri, & in pias Causas non erogari. Saltem enim in dubio est: An testator relinquens bona sua Fratribus Minoribus habuerit respectum ad animam suam, vel ad personas Fratrum: tunc autem in tali dubio præsumere debemus favore animæ, vel Religionis, quòd ad piam Causam reliquerit: *argum. l. sunt personæ: ff. de Religios. & sumptib. funer.* & notat & sequitur Bartolus *in l. Pater: §. Tusculanis: ff. de legatis* 3. & ex his Sylvester *in Sum. v. Legatum 1. num.* 14 Eo, vel maximè, quod etiam in Causarum foro, si dubium fuerit, an relictum personis egentibus, præsertim ad eorum alimenta, (qualia sunt proculdubio relicta Minoribus, quippe qui, & pauperes sunt, & ad alimenta tantùm pro præsenti, vel imminenti necessitate recipere possunt) ad piam Causam relictum sit; præsumitur, ita esse relictum, idest pro Deo, & animæ salute; ut benè Sylvester *in Sum. v. Legatum 3. n. 1. in fin.* Quare talis hæreditas à Fratribus, omninò ejus percipiendæ, etiam quoad æstimationem, incapacibus refutata, ut par est, debet nihilominùs per Executorem in alias pias Causas erogari authoritate Episcopi Diæcesani, vel Papæ; sicut etiam dictum est de legatis ijsdem Fratribus relictis cum expressione modi illiciti, quæ proinde ab ipsis pariter sunt respuenda. Quòd si testator non providerit de Executore, tunc providebit Episcopus; quemadmodum etiam providere ad ipsum pertinet in legatis pijs pro redemptione captivorum, & alimonijs pauperum; ut decernitur in *Authen. de Ecclesiast. tit. §. si quis pro redemptione: & duobus seqq. & l. nulli: C. de Episcopis, & Cleric.* & *in cap. Tua nobis: de testamentis*: & ex his tradit Sylvester *v. Legatum 4. num.* 15. *& v. Testamentum 2. num.* 8.

---

§. XXX.

Sequitur idem argumentum; & ex præmissis doctrinis refelluntur sententiæ aliquot in hac materia lubentiæ potiùs, & cupiditati, quàm veritati rei attemperantes.

SVMMARIVM.

1 *Minores cùm sint incapaces successionis hæreditariæ, an possint recipere ejus æstimationem à venientibus ab intestato, vel à cohæredibus institutis, vel à substitutis*, & n. 2. cum al. seqq.

2 *Æstimatio rei an debeatur ei qui ob conditionem personæ rem ipsam acquirere non potest.*

3 *Hæreditatis æstimationem Minores instituti recipere non possunt, cujus sunt incapaces non minùs quàm ipsius hæreditatis.*

Dictio, Nullatenùs, *omnem prorsus modum excludit percipiendi rem, sub illa dictione percipi prohibitam*, ibid.

4 *Hæreditatem, cujus Minores instituti sunt incapaces, nemo præter substitutum tuta conscientia sibi retinere potest.*

5 *Institutio Minorum testamentaria cum clausula*, ut hæreditas vendatur, & pretium convertatur in ipsorum utilitatem, *rejicitur.*

Sorbus *afferens opinionem contrariam, non asserens, defenditur*, ibid.

6 *Testamentum in quo Minores soli instituti sunt hæredes, subducta eorum persona, sustinetur ratione piæ Causæ, & personam repræsentabit Episcopus.*

Testamentum, in quo instituitur Sanctus, cujus Ecclesia non reperitur in loco domicilij Testatoris, qua ratione sustinetur? ibid.

7 *Testamentum, in quo Minores incapaces hæreditatis instituti sunt, licet sit nullum quoad*

quoad institutionem personæ, valet tamen ratione causæ piæ.

8 *Destructo antecedenti, non semper destruitur consequens. Causa pia sustinet vicem hæredis deficientis*, ibid.

9 *Hæreditas, quam Minores instituti acquirere non possunt, nec ratione rerum, nec quoad æstimationem, debet converti ad alias pias causas.*

10 *Dispositio in qua aliquis jubet hæreditatem suam vendi, & pretium impendi in necessitates Fratrum Minorum, an & quomodo valeat*, & n.11.

12 *Hæreditatem, cujus Minores sunt incapaces, Executores testamentarij, vel alij, præter substitutum, retinere non possunt.*

13 *Institutio Ecclesiæ vel Sacristiæ Minorum non admittitur.*

14 *Institutio Altaris Minorum æquè invalida est, ac ipsorummet Fratrum.*

15 *Institutio Minorum in testamento cùm sit irrita & caduca, utrum cohæredes jure accrescendi, aut venientes ab intestato tuta conscientia hæreditatem retinere possint*, & n.16.cum seqq.

16 *Minoribus institutis, quibus datus est substitutus, testamentum valet pro substituto, qui hæreditatem integram retinet.*

17 *Forum internum non discrepat ab externo, quando istud non ducitur falsa præsumptione.*

Lex de re certa disponens, & aliqua ratione ducitur, est justa in foro conscientiæ, ibid.

18 *Minoribus institutis si nullus datus sit substitutus hæreditas in alios pios usus impendi debet, contra Sanchez*, & numero 19. & 22.

19 *Institutio testamentaria Minorum solùm corruit ratione incapacitatis ipsorum: sed debet sumi interpretatio quæ faveat piæ causæ; ex ipsomet Sanchez.*

20 *Institutio Minorum in testamento semper includit piam Causam, quæ semper in se sustinet dispositionem omni meliori modo implendam.*

21 *Institutione Minorum caducata, præsumptio est quod testator velit hæreditatem suam impendi ad alias pias causas pro anima sua*, & num. seqq. usque ad 30.

23 *Institutione Minorum caducata ex eorum incapacitate, cohæredes, aut venientes ab intestato, vel substituti nihil ex hæreditate ipsis solvere tenentur.*

24 *Institutione Minorum deficiente, Executores, cohæredes, aut venientes ab intestato tuta conscientia hæreditatem sibi retinere non possunt*, & num.25.cum al. seqq. usque ad num.30.

Substituti tamen jure sibi retinent, ibid.

27 *Semper quod tutius est in foro conscientiæ servari debet.*

30 *Minores sunt omnimodò incapaces hæreditatis & fideicommissi universalis: secus de legato & fideicommisso singulari.*

Et quid de legato annuo ad modicum tempus? ibid.

31 *Minores sunt incapaces legati annui etiam ad modicum tempus, si sint incapaces ad longum tempus.*

Minores sunt capaces legati annui, sive perpetui, sive ad modicum aut longum tempus relicti, seclusa omni obligatione civili & certitudine, ibid.

HIc ex præmissis doctrinis, cùm de omni- 1
moda Fratrum Minorum incapacitate,
quoad hæreditarias successiones, tum etiam de
validitate ordinationum hujusmodi testan-
tium, ratione piæ Causæ; teijciendæ occur-
runt (quemadmodum, & suprà de legatis,
§.26.27.& 28.) sententiæ aliquot sub entiæ po-
tiùs, & cupiditati, quâ ex parte eorumdem
Fratrum, qua ex parte cohæredum cum Fratri-
bus prædictis institutorum, vel venientium ab
intestato, quàm rei veritati ancillantes, nec
defæcatæ rationis, præscripto pronunciatæ.
Igitur,

Quà ex parte Fratrum,

Reijcio primò eorum sententiam, qui di- 2
cunt, quòd, si de facto quis instituat Fratres
Minotes hætedes, nulla quidem est institutio,
utpotè facta de incapacibus; succeditque hæ-
resab intestato veniens, aut cohæres, aut sub-
stitutus, si fuerint designati; tenentur tamen
hi quomodocùnque succedentes in foro con-
scientiæ æstimationem hæreditatis Minoribus
institutis restituere; atque hi ejus accipiendæ
capaces sunt. Ita sentiunt Rosella *in Sum.v.Le-
gare, n.*23. Alciatus *cons.*53. *num.*9. Sylvester *in
Sum.v.Testamentum* 1.*q.*6. Rodriquez *qq.Regul.
tom.*3.*q.*69.*art.*10. apud Sanchez *cit. num.*7. &
Castro Palao *in Sum. Moral. part.*3. *tract.*15.
*disp.*3.*punct.*8.*n.*4. Moventur autem ex *l. apud
Iulianum: §.fin.ff.de legatis* 1. & *l. sed si res: ff.
eod.tit.* ubi J. C. decernit, quòd quando quis
est incapax capiendæ rei sibi relictæ absque
proprio delicto, sed ob personæ conditionem
non ad mittentem ejus rei commercium, tene-
tur hæres ad æstimationem. Atque hi sequun-
tur etiam doctrinam Bartoli *suprà* allatam ex
Sylvestro; quia credendum censent, testatorem
voluisse suum testamentum valere jure Codi-
cillorum, & omni modo, quo potuit; ut sem-
per præsumendum est. Hæc illi.

Quatenùs igitur ad Minores attinet hæc 3
sententia, illam teijcio. Neque enim hi capa-
ces sunt, Regulæ ipsorum puritate sarta tecta,
talis

talis æstimationis capiendæ, sive instituti sint hæredes directè, sive obliquè per fideicommissum, sive etiam adjecta fuerit testamento clausula, *quòd valeat jure Codicillorum, & meliori modo, quo potest* · & per consequens non solùm cohæres; aut veniens ab intestato, (de substituto non loquor, quippe ei citra difficultatem cedit in tali casu jure optimo utriusque fori hæreditas) sed neque alius Executor ad id à testatore deputatus tenetur in conscientia ad talem hæreditatem, vel ejus æstimationem Fratribus Minoribus institutis signanter præstandam: benè tamen in alias pias Causas erogandam cum consilio Episcopi; ut patet ex dictis *suprà*, & dicam *infrà*. Cum igitur Minores nullatenùs hæreditariæ successionis sint capaces, tenentur expresè respuere omninò, & protestari Executori, vel alteri cuipiam volenti implere testatoris dispositionem, quòd ipse nullo modo, neque in conscientia obligatur ad sibi specialiter præstandum. Aliàs adhuc in æstimatione essent hæredes instituti, veréque successores; nam unus percipiendæ hæreditariæ successionis modus est, ejus æstimationem recipere; juxta *l. domus: §. confitetur: ff. de legatis* 1. Quòd verò nulla sit obligatio prædicta, patet; quia ordinatio testatoris, quoad Minores signanter, contrária est eorundem Fratrum statui, & professioni, adeóque dispositioni, & declarationi juris communis *in d. Clement. Exivi*: ac proindè effectum habere non potest, nec præsumendum est, ita voluisse testatorem, si scivisset: nemo enim sanæ mentis testator, aut non testator (ut alibi diximus ex Seraphico Doctore) dare intendit Fratribus, nisi prout competit Regulæ, & professioni eorum; quis enim dare intendat eis eleemosynam, ut eos faciat perdere vitam æternam? Certè autem hæreditarias successiones accipere nullatenùs competit Regulæ, & professioni Minorum; ut ait Clemens V. *in d. Clem. Exivi: eo §. Proinde: versic. Cùm enim:* Et dictio illa, *Nullatenùs*, omnem omninò modum excludit percipiendi rem sub illa dictione percipi prohibitam; ut benè Politius *cit. numero* 49. & 52. Sanchez *citat. numero* 8. & *lib. 6. de matrim. disputat.* 32. *numero* 7. Glossa *in authent. si qua mulier: versic. Nullatenùs: Cod. Ad Senat. Consul. Vellejanum*; & *Clem. unica, versic. Nullatenùs: de sequestrat. possess. & fruct.* ubi Zenzelinus, & Imola *numero* 20. Bartolus *in tractat. Minoric. lib. 1. de hæredit. ex testam. cap.* 2. Alberieus de Rosate *in suo dictionario V. I. verb. Nullatenùs*; Corsetus *in singular. versic. Nullatenùs*; Zabatella *in cap. super literis: numero* 6. *de rescriptis*; Alexander de Nevo *in cap. Qua fronte: numero* 32. *de appellation.* Decius *consil.* 302. *numero* 2. Felinus *in cap. Rodulphus: de rescriptis, ante numerum* 27. *versic. Nullatenùs; & capit. penultim. numero* 7. *de constitution.* Tiraquellus alios referens *in l. si unquam: verb. Revertatur: num* 95. *Cod. de revocand. donat.* Rulandinus *consil.* 52. *num.* 51. *lib.* 2. Menochius *consil* 383. *numero* 14. *vol.* 4. Mandosius *regul.* 15. *Cancellaria quæst.* 5. *numero* 8. Brunonus *in suo Compendio lit. D. vers. dictio Nullatenùs*: & Barbosa *in tract. var. ubi de dictionibus.*

Quapropter hanc sententiam, quatenùs ad Minorum attinet incapacitatem, meritò refutant Baldus, Felinus, Spino, Cardinalis, Devegnas, Gualdensis, Quesada, Manuel, Sorbus, Politius, & alij, quos allegant, & sequuntur Sanchez *citat. numero* 8. & Castro Palao *numero* 4. Non poterit tamen hujusmodi hæreditas tuta conscientiâ ab alio retineri, quàm à Substituto; ut dictum est *suprà*; & *infrà* etiam dicam contrà Sanchez. 4

Reijcio secundò eorum sententiam, qui astruunt, valere institutionem Fratrum Minorum in hæredes, non quidem absolutè, sed adjectâ clausulâ, *Ut hæreditas vendatur, & in ipsorum utilitatem pretium convertatur.* Quod est dicere, hujusmodi testamentum, & dispositionem Defuncti, licet non teneat, quoad institutionem hæredum, & quoad hoc habeatur pro non scripta, cùm talium institutionum Minores sint omninò incapaces; tenere tamen, & validam esse, quoad Causam piam ibi appositam, ut scilicet vendatur, & in necessitates Fratrum convertatur; nec Fratribus esse prohibitum eam æstimationem hæreditatis accipere. Hanc sententiam sustinent Jmola *in l. Lucius: numero* 4. *ff. de hæredib. instit.* Guido Papæ *decis.* 327. *numero* 1. & 2. testatúrque de communi praxi in judicio Curiæ Parlamenti Delfinatus; Manuel Rodriquez *qq. Regular. tom.* 2. *quæst.* 78. *articul.* 4. atque ut tradunt Sanchez *citat. numero* 10. & Castro Palao *citat. numero* 5. eandem sustinet noster à Sorbo *in Compen. Privil. Mendicant. vers. Hæreditas in annotat. versic. quæritur enim num possint*: ipse tamen eam profert, non ut asserens, sed ut simpliciter afferens ex Corduba: quinimmò *in annotationibus marginalibus* eam appellat opinionem *Bartoli* singularem. Ait enim *ibi, vers. præcedente*: Et quia à Corduba *in expositione* 6. *cap. nostræ Regulæ quæst.* 4. & 5. & ab alijs Expositoribus nonnulla alia scitu digna ad hujusmodi supradictam materiam (scilicet Hæreditatum) pertinentia discutiuntur exactè; ideò illarum aliquas resolutiones ad communem legentium eruditionem breviter afferre censui. Hæc ille: subdens proindè statim opinionem prædictam. Quare non est ei, tanquam vero assertori impingenda. Cujus 5

veritatis nostræ Congregationis Patribus compertæ argumentum est; quòd cùm P. Cyprianus Crousers Antuerpiens. noster eam opinionem asservivè tradidisset *in suis Lectionibus paræneticis super Regulam S. P. Francisci, lect.6. ad cap.6. §. Utrum, si Fratres*: improbata fuit, jussáque in contrariam mutari; ut patet *in Correctione ejusdem Operis de Consilio Patrum nostræ Congregationis in Capitulo Generali*: hoc autem cum Patre à Sorbo minimè actum constat, quippe eum afferente tantùm, non asserente. Post prædictos tamen expressè eandem sententiam profert, & tuetur ab oppugnatione Sanchez, Hieronymus Rodericus *in Compendio qq.Regular.* Avunculi sui Manuelis, *resol.72. de Hæreditatibus,n.*13. firmátq; ex jure Castellæ, *l.Regia 1.tit.4.lib.5. novæ recapitulat.*

6 Horum tamen omnium ejus sententiæ Assertorum Antesignanus est Bartolus *in Minor. qq.lib.1.dist.5.cap.2.* latè eam edisserens, & sustinere contendens adversus *Baldum*, inquiens: Nec obstat, quòd non subest persona in qua jus, & nomeo hæredis cadat; cum persona ipsorum Fratrum (ut diximus) subducatur, & pro non scripta habeatur; & sic testamentum videtur non valere, & pro non scripto esse; sicut quando instituitur hæres, qui jam est mortuus. Quoniam in pijs Causis sufficit, quòd hæreditas ad piam Causam relinquatur; ut putà, sic generaliter, pro redemptione captivorum, pro Ecclesijs construendis, pro alimentis pauperum, & similibus; ut *Cod de Episcopis, & Clericis: l. si quis ad declinandam:* Constat autem Fratres Minores in summa paupertate esse: ergo ad validitatem testamenti sufficit, quòd sit apposita pia Causa, (scilicet pro eorum necessitatibus: quæ tamen (subdo ego) semper censenda est apposita, nisi aliter exprimatur à testatore: *argum. illius §. Ad hæc, quia cap. Exyt*:) licet eorum subducatur persona, & pro non scripta habeatur. Nec est verum, quòd non subest persona, quæ hæreditatem adeat; quia personam repræsentabit Episcopus; ut dicitur *in d. l. si quis ad declinandam.* Et pro hoc facit *§. si quis in nomine: Authent. de Ecclesiast. tit.* ubi, si quis instituit hæredem aliquem Sanctum, cujus Ecclesia non reperitur in illa Civitate, nec in ejus territorio; dabitur hæreditas Ecclesiæ illius Civitatis, ubi testator habet domicilium: & sic, licèt Ecclesia illius Sancti instituti non adsit, testamentum tamen, cum sit ad piam causam, subsistit, & valet; & de necessitate intelligitur facta institutio in memoriam, & reverentiam dicti Sancti; hoc est, ut in honorem ipsius hæreditas expendatur, & Episcopus capiat hæreditatem.

7 Nec obstare videtur, quod objicit Baldus *in authent. ingressi: Cod. de sacrosanct. Eccles. n.50.* quod hæreditas est jus universale, cujus Minores Fratres incapaces sunt; & sic destructo principali, ipsa scilicet hæredis institutione, destruitur, & accessorium, scilicet causa adjecta, quòd hæreditas vendatur, & convertatur in necessitates Fratrum. Nam, licet verum sit, quòd testamentum sit nullum, quoad primùm caput de hæredis institutione, cùm instituti sint incapaces; valet tamen testamentum ex secundo capite, scilicet quia relicta est hæreditas ad Causam piam; & ipsa pia Causa sustinet vicem hæredis; ut jura prædicta probant.

Nec est verum, quòd destructo antecedenti, destruatur & consequens: quia hoc esset, quando unum esset ad substantiandum, seu qualificandum alterum. Sed in hoc casu neutrum est ad substantiandum alterum; quando, si testator, omisso primo capite institutionis hæredis in personam Fratrum, dispofuisset de secundo, scilicet: Relinquo hæreditatem meam, ut vendatur, & in necessitates Fratrum Minorum convertatur; valida esset dispositio; ut dicitur *in d. l. si quis ad declinandam*: ergo non est verum, quòd irrito testamento, quoad institutionem hæredum, fit etiam irritum quoad venditionem hæreditatis convertendæ ad piam Causam: quia ex pia Causa, quæ sustinet vicem hæredis, validum sit testamentum. Quare (concludit ille) ubi Causa pia est expressa, voce, vel scripto, vel saltem nutu certo ipsius testatoris, sufficit ad validandum testamentum aliàs invalidum ex institutione Fratrum. Hactenùs *Bartolus*, cujus placuit fundamenta referre cum *Baldi* objectione; quia nimirum usquequaque confirmant ambo doctrinam à nobismet *in superioribus* traditam. 8

Bartoli enim fundamenta solummodò sustinent, testatoris ordinationem valere, & subsistere ratione piæ Causæ, ut sic, & in communi, quæ vicem gerit hæredis: siquidem hoc præstare non potest specialiter considerata, quoad Fratres Minores, respectu quorum cesset necesse est, nec potest obligare ordinatio testatoris ob specialem omnimodam incapacitatem Fratrum, qui (sua ipsorum professione spectata) nullo modo possunt licitè percipere hæreditatem ex institutione de se ipsis facta, quam profectò aliquo modo admitterent, si admitterent pretium hæreditatis prædictæ divenditæ conversum in suas necessitates; ut patet ex dictis.

Baldi etiam objectio, supposita responsione *Bartoli*, & ea, quam nos tradidimus *suprà §. 16.* non probat, nisi quòd Fratres ob omnimodam incapacitatem non possunt admittere pretium hæreditatis prædictæ, etiam si ad illam sint instituti hæredes cum clausula, 9

quòd

quod *hæreditas vendatur*, &c. atque ideò nullam esse ordinationem testatoris, quoad obligationem inducendam Executori in foro conscientiæ præstandi Fratribus ipsis specialiter signatis hæreditatem ipsam, vel ejus pretium: cùm tamen adhuc debeat hæreditas ipsa, vel ejus pretium in alias pias Causas commutari, & erogari de Consilio Episcopi, ob privilegium piæ Causæ, ut sic, & in communi; quòd secundùm omnia jura integrum servandum est. Pia enim Causa satis expressa scripto testatoris censenda est, nedum præsumenda, si Fratres Minores hæredes instituti sint, etiam sine clausula adjecta, *quòd hæreditas vendatur*, &c. hoc enim, si Fratres ipsi capaces aliquo modo essent hæreditatis, vel fideicommissi universalis, quemadmodum sunt legati, vel fideicommissi particularis, etiam faciendum esset, licet à testatore non fuisset expressum, modò non expressisset contrarium, aut modum aliquem Fratribus illicitum: *argum. illius §. Ad hæc, quia: cap. Exyt:* ut appositissimè fatetur etiam Sanchez *cit. n.* 11. At, cum Fratres Minores nullatenùs sint capaces hæreditatis, ideò perindè se habet dispositio testatoris exprimentis, *quòd hæreditas vendatur, & convertatur*, &c. ac si id non expressisset. Quare corruit pia Causa quatenùs se tenet ex parte Fratrum tantùm, non autem absolutè, & in communi; ut dictum est.

10 Dixi Fratres Minores nullo modo posse licitè percipere hæreditatem ex institutione de se ipsis facta. Nam, si ipsi non instituantur hæredes, sed vel alter quispiam instituatur hæres; vel etiam omissa omninò institutione hæredis (ut ait Bartolus *suprà*) cùm in persona Fratrum, tum in alterius persona, jubeat testator, hæreditatem suam vendi, & ejus pretium in Fratrum necessitates impendi; & valida erit dispositio; (ut ait Bartolus ex *d. l. si quis ad declinandam:*) & tale subsidium accipere nullo videtur jure Fratribus esse prohibitum; ideóque poterunt hi illud admittere, ex quo non succedunt ullo modo in aliquo jure defuncti, neque accipiunt ex institutione hæreditaria vel fideicommissaria de se ipsis facta ullo modo: eo tamen semper cauto, quòd quantitas hæreditatis (quæ in tali casu verè conversa est in legatum, & Fratres legatarij sunt, non hæredes, neque ad eos transeunt onera hæreditati annexa) non sit tam magna, quòd videatur in fraudem facta paupertatis, sed quòd tantùm sit ad sublevandas Fratrum necessitates præsentes, vel imminentes; quia aliàs saperet thesaurizationem: simúlque quòd à Fratribus serventur moderamina, & cautiones requisitæ per *Nicolaum III.* in receptione subsidij eleemosynæ pecuniariæ. Et ita docent nostri A Sorbo *citat. versic. si autem Fratres:* & A Politio *in cap. 6. Regul. num.* 50. 52. & 53. Cardinalis *in Clem. Exivi: numero* 11. *quæst.* 2. Antonius Gabriel *tom.* 3. *communium opinionum, conclus.* 1. *numero* 4. Corduba *in cap.* 6. *Regular. quæst.* 11. *punct.* 1. Manuel *qq. Regular. tom.* 2. *quæst.* 78. *articul.* 4. *in fin.* & Lessius *lib.* 2. *de just. & jure capit.* 19. *dubit.* 5. *numero* 54. quos allegat, & sequitur Sanchez *citat. numero* 12.

Quare, quod attinet ad rejectam sententiam, dicendum pro conclusione veriore, & ad puritatem Minoriticæ observantiæ magis conformi, quòd institutio illa nulla est, quoad Fratres tamen specialiter tantùm, ut dictum est; neque Minores, ut instituti, pretium illius hæreditatis capere possunt; sed tenentur respuere, & protestari Executori, quòd nullo modo, neque in foro conscientiæ, tenentur ad illud pretium in ipsorummet necessitates specialiter erogandum; benè tamen in alias pias Causas. Et ita benè sustinent, quoad Fratrum incapacitatem, Sanchez *cit. num.* 11. & Castro Palao *cit. num.* 5. *vers. sed longè verior:* cum Baldo *cit.* Felino *in cap. in præsentia: n.* 52. *de probationib.* Devegnas *regul.* 381. *ampliat.* 8. Corduba *cit. punct.* 3. Cardin. *consil.* 102. *num.* 2. *dub.* 2. *& in Clement. Exivi: num.* 11. *quæst.* 2. & Ancharano *ibid. num.* 4. *quæst.* 1. Decio *in cap. In præsentia: num.* 269. *de probat. in nova edit.* & alijs, quos allegat Sanchez ipse *loc. cit.* 11

Dixi, *& ita benè sustinent, quoad Fratrum Minorum incapacitatem.* Quia in reliquis positæ conclusionis, quoad obligationem, non solùm Executoris, sed cohæredum, si adsint, vel venientium ab intestato, erogandæ hæreditatis prædictæ in alias pias Causas; & an possint vel cohæredes, vel venientes ab intestato eam sibi tutâ conscientiâ retinere; non mihi probantur Sanchez, & alij, quorum sententiam mox *infrà* refellam. 12

Rejicio tertiò eorum quoque sententiam, qui affirmant, Ecclesiam, & Sacristiam Fratrum Minorum esse hæreditatis capacem; ac proinde valere institutionem factam non Minoribus ipsis, aut eorum Conventibus, sed factam ipsorum Ecclesijs, aut Sacristijs. Hi autem sunt Bartolus *in tract. Minor. lib.* 1. *dist.* 4. *cap.* 1. *n.* 20. & in *l. civitatibus:* 125 *in princ. n.* 1. & 3. *ff. de legatis* 1. Abbas *consil.* 63. *n.* 3. *lib.* 2. Marcus Antonius Cucchus *lib.* 3. *Instit. Major. tit.* 1. *n.* 37. Manuel *qq. Regul. tom.* 2. *q.* 78. *art.* 5. quos allegat Sanch. *cit. n.* 13. & Castro Palao *cit. n.* 6. & alij. Et quidem hæc sententia satis explosa manet per dicta *suprà* §. 28. *in rejectione secundæ sententiæ*, & per dicta *suprà*, *in hoc ipso* §. 30. Quin, & 13

Bartolus se expresse retractans, illam rejecit, & contraria tenuit *in l.unic.in fin. Cod. de Conductoribus, lib.11.* & *ibi* Platea *in fin.* Et noster à Sorbo *cit. vers. sed cum Fratres Minores:* quamvis priorem *Bartoli* sententiam satis probabilem sibi videri pronunciet; pro contraria tamen resolutè respondet, & tutiùs commodat pro puriori Regulæ observantia negativam partem tenere; prout nos Capuccini sic observamus: Et ita tenent Sanchez *cit. num.*14. & Castro Palao *cit. num.*7. cum Baldo expressè dicente eam sententiam esse falsam, *in authent. ingressi: in nova edit. num.*55.*Cod.de sacrosanct. Eccles.* Jacobo Rebuffo *in l.un. in fin. Cod. de Conductoribus, num.*4. Ancharanus, Joan. de Ligniano, Capra, Tyrolo, Quesada, Angelo Aretino, Antonio Gabriele, & alijs, quos allegat *Sanchez cit.* Et communiter ita sentiunt Regulæ Minoricæ Expositores, præsertim ex nostris Politius, Corduba, Sanctes Romanus, Serena Conscientia, & alij.

14 Quare ijsdem rationibus rejiciendus est, si quis affirmet, posse institui hæredem Altare Minorum, aut Guardianum Ecclesiæ, vel Altaris ipsorum; ut benè ex Baldo, & Ancharano reprobat Sanchez *cit.in fin.* Nec potest directè, nec obliquè per fideicommissum, nec via substitutionis institui, ut benè ait *Sorbus cit.* sicut nec ipsi Fratres Minores possunt aliquo ex bis modis institui. Atque hactenùs, quod ad sententias attinet in hac materia lubentiæ potiùs, quàm veritati famulantes, quæ ex parte Fratrum. Jam verò, ad easdem quod attinet.

Quæ ex parte cohæredum, vel venientium ab intestato.

15 Unica refutatione rejicio sententias omnes dicentium, hæreditates quomodocúnque, ut præfertur, Minoribus relictas, ob eorum incapacitatem, ita accrescere, vel cohæredibus, si adsint, vel venientibus ab intestato, ut possint hi tutissimâ conscientiâ illas sibi retinere. Et sic præ omnibus manifestè docet Sanchez *cit. num.6.* hisce verbis: Quòd si de facto Minorum Monasterium, aut aliquis eorum instituatur, nullo substituto, aut cohærede signato, erit irritum testamentum, eò quòd hæres capax institutus non sit; ac hæreditas pertinebit ad successores ab intestato: *l. si in metallum: ff. de his, quæ pro non scriptis habent. & l.1. Cod. de hæredib. instituen. & l. nec enim: ff. de re milit.* Si autem substitutus aliquis, aliusvè cohæres designatus sit, valebit utique testamentum, substituto adeunte hæreditatem, ad quem priori loco illa pertinet; vel adeunte cohærede, cui portio illa relicta Minoribus accrescit: quando autem non est substitutus, aut ille non vult adire testamentum erit nullum, *l.1. in princ. vers. his itaque: Cod. de caducis tollendis.* Hæc ille *ibi*, allegatis pro hac sententia Bartolo, Baldo, Alciato, Rosella, Sylvestro, Camillo Borello alios allegante, Manuele, Spino, & Sorbo.

Idem docet Castro Palao *cit. n.*3. inquiens: 16
Hinc infertur, (ex omnimoda scilicet Minorum incapacitate hæreditariæ successionis) si de facto Minores, & Capuccinos hæredes instituas, nullam esse institutionem, utpotè factam in persona incapaci; succedéntque hæredes ab intestato, si nullum alium cohæredem, aut substitutum designaveris: eo autem designato, integram hæreditatem adire potest. Ita ille.

Sed adhuc manifestiùs Sanchez *cit. num.*8. 17
eandem sententiam tradit. Postquam enim difficultatem excitavit *n. præcedente*, An hi hæredes ab intestato, aut substitutus, aut cohæres, ad quos pervenit dicta hæreditas relicta Fratribus Minoribus institutis, teneantur in foro conscientiæ æstimationem ejus solvere dictis Fratribus? Respondet: Cæterùm tenendum est, nullatenùs teneri hos ad solvendam illius hæreditatis æstimationem Fratribus Minoribus, sed posse tutissimâ conscientiâ eam retinere. Ducor primò, (subjungit ille rationes) quòd forum externum nulli præsumptioni innitens, sed soli veræ incapacitati hæredis instituti, ita judicabit: ergo idem dicendum est in foro interno: quippe utrúmque minimè discrepat, quando istud nullâ falsâ præsumptione ducitur; ut probatum est *lib.1. hujus tract. cap.10. n.*18. Et confirmatur; quia quando lex disponit super rem certam, & aliqua ratione ducitur, est justa in foro conscientiæ, & hæres est tutus; ut tradit Baldus *in l.penult.§.illo: num. unic. Cod de necessarijs servis hæred.instit.* & alij quos refert, & sequitur Antonius Gomez *tom.1. variar. cap.12.num.*46. Secundò, *ex Clement. Exivi: de verb.signif.* cujus verba retulimus *num.*4. ibi: *Nullatenùs sunt capaces.* Ergo nec capaces erunt æstimationis. Quippe unus percipiendæ successionis modus est, ejus æstimationem recipere; *argum.l.si domus:§.constitetur.ff.de legatis 3.* Si ergo Fratres Minores nec hoc modo sunt capaces, nec hæredes tenebuntur eis æstimationem dare. Hæc iterum *Sanchez*, allegans pro sua sententia Baldum, Cardinalem, Ancharanum, Gualdensem, Devegnam, Quesadam, Spinum, Sorbum, & Manuelem, Felinum etiam Barbatium, & Decium: docentibus *Felino*, & *Barbatio*, quòd Minoribus institutis hæredibus, periode prorsùs est ac si mortuus institueretur; ac mortuo instituto, manifestum est, hæredes, ad quos hæreditas pertinet, nil prorsùs teneri restituere.

At *Sanchez*, pace, ac reverentia ipsius, 18
ejúsque cujus est inclytæ Societatis, cæteroqui

qui eximius ille Doctor in hac sententia exorbitat; & dum hujusmodi succedentium (substitutis exceptis) cupiditati indulget, pietati Causæ à testatoribus intentæ præjudicat, & voluntates jugulat testatorum; quorum profectò dispositiones ejusmodi, (quibus bonorum suorum Fratres Minores, horum, ut credendum est, professionem non præcallentes, hæredes instituunt, ubi expresse, Minoribus non adeuntibus hæreditatem, de substituto non provident,) censendæ sunt ad piam Causam simpliciter factæ, quæ, si impleri non potest in Minorum usum, & commodum designatum, in alium pium usum, egenorumvè subsidium commutanda est, Episcopi consilio adhibito; ut alibi sæpiùs, latiúsque, diximus, & commune est apud Doctores, juribus omnibus adstipulantibus.

19 Quòd verò in hujusmodi Minorum institutionibus pia semper Causa à testatoribus intendatur, probare omitto ex eo, quod ajebat Bartolus *suprà* allatus; quia scilicet constat Fratres Minores in summa esse paupertate; ac proinde quæ ipsis relinquuntur sive titulo legati, sive titulo hæreditatis, fideivècommissi, censenda sunt relicta pro alimentis pauperum, adeóque pia, omni jure approbante, ac universis Doctoribus consentientibus. Mitto, inquam, hoc ita probare; cum duplici, eáque ultroneâ ipsiusmet *Sanchez* confessione contentus sim. *Prima* est, quam profert *ubi suprà, num.*11. ubi de institutione hæreditaria, hisce verbis: Quippe in ea Fratrum Minorum institutione adest semper pietas, & solùm corruit ratione incapacitatis institutorum. *Secunda* est, quam exhibet *cap.*26. *num.*28. ubi de legatis Fratribus Minoribus factis, inquiens: semper in dubio ea præsumptio capienda est, ut faveat actus valori, eò vel maximè, quòd hic de Causa pia, & Religione agatur, in quo eventu in dubijs opinionibus præferenda est Ecclesiæ favens, ut probavimus *suprà*. Ipsissimis hæc ille verbis.

20 Si igitur in hujusmodi Minorum institutionibus, sive ad hæreditates, sive ad legata quæcúnque, semper adest Pietas, & solùm corruit ratione incapacitatis eorumdem Fratrum institutorum, cur eam astruat ille absolutè, & generaliter cullapsam, ubi quoad ipsos Fratres tantummodò specialiter cedit in ijs institutionibus, quarum nullatenùs sunt capaces? Quid quæro, obstat, quò minùs pia ipsa Causa subsistat, ut sic, & in genere? An non in eodem loco primæ confessionis allatæ ipsemet Sanchez illud etiam fassus est, eadem ratione ductus, quòd, si expressa pietatis causa (quam vel solo nutu sufficienter expressam tradit *ibidem* cum communiori opinione, quam referunt, & sequuntur Tiraquellus *de privileg. piæ causæ, privil* 8. *num.*1. *&* 3. & Covarruvias *in cap. cùm tibi: num.*6. *de testamentis:*) efficit eam institutionem validam, valebit quidem ea semper? Valeat igitur ea semper, & subsistat in se, quantumvis cedat respectu Fratrum, ratione omnimodæ incapacitatis eorum: ita ut, respuentibus Fratribus, prout tenentur præstare, talis hæreditatis commodum, ex vi institutionis sibi proveniens, ea commutetur in alias pias Causas in particulari; salva semper, & in se subsistente pia Causa in genere à testatore intenta, cujus mens ea fuit, ut sibi mortuo, hujusmodi relicto prodesset, & divino cultui, & pauperum indigentiæ inserviret; ut æquum piumque est interpretari; nisi captiosis conjecturis in favurem, cupiditatis hæredum quis cavillari voluerit, & religiosam testantium, legantiúmque mentem jugulare; quod improbatur à legibus, & Doctoribus; ut testatur Comitolus *lib.* 7. *respons. moral. quæst.*13. *num.*4. *in fine*, ex Sylvestro, Navarro, & Covarruvia; estque hominis impij atque sacrilegi; ut ait idem Comitolus *lib.*1. *quæst.*70. *num.*9. *vers. quartum argumentum:* juxta sententiam D. Hieronymi, quæ habetur *in cap. Gloria Episcopi:* 12. *quæst.*2. hisce verbis: *Amico quidpiam rapere, furtum est; Ecclesiam fraudare sacrilegium est, accepisse, quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse, vel timidum; aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.* Vide *infrà art.*2. § 5. *à num.*2. ubi refellitur similis sententia *Sanchez*, quoad legata. Vide etiam *in Appendice practica, Casu* 1. §. 3. *per totum.*

Quid, quòd jam non sumus in dubio, an 2
testator disposuerit ad piam causam, & pro bono animæ suæ, necne? Verè enim ita disposuerit, ut ipse Sanchez fatetur; sed ex errore, (tolerabili tamen, & inculpabili, neque ullo jure interdicto sub irritatione dispositionis) instituendo Fratres Minores talis relicti omninò incapaces: quod si scivisset, cognovissetvè, vel aliter disposuisset pro ijsdem Fratribus, ut eorum quoque indigentiæ inserviret relictum, vel aliam piam Causam substituisset; quod plerúmque fit in similibus institutionibus, in quibus nunquam (quod noverim) profana Causa legitur substituta. Et quamvis non adsit mens expressa testatoris, nec probetur per verba ipsius, quòd talis hæreditas in alias pias Causas, vel usus pro bono animæ ipsius converti debeat, ubi à Minoribus institutis respuatur; ea tamen colligi probè potest ex ipsa dispositione & institutione Fratrum; estq; rationabilis præsumptio, ne dicam, necessaria, quòd testator ita intenderit, & voluerit. Hocque totum, quod dictum est, ad regularum amussim deprehendes, quas ex Joanne Baptista Hisco, pro interpre-

tandis testamentis, & ultimis voluntatibus, tradit Sylvester *in Sum. v. Testamentum* 1. n. 13. quarum *quinta* est; quod quando de mente non constat per verba, sed sequitur mens ad aliud dispositum expressum, tunc habetur pro expressa: textus est *in l. jam hoc jure: ff. de vulgari, & pupillari substit.* & in *l. Tale pactum: in fin. ff. de pactis.*: quas ita allegat Baldus in *l. 1. in fin. Cod. de his, qui ante apertas tabulas:* In casu autem nostro mens sequitur ex ipso dispositas ad piam causam. *Sexta* est, quòd quando constat de mente ex dispositione erronea, & tolerabili, statur menti, sive fuerit error facti, sive juris: primum probatur *in l. Titius: §. Lucius: ff. de liberis, & posthum. hared. instit. & in l. fin. Cod. de posthum. hared. instit.* Secundum probatur *in l. fructus prædiorum:* & ibi Bartolus, *ff. de usufructu leg.* In casu autem nostro est talis dispositio erronea, tolerabilis tamen; quia non est in se inbonesta, aut turpis, sed tantùm impossibilis respectu incommodæ incapacitatis Fratrum, non ex delicto, sed ex professiune ipsorum. *Septima* est, quod quando non probatur per verba, sed aliter etiam per præsumptionem, ita fuisse dispositum; illud attenditur: per illud, quod habetur *in l. quoties: §. 1. ff. de haredib. instit. & l. cùm proponebatur: ff. de legatis 3.* secundùm unam lecturam. *Octava* est; quòd, quando ex casu superveniente colligitur præsumptio, quòd si testator cogitasset, ita disposuisset; talis mens debet attendi: probat textus *in l. tale pactum: in fin.* & textus cum Gloss. in *l. cum acutissimi: Cod. de fideicom. & in l. generaliter: §. cum autem: Cod. de instit. & substit. & restit. sub condition.* Atque hæ omnes regulæ quadrant casui nostro pro mente testatoris interpretanda, quòd scilicet hæreditas, vel legatum Fratribus Minoribus relictum, quando legatum est tale, ut ejus, sicut & hæreditatis hi sint omninò incapaces, & ideò ab ipsis respuatur; in alias pias Causas convertatur. Ergo ita faciendum est per quoscúnque sive cohæredes, sive ab intestato succedentes, maximè verò per Executores, qui nullum jus prætendere possunt ad hæreditatem: cum neque cohæredibus, aut collegatarijs in hujusmodi relictis, si adsint, faveat jus accrescendi, etiamsi fuerint conjuncti re & verbis cum Minoribus constitutis; uam pia ipsa Causa in genere gerit vicem hæredis, & legatarij, & nunquam absolutè cedit, esto aliquando cedat in particulari; prout cedere in casu nostro perhibetur respectu Fratrum.

22 Ex hisce ergu omnibus manifestè arguitur, quid veritati consunum, quid verò dissonum pronunciaverit Sanchez *in allatis ejus conclusionibus.*

Veritati quidem consonum illud est: Nullatenùs teneri cohæredes, aut venientes ab intestato, vel substiturum ad solvendam illius hæreditatis æstimationem Fratribus Minoribus. Hoc, inquam, verissimum est; cùm enim Fratres nullatenùs sint ejus capaces, tenentur expressè respuere, & protestari hujusmodi cohæredibus, aut venientibus ab intestato, vel etiam Executoribus, si sit hæreditas jacens, (Mitto substitutos, de quibus mox) quòd nullomodo, non solùm in foro fori, sed neque in foro poli obligantur ad talem hæreditatem, vel ejus æstimationem sibi præstandam ex vi institutionis, & ordinationis testatoris in se ipsos specialiter factæ. Et idem dico de legatis, quorum ijdem Fratres sunt omninò incapaces; prout in *Secunda Conclusione nostra.* Atque in hoc sensu tantùm dici potest irrita, & cassa, & pro non scripta haberi ordinatio testatoris. Sicque benè loquitur Sanchez *ibid. numero 9.* dicens: Hinc deducitur, Hæredibus volentibus solvere æstimationem prædictam, tanquam verè Fratribus Minoribus debitam, non posse Fratres illam capere, quod verè debita non sit. Atque ideò solutio illa non est voluntária; utpotè quæ ex errore procedit. Et ita docent Sorbus *citat. vers. sed quibusdam:* & Manuel *qq. Regul. tom. 2. quæst. 78. artic. 2.* Hæc Sanchez verè locutus. Quid verò liceat Fratribus prædictis, post hujusmodi protestationem adhibitam, circa receptionem erogandæ hæreditatis, dicam *infrà*; sicut dixi etiam de legatis quorum sunt omninò incapaces.

At longè abest à veritate, & ab ipsa causæ pietate, quod idem Doctor subjungit dicens: *Sed posse tutissimâ conscientiâ eam retinere.* Hoc, inquam, nullatenùs probari mihi potest; nisi quoad substitutos; quibus, si adsint à testatore designati, etiamsi non faciant Causam piam, conceditur jure optimo, & tutâ conscientia hæreditas, vel legatum. Illud enim appositissimè admonent conscientiæ casuum explanatores ex Bartolo *in l. liberto: §. Lucius: ff. de annuis legatis:* quòd cùm testator significat, quid de re legata, etiam ad pias Causas (idem dic de hæreditate, cum sit eadem ratio) fieri velit, usu designato non impleto, jus commutandi ademptum est Episcopis; & implendum est quod significavit testator; ut benè Comitolus *lib. 7. quæst. 9. num. 3.* 24

At, quoad executores, vel cohæredes venientes ab intestato, neq; tutum, neque pium, neq; verum censeo assertum illud. Neque in eorum cupiditatis servitutem trahere volo doctorum sententias, quæ id reverâ non astruunt; nec testatorum pias delumbare intentiones, neque mangonizare rationes, nec enervare leges, eásque 25

quę simul pervertere, atque evertere, quò avaritiæ regnum, meo Marte, ac patrocinio defensum, in testantium animarum inferis purgationibus detentarum discrimen securè perennet. Tam grave nolo portare piaculum.

26 Dico igitur singulísque hujusmodi cohæredibus, vel venientibus ab intestato, præsertim verò Executoribus manifestum, consultúmque per conscientiarum arbitros velim: non alia ratione ejusmodi hæreditates ad eos pertinere, quàm ut eas erogent in pauperum alimenta, aliásve pias Causas pro animarum testatorum suffragio; ut sic fideliter pia ipsorum voluntas servetur, si non explicita, expressâ & formali; virtualis certè, & interpretativa, (ut Theologicè dicam) dum aliter non disposuerunt; quinimmò talem suam ordinationem valere voluerunt, implerique jusserunt omni meliori modo, quo potest; prout semper præsumendum est, ubi etiam in testamentis eorum minimè expressum fuerit; ut fatetur Castro Palao *cit. num.* 4.

27 Miror autem, quòd tutiorem hanc partem non consuluerit *Sanchez*, dum eam notavit ex Bartolo eam suadente, illis verbis, *num.* 7. Quia tamen vix reperitur quidpiam nolens suum testamentum valere omni modo, quo meliùs potest, tutius est in foro conscientiæ non retinere. Sic tradit *Bartolus cit.* dicitque ità censisse multos magistros in Theologia: Hæc notavit *ibi* Sanchez, quæ nihilominùs non audivit.

28 Non igitur, ut ille asserit, possunt cohæredes illi, vel ab intestato venientes, minùs verò simplices Executores tutissimâ conscientiâ eam hæreditatem (idem dic de legatis) retinere. Id enim nec pietas patitur ipsius causæ, neque suis rationibus suadet *Sanchez*, nec sibi volunt plerique Doctorum quos ille pro se allegat. Rationes siquidem tantummodò probant, non teneri eos ad talem hæreditatem, vel ejus æstimationem Minoribus specialiter ex institutione erogandam, vel restituendam: atque hoc ipsum tantùm plerique Doctorum, quos ille allegat, manifestè asserunt; si qui autem videntur concedere, posse illos eam retinere, rationes non cogunt, nisi in relictis profanis; ut patet consideranti.

29 Esto igitur, quod vltro concedo, non deberi, vel in foro conscientiæ, nedum de jure, Fratribus Minoribus specialiter talem hæreditatem, vel ejus æstimationem; sicut dictum est etiam de legatis, quorum ipsi sunt omninò incapaces: debetur tamen piæ Causæ, ut sic, & (ut ita dicam) animæ testatoris qui illam relinquere intendit pro bono animæ suæ meliori modo, quo potuit. Debet ergò in alias pias Causas de Consilio Episcopi erogari; ut ostensum est. Et hæc est sententia Ioan. à Fano, & S. Bonaventuræ *infrà* citandorum *Art.* 3. ubi latiùs adhuc de hoc dicetur.

Atque ex his iterum constat, (ut ad objectionem redeamus, à qua digressi sumus, hujus materiæ enucleandæ gratiâ quanta sit disparitas inter Hæreditatem, vel Fideicommissum, seu quamcúnque aliam universalem Institutionem, etiam per clausulam Codicillarem, in bonis alicujus; & legatum, vel Fideicommissum particulare, esto etiam annuum, & perpetuum, de quo prima nostra procedit Conclusio: teste siquidem Sanchez ipso *cit. num.* 5. licèt Fratres Minores sint incapaces omninò Fideicommissi universalis, quod Hæreditas reputatur; Fidei tamen commissi particularis, quod est legatum, utique sunt capaces: quod libenter ipse concesserim, & approbaverim, si secundùm traditam à me doctrinam, hoc suum dictum intelligat Doctor ille; secùs enim profectò exorbitat. At *num.* 11. clariùs adhuc loquitur ille, dicens. Et si legata singularia facta Fratribus valeant, modo licito in eis expresso, (veriùs tamen dixisset: *modo illicito in eis non expresso*, aut *nullo apposito modo, sive licito, sive illicito*) ut constat ex *cap. Exiit*: §. *Ad hæc quia*: Diversum tamen longè est in Hæreditate. Hæc ille; contra quem hìc obsterinsto. Cur ergò *in cap. seq.* 26. *num.* 36. & alibi legatorum annuorum, si sint ad longum tempus, eosdem Fratres incapaces asseris? Audio respondentem per ea, quæ *ibidem* dixerat *num.* 33. ex Bartolo: Legatum scilicet annuum non interdici Fratribus Minoribus ratione rei legatæ, sed ratione modi à testatore expressi, quòd annuatim detur; qui modus eorum Regulæ repugnat. Cui ego iterum, ad hominem: Si dari ab hærede, vel gravato rem aliquam legatam annuatim, modus est illicitus, & Fratrum Regulæ repugnans; cur capaces eosdem Fratres asseverare non dubitas annui legati ad modicum tempus, etiam civiliter debiti, acquisito, quod juris est, Ecclesiæ Romanæ; ut ait *num.* 36 Nunquid modicitas temporis efficit, quo minùs res illa legata annuatim præstetur, & redeat, & quidem (per te) ex obligatione, & certitudine civili, adeóque sub modo illicito, & Regulæ repugnante; si dari, & redire rem aliquam annuatim, modus illicitus est, Regulæque repugnans? Neque juvat, quod dicis: Legatum scilicet ad modicum tempus moraliter censeri legatum vnius eleemosynæ solvendæ eo tempore successiuè, atque adeò per hoc non tolli, sed sublevari mendicitatem. Non iuvat; quia jam ostensum est *suprà*, hujusmodi etiam legata repugnate mendicitatis statui, & puritati Regulæ Fratrum Minorum. 30

31 Et præterea, stando in terminis juris legati annui prædicti ad modicum tempus, & legati annui ad longum tempus, præsertim alimento-

rum causâ; majorem adhuc repugnantiam cum mendicitate, & dependentia à providentia Dei præsefert primum, quam secundum: primum enim, cum censeatur unum legatum ad octo, vel decem annos solvĕdum, cedit ab initio pro toto tempore futurorum annorum jus ad illud absolutè; unde etiam potest de eo testari legatarius, si moriatur ante completos annos ejusmodi solutionis, & transit ad hæredes quomocúnque venientes; atque adeò dicit provisionem absolutam, & civiliter certam ad illos octo vel decem annos: secundum verò, cum censeatur plura legata in singulos annos, cedunt singula in singulos annos ab initio anni, & quidem primo anno tantùm est absolutum legatum, reliqua autem in futuros annos sunt conditionata; ut alibi ex jure tradidimus: adeóque conditionatam tantùm, & non adeò civiliter certam provisionem in futurum importat, sicuti primum; loquendo de vtróque propriè dicto. Atqui absit, quòd dari quidpiam Fratribus ab aliquo annuatim, ut sic, & simpliciter, uti de legatis simplicibus, etiam annuis, & impropriè dictis explicatum est, sit modus illicitus: Si enim ita esset; jam omnes eleemosynæ, & quidquid annuatim datur Fratribus ab aliquibus devotis personis ex suamet charitate consuetis sic quotannis dare, citra ullam certitudinem civilem, haberet modum illicitum annexum; quod patet esse falsum. Solum igitur sibi vult *Bartolus*, quod dari annuatim Fratribus ab hærede, vel gravato ex obligatione civili, & ad modum fructuum civilium, sit modus illicitus, & repugnans professioni, & mendicitati Minorum; id quod ipsemet ultrò concedo; quin & assero *in secunda Conclusione* §. 25. non solùm quoad annua legata, sed etiam quoad ea, quæ pro unica vice relinquuntur; ut ibi probatum est. Sed ad nos, dicta sint hic hæc pauca per transennam, donec alibi Sanchez in illo dicto, ex Bartolo apertiùs arguetur deceptus.

§. XXXI.

Sequitur Objectio primò instituta.

SVMMARIVM.

1 *Hæreditatis non opulenta, sed modica, & impropriè dicta, an Minores sint capaces.*

2 *A legatis simplicibus ad hæreditatem etiam modici valoris, arguere non licet.*

Lex generaliter loquens generaliter intelligenda est. ibid.

3 *Hæreditas qualiscunque sit, opulenta vel modica semper obligat hæredes ad onera hæreditaria: secus de legatario.*

4 *Hæreditas alicui relicta cum obligatione vendendi & convertendi pretium in Minorum necessitates, an repugnet professioni Minoritica.* num. 5.

5 *Testatore instituente Animam suam hæredem sub onere convertendi pretium suæ hæreditatis in necessitates Minorum per modum eleemosynæ; an & quomodo valeat talis dispositio.*

Anima testatoris instituta, coram Iudice Ecclesiastico convenienda est. ibid.

Dispositio in fraudem hæredis dicitur si leget testator ultra dodrantem. ibid.

Ex lege 12. tabul. *olim poterat totum patrimonium per legata distribui.* ibid.

Huic legi temperamentum lex Falcidia induxit. ibid.

Lex Falcidia prohibet legare ultra dodrantem. ibid.

6 *Falcidia est quarta pars patrimonij testatoris quæ hæredi instituto debetur.*

In singulis hæredibus an & quomodo ratio legis Falcidia habenda sit. ibid.

7 *Ab hæreditate ad legatum annuum Minoribus relictum an valeat argumentum?* & num. 8. & 12.

8 *Quale legatum annuum censeatur Minoribus prohibitum, & quale concessum & licitum.*

Et sub qua obligatione successores testatoris præstare teneantur. ibid.

9 *Minoribus inutiliter institutis an possint cohæredes aut venientes ab intestato, tanquam pauperibus aliquid de hæreditate illa erogare, & quomodo?* & num. 10. & 11.

10 *Minores, sicut cæteri pauperes, per modum eleemosynæ recipere possunt aliquid ex hæreditate pro qua instituti fuerant, postquam illam respuerint, ut debent,* & n. 11.

12 *Annua legata simplicia, & impropriè dicta, Minoribus relicta, non habent annexum modum ipsis illicitum.*

13 *Annua legata impropriè dicta differunt ab annuis redditibus qui inter bona immobilia censentur.*

Minores admittentes annua legata simplicia cum moderaminibus requisitis, non sunt dicendi admittere annuos reditus. ibid.

14 *Annua legata quæ censeantur inter bona mobilia vel immobilia:* & num. 15.

15 *Iura fructifera, ut census, seu annui reditus, & similia, inter bona immobilia reputantur.*

Nomina & actiones an sint bona immobilia, vel mobilia, vel constituant tertiam speciem. ibid.

Mobilium & immobilium appellatione quæ contineantur. ibid.

16 *Mobilium*

16 *Mobilium & Immobilium appellatione etiam veniunt nomina & actiones, atque similia jura.*

Reditus quid sit? & quæ veniant appellatione Redituum. ibid.

17 *Reditus annui alij inter bona immobilia reputantur, alij inter mobilia.*

18 *Iura & actiones interdum ad bona immobilia, interdum ad mobilia referuntur.*

1 INstabit aliquis. Demus, Hæreditatem non esse opulentam, neque idcircò in fraudem paupertatis, nullámque superfluitatem, divitias nullas, nullam copiam, vel thesaurizationem in legatis simplicibus requisitam. Tùm sic. Si possunt Fratres Minores hujusmodi legata percipere tutâ conscientiâ, salvísque eorundem professione, ac statu, eo modo, quo asseritur in Conclusione posita; quidni ergò & hæreditatem, quam hic supponimus, percipere eis liceat? Aut quæ major est assignari ratio de illis, quam de ista, cur illa sint licita, ista verò nequaquam? Modicæ igitur saltem hæreditatis, si non propriè, saltem impropriè dictæ capaces sunt Fratres Minores.

2 Respondeo cum Devegna *regul.*381. *ampliat.*8.*num.*8. apud Sanchez *cit. num.*11. quòd nihil interest, sive hæreditas opulenta sit, sive modica; ubi de ejus capacitate agitur apud Fratres Minores. Neque licet arguere à legatis simplicibus ad hæreditatem, etiam suppositâ modicitate utrinque. Ratio est: quia Clemens V. *in Clem. illa Exivi:* ubi distinguit, an magni valoris, an parui res esse possit, quæ Minoribus in testamentis relinquitur, ab ipsis licitè percipi queat, loquitur de legatis, vel fideicommissis particularibus; ubi verò de successionibus, & hæreditatibus, vel fideicommissis universalibus loquitur, absolute, & sine ulla limitatione, aut distinctione diffinit: immò exprimens Fratrum incapacitatem utitur dictione illa: *Nullatenus*, quæ ut diximus *suprà*, omnem modum, omnémque limitationem, & distinctionem de medio tollere perhibetur. Quod utique dicendum est etiam de legatis, quorum incapaces Fratres Minores asseruimus *in secunda Conclusione*. Lex item generaliter lata generaliter debet intelligi, ut habetur ex Gloss. *in l.*1. §. *quod autem: v. simpliciter:* cum *alijs concordant. ff. de alea lusu, & aleator. & in l. in fraudem:* §. *ult. ff. de militari testam.* estque famigeratum, apud Doctores; & tradit Diana *p.*6 *tract.*1. *resolut.*5. §. *Ad secundum argumentum*: Nisi addantur in ipsa lege verba limitantia illam, Et ratio est; quia Lex indefinitè lata, & nihil distinguens, per se loquendo, extenditur ad omnia, quæ sub verbis ejus comprehenduntur; ut tradit Suarez *tract. de Legibus lib.*3. *cap.*13 *num.*8. Et, ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: 2. *quæst.*5. *cap. consuluisti*: apud Sanchez *tom.* 1. *de matrim. lib.*2. *disp.*22. *num.*5. maximè verò cum adest ratio non distinguendi, sicuti adest in subjecta materia. Torniola plura ad hoc, *consil. p.*1. *cons.*82. *à num.*1.

Quæ utique ratio ex eo deducitur, quod communiter asseritur à Doctoribus: quia videlicet, cum hæreditas sive opulenta, sive exilis, vel modica; & quocúnque modo dicatur, sive propriè, sive impropriè, semper obliget eum, ad quem devenerit, ad onera annexa, putà alieni æris, & ad debita solvenda, quibus obstrictus tenebatur testator, seu Defunctus; si Fratres Minores perciperent hujusmodi hæreditatem, esto modicam & impropriè dictam, tenerentur in conscientia saltem, & obligatione naturali, ad talia onera sicque fortè oporteret eos sæpè sæpiùs ratiocinijs, litibúsque implicari, nec viderentur remoti ab affectu temporalium; contra declarationem Clementis V. *in Clem. Exivi:* §. *Proinde vers. verùm:* quòd & notat *ibi* Cardinalis *in Gloss. unica fin.* Hoc autem nec evenit, nec timendum est in legatis simplicibus maximè moderatis, & de quibus nequaquam præsumi potest, quòd sint hæreditas ipsa sub palliato colore Legati: legatarius enim neutiquam tenetur ad onera testatoris. Recole dicta in superioribus ex *Iure*, & *Doctoribus:* Vide Leonardum Lessium *lib.*2. *de just. & jure cap.*20. *dub.*10. *n.*16 Filliucium *t.*2. *tract.*34. *p.*2. *cap.*7. *num.*153. & alios communiter de hac re scribentes. 3

Huic tamen rationi memineris non subesse casum, quem notavimus *suprà*, & communiter advertunt, & excipiunt Doctores, Antonius Gabriel, Corduba, Sorbus, Rodericus, & alij Regulæ Expositores, Sanchez item *cit. num.* 12. sed & Cardinalis Zabarella *in Gloss. ubi suprà*, subdens: Eo tamen casu, quo instituto aliquo universaliter præcipitur ei, quod hæreditas per eum vendatur, & pretium erogetur in Fratrum necessitates; non prohibentur capere talem erogationem: quia (inquit) cessat ratio præmissa; transibunt enim bona in ipsos, deductis oneribus alieni æris. Et ita docent etiam Filliucius *cit. p.*1. *cap.*7. *num.*160. & Castro Palao *sup. cit. num.*5. ubi advertit exceptam hujusmodi dispositionem testatoris non esse similem illi, qua Fratres Minores instituuntur quidem hæredes; sed adjectâ clausulâ; ut hæreditas ab alio vendatur, & in ipsorum utilitatem pretium cedat, Quamvis enim aliqui censeant, hujusmodi institutionem non impugnare professioni minorum, eósque posse talem æstimationem ad propriam utilitatem admittere: nihilominùs longè verius (inquit ille) est, institutionem illam repugnare conditioni eorum, neque idcircò eos posse illius hæreditatis pretium 4

tium capere: adhuc enim recipient hæreditatis pretium ex institutione, quod illis est penitùs interdictum: & quidem ex institutione hæreditaria, non legataria. Neque ex eo, quòd hæreditas per alium vendatur, fit quòd Fratres non capiant ex institutione hæreditaria, aut quòd hæreditas convertatur in legatum; ut putant alij: fit quidem hoc, quando non ipsi Fratres, sed alius Tertius instituitur hæres cum obligatione, ut præfertur; tunc enim hæreditas convertitur in legatum, & Fratres non recipiunt illius pretium ex institutione hæreditaria; sed legataria ex legatione scilicet, mandatóque testatoris, & donatione obligatoria hæredis instituti: & hoc ferè ab omnibus Doctoribus approbatur, ut testatur idem *Castro Palao cit.*

5 Sorbus tamen, Rodericus, Politius, & alij limitant: Modo quantitas, quæ hic, & nunc à Fratribus recipitur, non sit immoderata, & excessiva, sed modica; ita ut in fraudem paupertatis præsumi non possit. Videatur Lessius *citat. cap.19.dubit.5. num.54.* & Sylvester *in sum. v. Hæreditas 3.quæst.2.* & Antonius Cotonius *controv.celebr. lib.4. controv.6. cap.1. num.36.* ubi cum Villalobos, & Diana affirmat, posse institui formam aliquam testamenti, qua tota testatoris substantia convertatur in utilitatem, & sustentationem Fratrum Minorum: Forma autem hæc esse potest: *Instituo mihi hæredem animam meam, ità quòd Executores testamentarij teneantur bona relicta vendere, & pecuniam in emendo panem, vinum oleum, pisces, & alia necessaria in eleemosynam Fratribus Minoribus hujus civitatis insumere.* Vide dicta *hic suprà, §.4.* præsertim *num.6. & §.5.* præsertim *num.7.* ex sententia D. Bonaventuræ. Quod autem unicuique integrum sit condere testamentum sub forma prædicta, instituendo scilicet, seu relinquendo hæredem omnium bonorum suorum animam suam docet; Michael Ferro *in suis quæstionibus moralibus, & Vicarialibus p.1. quæst.25.num.14.* ubi docet, id fieri posse, etiam consanguineis, & collateralibus pauperibus exclusis; qui (ut ipse ait) nec poterunt justè causam querelæ formare; cum Testator sibi potiùs, quàm illis subvenire teneatur. Et *p.2. quæst.52. num.1.* & iterum *p.1. q.22.* in quos quærens, coram quo Iudice sit judicanda, & convenienda Anima Defuncti, hæres per eum relicta; resolvit, quod coram Ecclesiastico. Prædictæ igitur doctrinæ Sorbi, Roderici, Politij, & aliorum, Ego quidem subscribo, aliam tamen addens limitationem; modò scilicet talis quantitas, esto immoderata non esset, nec in fraudem paupertatis recipiatur; non sit in fraudem hæredis instituti, seu hæreditatis, ut expressè, quoad legata, cavetur, *in Clementina.* Esset autem in talem fraudem, si esset ultra Dodrantem, hoc est ultra novem uncias; ita ut quarta saltem pars hæreditatis (deducto ære alieno; etiam eo, quod hæredi ipsi à testatore debebatur, si adijt ille hæreditatem, confecto inventario; secùs autem non, cùm ejus actio in totum confundatur: neque enim bona cujusque esse intelliguntur, nisi quæ deducto ære alieno supersunt: ut benè Oinotomus *alibi cit. tit.22.§.Finali num.2.* ex *l.subsignatum: 39. ff. de verb. & rer significat.*) salva non maneret apud ipsum hæredem. Quamvis enim olim ex *lege duodecim tabularum*, testator posset totum suum patrimonium per legata distribuere, & liberam legandi, testandique haberet potestatem; ut habetur *Instit. lib.2. tit. de lege Falcidia, §. cum enim*: allatis ipsis verbis legis duodecim tabularum prædictæ ajentis: *Uti quisque legassit de re sua ita jus esto*: quod & habetur in *l. verbis legis: ff. de verbor. & rer. signif.* unde etiam voluntas testatoris Lex, & Ius dicitur, *cap. Secundum: 2. in principio, vers. disponat: Novell.22. de nupt.* At, quia propterea multi intestati decedebant, ruptis scilicet eorum testamentis, quod hæredes instituti videntes se nihil, aut parum ex testamento consecuturos, & nolentes absque emolumento subire onera aliena, repudiabant hæreditatem; ideò testatoris causâ, seu gratiâ eam legandi licentiam coarctavit Imperator Iustinianus, *ubi suprà, §. cum super hoc*: juxta *Legem Falcidiam*: introductúmque est, ut hodie ultra Dodrantem (idest novem uncias totius hæreditatis, quæ plerúmque dividitur in duodecim uncias; ut habetur *Instit. de hæredib. inst. §. Hæreditas*: & vide *ibi in textu, & Gloss.* singularum unciarum earundem nomina) legare non possit; quod si secùs fecerit, tunc illud, quod excedit dodrantem, resecatur, & detrahitur per legem Falcidiam, qua cavetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem totorum bonorum; idest, ut, sive unus hæres institutus sit, sive plures in æquis portionibus, & æquè gravatis, apud eum, eosvè pars quarta salva remaneat, quæ dicitur *Quadrans*, & tres hæreditatis uncias significat. Ita ut, si testator omnia bona sua legando erogaverit, & nihil superfluerit hæredi; poterit hæres integram Quartam defalcare; si verò minùs Quarta ei superflueret, id, quod deest Quartæ de legatis resecare poterit, sibíque à legatarijs etiam per rei vendicationem retinere, ipso jure ita disponente; ut pluribus tradit Oinotomus *super Inst. lib. 2. tit. 22. de lege Falcidia, à num. 3.* Nisi tamen adierit hæreditatem non confecto Inventario; tunc cessat ei hujus legis auxilium: & sicut tunc omnibus creditoribus ultra vires hæreditatis satisfacere tenetur; ita quóque integra legata sine detractione Falcidiæ solvere cogitur: *l.fin. §. si verò C. de jure delibe.* & tradit Oinotom. *cit. §.fin. n. ult.*

6 Et sic Falcidia dicitur communiter Quarta pars patrimonij ipsius Defuncti; quæ debetur hæredi instituto: ita ut; si sint plures hæredes instituti ad diversas, & inæquales portiones hæreditatis,& diversimodè gravati; in singulis ratio legis Falcidiæ habenda sit ad ratam cujúsque portionis, ut cuilibet Quarta suæ portionis, solutis oneribus,salva maneat. Lex autem ita providens, appellata est *Falcidia*, vel à Falcidio Tribuno,sicut Publiciana à Publicio Prætore dicta est;vel à Falce;quia ut Falx fœnum, ita hæc lex legata resecat: eum etiam Trebellianica dicatur *Falcidia*; ut alibi notavimus. Unde Angelus Aretinus dicit,quòd largè sumpto vocabulo quidquid resecat,potest dici *Falcidia*. Et ita tradit *Oinotomus cit.* quem vide, Cum tamen hujusmodi Falcidiæ, aut Trebellianicæ dispositiones non habeant locum regulariter in legatis relictis ad pias Causas;prout latiùs ostensum est *suprà*, §.10. *num.*39.qualia procul dubio sunt ea,quæ Fratribus Minoribus relinquuntur; ideò (ut ipse teor)ad præcavendas umnes gravatorum hæredum querelas, & murmurationes adversùs Fratres, aut etiam contentiones pro hujusmodi legatis, si ipsis relinquerentur, quæ ita in fraudem hæreditatis præsumi possunt, viderique hæreditas sub palliato colore, & forma *legati*, per fideicommissum relicta; ideò, inquam, Clemens V *ubi suprà*,cautum voluit,ne Fratres ea reciperent. Hócque contingere potest in hæreditate tenui, & non opulenta; ita ut legatum hujusmodi cæteroquì non esset in fraudem paupertatis; & nihilominùs adhuc est ab eo abstinendum. Sicut etiam omninò abstinendum est à receptione æstimationis hæreditatis, quantumlibet modicæ, Fratribus directæ, vel indirectæ relictæ etiam cum clausula, *ut per alium vendatur,&c.* ut ostensum est:Ne videlicet contra Fratres Minores verificetur illud, quod Cardinalis Zabarella ait *in Gloss.super Clem.Exivi:ad* §.*Proindè:in fi.* hisce verbis Et quia hæc altissima Paupertas(intelligo rigidè, ut volunt *hæc constitutio, & cap. Exyt*:) propter frigescentem charitatem non benè servatur; propterea ad evitanda pejora faveri potest opinioni illi,quæ vult quòd capiant valorem successionum: nam etiam ex conjecturis potest percipi: tandem fient possessionati, & utinam in alijs saltem benè servent:Hæc ille, quæ profectò sunt valdè à Fratribus Minoribus advertenda.

7 Nec quisquam urgeat contra Conclusionem. Esto, quòd simplex annuum legatum non afferat legatatio onera testatoris, ærisve alieni; quemadmodum ea affert hæredi hæreditas etiam modica: attamen secum affert inseparabiliter jus particulare, sicuti hæreditas universale: ergo saltem propter hanc rationem aut non erit Fratribus minùs licitum percipere hæreditatem, quam annuum legatum, aut non minùs illicitum percipere istud, quàm illam.

Respondeo enim, simplex quidem legatum annuum, non tamen quomodocúnque sed propriè dictum, hoc est civiliter acceptatum, agnitum, & acquisitum affert secum inseparabiliter jus legatatio, quod utique eidem suo tempore cedit,& (ut ita loquar) maturescit in principio cujuslibet anni,ut diximus *in superioribus*;hócque non minùs illicitum esse Fratribus prædictis, quàm sit hæreditas: non sit tamen legatum simplex annuum impropriè dictum, de quo procedit Conclusio. (Sed vide pleniorem responsionem *infrà*, *in Appendice practica, casu* 2. §.6.*segmen*.3.*num.* 34.) Sicuti enim pecunia deposita in manu substituti à principale dante, ut eam expendat pro Fratrum necessitatibus, si ipse dans vitâ cedat, & hujusmodi pecuniam non retraxerit, certè remanet in manu ejusdem substituti cum obligatione in conscientia ad illam pro Fratrum necessitatibus expendendam, juxta voluntatem, & mandatum ipsius dantis non revocatum, adeòque possunt ipsi Fratres(non obstante concedentis morte, vel hæredis contradictione) ad illum recurrere pro pecunia illa expendenda;immò & admonere eum,si fuerit negligens, de propria obligatione. Dixi: *Cum obligatione in conscientia*: cum nulla sit in foro externo, & contentioso erga Fratres, aut erga alium quempiam, putà Romanum Pontificem,vel Apostolicam sedem ex parte Fratrum specialiter se habentem; nullum quippe jus civile transivit ad Fratres, aut ad Pontificem vel Apostolicam sedem supra illam pecuniam civiliter ab ipsis non acceptatam. Ius enim, proprietas, vel dominium nunquam transfertur in non acceptantem, nec consentientem. Ita expressè declaratum habetur per Nicolaum III. *in cap.Exijt*: de pecunia legata; sed & apud Seraphicum Doctorem *in cap.6. Reg.* & apud alios Regulæ Expositores communiter. Ita & de valore hæreditatis culpiam Tertio hæredi relictæ, ut vendatur, & pretium in Fratrum necessitates expendatur; sicut etiam de valore cujuslibet alterius rei legatæ, (modo illicitè in ea leganda non expresso) cujus usus in propria specie non est ijsdem Fratribus licitus.Et nihilominùs ista omnia,sic conversa in res utibiles, & necessarias,possunt licitè à Fratribus percipi, immò & peti,humiliter tamen, & citra ullam juris prætensionem; manente semper dominio,& proprietate hujusmodi pecuniarum in bonis Testatoris,aut primi concedentis,vel dantis, si decesserit; non autem cedentibus in bonis Hæredis,aut substituti,(nisi ad summum quoad dominium utile) donec

in

in Fratrum necessitates fuerint conversæ, ut expresè diffinit Nicolaus III. *in d. cap. Exijt*: §. *Ceterùm*: & §. *Ad hæc*: Cur igitur quis asserat, simplex legatum aontuum impropriè dictum afferre secum inseparabiliter jus legatario, ubi ab ipso legatum illud civiliter non acceptatur, & propterea impropriè tantùm dicitur legatarius? Meminerit, quæso, quisquis ille est, cui ità videatur, quòd suaptè quidem naturâ legatum formaliter sumptum fuodare habet jus, actionémque politicam, non solùm io rem legatam, (quæ est legatum materialiter sumptum) si est res determinata, & designata; sed etiam in personam hæredis, vel executoris; immò & hypothecariam in bona universa Testatoris, quæ supersunt non alienata, vel vendita; oon tamen transfertur, fundatúrve bujusmodi jus aut actio in legatario, saltem verè, & irrevocabiliter, sine ejusdem civili acceptatione, & consensu, qui est conditio, sine qua non; ut alibi latiùs monstratum est. Potest igitur hujusmodi legatum, sicuti, & pecunia de manu substituti post mortem dantis, immò & pecunia legata, & valor hæreditatis, vel alteriùs cujuscúnque rei legatæ, & (ut præfertur) divenditæ; potest inquam, immò & debet ex obligatione conscientiæ ad Fratrum utilitatem specialiter, signantérque ab hærede, vel quocúnque alio gravato solui, atque à Fratribus licitè percipi tale subsidium: eodem enim modo se habet, eadémque prorsus utrínque est ratio. Ubi autem eadem ratio, eadem est & legis dispositio; ut *suprà* in probatione primæ Conclusionis.

9 Si autem quis dicat: Esto, ut asseris, quòd executor testamentarius, cohæresvè, aut veniens ab intestato in hæreditate, ad quam fuerint instituti Fratres Minores hæredes, sive directè, sive indirectè per fideicommissum, ijsdem omninò respuentibus eam, vel ejus pretium ex institutione recipere, teneantur adhuc in foro conscientiæ eandem, vel ejusdem æstimationem alijs pauperibus, pijsvè Causis erogare, cùm ad ipsos neutiquam ea devoluatur, ita ut tutâ conscientiâ eam sibi retinere possint. Demus ergò hypothesim, quòd velint hi suæ satis conscientiæ facere, atque hujusmodi erogationem pauperibus v.g. civitatis, vel loci distribuere incipiant: tùm quæro, vel possunt Fratres Minores, tanquam pauperes, sicut & cæteri, aliquid de illa erogatione accipere, si exhibeatur, & egeant, vel non?

10 Respondeo. Possunt: quinimmò ampliùs quid asseverare non dubito; quod scilicet etiam possint accedere ad petendum humiliter, & amore Dei, aliquam ejus portionem, secundùm necessitatis præsentis, vel imminentis exigentiam. Cùm enim jam Fratres ipsi hæreditatem illam, vel ejus æstimationem ex institutiooe sibi delatam omninò respuerint, & protestati fuerint, executori, vel hæredibus prædictis, non teneri eos in foro conscientiæ ad illam sibi specialiter erogandam; compertum est, quòd, si quidquam ex illa postmodùm ijsdem Fratribus, tanquam, & cæteris pauperibus, largiaotur, bujusmodi largitio, prout in ipsis Fratribus terminatur, & etiam prout ab illis procedit, libera omniaò est, gratuita, & voluotaria, ex libera videlicet ipsorum erogantium electione procedens, neque ex errore, quo se in conscientia obligatos putent ad illam erogationem Fratribus specialiter impertiendam. Sicque Fratres eam accipiunt citra omoem omninò obligationem erogantium erga ipsos, liberamque insuper ab oneribus alieni æris, vel hujusmodi. Hócque nemo inficiatur. Quod non esset dicere, si Fratres non respuissent, nec protestati fuissent, ut præfertur: tunc enim erogantes illi soluerent Fratribus ex errore, putantes se teneri in conscientia ad illam Fratribus specialiter solvendam; sicque non possent eam Fratres licitè accipere; ut benè advertunt *Sorbus*, & *Rodericus*, quos allegat & sequitur *Sanchez* alibi relatus, minùs tamen beoè distinguens, & adhibens hanc doctrinam. Sed de protestatione prædicta ex instituto agemus *Articulo secundo*.

Ex quibus colligitur, quomodo Fratres Minores etiam de erogatis hæreditatibus, atque legatis, quorum ex institutione speciali de ipsis facta à testatore nullatenùs sunt capaces, capere possint: postquam scilicet respuerint ex vi, & obligatione talis institutionis ullatenùs recipere, & protestati fuerint, ut dictum est, & dicetur *Articulo sequente*. Tunc enim capiunt, non tanquam ex hæreditate, vel legato impropriè dictis, sibique ex obligatione conscientiæ ex testatoris ordinatione specialiter debitis; quemadmodum dictum est, quod capiunt, & capere possunt de legatis licitis: sed tanquam ex bonis testatoris pauperibus in genere, pijsvè causis pro bono animæ ipsius, & propter Deum erogandis; ut ostensum est *suprà*. 11

Constat etiam, quod post Sanchez *suprà* relatum, notavit etiam Politius noster *in cap. 6. Reg. num. 30. & 51.* longè scilicet diversum esse loqui de fideicommisso particulari, quod est legatum; & de fideicommisso universali, quod est hæreditas. Unde nec valet arguere à simplici legato ad hæreditatem objiciendo, quòd quidquid dicitur de legatis, dici possit etiam de hæreditate: atque adeò si Fratres Minores capaces asseruntur simplicis annui legati, etiam perpetui, impropriè dicti, asseri etiam possint capaces hæreditatis, saltem non excessive, impropriè dictæ. Ratio est quia annua legata simplicia, etiam perpetua, non habent annexum 12

modum

modum Fratribus illicitum; atque adeò impropriè dicta, ut procedit prima Conclusio, possunt à Fratribus admitti, secundùm moderamina requisita. Quæ verò modum prædictum annexum habent, quæ nimirum important usumfructum legatum, respuenda sunt, ut dictum est etiam de hæreditate quacúnque, ad quam fuerint Fratres Instituti, vel substituti hæredes. Sicque patet, quòd de hæreditate dicendum est id, quod dictum est de legatis cum expressione modi illiciti, de quibus procedit secunda Conclusio.

13 Neque Fratres Minores admittentes cum moderaminibus requisitis annua legata simplicia, impropriè dicta, eáque annuatim capientes; prout licitè fieri ab ipsis posse, sarta tecta ipsorum mendicitate, asseruimus, dici possunt admittere usum saltem simplicem facti annuorum redituum, qui inter immobilia censeantur: ut falsò putant adversarij, illi suo innixo unico Achilli ex *Clementina Exivi*: §. *Proindè: verf. Cúmque annui reditus*: Iam enim ex sæpius in superioribus traditis Doctorum interpretationibus germanissimis patet, quam vim habeat Achilles ille; qui tamen ut adhuc omnibus viribus destitutus ostendatur, quoad nostram primam Conclusionem oppugnandam, per doctrinam, quam ad firmamentum alibi dictorum statim refrico, enervatur.

14 Valdè igitur advertendum est, quòd annua legata quæcunque illa sint, materialiter sumpta, in se quidem res mobiles sunt annuatim legatario provenientes, v.g. vinum, oleum frumentum, vel etiam certæ pecuniæ summa, neque hæc (idem dic de jure ad illa) à *legibus* inter Immobilia recensentur; nisi fuerint civiliter debita ex re immobili pro ipsis designata, certa, constituta, & specialiter obligata, cui videlicet ea sint fixa, cujusmodi sunt legata annua per modum ususfructus annui relicta: Unde annua legata simplicia, quæ quidem debentur ex civili actione, ea tamen solùm personali non autem in rem, aut hypothecaria, non computantur inter Immobilia computata, (idem dic de ipsa actione, & jure) cùm propriè non debeantur ex re immobili, vel inter immobilia per testatorem pro ipsis designata, constituta, & specialiter obligata; tametsi legatarius habeat ad illa percipienda actionem prædictam contra hæredem, vel gravatum. Primi igitur generis legata annuatim provenientia sunt verè annui reditus materialiter sumpti, de quibus procedit textus *Clement. cumque annui*: ideóque etiam impropriè dicta, & citra omne jus percepta, repugnant statui, & conditioni Fratrum minorum; quia important usum, saltem de facto simplici, illius rei immobilis, pro ipsis constitutæ, signatæ, & obligatæ; non solùm autem; sed & usum simplicem, facti fuimet ipsorum, quæ ob rationem prædictam, quia scilicet debentur suapte natura ex re immobili vel inter Immobilia computata, in qua sunt certa, & constituta sunt & ipsa radicaliter saltem annui reditus qui inter Immobilia computentur. Quæ verò secundi generis sunt propriè quidem dicta, & ex civili obligatione percepta repugnant mendicitati Fratrum, & non quia important usum rei immobilis, aut juris, quod inter Immobilia censeatur; sed quia important obligationem, adeóque certitudinem civilem, cum sint civiliter debita: quod manifestè est contra rationem heroicæ; quam Fratres ipsi Minores profitentur, Paupertatis. Quare si ab ijsdem Fratribus percipiantur impropriè dicta, hoc est citra omne jus civile ad illa ex parte ipsorum existens (quod est dicere per modum eleemosynæ à Testatore ordinatæ, & præceptæ) exquè sola obligatione conscientiæ hæredis, vel gravati, nec usum de facto rei immobilis, vel inter Immobilia computatæ, nec certitudinem civilem in futurum, sive politicam suitatem, nec quicquam aliud important, quod Minoricæ mendicitati statuíque repugnet; modò à Fratribus percipiantur cum moderaminibus requisitis. Hæc benè calluit, docuitque Politius *in c.6. Reg. n.42. & seq.*

Liquido autem patet doctrina hæc ex fundamentis præjactis. Sed adhuc ex abundanti 15
per illud comprobatur, quod communiter tradunt Doctores. Hi enim assignantes, quænam sint Bona mobilia; & quænam immobilia, aut inter immobilia computata; non dicunt absolutè, quòd reditus annui materialiter sumpti, proventus, & fructus (ita & res legatæ annuatim provenientes, & perceptæ sint Immobilia, aut inter Immobilia computentur: sed, quòd jura ad reditus annuos, proventus, & fructus (ita & ad res legatas annuatim percipiendas; & alia hujusmodi jura, ususfructus, Beneficia &c. inter Immobilia computantur. Undè benè Ioan. Bapt. de Lezana *tom. 2. sum. cap. 19. num. 3.* Per stabilia (inquit) bona non solùm intelliguntur ea, quæ fixam habent radicem; ut sunt fundi, prædia, domus, sed etiam jura fructifera ut sunt census, quibus annui reditus correspondent; servitutes, & similia bona, quæ incorporalia dicuntur. Hæc ille: allegátque Abbatem *in cap. nulli: de rebus Ecclef. non alien. num. 9. & 10.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 17. num. 16. & 17. & de defens. Fidei, lib. 4. cap. 18. num. 1.* Vide etiam Leonardum Lessium *de just. & jure lib. 2. cap. 6. dubit. 8. num. 25. & seq.* Ioan. Cardin. de Lugo *tom. 1. de just. & jure disp. 6. sect. 6. num. 66.* & alios præcipuè Azorium *p. 2. Instit. moral. lib. 9. cap. 1. §. sextò quæritur*: ex Panormitano sic differentem, optiméque distinguentem. Sextò quæritur, An Iura, Actiones, & Nomina debitorum

torum Immobilia bona censeantur? Ait Panormitanus *in cap. nulli: de rebus Eccl. non alien.* propriè nec esse Mobilia, nec Immobilia bona: quia talium bonorum appellatio locum, tantùm haber in his, quæ loco continentur: nam mobile dicitur, quod potest loco moveri; & immobile, quod, corpus cùm sit certo loco contentum, inde moveri non potest: *l. moventium: ff. de verb. & rerum significat.* Actiones verò, & Jura, cũ sint incorporalia, loco minimè continentur: (nec enim cæteras res augent, nec minuunt, ut ait Gloss. *in l. Gajus: ff. de legatis* 2. *l. si fideicommissum: §. tractatum: C. de Iudic. & l. fin. C. de longi temp. præscript.* cum simil. ut Lapus declarat *alleg.* 91. Romanus *cons.* 509. 4. *dub.* Brun. *quæst.* 26. *ad fin.* Modern. *in Apostill. ad Ias. in l. stipulatio hoc modo concepta; ad fin.* & Bertrand. *cons.* 14. *col.* 3. *Ponitur in facto: lib.* 1. apud Torniolam *p.* 1. *consilior. cons.* 5. *num.* 20.) Unde Juris consultus (sequitur Azorius) Actiones, & Nomina debitorum tanquam tertiam speciem ponit: *in l. à Divo Pio: §. in venditione: ff. de sentent. & re judic.* (quod & tradit Torniola *cit. num.* 19. *ex d. l. à Divo Pio: & ex l. quam Tuberonis: §. penult. ff. de peculio*; & testatur de communi) Quare in Testamentis (concludit Azorius) appellatione bonorum mobilium, vel immobilium, nomina debitorum non veniunt; eò quòd in testamentis verba sint propriè accipienda: *l. qui hæredi: ff. de condit. & demonst.* Et propterea consilium dedit Oldradus; & se quóque dedisse, *Panormitanus* testatur, in testamento quo quidam Princeps bona sua mobilia in pios usus distribuenda reliquerat, eorum bonorum vocabulo non contineri pœnas, Principi quidem debitas, sed nondum exactas, & solutas.

16 Aliquando tamen necesse est, (subjungit *ibidem* statim ex eodem Panormitano *Azorius* ipse) ut Actiones, Jura, &c. ad bona mobilia, & immobilia revocentur; quia ultima voluntas Testatoris voluit comprehendere totum Patrimonium, licèt fecerit mentionem duntaxat de mobilibus, & immobilibus bonis. Tunc enim locum habet opinio *Glossæ*, Actiones, & Iura ad res mobiles inter Mobilia bona haberi; actiones verò, & jura ad res immobiles inter Immobilia. Eadem ratio est de servitutibus, & quocunque alio jure corporali, qualis est annuus Census perpetuus. Unde in *Clementina Exivi: de verbor. signif. §. Cùmque annui*: habetur: *Census, & reditus annui inter bona immobilia computantur.* Hæc *Azorius*, qui ejusdem *Clementinæ* textu utitur *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 13. *§. Decimò quæritur*: ubi quærit, An Ordines Mendicantium tutâ conscientiâ annuos reditus possideant, quod est dicere, An sint capaces annuorum redituum, propriè dictorum. Non solus autem Azorius; sed & Barbosa *de Appellat. verb. juris signif. Appellativo* 131. *num.* 2. expressè, & breviter idipsum docet, dicens, quòd nomine *Redituum* continentur omnes proventus, & regulariter Reditus dicuntur; qui ex rebus immobilibus percipiuntur: Immobilia autem sunt prædia, domus, & jura, putà Beneficij, Legati, Census, seu annui reditus. Ita Barbosa.

Atqui exquisitè Oinotomus *super Instit. lib.* 3. *tit.* 1. *de successione inter virum & uxorem, à num.* 33. ad propositum ita edisserit, de reditibus etiam materialiter sumptis: Porrò circa hanc conclusionem notandum, quòd annui reditus, qui debentur uxori ex ejus fundis, vel prædiis, censentur inter Immobilia; ut est textus *in Clement. Exivi, §. Cumque annui reditus: de verbor. signif.* & Gloss. in *l. jubemus* 14. *super verbo, Annonas, C. de sacrosanct. Eccles.* Idem de Iure Saxonico, per textum *in d. art.* 76. *in fin. lib.* 3. Item annui census, cum jure redimendi in bonis immobilibus constituti, Immmobilibus æquiparantur, per textum *in d. §. Cumque annui*, & de jure Saxonico ita pronunciatur, ut est sententia post *Landrecht.* Ideò maritus in his uxori non succedit, nisi uxor moriatur post terminum, qui ad solvendum hujusmodi annuos reditus, & debitum hæreditarium erat constitutus: tunc enim maritus istos reditus, & debitum hæreditarium lucratur, per text. *in d. art.* 76. *in fin.* per quem pronunciatur, quòd debita hæreditaria, & annui census soluti pertineant ad maritum, debita verò, reditúsque solvendi spectent ad defunctæ uxoris hæredes, &c. ut est additio *ad d. art.* 76. Secùs, si uxor mutuasset alteri pecuniam pro annua pensione, seu usuris: tunc enim maritus post mortem uxoris consequitur hujusmodi pecuniam mutuatam, & reputatur inter bona mobilia. Habuit enim uxor in ista tantùm actionem personalem contra debitorem, pro re mobili, pecunia scilicèt mutuata. Igitur ratio, quæ datur pro rebus mobilibus, computatur inter mobilia; ut traditur per Alexandrum *in l. à Divo Pio X V. §. in venditione, ff. de re judic.* & Alciatum *in l. moventium*: 93. *ff. de verb. signif.* Jasonem & alios *in l. secundum*, 15. *ff. qui satisd. cogantur*: ubi dicunt, annuos reditus tunc demum excusare aliquem à satisdatione, tanquam possidentem immobilia, quando debentur ex re immobili pro istis obligata; secùs si debentur ex obligatione personali, quia tunc pro mobilibus habentur. Hactenùs *Oinotomus*. 17

Quin & Torniola *citat. num.* 19. distinctionem adhibet ad illud, quod dicitur, Actiones, & jura ad res immobiles inter Immobilia computari: ait enim id verùm esse, quando dantur ad certam speciem; secus quando dantur ad quantitatem in genere: quia tunc Glossæ prællegatæ limitantur, & tunc Iura non continentur 18

appella

appellatione mobilium, aut immobilium, sed sunt tertia species ab illis penitus distincta, & separata. Et ex his roborantur tum distinctio nostra fundamentalis pro conclusionibus positis; tùm ex consequenti conclusiones ipsæ; itemque diluuntur objecta, quæ hujusmodi doctrinam non advertentes congerunt *Sanchez cit.* & alij.

§. XXXII.

Solvuntur reliquæ objectiones contra primam Conclusionem.

1 *Paupertas Minorica in quo consistat* & n.2.
2 *Paupertas Minorica est incapax legati annui constituti super re immobili ad id specialiter & civiliter obligata.*
3 *Paupertas Minorica non est incapax annui legati etiam perpetui impropriè dicti, cum moderaminibus requisitis, dummodo in fraudem hæreditatis, vel paupertatis, non sit relictum.*
4 *Quid sit, nihil proprium & fixum habere tam in communi quàm particulari, declaratur.* & num.12.
5 *Minoribus an liceat recipere legatum annuum? ad declarationem* Serenæ Conscientiæ, quæst.19.
6 Recipere *quid sit in sensu proprio Iuristarum, vel Grammaticorum.*
7 *Legatum Minoribus relictum vitiari potest ex modo & forma legandi, si impletio legati sit scripta tanquam conditio sine qua hæreditas non conferretur hæredi.*
Sed seclusa tali conditione importante necessitatem præstandi & obligationem civilem, sustinetur legatum. num.8.
10 *Legatum Minoribus relictum an licitum sit eis recipere, vel illicitum, pendet ex variis relinquendi modis, benè observandis.*
11 *Multa putantur mala, quæ si rectè & sano modo intelligantur, & fiant, non sunt mala nec illicita, juxta S.Bonaventuram* & num.12.
12 *Regula Minorum,* ne quidquam sibi approprient, & tanquam peregrini *&c. exponitur,* & suprà, num.4.
13 *Bassæus & Pellizarius, dum dicunt, sententiam DD. quæ vult ut legatum annuum impropriè dictum non repugnet paupertati Minoricæ, esse probabilem & speculativè sustineri posse explicantur.* & numer. seqq.
14 *Opiniones quædam dicuntur speculativè probabiles, quædam practicè: quod variis exemplis declaratur.* ibid.
15 *Opinio an possit aliqua dari speculativè probabilis, quæ non sit etiam practicè talis.*
16 *Opinio probabilis practicè, quæ dicatur.*
17 *Opiniones multæ sunt speculativè probabiles, quæ tamen sunt practicè improbabiles.*
18 *Opiniones speculativè simul & practicè probabiles quæ sint.*
19 *Opinio de exemptione jejunij ratione ætatis an sit speculativè probabilis, & non practicè.*
20 *Opinio quæ vult, legatum Minoribus relictum sub modo licito, posse ab eisdem recipi cum moderaminibus requisitis, est speculativè & practicè probabilis, juxta mentem Authoris* & num.21. cum al. seqq.
21 *Author sententiam suam probat authoritatibus tam veterum quam recentiorum Doctorum.*
Et ex constitutionibus Pontificum, ac declarationibus Capitulorum Generalium Ordinis. num.22.
23 *Opinio communis quæ dicatur.* & n.24. cum aliis seqq.
24 *Opinio singularis quæ sit.*
25 *Opinioni singulari & novæ juri consonæ, & validis rationibus suffultæ, multùm deferendum est.*
26 *Opinio singularis & nova, quando nititur melioribus rationibus, anteponenda communi.* & num.27.
27 *Rationi parendum potiùs quàm authoritati, seu opinioni etiam plurium Doctorum.* & num.29.
Quid sentiendum de expositoribus scripturarum Canonicarum, juxta D. Augustinum. num.28.
29 *Opinio Doctorum non attenditur, quando contraria favet piæ causæ.*
30 *Opinio communis interdum pecudum more antecedentium gregem sine delectu sequitur.*
Addere scientiam est addere laborem: quid significet. ibid.
Opinio nova quando amplectenda, rejecta veteri etiam communi. & n.31.
31 *Opiniones sæpiùs novas sequuntur Theologi, & Iurisconsulti.*
Opiniones, quæ nunc pro antiquis & communibus habentur, fuerunt aliquando novæ, & singulares. ibid.
Theologia Moralis identidem mutatur. ibid.
Veteres non præcluserunt viam scientiarum posteris. ibid.
Opinio communis juribus & rationibus fulta regulariter amplectenda. ibid.
32 *Opinioni recentiorum Theologorum Moralium potiùs standum quàm antiquorum, cæteris paribus.*
33 *Defloratio puellæ liberè consentientis, an sit stuprum,*

S 2

ſtuprum, vel ſimplex fornicatio, in foro pœnitentiali.

34 *Ebrietas quale peccatum, juxta veterum, vel recentiorum Theologorum ſententiam. Opiniones plurimæ novæ prævaluerunt, exploſis veteribus: quod variis exemplis probatur.* ibid.

1 OBijcies ſecundò. Quatuor Magiſtri, quos ſequitur Hugo de Dina, cum Bartholomæo de Piſis *in expoſitione cap.6. Reg.* ajunt: Quæritur, quid ſit iſta Paupertas, ad quam tenentur Fratres Minores: An ſcilicet prohibeatur eis, ne poſſint aliquid fixum ad ſuſtentationem habere; ſicut aliquæ perſonæ voluerunt ordinare reditum perpetuum, quo in aliquo loco ſuſtentarentur Fratres, ita quòd aliqua proprietas apud eos non reſideret? Cui dubitationi reſpondentes Magiſtri illi, primò ponunt duplicem Paupertatem; deinde concludunt, quòd paupertas Fratrum Minorum attenditur in duobus: quorum unum eſt, ut non recipiant aliquid fixum, ſicut reditum: ergo videtur de mente iſtorum Expoſitorum, eſſe Fratribus ipſis illicita annua legata, etiam impropriè dicta; cùm ſint annui quidam reditus. In caſu enim, quem illi ponunt, admittunt, quòd aliqua proprietas apud eoſdem Fratres non reſideat; quod ſatis inſinuat annuos reditus impropriè dictos.

2 Reſpondeo, audiendos eſſe quatuor Magiſtros, Hugonem, Piſanum, & quotquot ex Regulæ Expoſitoribus, alijſvè Doctoribus ijs adhæreſcunt in hac vera, eáque germaniſſimâ ſententiâ. Operæ tamen unicum pretium eſſe, ipſorum mentem percipere, & genuinum reſponſorum ſenſum tenere; cùm præſertim, nec ambiguè, nec ſubobſcurè loquantur. Ecce enim, quòd quærentes dicunt: An prohibeatur Fratribus Minoribus ex vi ſuæ ipſorum Paupertatis, ne poſſint aliquid fixum, ad ſuſtentationem habere? Preme igitur verbum. Quid eſt, quæſo, ly *Fixum, nulla etiam proprietate, vel jure apud Fratres, vel ex parte eorum reſidente?* Certè nil aliud eſt, quàm Legatum, Donatio, aut Conceſſio uſuſfructus de facto alicujus fundi, vel annui cenſus, reditúſvè conſtituti, & fundati, ſuper re videlicet immobili, vel inter Immobilia computata, ad id ſpecialiter obligata; cujus utique legati, etiam impropriè dicti, hoc eſt de facto ſimplici, & citra omnem proprietatem, citra jus omne, incapaces Fratres Minores aſſeruimus etiam nos ipſi in *ſecunda parte ſecundæ Concluſionis, ſuprà §.15.* Sanè autem quis Minoricæ profeſſionis conſcius audeat inficias ire, legatum hujuſmodi, ſi Minoribus relinquatur, eſſe illis omninò illicitum ita ut reſpuere expreſsè teneantur, & proteſtari, ut dictum eſt ſuprà?

Hoc igitur ſenſu intelligendi etiam ſunt Bartolus, Baldus, Abbas, Ancharanus, Imola, Roſella, Armilla, Navarrus, Queſada, Sorbus, Corduba, & Surdus, cum alijs determinationibus Capitulorum Generalium Ordinis, quibus Sanchez ſuam fruſtra conatur fulcire ſententiam *cap.26. cit. num.49.* Vel, ſi de annuis legatis ſimplicibus, non autem uſuſfructus, loquuntur, intelligendi ſunt de ijs propriè dictis. Unde nihil ex his concluditur contra noſtra aſſerta: ſiquidem illud tantùm nos aſſeruimus, quòd Fratres Minores poſſunt licitè accipere de annuis legatis ſimplicibus, etiam perpetuis, impropriè tamen dictis, cum moderaminibus requiſitis, & dummodò præſumi non poſſint relicta in fraudem hæreditatis, vel paupertatis. Quæ autem fraus ſive hæreditatis, ſive paupertatis præſumi poſſit in ſimplici legato præſtandi verbi gratiâ quotannis Fratribus certam panis, vini, olei, ceræ, carnis, aut piſcium quantitatem moderatam; vel etiam menſtruatim, vel hebdomadatim; quod commiſſum ſit hæredi plurium prædiorum, aut ſtabilium, aliorumvè bonorum? Certè id fixum non eſt, neque de ſua natura debetur ex re aliqua immobili, vel inter immobilia computata ad id ſpecialiter obligata; ſed tantùm ex obligatione conſcientiæ hæredis, & ex juſtitia erga teſtatorem: neque Fratres poſſunt quantitatem illam rei legatæ aliter petere, aut recipere, quàm humiliter, amore Dei, & per modum eleemoſynæ, ex præcepto teſtatoris ab hærede præſtandæ; ut patet ex alibi dictis. Nullatenùs ergo oppugnatur concluſio noſtra per dicta Doctorum allegatorum: quinimmò confirmantur ad amuſſim ea quæ *in ſecunda Concluſione* aſſeruimus. 3

Atqui audiantur, amabo, Patres Ordinis, & quid *ibidem* dicant, iterum expendatur. *Fratres* (inquiunt) *nihil ſibi approprient, &c.* Hic præcipitur, nihil habere juris nec in ſpeciali, nec in communi; (ecce excluſa legata ſimplicia quæcunque, propriè dicta, ſcilicet de jure debita) & per hoc, jus multorum privilegiorum excluditur: (putà jus exigendi hujuſmodi legata per Syndicos nomine Eccleſiæ, vel Papæ:) *& tanquam peregrini, &c.* Hic præcipitur, ſecundùm Magiſtros ſecundùm S. Bonaventuram, & Fratrem Joannem de Piſciam, nihil habere fixum; ut reditus. Hæc illi. Reditus autem dicuntur fixi, quia debentur (ſive ex civili obligatione, ſive ex naturali duntaxat, & conſcientiæ) ex re immobili, vel inter Immobilia computata, ad ipſos ſpecialiter obligata; unde & ipſi materialiter ſumpti, licèt ſint in ſe res mobiles, radicaliter ſunt immobiles, & inter Immobilia recenſentur à jure; ut dictum eſt *ſuprà*. Quid igitur, quæſo, juris, quid fixi habent Fratres Minores accipientes annuum legatum 4

gatum simplex impropriè dictum secundùm moderamina requisita, prout procedit nostra prima Conclusio? Cedit ergo objectio: quæ præterea nullius etiam roboris apparebit per Doctrinam S. Bonaventuræ. *Art. seq. §.3. n.19.20.21. & 22.* afferendam.

5 Objicies tertiò: Serena Conscientia *q.19.* quærens, An Fratribus Minoribus liceat recipere annuum legatum eis relictum? Respondet cum Petro de Ancharano, quòd omninò repugnat Regulæ, & conditioni Fratrum. Qui Ancharanus dicit, sic renuisse Dominum suum Baldum. Ergo, &c.

6 Respondeo, sensum Serenæ Conscientiæ, sicut & Ancharani, & Baldi, esse de receptione propriè dicta, sumpto videlicet verbo, *Recipere*, in sensu proprio Juristarum: non autem de receptione impropriè dicta, seu naturali, sumpto scilicet verbo, *Recipere*, in sensu simplici Grammaticali; loquendo de simplici annuo legato. Quam distinctionem optimè calluisse se ostendit Seraphicus Doctor *in cap.6. Reg.* docens, quomodo Fratres non recipiant pecuniam, quando à dante illam, deponitur in manibus alicujus substituti; esto, quòd ipse intendat se se illâ expropriare. Verè autem in sensu tantùm exposito, & concesso habet robur, quæ ibi à Serena ipsa Conscientia adducitur, ratio ex Bartolo, *citata Clement. Exivi: eo vers. Cùmque annui reditus:* Vel, si ejus sensum velimus etiam esse de receptione impropriè dicta, naturali, & de facto simplici, loquatur necesse est de annuo legato non simplici, sed importante usumfructum, adeóque fixo, ut supra explicatum est in responsione præcedente. Sicque de manum; nihil enim contra me sibi vult Serena Conscientia, aut Ancharanus, aut Baldus, aut Bartolus: ex quo tamen *in tractat. Minoric. quæstionum libro secundò distinction. 6. capit.* 4. unam placet ad rem nostram notare doctrinam, tametsi singularem, & quam ipsemet controversiam relinquit. Et hanc notat etiam Serena Conscientia *ubi suprà*, ex eodem.

7 Docet igitur Bartolus *ibi*, posse vitiari etiam simplex annuum legatum, cæteroqui licitum, ex modo, & forma legandi; si videlicet implerio legati sit scripta, taoquam conditio, sine qua hæreditas non censetur conferri hæredi. Cæterùm (inquit ille) si indirectè (hoc est sub forma fideicommissi) Fratribus relinquatur; putà: *Aliquem hæredem institutio, sub conditione, quòd aliquid annuum Fratribus, aut Conventui reddat:* certè hoc nullo modo licet Fratribus recipere; pro eo quòd in fraudem dicitur; (scilicet hæredis) ut *l. quod conditionis: ff. de mot. causa donat. & l. Mævius: ff. de condition. & demonstrat.* Ita Bartolus *loco citato.* Ubi tamen statim addit. Sed contra prædicta videtur *ff. de jure fisci, l. ita fidei hæredis:* Unde adhuc controversa res est. At, quidquid sit; esto etiam, (neque enim mihi displicet *Bartoli* doctrina) teneantur Fratres hujusmodi legatum, quamvis simpliciter per fideicommissum relictum, respuere prout ex tali institutione præstitum; ut nimirum sic omninò, quoad ipsos corruat institutio ipsa, possitque hæres, ea conditione cassâ, tutâ conscientiâ retinere sibi hæreditatem; cum onere tamen in conscientia solvendi alijs pauperibus, alijsvè pijs Causis illud annuum à testatore ordinatum; ut dictum est de alijs legatis cum modo illicito Fratribus relictis, & de hæreditate.

Hinc nihilominùs colligo confirmationem traditæ responsionis. Ex eo enim, quod *Bartolus* dicit: *Certè hoc nullo modo licet Fratribus accipere, &c.* Clarè deducendum est, quòd si annuo legato simplici aliquid Fratribus, sive directè, sub forma legati, sive indirectè, sub forma fideicommissi relinquatur, cui non sit adjecta conditio prædicta; possint illud licitè ijdem Fratres aliquo modo recipere, impropriè scilicet dicto legato, & per modum eleemosynæ; quemadmodum & de pecunia sive à defuncto relicta, sive à vivente oblata; ut *suprà* docet S. Bonaventura, & Frater Hugo *super cap.6. Regulæ.* Jam enim hæres, adita absolutè, & acquisita hæreditate, in conscientia tantùm tenetur ad annuam eleemosynam ex mandato Testatoris Fratribus præstandam: & sic nihil adest in fraudem aut hæredis ipsius, quo posito, vel deficiente cadere possit ab hæreditate; aut paupertatis, vel conditionis, & status Fratrum Minorum. 8

Ex his igitur vides, quam genuinis responsionibus ex fundamentis nostris omnes omninò objectiones facilè resolvi possint; quarum pleràsque resolutas habes *infrà, in fine secundi Casus, §.6. per totum.* 9

Vides etiam, quanta animadversione opus sit in ferenda sententia pro diversitate casuum, qui in hac materia occurrere possunt. Apprimè namque observare oportet formam, & modum à testatore in legando servatum, an scilicet importet annuum usumfructum legatum, an verò simplex annuum legatum: &, si sit simplex legatum, an sit cum conditione illa, vel simili, in fraudem hæredis; quam mox ex *Bartolo* observavimus. Legatæ quoque rei qualitas, & quantitas pendenda est, congruatvè Minorum paupertati, ac statui, an non. Quare, non esse in hac quæstione ferendam sententiam universalem, & absolutè unam pro omnibus legatis; sed necessariò cum distinctione, & observationibus, cautelisque positis procedendum esse, compertum est. 10

11 Atque ideò huc spectare potest illud D.Bonaventuræ in determinationibus quæstionum circa Regulam S.P.Francisci, *quæst.*25. ubi quorundam objectioni respondens judicantium, quòd Fratres Minores transgrediantur Regulam, cùm pecunias procurant, aut à dantium substitutis pro occurrentibus necessitatibus expendi faciunt; sic ait: Multa putantur mala, quandiù non intelliguntur; quæ intellecta rationabilia, & justa videntur. Sic & in ista quæstione apparet. Regula prohibet, nec per nos, nec per interpositam personam nos recipere pecuniam, ut nostra sit, & nos domini, & possessores pecuniæ simus, quasi rei propriæ: sed concedit, ut per amicos spirituales, qui pro Deo nos spiritualiter diligunt, idest castè, & justè, necessaria procuremus, quæ tali modo utrâque congruè observantur; quòd ea, quæ sine pecunia non possunt procurari, aut per ipsos procurentur, qui Fratribus dant eleemosynam, aut per eorum nuncios &c. aut, si aliqui volunt dare Fratribus eleemosynam pecuniæ, possunt committere alicui, qui nomine suo eam servet, pro utilitate tamen Fratrum; ut vice illorum, qui sibi commiserunt pecuniam, procuret inde Fratribus, secundùm quòd voluerit, vel secundùm quòd à Fratribus instruitur, per se, vel per alios, qui aptiùs ea promovent, quæ sibi fuerant commissa. Et per omnes istos non recipiunt Fratres pecuniam, &c. Et post pauca: secundùm hanc viam, & cautelam, Fratres & per amicos speciales, & quoslibet procuratores, & mediatores procurant necessaria, nec tamen recipiunt pecuniam per illos procuratores, sed illi servant illam nomine dantium, & vice ipsorum vertunt eam in utilitatem Fratrum, ut dominium pecuniæ non transeat in proprietatem Fratrum. Unde Conditor Regulæ magis intendit Fratribus præcludere viam avaritiæ in possessione pecuniæ, per quam omnis Religio suffocatur, quàm obstruere eis opportunitatem necessaria procurandi. Ideò Voventibus eam non est laqueus perplexitatis, licèt indigeant diligenti cautela, ne offendant contra eam, qui debent aliqua necessaria per pecuniam procurare; quæ tamen cautela magni est meriti; quamvis illi tutiùs ambulent, qui se subtrahunt à talibus negotijs, qui ad ea ex officio non coguntur. Hæc S. Bonaventura.

12 Quæ ut ipse ad præsentem, de legatis quæstionem transferam, sic adapto: Multa putantur mala, adeóque. Fratribus illicita, quandiù non intelliguntur; quæ intellecta, rationabilia, & justa videntur. Regula prohibet, *ne Fratres quidquam sibi approprient*, &c. & per hoc ne quidquam juris habeant nec in speciali, nec in communi. Præcipit etiam, ut tanquam peregrini nihil habeant fixum, ut Reditus, ita ut nec de facto simplici aliqua re fixa, aut stabili, vel inter hujusmodi computata utantur, exceptis ijs, quæ ex necessitate habitationis conceduntur expressè. Sed concedit, ut cum moderaminibus requisita ea recipiant, quæ à fidelibus, vel per se, vel per nuncios, substitutos, aut etiam hæredes suos eleemosynaliter præstantur ad ipsorum sustentationem. Hoc nusquam Fratribus Minoribus aut in *Regula*, aut in *Declarationibus Pontificum*, prohibetur. Et secundùm viam, & cautelas à nobis præmonstratas in hujusmodi legatis simplicibus incedentes Fratres nec quicquam juris habent ad res, quas accipiunt; neque re aliqua immobili, aut inter immobilia computata, vel de facto simplici, uti censendi sunt. Ideóque voventibus hanc Regulam, ea non est laqueus perplexitatis in hujusmodi prohibitionibus, vel præceptis; licet indigeant diligenti cautela, ne offendant contra eam; prout ex nostrarum conclusionum, aliorúmve monitorum præscripto animadvertere quisque potest.

Cæterùm una superest, cui satisfaciamus, 13 quæ ab aliquo fieri posset, semiobjectio, ex Bassæo nostro *in Flor. Theolog. tom.* 2. *V. Legatum, num.* 12. & Pellizzario *tom.* 1. *Manual. tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 2. *num.* 39. *vers. Utrum verò*, &c. ajentibus, sententiam primæ conclusionis nostræ de rigore juris, & speculativè loquendo, sustineri posse, & probabilem esse. Hinc enim, dubitando saltem, inferre quis posset, & objicere, eam, practicè loquendo, sustineri aut minimè, aut ægrè posse, & minùs esse probabilem. Cui ququque dubitationi ut fiat satis.

Sciendum est, communem quidem esse doctrinam, quòd scientiæ, vel opiniones probabiles, à quibus honestas operationis, justitiavè dependet, aliæ dicantur speculativè probabiles; aliæ probabiles practicè: Et priores sint illæ, quæ certo, & evidenter, si sint scientiæ; vel non certò, sed sub formidine, si sint opiniones, affirmant, aut negant aliquid secundùm se, seu in communi esse licitum, aut illicitum, faciendum, aut non. Posteriores verò illæ, quæ aliquid in particulari, seu hic, & nunc esse licitum, aut illicitum; faciendum, aut non, eodem respectivè modo affirmant, aut negant. Hujus autem distinctionis auctor primus fuit Cajetanus *opusc.* 17. *responsionum, respons.* 13. *dub.* 7. *&* 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 5. *ad* 3. ubi D. Thomas ansam præbuit; & postmodum eam amplexati sunt Medina, Sotus, Covaruvias, Corduba, Palacios, Burg. de Paz, Henriquez, Molina, Navarrus, Salonius, Ludovicus, Lopez, Bañez, Petrus de Ledesma, Manuel, & Vega, quos latè allegat, & sequitur Sanchez *tom.* 1. *de Matr. lib.* 1. *disp.* 41. *num.* 8. Hanc etiam novissimè in ijsdem terminis tradit Georgius Gobat *in suo Clypeo clementium Iudicum sect.* 1. *num.* 9. *& seqq.* 14

&c

& paulò diversis verbis tradit etiam Navarrus *in cap. si quis autem : de pœnit. dist. 7. num. 61. & summa Latina prælud. 9. num. 9.* ubi quod à nobis *suprà* dictum est, *in communi*, dicitur, *In generali*. Alij apud *Cotonium citan.* pro speculativo intelligunt substantiam facti, pro practico jus; dicentes verbi gratiâ probabile esse speculativè, quod Baptismus collatus in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque, sit validus; non tamen practicè, quia nun licitè adhiberetur hæc forma. Et hoc verum est, ut ait *Cotonius*: sed mutantur termini de valido ad illicitum. Non desunt tamen Doctores, qui illam sententiam speculativè probabilem, veramvè vocant, quæ ex proprijs principijs apparet talis: practicè autem probabilem eam, cui probabilitatem conciliat authoritas extrinseca: Unde Tannerus *tom. 3. dist. 4. quæst. 6. numero* 215. pronunciat, esse speculativè, & ex principijs intrinsecis unicè verum, quòd Clerici teneantur restituere ea, quæ ex reditibus Beneficiorum superfluis honestæ ipsorum sustentationi erogarunt in causas profanas; oppositum tamen esse practicè, seu propter authoritatem probabile. Sic è diverso docet Sanchez *cit. tom. 2. lib. 7. disp. 32. vers. Verùm: num. 17. in fine*, esse, speculativè loquendo, probabilem opinionem, quòd nullæ mulieres quinquagenariæ obligentur lege jejunij Ecclesiastici; at in praxi non esse tutam. Et in genere idem Sanchez *lib. 7. cit. disp. 7.* ait, non omne probabile speculativè esse tale practicè; ut refert etiam, Cotonius citan. ex Diana *p. 2. tract. 13. resol. 5. & 12. & p. 8. tract. 1. resol. 91.*

15 Verùm, cum neque desint Doctores, qui cum Joan. Sancio *in Selectis disp. 29. num. 7. & disp. 54. num. 11. & disp. 64. n. 63.* apud Dianam *loc. cit.* scribant esse inintelligibile, atque implicare contradictionem dicere, quòd sententia speculativè probabilis non sit practicè quoque probabilis. Et verè implicat; ut & ipsemet fateor cum Gobat *cit. num. 13.* & cum Cotonio *Contr. celebr. lib. 1. contr. 5. cap. 5. n. 81.* si quemadmodum per speculativè probabilem intelligitur omnis illa, quæ, & quatenus prudenter pronunciat, aliquam actionem in genere, & secundùm suum objectum consideratam esse justam, vel licitam, aut non; similiter per practicè probabilem illam intelligamus, quæ pronunciat, aliquam actionem præcisè secundùm suum individuum objectum, & per se sumptam, esse hic, & nunc justam, vel licitam, aut non. Etenim & Franciscus de Oviedo *tr. 1. 2. tract. 5. contr. 3. punct. 1.* affirmat, omnem sententiam speculativè probabilem, esse etiam, ut sic, practicè talem: quod enim dicitur de omni, dicitur de quovis contento sub illo. Et Sanchez ipse *primo loco cit. num. 4.* post assignatam distinctionem, & descriptionem illam utriúsque sententiæ cùm speculativè, tùm practicè probabilis, docet, etiam eam, quæ dicitur speculativè probabilis, posse dici, & verè esse practicam; cum ordinetur ad dirigendum actiones humanas: quia (inquit) illa dicitur speculativa, quoad modum universalitatis, & respectu posterioris particularis, quæ practica dicitur. Sicque omnis sententia quæ speculativè probabilis conceditur, non potest non concedi talis etiam practicè; vel, si negatur probabilis practicè, concedi nequit talis speculativè: siquidem id est intelligibile, & implicat contradictionem; ut ajunt *Doctores prædicti*, stando in terminis descriptionis traditæ tùm speculativè, tùm practicè probabilis sententiæ ex scientia, vel opinione pronunciatæ. Unde Sancius *ead. disp. 54. num. 11.* ait: Qui ergo arbitratur speculativè aliquid licitè operari se posse, propter rationes probabiles, id tutò executioni mandare poterit; aliàs nihil operaretur, nec alicujus fructus, sive momenti esset illa speculatio probabilis, si ad opus esset impedita: & æquè comparari posset speculativam opinionem habens, & pertimescens operari practicè ex ea, Tantalo, poma, & aquam ad labia propè habenti, impedito tamen ejus uti, sive frui: immò Tantalo infelicior esset; qui, dum bibere exoptabat, nequibat; at pertimescens uti probabili opinione omittit operari, quod in ejus potestate est efficere. Hæc ille; cui tamen non assentior *ibid.* dicenti, dari posse è contrà, aliquam opinionem esse practicè probabilem per principia extrinseca, scilicet propter authoritatem sapientum, & usum; non tamen esse speculativè probabilem per principia intrinseca, hoc est propter rationes eam probabilem suadentes. Vide illum etiam *disputat. 14 num. 7. & 19. & disp. 44.* Non, inquam, assentior, propterea, vel maximè, quæ ipsemet tradit *disp. 29. num. 7. propè fin.* ex Garzia *tom. 2. de Benef. p. 11. cap. 5. num. 363.* Medina 1. 2. *quæst. 19. art. 6.* & Aragon. 2. 2. *quæst. 63. art. 4.* quod scilicet ut opinio probabilis sit, non sat est, eam à viris sapientibus astrui; sed etiam opus est, eam optimis argumentis confirmari: ergo ad opinionem probabilem non sat est probabilitas extrinseca, sed requiritur etiam intrinseca.

Ideò videndum, declarandúmque est, ut difficultati propositæ, seu potiùs oppositæ satisfiat; an, & quo facto fieri possit, ut sententia speculativè probabilis in primo sensu, non sit, semper saltem, practicè probabilis. Sanè autem id intelligi, declararique non potest, si immutatam retineamus utriúsque descriptionem jam traditam cum communi Doctorum sensu. At verò; si retentâ, ut retineri, & retinere volumus, illâ descriptione probabilis speculativè; mutetur descriptio sententiæ probabilis practicè, dicendo, esse illam, quæ pru- 16

denter consulta re, invincibiliter putat, & pronunciat, aliquam actionem esse licitam, si consideretur non solùm directè secundùm suum objectum, sed etiam reflexè secundùm circumstantias objecto extrinsecas, & accidentarias, sine quibus non potest moraliter redigi ad praxim; jam equidem intelligo, fateórque cum communi *Casuistarum*, permultas sententias esse probabiles speculativè, quæ practicè improbabiles perhibentur; quia scilicet actiones, de quibus disserunt illæ sententiæ, nequeunt moraliter (esto sine dubio, physicè possint) re ipsa versari circa suum objectum proprium, & essentiale, quin admisceantur, aut superveniat aliquæ pravæ circumstantiæ impertinentes, atque vitiantes. Ut *ex. gr.* speculativè probabile est, quòd non sit crimen lethale, non reprimere motus carnales præter intentionem ortos. Item, non avertere oculos ab aspectu vultus muliebris, esto ille aspectus causet turpes cogitationes. Item, quando à natura pollutio evenit, sive in somnis, sive in vigilia, fas esse, simplici voluntate illam acceptare, quatenùs est proficua sanitati, vel vetat, aut sedat molestas carnis tentationes; non verò quatenùs delectabilis est sensui. Quartò, odio habere inimicum formaliter sumptum. Quintò, velle eidem malum ea intentione, ut emendetur, & à malefaciendo mihi, aut proximis avertatur. Sextò, velle eidem malum, seu petere à Iudice ex amore solius justitiæ vindicativæ, utque justitiæ æqualitas custodiatur, quòd capite plectat, alterve puniat, qui tuum filium, aut patrem nequiter interfecit. Denique, (ut alias hujusmodi Missas faciam) illum, qui se jactat de peccatis mortalibus, etiam diversæ speciei, non contrahere specificam malitiam singulorum.

17 Has, inquam, omnes sententias speculativè quidem probabiles admitto; ut de singulis tradunt, probantque plures, ijque insignes, non necessariò nominandi, Doctores: hæ tamen sunt practicè improbabiles; aliæ quidem respectu plerorúmque hominum, aliæ respectu saltem aliquorum; quia scilicet vix, aut ne vix quidem fieri potest, ut qui obit illas actiones, contineat suam voluntatem, & consensum præcisè intra terminos objecti expressi mox suprà in ijsdem actionibus; quin potiùs fiet, ut dum voluntas deliberatè persequitur hæc objecta, intellectus superaddat repræsentationem aliorum pravorum, in quæ consentiat, & ruat ipsa voluntas. Nam homo lubricus, qui verbi gratiâ negligit reprimere motus carnales, sine ulla, vel cum sola veniali culpa in se ortus, exponit se evidenti periculo illos denique approbandi positivè: sicuti & periculo gaudendi de vindicta privata is, qui alterum, à quo læsus fuit in se, vel suis (aliud est, si neque ipse, neque sui sint ab eo offensi) accusat zelo justitiæ: & multi illorum, qui se jactant quòd suum æmulum pugno in terram straverint, pedibúsque calcarint, exponunt se discrimini habendi complacentiam in illo præterito peccatu injustitiæ. Et generatim loquendo, illæ sententiæ speculativè probabiles, non sunt saltem respectu omnium probabiles practicè; quatum propria objecta semper habent adjunctum periculum scandali, aut magnam vim pertrahendi voluntatem in alia objecta prava; sicut fit in materia castitatis; item in contractibus quibusdam, in quibus subest magnum periculum palliatarum usurarum, aut simoniacæ labis.

18 E diverso generatim loquendo, illæ sententiæ sunt speculativè simul, & semper practicéque probabiles, quarum objectum potest facilè in praxim redigi sine variatione, ac permixtione alterius noxæ, putà scandali, vel hujusmodi: sicuti utique possum (ut probabiliter assentiunt plerique Doctores) toto die festo describere aliquid, etiam lucri causâ, non admiscendo huic descriptioni hac intentione factæ ullam aliam circumstantiam mortaliter malam. Concordat Cotonius *cit. num.* 81. eorum approbans acceptionem, qui speculatiuum judicium appellant illud, quod est directum, procedens unicè ex merito objecti; (idest ut sic, & in genere) practicum verò, reflexum, quod ab illo objectivè, ab ejus autem opinione causaliter procedit. Quo sensu (inquit ille) non omne probabile speculativè, est probabile practicè, nisi judicium, ex quo causatur, sit invincibile, secundùm consilium veræ, Christianæque prudentiæ: qua nimirum bona fide, & animo inveniendæ, percipiendæque veritatis inquisitio fit. Quare non excusantur (inquit ille *ibi, cap.* 4. *num.* 75.) qui quærunt justificari suos appetitus; & adeunt singulos, nec audiunt improbantes multos, donec invenient aliquem, qui respondeat ad votum. Hi enim convincuntur, non quærere veritatem, sed mendacium probabile justificans vanitatem. Verùm advertere hi debent, quòd, quamvis (juxta vulgarem, eámque plerorúmque Recentiorum acceptionem *Probabilis*, seu *Opinabilis*, pro eo scilicet quod habet apparentiam veritatis, vel intrinsecam ex ratione, vel extrinsecam ex auctoritate, cum formidine tamen in utramque partem) possit idem intellectus ex motivis hinc inde positis utrámque partem contradictionis judicare veram, vel probabilem: in sensu tamen Antiquiorum, saniúsque sentientium non potest utráque pars contradictionis esse probabilis; ut ex P. Pallavicino *disp.* 8. *in* 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. optimè tradit Cotonius *cit. cap.* 3. *num.* 43. quia (inquiens) non potest

poteſt dari mutuus exceſſus apparentiæ veritatis in utróque reſpectu utriúſque; niſi reſpectu diverſorum intellectuum. Cúmque unuſquiſque in actibus moralibus ritè agendis debeat judicare, talem actum hic, & nunc ſibi licere, juxta veritatem invincibiliter ſibi, apparentem, ſecundùm dictamen rectę conſcientiæ, & prudentiæ: veritas autem, prout eſt in re, conſiſtat in indiviſibili, & non poſſit reſpectu ejuſdem intellectus afficere utrúmque contradictorium; (ut fatetur vel ipſe Bardi, cæteroqui contrarius, *diſp.4. cap.10. §.1. num.5.*) conſequens eſt, quòd non poſſit idem intellectus ſimul, & ſemel judicare utrúmque verum, adeóque ſibi licitum; etiamſi utrúmque habeat motiva ſuadentia, & præferentia veritatem, æqualia, vel inæqualia, intrinſeca, vel extrinſeca. Ita & P. Spinula *diſp.2. ſect.6.* Cotonius *cit. num.44.* quem vide, etiam *cap.5. à num.97. uſque ad num.124.* ubi ſuſtinet, per *Probabile* intelligendum eſſe id, quòd probabilius; quòd verò minùs probabile videtur, non eſſe reputandum probabile, certéque non ſequendum. Atque hinc obiter collige, quanta circumſpectione utendum ſit in delectu opinionum Doctorum. Qua in re ne gravêris accipere optimam Regulam ex D. Bernardino Senenſi *tom.2. ſerm.42. art.1.* ubi incidenter quæſtionem excitat, & reſolvit ut ſequitur: Ratione hujus, & aliarum variarum opinionum meritò quæri poteſt, An Doctoribus contrariantibus circa aliquid agibilium; & agere ſecundùm unam opinionem, ſit abſque periculo mortalis culpæ; agere verò ſecundùm aliam; ſit in dubio: ſi quis agat ſecundùm partem dubiam, mortaliter peccet? Alicui videtur, quòd ſic, juxta illud Eccleſiaſtici *cap.3. Qui amat periculum, in illo peribit.* Contrà; quia tunc multi eſſent in dubio mortalis culpæ, & æternæ damnationis. Dicendum ſecundùm Henricum de Gandavò *in Quodlibeto ſuo*, quòd primò conſiderandus eſt Doctorum ſtatus, ſcilicet quales inventi ſunt in determinationibus ſuis; utrum mendaces, vel veraces, ſeu dubij, ſecundùm majus, & minùs; qualis vitæ; ſi veritatem amant facto, vel verbo; qualiter inſtructi ſunt de eis, quæ determinant; qua affectione moventur; qualia etiam aliàs determinaverunt; vel amicis ſuis qualia conſilia dederunt aut conjunctis ſuis in conſilij caſu. Secundò videnda ſunt fundamenta eorum, & rationes in ſententiando in tali caſu; quorum ſunt efficaciores, & expreſſiores auctoritates. Tertiò conſideranda eſt auditorum conditio; utrum ſic ſint literati, quòd poſſint diſcernere, & comparare determinationes eorum; vel an ſint ſimplices, quos oportet fidem alteri adhibere; & utrum utraque pars Doctorum ſit eis æqualiter nota, vel altera tantùm. Si auditor ergo eſt peritus, & novit ſtatum Doctoris, qui ſententiavit contra partem periculoſam, habere omnes bonas conditiones jam dictas, vel plures, quàm alius, & rationes ejus efficaciores, & auctoritates expreſſiores; ſi ſe exponit periculo, mortaliter peccat; quia contra dictamen rationis agere comprobatur: Si verò auditor eſt ſimplex, & non poteſt diſcernere inter Doctores, & credit fide dignos illos, qui dicunt dubiam partem; talis, ſic ſe exponens periculo illi, non peccat mortaliter; quia non reputat illud periculum, licet ſit in rei veritate: niſi eſſet tale, quòd foret de naturali jure, vel regula fidei, quod ſcire quilibet obligatur; quia tunc ſimplicitas, vel ignorantia, niſi ſit invincibilis, non excuſat. Et per hoc patet ad primum. Ad ſecundum, Nulli ſunt in periculo mortalis culpæ, niſi periculo contra conſcientiam ſe exponat. Hactenùs ex Gandavenſi Divus ille, ut ſui moris eſt, exquiſitè.

19 Ex his jam patet, quo pacto ſit intelligibile id, quod Joanni Sancio relato ſuprà viſum fuit intelligibile, atque implicare contradictionem. At non perinde hinc liquet, quo ſenſu Thomas Sanchez *ea diſput.32. num.17. in fine*, ſcribat eſſe ſpeculativè, non tamen practicè probabile, ſeu tutum, quòd omnes fœminæ quinquagenariæ ſint exemptæ Eccleſiaſtico præcepto Jejunij; ſicut & mares ſexagenarij. Quandoquidem non ſolent in actuali exercitio, illius probabilis ſententiæ occurrere circumſtantiæ, quæ contineant, vel efficiant aliam turpitudinem, vel exceſſum, quàm ſit ipſa præcisè duplex refectio ſumpta die Jejunij à muliere quinquagenaria. Niſi fortè voluerit Sanchez indicare, facilè oriri ſcandalum puſillorum, quando quinquagenariæ non jejunant ob prætextum ſolius ætatis: quod quidem ipſemet cenſuerim eſſe verum, loquendo tum de Monialibus, tum ſpeciatim de matronis locorum, in quibus uſum non habet ſententia illa; ſicuti fortè nuſpiam eſt recepta; ut cenſet etiam Gobat *cit. n.17.*

20 Sic nec perinde inde liquet ad propoſitum noſtrum, quo ſenſu poſſit noſtra ſententia cum cautionibus, & limitationibus, quibus circumſtantiata traditur, ſpeculativè tantùm, & non practicè probabilis, ſuſtinendáque cuipiam videri. Siquidem cum cautelis, & limitationibus illis in praxim ducta nihil infert, quod actum ipſum vitiet. Cavetur enim ſcandalum puſillorum, præſertim hæredipetarum, vel gravatorum hujuſmodi; cujus evitandi gratiâ *Baſſæus* ipſe ſubjungit: Unde ad tutiùs procedendum in hoc, expediret quòd Prælatus faceret proteſtationem, &c. Hæc ille qui bus tandem nobiſcum ſentit, & ſententiam noſtram, ut jacet, non ſpeculativè tantùm, ſed & practicè probabilem, ſuſtinendam, tutámque

que concedit. Videatur ille. Quòd si facta protestatione prædicta, fideliter à Fratribus, vel Prælatis, moderamina quoque à nobis alibi recensita, & à Nicolao III. requisita, in recipiendo serventur, jam ex omni parte tutissima erit ejusdem sententiæ praxis.

21 Hanc igitur sententiam à me hic pronunciatam profiteor, sic in communi, vel in generali, & speculativè; sed & alibi semper pronunciandam polliceor hic, & nunc in particulari, & practicè, non sub formidine, velut opinionem simpliciter; sed certò, & evidenter, veluti scientiam mihi constantissimam; eamque non ut singularem, aut neotericam; sed ut communem cùm apud Veteres, tùm apud Recentiores scribentes eruditos æquè, ac pios, doctos, ac probos. Ex vetustioribus enim eam docuerunt S. Bonaventura. Doctor meus ter Seraphicus, Angelus, Sylvester, Tabiena, Emmanuel Rodericus, Dicastillus, duo illi nostræ Congregationis Ministri Generales probatissimæ vitæ, ac doctrinæ, zelóque observantiæ ornatissimi Hieronymus à Sorbo, & Hieronymus à Politio, & alij quos alibi allego: ex recentioribus autem, recensos Veteres sequuntur Diana, Castro Palao, Pellizzarius, Hieronymus Rodericus, Franciscus de Torano, Angelus à Lantusca, & ex nostris post Eligium Bassæum, Generalis ille (heu functus) Minister, Urbis, & Orbis Oraculum Marcus Antonius Gallitius, & alij non pauci alibi adducti, vel adducendi.

22 Dixi: Non sub formidine, veluti opinionem simpliciter; sed certò, & evidenter, veluti scientiam mihi constantissimam, semper, & ubique speculativè, & practicè hanc eandem sententiam pronunciandam fore; prout evidentia exigit fundamentorum, & rationum, quibus ipsa innititur; quæ profectò nullam mihi formidinem, nullam trepidationem relinquunt; strictissimâ quantumlibet Minoricæ mendicitatis, ac Regulæ observatione, puritatéque inspectâ, Summorúmque Pontificum, præsertim Nicolai III. & Clementis V. necnon Generalium Congregationum Ordinis Declarationibus, ac decretis in hoc subjecto editis consideratis, ijs præcipuè, quæ non ex doctrina tantùm Sancti Bonaventuræ, sed ab ipsomet S. Doctore, dum esset Generalis Ordinis, statuta sunt. Quòd si ex eodem capite oritur apparentia veritatis, & securitas opinionis, seu sententiæ, (ut benè ostendit Cotonius *cit. cap. 5. num. 84.*) eadem sententia nostra tutissima simul, sicut & verosimillima, & probabilissima, mihíque evidentissimè vera esse perhibetur, & probatissima.

23 Dixi præterea: eámque non ut singularem, aut neotericam; sed ut communem cùm apud Veteres, tùm apud Recentiores Scribentes eruditos æquè, ac pios, doctos, ac probos. Suppono enim cum Georgio Gobat *cit. num. 18.* sententiam communem à Ferdinando de Castro Palao *summ. moral. part. 1. disput. 2. punct. 1. n. 10.* post Azorium *Instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 13.* atque alios, rectè describi esse illam, quæ à Doctoribus eam ex professo tractantibus communiter defenditur. Censetur autem defendi communiter, non modò quando defenditur ab omnibus, vel à plerisque; sed etiam quando à probis, ac doctis; ut patet tum inde, quòd omnes Doctores agnoscant, fateantúrque persæpè fieri, ut duæ contrariæ, vel contradictoriæ opiniones sint, dicantúrque communes; (an verò possint ambæ esse simul veræ: in ratione quidem simplicis opinionis, seu propositionis, quæ verè opinando pronunciatur, cujus est proprium importare formidinem in utramque partem, non negârim, quòd possint: aliàs nequaquam posse asseruerim) unde Cævallos refert *in suo speculo*, octingentas opiniones seu sententias, communes contra totidem item communes in materijs quotidiani usus: tum quòd Navarrus *in Manuali cap. 27. n. 289.* multis assentientibus, rectè tradat, Sententiam, quæ à decem; aut etiam dumtaxat octo gravibus, doctísque Viris propugnatur, meritò vocari Communem. Quemadmodum & factum aliquod dicitur publicum, seu notorium in Collegio constante verbi gratiâ ex viginti personis, si illud sciant septem, aut octo ex ipsis; in constante verò ex centum, si sciant quindecim, aut viginti; ut tradit Carolus Antonius Thesaurus *de pœnis Ecclesiasticis, part. 1. cap. 21.* cum Molina, Tamburino, Navarro, Avila, Lessio, Grassio, Menochio; & alijs: quorum tamen aliqui simpliciùs afferentes, (ut observat Bonagratia noster *in sua sum. qq. Regul. ver. Occultum, n. 377.*) non respicientes ad quantitatem totius, vel majoris partis Populi, Communitatis, seu Collegij, absolutè dicunt, ex numero scientium definiendum esse publicum, vel notorium; horum autem alij contenti sunt numero trium testium, ad notorium constituendum; alij septem; alij decem requirunt. Sic in proposito ad aliquam sententiam in Doctorum Collegio, vel Universitate eam ex professo tractantium communem inter ipsos dijudicandam, dicito. Quin Antonius Maria Coratius *in tract. de opinione communi lib. 1. tit. 3.* testatur, à Jasone, & alijs nonnullis illam pro Communi haberi, quam unus quispiam excellens Doctor tuetur unà cum Glossa: ipse verò complura de perfectione numeri septenarij *eod. tit. 3.* colligens, & conscribens concludit, à septem Doctoribus, ut minùs, constitui opinionem communem; quos quidem esse debere præditos authoritate, idest scientiâ, & probitate, inde ostendit *tit. 5.* quòd *Authoritas*

thoritas nil aliud sit, quàm opinio, *qua quis putatur imitatione dignus.* Videatur de utráque hac necessaria qualitate Bresserus *de conscientia lib.3.cap.3. num.*33. enucleatè agens. Videatur etiam Coronius *cit.cap.*3.4.*&* 5.ubi de probabilitate opinionum; & electione earundem egregiè edisserit.

24 Atque ex his consequitur, sententiam traditam minimè singularem aut esse, aut dici posse. Quandoquidem illa opinio, vel sententia singularis est, quam unus tantùm, aut alter Vir doctus, & gravis tuetur: nam opinio singularis est eadem, quæ non communis: non communem verò dicunt *Coratius cit.*& Azorius *p.*1.*Inst.mor.lib.*1.*c.*13.*in fine*, illam, quam unus solùm, aut alter defendit: concordátque his Gobat *cit.num.*20.

25 Quid, quòd nemini dubitandum est, quin vel singulari, novæque minusvè communi sententiæ (ubi ea Juri consona, & in Jure fundata, ab aliquo Doctore materiam ad partes exactè disputante, discutientéque hinc indè difficultates, fuerit pronunciata) plurimùm sit deferendum? Et ita tradunt Ladrecht.*cons.*42. *num.*15. Farinac.*quæst.*103.*num.*146 latissimè, Bertazol.*cons.crim.*52.*num.* 12. & post eum, & Jo. Mariam Novar.*de privileg. miserab.person.privil.*101.*num.*6.firmat Garon.*variar.resol.cap.*2. *num.*96.

26 Hinc Macagnanus *tract.de com. opin. cap.*8. *num.*1.post Felinum, & multos alios tam Theologos, quàm Canonica, Legalíque scientia excellentes, ob authoritatem *cap. Capellanus de feriis:* ut refert Georgius Gobat *in suo Clypeo Clementium Iudicum sect.*13. *num.*197. asserunt singularem opinionem esse anteponendam communi, quando nititur meliore, & subtiliore ratione.

27 Atque ad hoc optimè idem Gobat *ibid. num.*199.refert sententiam Theodoreti,*lib.*1.*de curand.Græc.affect.*ajentis: Nulli mihi meorum magis parendum esse, quàm rationi, existimo, quæ consultanti mihi optima videatur. Et *num.* 203. authoritatem etiam affert ipsiusmet legum conditoris Justiniani, qui *l.*1 *ff de vet.jur. enucl.§* 6 Triboniano, alijsque ab eo delectis Viris disertissimis Togatis fori demandans provinciam colligendi responsa antiquorum prudentium, & ex eis eliminatis conficiendi quinquaginta libros *Digestorum*, hoc sanè quàm sapiens monitum, reliqua inter, dedit: *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius, aut æquius est judicatote, cum possit unius forsan, & deterioris sententia, & multos, & majores aliqua in parte superare.* Hæc Justinianus. Ex quibus colligitur ipsum censuisse, adeò deferendum esse etiam unius Doctoris sententiæ, ut vel multorum majorúmque aliorum Doctorum opinioni, si ratione (quæ sanè ipsius etiam legis anima est, *cap. consuetudo: distinct.*19. & æquivalet Canoni, ut notat Gloss. *in cap. ego solis: dist.*9.) meliore, & subtiliore ei præpolleat, præferenda sit; (sicuti traditur expressè *in cap. Capellanus: de fer.*) præsertim in materia favorabili: Fortè autem Nomotheta ille in ea Ministrorum suorum pro colligendis Veterum responsis admonitione edicenda animadverterat illam Senecæ allegoriam, *lib. de vita beata,* ajentis: Tritissima quæque via, & celeberrima maximè decipit: nihil ergò est magis præstandum, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur.

Hinc etiam D.Augustinus *in ep.III.* Neque enim (inquit) quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus; ut nobis non liceat, (salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus) aliquid in eorum scriptis improbare, aut respuere; si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meorum. Hæc D.Augustinus; qui etiam *in ep.* 19. *ad S. Hieronymum* (habetúrque *dist* 9.*cap.ego solis:*) ait: Alios ita Lego, ut quantalibet sanctitate, doctrináque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ità senserunt; sed quia mihi vel per alios Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat persuadere potuerunt. 28

Ea propter Joannes quoque Sancius *in disput.selectis disp.*14. *num.* 8. & alibi jure optimo docet, non posse quempiam in moralibus operari per principia extrinseca: idest ob authoritatem aliorum Doctorum, quoties ratio omninò evidens, & convincens ejusmodi authoritati opponitur: quia tunc non appares aliquis aditus, quo possit haberi talis sententia pro opinione, sed pro errore. Favet etiam *l.fin. C. de fideicom.* qua tunc tantùm plurium relatione, dicto, aut sententia standum esse decernitur, quando quæstio terminanda est per testes; ut observat Gobat *suprà cit.num.*192.ubi etiam *num.*193.*in fin.* ait, quod nulla Lex, aut Canon jubet stari Interpretum pluralitate; multæ benignitate; omnes omninò (addo ego) ratione. Et *n.*195.affert Martam *de Iurisdict.p.*2. *cas.*164.*n.*2.sic absolutè, & sicce ajentem: Communis opinio Doctorum non est attendenda, quando contraria favet piæ Causæ; vel (ut dictum est *suprà num.*26.) nititur meliore, ac subtiliore ratione. Testatúrque idem Gobat *ibid.* Laudari ab ipso Marta viginti Assessures, seu Jureperitos pro hoc suo pronunciato. 29

Accedit & illud; quod Sancius *suprà cit. disput.*19.*num.*7. hisce verbis pronunciat: Negari 30

non

non potest, (ut advertunt Vasquez *part.2. tom.1. disp.62. cap.4. n.13.* Azorius *tom.1. lib.2. cap.16. quæst.5.* Villalobos *tom.1. sum.tractat.1. diffic.4. n.16.* Sarpus expressè *Clavi Reg. lib.1. cap.6. num.9.* Sanchez *in sum. lib.1. cap.9. num.9. & lib.3. de Matr. disp.44. num.2.* & alij) Negari non potest, turbam Doctorum aliquando pecudum more sequi unam opinionem absque delectu rationum, aut saltem non tàm exactè re & rationibus consideratis: contra quas deindè alius Doctor (maximè si sit magnæ authoritatis) opinionem aliquam maturè, & ex professo excogitatam in scholas introducere potest. Et de facto multæ opiniones initio excogitatæ, & in scholas invectæ sunt, quæ communes tunc non fuerunt, sed brevi postmodum communiter receptæ sunt. Ita ille: qui deinde etiam addit; Hinc non semper dicendum est, aliquod cujuspiam effatum non esse clarum, & apertum; quia plurimi etiam sapientes, ante discussionem de eo factam, dubitent; contingit enim multoties, aliquid sub dubio, aut extra praxim permanere, non quia dubietatem verè contineat, aut ad praxim nequeat reduci; sed quia hominum ingenia non ex proposito considerarunt, aut etiam fortassis non adverterunt, dum contenti sunt priscorum vestigia sequi; cùm tamen neque Veteres omnia noverint. Neque hoc mirum est; addere namque scientiam, (teste Ecclesiaste *cap.1.*) est addere laborem: quasi dicat, Qui supra scientiam, quam habet, addere cupit, supra laborem præteritum addat nuuum; cùm scientia labore & industria comparetur. Non ob id tamen asserere, aut defendere intendo, quòd si liber sit alicujus junioris, & moderni, debeat statim opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem. Hóeque protestor; ne quis me in excommunicationem ipso facto lapsum criminetur, eamque Summo Pontifici, reservatam, ex *Constitutione Alexandri VIII. 24. Septembris* 1665. Tantummodò mihi volo, contingere posse, ut quis Junior novam, eámque probabilem in scholas invehat opinionem: non tamen ob Auctoris duntaxat authoritatem pro tali habendam, sed ob rationes in primis, quibus formatur. Videatur Petrus Marchant. *in Tribunali Sacramentor. tract.5. tit.5.* ubi ostendit, quã periculosum sit sequi quarumlibet Auctorum, & Doctorum opinionem ex sola auctoritate, quòd illas in suis libris referant, & permittantur imprimi, &c. Videatur ad hoc etiam Tustatus *in opusc part.2. defensorij cap.82.* itémque Suar. *de legib. lib.5. cap.18. num.20.* & Beccanus 1.2. *tract.1. cap.4. q.9.* & Sanchez *infrà citan. n. seq.*

31 Ritè igitur vel singularis, nováque opinio, præter, aut etiam contra communem proponi, amplecti, reducique potest in praxim, eique plurimùm deferendum est, si ea tamen sit in jure fundata, & optimis, perspicuisque suffulta rationibus. Nam, ut benè etiam ter Seraphicus Doctor meus Bonaventura *in 1. sent. dist.27. part.1. art. un. quæst.4. in corp.* Circa ea, quæ spectant ad doctrinam humanæ inquisitionis, licet contraria opinari, & contra asserere: Aderunt autem mihi pro firmando, sua praxi, hoc Seraphici Doctoris effato omnes omninò, vel saltem plerique omnes Theologi, ac Juris Consulti editis voluminibus rerum practicarum celebres. Vix enim unum illorum reperiemus, qui non vel sæpè, vel aliquoties saltem aut proponat, aut amplectatur aliquam opinionem singularem, novam, minùs communem. Siquidem nonne omnes, vel ferè omnes opiniones, quæ modò sunt ferè communes, fuerunt aliquando singulares, & novæ? Ergo tot propemodum Theologi, ac Juris Consulti censuerunt, posse prudentissimè proponi, defendi, in usum redigi singulares sententias, verè tamen probabiles, quot ejusmodi invexerunt in scholas, in fora; invexerunt autem innumeri: itaut, (si verè scripsit Adam Tannerus *in præfat. tom.1. Theolog. Scholast.* referente mihi Gobat *cit. sect.11. numero 169.*) tanta sit in sententijs Theologicis ad fidem non spectantibus facta mutatio, ut ferè jam sit alia Theologica scholastica, quàm fuerit annis triginta, priùs quàm suos sanè quàm utiles tomos Theologicos in lucem mitteret ipse Tannerus. Quod si verum est, longè veriùs dici potest, jam esse longè aliam Theologiam Moralem, quàm fuerint abhinc duobus, sex, octo, decem, aut pluribus sæculis; quia (ut alias hujus diversitatis rationes omittamus) permultæ leges Ecclesiasticæ, quarum usus olim maximè vigebat, jam penitùs abjêre in desuetudinem; aliæ quasi in earum locum subrogatæ; multarũ facta declaratio per consuetudines, aut Legislatores, juxta *l. si de interpretatione: ff. de legibus:* & elegantem textum *in cap. inter alia, de sent. excomm.* plurimæ etiam novæ optimæque rationes, seu argumenta inventa adversùs Veterum persuasiones: Inventa, inquam; non eò quòd sit pigre ingenij cõtentum esse ijs, quæ ab alijs sunt inventa; sicuti scribit Quintilianus *lib.10. Inst. c.2.* sed quòd præclara ingenia multa movent circa scientias; (teste Judæorum disertissimo Philone *lib.1. de vita Moysis,*) & tunc optimo jure, quando cernunt antiqua laborare vitio aut caliginis, aut alterius infirmitatis. Neque enim credendum est, Veteres sive Canonistas, sive Summistas, sive Theologos omniscientes fuisse, ubi Philo ipse citatus fatetur, multa illos posterorum quoque ingenijs cognoscenda reliquisse. Hinc benè Mascardus *de probationib. vol.1. concl.395. num.28. 29. & 30.* ait, quòd quamvis in judicando & consulendo non sit recedendum à communi opinione;

opinione; ut proditum est ab Alexan. *conf.* 25. *Viso processu. num.* 2. *vol.* 6. & à Curt. Sen. *in conf.* 43. *num.* 3. & *in conf.* 57. *num.* 9. & 13. nihilominùs, non erit sequenda communis opinio, judicando, quoties cúmque reperiretur falsa dilucidè, vel probabilius rationibus, & argumentis convinci posset; ut bonus Judex acutissimè existimabit, secundùm Abbat. *in cap. tua nos: num.* 9. *de usuris*; & Barbat. *in conf.* 28. *scripsit bellissimè num.* 2. *vol.* 1. vel quando Canon, aut Lex aliud disponeret; quia tunc potiùs standum esset Legi, aut Canoni, quàm communi opinioni; juxta sententiam Bern. *in quæst.* 116. *num.* 2. Ita Mascard cit. qui etiam addit, quòd ex causa non solùm à communi opinione, verùm etiam à Lege Judex recedere poterit per plura, quæ cógerit Nevizan. *in Sylva nuptiali in lib.* 5. Cæterùm illud teneo & regulariter tenendum trado quod scribit Joseph de Sesse *dec.* 119. *sub num.* 31. videlicet non esse attendendus Doctores consulentes, vel concludentes, & pugnantes contra communem, eámque Juribus innixam sententiam: contra quam nefas est judicare; ut docet text. *in l.* 1. *versic. sanè crebrior*, ubi Doctores. *ff. de officio Quæstoris.* Et à qua recedi non potest, nisi temere, ut probavit Menochius *conf.* 59. *num.* 8. & Zasio *in Rubric. ff. de exceptionibus, num.* 6. Ubi, quod à communi opinione recedi non debet, etiamsi aliquando contra eam fuerit judicatum. Quod item ex alijs enixè firmat Julius Cartarius *decis. crimin.* 1. *num.* 154. Et in conflictu plurium opinionum, in dubio, semper communi est hærendum est; ut tradunt Doctores *in cap.* 1. *de constitution.* & post plures idem Cartarius *d. decis.* 1. *sub num.* 200. tantóque magis juxta communem opinionem pronunciandum est, & ab ea nullo pacto recedendum, quando est fulta juribus, & rationibus; ut habemus ex textu *in l.* 1. *C. de jure deliberandi*, & egregiè scripsit Decius *conf.* 376 *num.* 7. & post Riminaldum juniorem, de communi testantem, pluresque alios decidit idem Julius Cartarius *in sua decis. crimin.* 57. *num.* 70. Præsertim verò in casibus particularibus semper amplectenda est communis sententia Doctorum, qui loquuntur in punctualibus terminis casus, de quo agitur: nam auctoritas Doctorum in puncto loquentium, pro lege habetur; ut post Josephum de Sesse *decis.* 230. *num.* 5. & *seqq.* & alios statuit Garonus *variar. resol. cap.* 2. *num.* 137. & *seqq.* Et absolutè loquendo, Doctorum authoritas, (intrinsecè tamen probabilis) ubi deficit Lex, pro Lege servanda est: *l. si idem cum eo: ff. de jurisdict. omnium judicum*; ubi Angelus hoc notat; & Hostiensis *in cap. inquirendi: extra. de peculio Clericorum*: & latissimè *in tr. Canonicorum Regularium in secunda parte princip. tit.* 7.

32 Atque ex his potissimùm colligit Gobat *cit. num.* 171. cur ipse cum Sanchez, Pasqualigo *decis.* 364. & alijs, contra Sylvest. *verb. Opinio, quæst.* 2. & Baldello *in Theol. moral. lib.* 4. *disp.* 11. existimet Recentiorum Theologorum moralium judicio esse (reliquis paribus) potiùs standum, quàm antiquorum; & quo recentior est aliquis Auctor, eò plus (cæteris paribus) ei tribuendum censeat asserenti aut neganti aliquid de obligatione hujus, aut illius Legis, vel Consuetudinis. Enimverò (inquit ille) temporum nostrorũ ingenia non sunt despicienda, perindè ac si lassa, & effœta natura nil laudabile pariat; (ut cum *Columella* loquar) sed maximi facienda, utpotè proferentia de thesauris suis nova, & vetera simul. *Matth.* 13. Videatur Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 9. & *seqq.*

Quamvis igitur etiamnum vigeat, ut probabilis, illa communis Antiquorum opinio, quòd defloratio virginis liberè consentientis sit dicenda sit stuprum; ut volunt Cajetanus *in* 2. 2. *quæst.* 154. *a.* 6. Armilla, Navarrus, Medina, & Azorius apud Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 30. *cap.* 3. *num.* 62. & videtur velle etiam D. Bonaventura *in* 4. *sent. dist.* 41. *dub.* 4. *lit.* ubi absolutè docet, quòd stuprum est propriè, virginum illicita defloratio. Attamen communis Recentiorum, eáque probabilior in rigore metaphysico, & speculativo (ut loquitur Filliuc. *cit. num.* 64) sententia invaluit contra communem illam Antiquorum, quòd stuprum non sit species distincta, & speciè differens à fornicatione, quando puellæ non fuerit illata violentia, sed ipsa sponte consenserit. Et ita docent Lessius *de just. & jure lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 6. Vasquez *in* 1. 2. *q.* 74. *disp.* 112. *num.* 1. & 3. & *opusc. de rest. cap.* 3. §. 1. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 14. *num.* 5. Suarez *de pœnit. disp.* 22. *sect.* 4. *num.* 4. & 5. Sotus, Diana, Layman, Basilius, de Leon, Salzedo, Tannerus, Megala, Ægidius, Hurtado, Fagundez, & alij, quos respectivè congerunt Sancius *disp.* 29. *num.* 7. & Filliuc. *cit. num.* 63. sequiturque Petrus à S. Joseph Juliensis *in præcept Decal cap.* 6. *a.* 1. addens, nec esse circumstantiam ita aggravantem, quæ sit necessariò aperienda in confessione, juxta sententiam illorum, qui putant, etiam circumstantias aggravantes, nedum mutantes speciem, esse in confessione manifestandas. Atque hoc unum exemplum sufficiat ad monstrandum, multas modò esse opiniones, quibus etiam plurimùm defertur, tametsi benigniores, quæ communes olim non fuere, immò singulares, & novæ aliquando extitère, cùm feliciter cœpit primus earum Auctor illas pronunciare, & consulere. 33

Quot verò aliæ, qua rigidiores, qua benigniores penitùs è scholis, forisque explosæ veterum sententiæ communes, vel ferè; invectis per Recentiores alijs, quæ profectò ab initio novæ, & singulares, aut minùs communes habebantur? 34

bebantur? Nonne etenim docuere permulti ex priscis Theologis, & Canonistis, Contra nullum præceptum humanum delinqui mortaliter, nisi delinquatur ex contemptu; idest frequenter? Nonne plerique omnes Canonistæ, ac Theologi non pauci olim sensêre, ebrietatem haud esse crimen lethale, nisi sit assidua? An non apud Antiquos, præsertim Canonistas, ferè instar axiomatis habebatur, danti operam rei illicitæ imputari omnia mala inde secuta, tametsi nullo modo prævisa? An non omnes ad unum Canonistæ, Glossæ, Summistæ, Theologi (teste Azorio *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 8. *& lib.* 5. *cap.* 1. apud Gobat *cit. sect.* 11. *num.* 172. qui & de hisce omnibus hisce testis est mihi) tenuêre, Reum esse noxæ lethalis, qui absque rationabili causa facit Sacrum, nondum recitato Matutino: Neminémque obligari legibus loci, in quo habitat, nisi cogitet illic vitam claudere? Nonne plurimi Canonistæ, atque Summistæ cum Navarro *in Manuali*; *cap.* 21. *num.* 36. docuêre, Confessionem, & Absolutionem per scripta factas valere? Nonne docuêre communiter Canonistæ (ut testatur Cævallos *in spec. commun. opin. contra commun. quæst.* 748.) olim tradebant, Propositum rei honæ æquè graviter obligare, atque obligat vera promissio? Nonne, inquam, ista, & alia multa communiter, aut saltem à plerisque apud Canonistas, Summistas, vel Theologos docebantur? Nihilo tamen minùs cœpit aliquando, aliquis, exquisitè difficultates omnes discutiens, ab eorum, vel sic communi, aut quasi communi doctrina (meliori nimirum, ac subtiliore ratione suadente) recedere, & docere; ita ut jam quis toleret (ait *Gobat cit.*) hujusmodi Asserentes. Ecce igitur, quàm verum sit, quod diximus *suprà, numero* 25. vel singulari scilicet, novéque minusvè communi sententiæ maximè deferendum esse, si ea Juri consona, & in Jure fundata ab aliquo Doctore rem ex professo, & exquisito studio discutiente fuerit pronunciata; ut, præter hactenùs allatos Doctores, sentire se indicant Felinus, Chassan. Everard. & alij apud Antonium Mariam Corasium *in tract. de opin. comm. lib.* 2. *tit.* 9. *num.* 17. quem refert Gobat *cit. sect.* 13. *numero* 200. qui asserunt, opinionem Archidiaconi *in Sexto*, esse præferendam contrariæ communi: sicuti, & opinionem Glossæ; ut voluit apud eundem Corasium *cit. n.* 22. Felinus ipse, Decius, Purpuratus, Curtius jun. Lancellotus, pluresque alij, cum Mascardo *de probation. conclus.* 1138 *n.* 15 ubi hic idem sentit de Accursio: item & opinionem *Rotæ*, testibus Imola, Barbatio, Gomesio, atque alijs apud eundem Corasium *cit. n.* 34. Atque hæc pauca pro nostra sententia *in universo hoc Consilio*, si cui fortè aliqua in parte, vel nova, vel singularis videar, dicta sint satis. Atqui, ut ut sit de illa in alieno judicio: scio enim ab Apostolo permitti, (*in Epist. ad Rom. c.* 14.) ut quisque in suo sensu abundet: Novi etiam probè; fateórq; meo me in judicio posse falli; hoc deniq; cum Seraphico meo Doctore S. Bonaventura *in* 2. *sent. dist.* 44 *art.* 3. *q.* 2. *in fine*, testatum omnibus volo hiscemet ejus verbis: Quòd, si cui aliter videtur (& fortassis meliùs) in hujus quæstionis determinatione; immò explanatione duorum sequentium Articulorum, & etiam duorum Casuum subsequentium, quibus meum istud opus absolvitur; non invideo: sed hoc rogo, ut si quis aliquid in *hoc Opusculo* invenerit approbatione dignum, agat gratias Deo largitori bonorum. In alijs verò locis, ut invenerit vel falsum, vel dubium, vel obscurum, scribentis insufficientię benignè indulgeat; qui absque dubio (teste conscientia) vera, aperta, & communia dicere concupivit. Quicquid enim fit de verbis, quæ folijs comparantur, hoc summoperè attendendum, & in inquisitione qualibet est observandum, ne quis adeò lætetur in sententia oris sui, & sic ei inhæreat, ut oris alieni verba despiciat, aspiciens ea oculo minùs sano; & sic per tumorem, & livorem sibi veritatis aditum præcludat; & de numero eorũ sit, de quibus dicit Apostol⁹ 2. *Timoth. c.* 3. quòd semper sunt discẽtes, & nunquã ad sciẽtiam Veritatis perveniętes: Quod avertat Deus ab omnibus inquisitoribus Veritatis. Cæterùm.

Quod tandem attinet ad interpretationem 35
illius textus *Clem. Exivi*: §. *Proinde*: *vers. Cùmque annui reditus*: pro tuenda sententia nostra adhibitam; sensus est communissimus omnium omninò Doctorum cùm Theologorum, tùm Juris utriusque Consultorum; neminem namque dissentientem inveni ex innumeris ferè, quos perdius, pernoxque legendo, consului.

§. XXXIII.

Appendix protestativa, & ampliùs declarativa dictorum in Paragrapho præcedente de Opinionis probabilitate, & delectu.

SVMMARIVM.

1 *Propositiones morales prætensas probabiles quadraginta quinque damnavit Alexander VII. tanquam scandalosas.*
Alias sexaginta quinque pari censura interdixit Innocentius XI. ibid.

2 *Propositio III. ab Innocentio nunc feliciter & sanctissimè sedente damnata, est veluti radix ex qua cæteræ pullulant. Quod ex varijs inductionibus ostenditur*, n. 3.

4 *Propositiones damnatis contrariæ pro veritate habendæ sunt.*

5 *Propositio vigesima septima ab Alexandro, & Tertia ab Innocentio, in ea generalitate quã sonant, & sicut jacent, præcisè damnantur.*

6 *Ex*

6 *Ex prædictis Decretis non tollitur omnino ab Ecclesia jus agendi cum conscientia probabili in iis quæ non sunt decisa : ut latè explicatur*, ibid.
S. Bonaventuræ doctrina in hac materia refertur, ibid.
7 *Opinare, & Dubitare, longè differunt.*
Dubium, seu dubitandi actus, quid sit, ibid.
Dubij speculativi, & practici distinctio rejicitur, ibid.
Non licet operari in Moralibus cum conscientia dubia, ibid.
8 *Opinio probabilis, sive actus probabiliter opinandi, quid sit? latè exponitur.*
9 *Opinio probabilis dupliciter accipitur, juxta S. Bonaventuram*, ibid.
Fides mera & meritoria an & quomodo stare possit cum opinione, ibid.
10 *Propositiones quatuor in postremo decreto Pontificio damnatæ* 19. 20. 21. *&* 23. *sunt contra Fidei puritatem.*
11 *Discrimen inter Dubium, & Opinionem iterum ad trutinam revocatur.*
12 *Opinio probabilis quæ dicatur.*
13 *Opinio probabilis nascitur ex ratione, quæ si fuerit prava, & voluntati divinæ minus conformis, rejicienda est.*
Voluntas divina ex quibus dignoscatur, ibid.
14 *Rationis momenta in disputando quærenda sunt, non Authores.*
Ratio est regula & mensura humanorum actuum, ibid.
Rationis prima regula est lex naturæ, ibid.
15 *Dubium, seu Dubitatio lato modo sumpta declaratur.*
Dubium propriè & strictè sumptum quid sit? ibid.
16 *Doctorum numerus, vel etiam gravitas non facit opinionem probabilem, sed rationes.*
Opinio probabilis & sequenda quæ dicatur, ibid.
Ubi multa consilia, ibi salus : quomodo intelligendum, ibid.
Iudices non ex multitudine Authorum, sed quod melius & æquius est judicare debent, ib.
17 *Opinio probabilis censenda est quæ optimis rationibus & argumentis confirmatur.*
Opinio plures habens Doctores, falso, aut nullo nixos fundamento, perinde explodenda ac si nullum habeat assertorem, ibid.
18 *Decreta Pontificia adversus particulares opiniones non tollunt jus agendi in moralibus ex opinione probabili, ubi nulla est decisio canonica in contrarium*, & n. 19. cum alijs seqq.
19 *Opinio probabilis non consistit in indivisibili, sed habet in se latitudinem pro diversorum captu & intelligentia.*
Opinio probabilis dupliciter consideratur, ibid.
20 *Opinio moraliter certò probabilis describitur.*
Opinio communis Doctorum qua ratione censeri debeat, ibid.
Discrimen notatur inter veteres & recentiores Doctores, ibid.
21 *Ut recentioris Doctoris opinio placitis veterum prævaleat, quatuor requisita traduntur.*
22 *Opinio probabiliter tantùm sive dubiè probabilis quæ sit ostenditur : & an liceat secundùm illam operari, probabiliori relicta.*
Opinio probabilior quæ dicatur, ibid.
Conscientiam duplicem habere non licet nec variare adhærendo interdum uni, interdum alteri opinioni, ibid.
23 *Opinio moraliter certò probabilis alia dicitur tuta, alia tutior, & utraque declaratur*, ibid.
24 *Propositio III. novissimo Congregationis decreto damnata, quæ incipit*, Generatim, &c. *convincitur falsitatis, & erroris*, & num. 25. & seqq.
Non solùm sequendo opinionem non certò probabilem; sed etiam aliquando sequendo moraliter certò probabilem, ut declaratur, num. 25.
26 *In administratione Sacramentorum, ubi de valore ipsorum agitur, tutior seu probabilior pars eligenda & sequenda, relicta opinione etiam moraliter certò probabili.*
27 *Iudex non debet judicare secundùm opinionē probabilē, neglecta probabiliori sibi cognita.*
28 *In concursu opinionis probabilis, & probabilioris, in humanis actionibus moralibus, satius est tutiorem eligere.*
Quid in concursu opinionis tutioris, sed minùs probabilis, cum probabiliori, sed minùs tuta, ibid.
29 *In casibus quibus relinquitur facultas libera opinandi, in opinionum delectu magis fidendū probabilitati intrinsecæ quā extrinsecæ.*
Nova opinio, eo tantùm nomine quòd sit nova, non est contemnenda, ibid.
30 *Authoritas unius Doctoris an sufficiat ad probabilem practicè & proximè opinionem constituendam.*
31 *Indoctis & scrupulosis concedi potest uti consilio viri docti & timorati.*
32 *Religiosus Superiori aliquid præcipienti obedire tenetur etiam contra opinionem propriam probabiliorem & magis tutam, modò Superior præcipiat secundum probabilem, propter votum Obedientiæ.*
33 *Obedientia FF. Minorum nullam admittit limitationem, quàm ut præceptum Superioris sit contra animam subditi, aut Regulam, quod benè declaratur.*
Præcepta contra animam, vel Regulam, quæ dicantur, ibid.
Obedientia duplex est, imperfecta, & perfecta in Religiosis : ut explicatur, ibid.
Obedientiam perfectam observant Minoritæ,

T 2 *Charitatis*

Charitatis & Humilitatis, tam respectu Superiorum, quàm subditorum, ibid.
Superiores Religionis Minoricæ, vocantur Ministri, & quare? ibid.

34 *Religiosi Minores sunt veluti Instrumenta animata Prælatorum quibus perfectam præstant obedientiam ex voto.*
Obedientiæ Minoricæ perfectio & excellentia in quo consistat, ibid.

35 *Viro docto non licet agere cum sola extrinseca probabilitate, propria intrinseca reluctante.*
In dubiis tutior pars eligenda est in materia omnium virtutum, ibid.

36 *Indocti seu minùs periti in Moralibus, non debent statim sequi quod scriptum invenerint in uno, vel altero Authore, sed Doctos consulere debent.*

37 *Opinio inventa in libro impresso & ab Ecclesia approbato, non semper pro tuta in conscientia & probabili habenda est.*
Superiorum permissio, & censura seu approbatio in impressione Librorum, qualem tribuant authoritatem, ibid.
Censura & approbationes Librorum nō dāt authoritatē singulis Authorū opinionibus, ib.

38 *Opinio in libro alicujus Iunioris etiam de Superiorum licentia impresso inventa, non statim pro tuta & probabili habenda est, propter hoc solum quod non reperitur damnata ab Ecclesia.*
Opiniones Iuniorum, ut non sunt temerè sequenda, ita nec explodendæ, ibid.

39 *Alia est moralis veritatis seu opinionis probabilitas major, vel minor in se; alia verò quoad unumquemque: & quæ Regula in delectu adhibenda sit ad rectè operandum.*

40 *Author non semper rigidioribus, neque semper benignioribus opinionibus adhæsit, sed efficaciam & pondus rationum sequutus est in hoc Opere.*

41 *Tria Alexandri VII. Decreta referuntur ad literam, quibus propositiones* 45. *dānantur.*

42 *Decretum Innocentij XI. S.D.N. Papæ adducitur, quo simili censura propositiones* 65. *damnautur.*

43 *Prosper Fagnanus laudatur in* suo tr. de opinione probabili: *ubi plura recenset damna tum publica, tum privata inde orientia.*

44 *Author alias quoque propositiones scandalosas observavit aliquando refellendas.*

45 *Habens voluntatem violandi preceptum humanum obligans sub mortali, peccat mortaliter, licet postea mutato proposito non violet. Contra quorumdam sententiam quæ latè impugnatur*, ibid. & num. seqq.

46 *Minorita proponens deliberata voluntate recipere denarios, peccat contra Regulam, licèt reverà non recipiat.*

47 *Lex humana an possit obligare conscientias circa actus interiores.*

48 *Legis humanæ potestas in actus interiores latiùs examinatur, & exponitur germana D. Thomæ doctrina.*

49 *Actus interior dupliciter potest comparari cum exteriore, prout explicatur*, ibid.

50 *Legem humanam non prohibere actus interiores nec primariè, nec secundariè, quomodo intelligendum.*

51 *Doctrina P. Cypriani Crousers de Minore proponente contrectare nummos modificanda: alioquin falsa*, & n. 52.

52 *Minorita habens voluntatem determinatam habendi pecunias, peccat mortaliter contra Regulam & votum de illa observanda, coram Deo, ex malitia objecti.*
Idem dicendum in quocunque alio præcepto humano obligante sub mortali, ibid.
In judicio Dei, quantitas peccati tanta est sine opere exteriori, quanta cum opere: & prava voluntas coram Deo reputatur pro facto, ibid.

53 *Habens voluntatem non audiendi Sacrum, die festo; vel non recitandi Horas Canonicas, peccat mortaliter, quamvis postea suo satisfaciat officio.*

54 *Voluntas deliberata sine actu exteriori, facit bonum, vel malum, non secus ac cum illo, cæteris paribus.*
Voluntas prava, licet non veniat ad actum exteriorem, nihilominus dicitur peccatum commissionis, non omissionis, ibid.
Malitia, vel bonitas moralis tota pendet à voluntate, ibid.

55 *In Confessione Sacramentali sæpè omittitur declaratio seu occupatio pravæ voluntatis, quando mutato malo proposito, non habuit effectum.*

56 *Peccatum mortale toties committitur, quoties quis habet voluntatē deliberatā violandi præceptū etiā humanū obligans sub mortali.*
Atque ista peccata voluntatis sunt in Confessione aperienda, ibid.

57 *Præceptum Ecclesiæ audiendi Missam, præcipit etiam ut quis velit audire.*
Et qui Missam audit absque voluntate satisfaciendi præcepto, licet satisfaciat materialiter, peccat tamen formaliter contra aliud præceptum Decalogi, ibid.
Quomodo Ecclesia præcipere, vel prohibere possit actum internū sub Censura remissive. ib.

58 *Conclusio hujus primi Articuli.*

VIx primam cœperam Opellæ istius meæ graphidem exarare, cùm à Sanctissimo Papa Alexandro VII. tunc regnante, præsentissimæ emanarunt Sanctiones, (prout non semel in præmissis insinuatum est) quibus videlicet nimia in Christianæ disciplinæ relaxationem, & animarum perniciem luxuriantium opinionum licentia in dies magis magisque excrescens 1

excrefcens retunditur, cohibetur, condemnatúrque, quadraginta & quinque hujusmodi fignanter propofitionibus, ut minimùm, tanquam fcandalofis, prohibitis, rejectis, exterminatis; prout videre eft in ejus Decretis *de anno* 1665. *& de anno* 1666. mox ad calcem hujus Paragraphi referendis. Dum verò ipfa, utcunque abfoluta, lucubratio mea, elapfo abhinc anno, typis Aniffonianis commiffa, Lugduni excuditur, novum *hoc anno* 1279. à Sanctiffimo Papa Innocentio X I. (quem D. O. M. Ecclefiæ fuæ perutilem, morumque reformationi mira fedulitate, animíque conftantia incumbentem, diutiffimè fervet incolumen) prodiit Decretum, quo aliæ hujufmodi fexaginta quinque propofitiones pati omninò cenfura interdicuntur, fupprimuntur, & à fidelium mentibus, & praxi penitùs intenduntur explofæ. Harum autem tertia hæc eft: *Generatim, dum probabilitate five intrinfeca, five extrinfeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confifi aliquid agimus, femper prudenter agemus.*

2 Cum igitur de hac in moralibus actionibus requifita probabilitate confcientiæ, vel opinionis, nonnihil in præmiffis dixerim, prædictæ (ut puto, voluíque) femper adversùs propofitionis fenfum; ex abundanti hic proteftatum, ampliúfque declaratum me volo, eandem à Sanctiffimo damnatam fententiam nunquam mihi arrififfe, neque me ufquam illi, vel minimùm favere intendiffe. Eft etiam velut radix, ex qua pullulant omnes aliæ pariter ab Innocentio ipfo, & ab Alexandro prædicto damnatæ fententiæ. Sanè autem, ut reor, quandiu illa viguiffet, & *generatim,* (ut fonat) vel (ut ajunt alij) *in omni cafu* locum habuiffet, tandiù nullus luxuriantium opinionum anfæ, & licentiæ fuiffet finis impofitus.

3 Ex illa fiquidem ortum habet *primò* opinio dicentium, *Non effe illicitum in Sacramentis conferendis fequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nifi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: atque hinc fententiâ probabili tantùm utendum non effe in collatione Baptifmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epifcopalis.* Quæ eft prima propofitionū ab Innocentio XI. damnatarum.

Ortum habet *fecundò* eorū fententia, qui probabiliter exiftimāt, *Iudicem poffe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Quę eft propofitio fecunda ab eodem Pontifice interdicta.

Ortum habet *tertiò* affertio illa: Quòd, *fi liber fit alicujus Iunioris, & Moderni, debet opinio cenferi probabilis, dum non conftet, rejectam effe à Sede Apoftolica, tanquam improbabilem.* Quæ eft propofitio vigefima-feptima inter damnatas ab Alexandro V I I. Ex qua tamen à contrario fenfu id boni colligitur contra hujufmodi opinionum farraginem; quòd fcilicet omnes in prædictis tùm Alexandri, tùm Innocentij Decretis recenfitæ fententiæ, utpotè quæ à Junioribus utique, Modernifvè præfertim Doctoribus partim ex diverfis vel libris, vel Thefibus, feu fcriptis excerptæ, & quæ antiquatæ jam filentio obvolutæ jacebant, iterum fufcitatæ; partimque noviter ab ipfis adinventæ, in Scholafque, & in utrumque Forum, atque Tribunal invectæ; cenferi in pofterum nequeant opiniones probabiles, dum conftat, eas fuiffe rejectas, & fub cenfura damnatas à Sancta Sede Apoftolica, non folùm tanquam improbabiles, fed, ad minimùm, ut fcandalofas.

Ortum denique habet (ut paucis omnia complectar) *omnis omninò luxuriandi in opinando licentia, & anteà libera, quamcunque opinionem, quantumvis tenui, vel levi probabilitate fuffultam, intrinfeca, vel extrinfeca, pro fufficiente habendi ad prudenter in moralibus, & fic licitè, tutâque confcientiâ in omni cafu agendum.* Quod profectò admittendum non eft; quippe in Ecclefiam Dei infenfibiliter invehens morum omnium corruptelam.

Jure ergo in primis optimo, fanctóque, ac 4
veræ pietatis zelo fuccenfi, ac Spiritu Sancto afflante prædicti Summi Pontifices eas omnes opiniones ab Ecclefia exulare, penitúfque exterminatas effe voluerunt, & fanciverunt. Cúmque Summus Pontifex ex Cathedra dicens, docénfque Ecclefiam, in ijs, quæ ad Fidem fpectant, & ad mores univerfales ipfius Ecclefiæ, errare non poffit; ut alibi fuprà monftratum eft; (id, quod alij probabiliter tantùm, alij affertivè, & de fide tenendum pronunciant) confequens eft, ut propofitiones damnatis illis contrariæ habendæ fint pro veritate, certóque certius tenendæ, penè dixerim, ac fi effent de Fide; ita ut aliter in pofterum nefas fit opinari. Videatur Bordonus *tom.4. part.3. variar. refolut. c.113. de Canonizatione Sanctorum.* Videatur etiam Joannes Gabriel Borguin *p 4. Theolog. Scoti tract.2. difput.2. q.9.*

Quod tamen attinet ad *vigefimam feptimam* 5
ab Alexandro, & *Tertiam* ab Innocentio interdictas; fciendum eft, appriméque advertendum, ex textu præfertim *Decreti* Innocentij, fenfum Pontificium effe, damnare illas præcisè (ita ut reliquas omnes) in ea generalitate, & fenfu, quem fonāt, vel ficut jacent, ut loquitur Decretum. Nam fic profectò exorbitāt, dux illæ fignanter, & nimis laxant confcientiarū habenas.

Cæterùm verò non ob id tollitor omninò ab 6
Ecclefia jus agendi cum confcientia probabili, five operativa; hoc eft cum judicio rationis de aliqua re agenda ex opinione probabili, in ijs quæ non funt decifa: Hæc veri docti in reliquis nondum ab Ecclefia decretis cēfendi funt fanè

opinandi facultate privati. Atque in hunc sensum optimè locutus fuit ter Seraphicus Doctor meus S. Bonaventura *in 1. sent. dist. 27. p. 1. q. ult. in corpore* dicens: Contrariè opinari vel potest esse circa ea, quæ spectant ad doctrinam Christianæ Religionis; (id est quæ sunt de necessitate Fidei, vel Morum; ut explicat *ibid.* S.D. *ad primum* vel circa ea, quæ spectant ad doctrinam humanæ inquisitionis. Circa ea, quæ spectant ad doctrinam humanæ inquisitionis, licet contraria opinari, & contra asserere; quia illa non faciunt ad salutem: (hujusmodi sunt quæstiones ferè omnes philosophicæ; ut An principia intriuseca rerum naturalium sint tantùm tria, vel plura, aut pauciora? An materia prima sit corpus, vel corporea? An habeat actum entitativum? & his similia.) Circa autem illa, quæ spectant ad doctrinam Religionis distinguendum est: Nam quædam sunt de necessitate Fidei; quædam de necessitate Scripturæ; quædam sunt his annexa, ut sunt quæ faciunt ad Fidei explicationem, & Scripturæ expositionem. Atque his addi possunt, tanquam Fidei annexa, quæ sunt de necessitate Morum: ut patet ex Seraphico *in responsione cit. ad primum.* Circa ea, quæ sunt de necessitate Fidei, opinari contraria, simpliciter est peccatum in altero opinantium, scilicet qui falsum opinatur. Et, si sit simplex opinio, est peccatum erroris; si autem assertio, & defensio, non tantùm error, sed hæresis dicenda est: In his autem, quæ sunt de certitudine Scripturæ, ignorantes Scripturas possunt contrariè opinari; nec est culpa, si unus simplex homo credat, v. g. quòd Iacob fuit Pater Isaac, alter non, sed è converso. Et licèt ille primus suspicetur, vel opinetur, tamen non peccat, quia ignorat Scripturam. Scienti autem Scripturam, non licet immò peccat, si simpliciter opinetur: (cum teneatur credere, & tenere de Fide, tanquam à Deo revelatum in Scriptura,) si autem in contrarium asserat, & defendat, hæreticus est judicandus; quoniam contradicit Scripturæ Sacræ. In his autem, quæ sunt annexa Fidei, vel Scripturæ, dicendum, quòd ante percunctationem, & Ecclesiæ vel Summi Pontificis ex Cathedra (& ut est Ecclesiæ Caput) pronunciantis determinationem, licet contrariè opinari; sed post procurationem, & determinationem non licet: immò peccatum est; sicuti in his, quæ determinata sunt per Fidem, & Scripturam. Ita Seraphicus ferè ad verbum, quem vide. Viget igitur in Ecclesia Dei etiamnum integrum his agendi in Moralibus ubi nulla est Decisio Canonica, in contrarium, cum conscientia formata ex opinione probabili: pariterque in iisdem rebus, & terminis Viri docti jure suo probabiliter, riteque opinandi potiuntur.

7 Porrò, sicut *Opinari* longè differt ab eo, quod est *Dubitare*; sic opinio latè distat à Dubio. Etenim Dubium, vel Dubitandi actus seu Dubitatio tunc est, quando intellectus neutri parti assentitur, sed ambiguus manet, & suspensus, quasi in æquilibrio, non magis pendens ad vnam partem, quàm ad alteram: id quod ei accidit; quia nulla ei occurret ratio sufficiens, cujus merito prudenter se determinet ad uni potiùs parti firmiter assentiendum, quàm alteri. Ita & Seraphicus *in 3o. dist. 17. dub. 3. lit.* dicens: Dubitatio propriè dicit indifferentiam judicij rationis respectu utriusque partis contradictionis, ita quòd neutrum præeligat alteri. Quòd si quis ita se habeat, quoad judicium rationis in moralibus, extra exercitium, dicitur habere dubium speculativum: practicum verò, si in exercitio; ut communi fertur sententia. Tametsi hæc adeò decantata distinctio dubitationis, seu Conscientiæ dubiæ in speculativam, & Practicam, penitùs rejciat Gaudentius noster *tom. 4. tract. 1. disput. 17. quæst. 20.* & utramque esse practicam teneat, cum Seraphico *in 2. distinct. 39. art. 1. quæst. 1. in corp.* Quia omnis dubitatio, vel conscientia dubia in materia morali, (ita & omne judicium) vel in actione, seu exercitio, aut praxi est, & ad actionem, seu exercitium, aut praxim dirigitur, & ordinatur, etiam extra, vel ante illam. Ita ille ad hominem cum S.D. Cui propterea libenter assentior, censeóque cum ipso, tàm varias hac de re opiniones, & modos dicendi adeò multiplicatos, quos ipse refert in exordio quæstionis ex Diana, & alijs, haudquaquam deservire ad novas vias salutis aperiendas, & multiplicandas; ut jactant Sancius *in selectis, disput. 44. num. 70.* Caramuel *ad Regulam D. Benedicti, num. 60.* & Bassæus *v. Conscientia, sub num. 21.* Sed potiùs ad labyrinthos incautis construendos, per quos in os tartarei decidant Minotauri. Ob idque absolutè asserendum puto, cum eodem Gaudentio *cit. quæst. 21.* non esse licitum operari in moralibus cum conscientia dubia; manente dubia. Neque admitto eorum distinctionem, quod liceat operari cum conscientia manente speculativè dubia, non autem practicè tali. Quando enimcumque conscientia dubia est, sive ante, vel extra exercitium, & sic (ut inquiunt) speculativè; sive in ipso exercitio, & sic practicè; semper practicè reipsa dubia est; ut mox fuit ostensum ad hominem. Quòd si in exercitio dubium deponat, prout vere illud potest deponere, sive perpensa, & percepta insufficientia causæ dubitandi sive occurrente aliqua ratione probabili, quæ solvat rationem dubij, & suadeat opus esse licitum, jam profectò etiam omne dubium, quod speculativum appellant, pellatur, vel corruat necesse est. Atque hæc de Dubio, vel Conscientia dubia.

Jam

8 Jam verò Opinio probabilis, vel probabiliter opinandi actus, est assensus prudens unius partis, fundatus in firmis rationibus, cū timore tamen, & formidine, ne pars opposita sit vera: Unde inquit Aristoteles 5. *Ethic.* quòd opinio est circa ea, quæ aliter se habere possunt. At melius dicam cum Magistro meo *in tract. de Habitibus, cap ult.* (quem superstitem, & modò in Romana Curia tutius nostræ Congregationis Procuratorem Generalem optimè meritum diu sospitet, servétque Deus opt. Max. ad ejusdem Ordinis profectum, & ornamentum.) Dicam, inquam, quòd opinio est Habitus incertus, & inevidens, (potest etiam dici Actus, cum possit sumi pro utróque, pro Actu scilicet, & pro Habitu) qui versatur circa objectum probabile per medium probabile, habens formidinem oppositi, si non actualem, potentialem saltem, sive radicalem. Ubi per objectum probabile intelligitur, quod est tale formaliter, idest sub ea ratione, qua per medium, seu argumentum probabile cognoscitur; non autem materialiter, hoc est sub ea ratione, secundùm quam in se est: quia sic sæpè est res necessaria, vel de Fide. Per formidinem verò actualem intelligitur quidam timor, vel vacillatio quædam, quæ actu habetur, ne oppositum etiam sit verum, vel falsum: per potentialem verò, seu radicalem intelligitur quidam timor, formido, seu vacillatio, non actu existens, sed solùm potentia, seu radicaliter, quatenus scilicet vel objectum ipsum, circa quod versatur opinio, vel saltem medium, seu argumentum, quo objectum illud, etiamsi cæteroqui necessarium, vel de Fide, suadetur, tale est, utpote probabile tantùm, ut sit aptum natum relinquere formidinem, vacillationem, vel timorem quendam, ne oppositum ejus, quod suadetur, possit esse verum, vel non esse.

9 . Unde benè S. Bonaventura *in 3. distinct. 24. art. 2. quæst. 2. in corpore.* ait, quòd opinio probabilis dupliciter consuevit accipi. Uno modo dicitur opinio assensio unius partis cum formidine alterius. Alio modo dicitur opinio assensio animæ, generata ex rationibus probabilibus, secundùm quòd consuevit dici, quòd syllogismus Dialecticus generat opinionem, & syllogismus demonstrativus generat scientiam. Et sic, si opinio dicatur primo modo, prout habet secum annexam formidinem, & vacillationem, non potest simul stare cum habitu Fidei circa eandem materiam, vel objectum; pro eo quòd Fides facit plenè consentire in alteram partem, ita quòd omninò teneat ejus oppositum falsum, & erroneum; nec propter aliquam rationem supervenientem potest ad oppositum inclinari: & ideò, quia tollit fluctuationem opinionis, isto modo dicendi opinio simul cum Fide (idem dic suo modo etiam de scientia, & opinione) non potest se compati. Si autem opinio dicatur secundo modo, scilicet assensio derelicta ex rationibus probabilibus, sic dicendum est, quòd circa idem simul, & semel potest esse opinio, & Fides: (ita & scientia, & opinio,) quorum multi Fideles habent ad ea, quæ credunt, multas verisimiles rationes, & multas probabiles, quæ habent generare opinionem, quantùm ad secundum modum dicendi opinionem; & illa quidem assensio generata Fidei non repugnat, (ita nec scientiæ) immò subservit, & famulatur. Est enim in Fidei fomentum, quantùm ad infirmos, & oblectamentum, quantùm ad perfectos. Hæc S. Doctor quem vide etiam *in primo sentent. q. 1. & 2. Prologi*, ubi ostendit, quòd multùm confert Fidei probabilitas rationum. Quæ doctrina ita est intelligenda, ut opinio, quam *S. Doctor* dicit generari ex rationibus probabilibus, & stare simul, & semel cum Fide, sit quoddam judicium, quo Intellectus judicat, & cognoscit propositionem illam, de qua habetur scientia, vel constar esse necessariam, aut de Fide, probari etiam per medium, seu argumentum probabile; & præter rationem demonstrativam, & certitudinem per ipsam, aut per Fidem, aut per ipsam rei necessitatem primò, & principaliter causatam, habere etiam verisimilitudinem propter rationem probabilem: quo quidem judicio Intellectus magis inclinatur, & fulcitur ad assensum illius propositionis; quam tamen non elicit principaliter propter illam rationem probabilem, sed propter demonstrativam, aut propter Fidem, aut propter ipsam rei evidentiam, & necessitatem, minùs tamen principaliter influit, saltem extrinsecè, & dispositivè, etiam ipsa ratio probabilis, ut subveniens, & famulans, inclinando scilicet intellectum ad assensum illius veritatis, ex qua inclinatione intellectus faciliùs & intensiùs assentit veritati: Et sic opinio, aut cognitio habita per medium probabile in hoc casu non relinquit formidinem, seu vacillationem, nec inducit apparentiam, seu evidentiam certitudinalis apprehensionis, vel cognitionis, ad modum scientiæ, quæ removentur a Credibili, & à Fide. Sicque & Fides vera, & meritoria stat cum opinione, non ita tamen quòd principaliter innitatur opinioni, & experimento rationis probabilis, tanquam fundamento: sic enim non haberet meritum; ut ait D. Gregorius: immò multò magis assensio illa probabilis ex rationibus acquisita, de qua dictum est, quod potest opinio dici, innititur ipsi Fidei, tanquam firmiori, & ideò excludit omnem formidinem, & vacillationem. Quod ex eo patet; quia multæ rationes videntur nobis Fidelibus probabiles, & valde rationabiles circa Fidem, quæ abusiones quædam videntur esse

T 4 hominibus

hominibus infidelibus. Ideóque illa assensio, vel opinio excludens formidinem magis innititur Fidei, quàm è converso. Hæc est mens vera *S. Bonaventuræ*; cui concordat D. Thomas *prima 2. q. 67. art. 3. & in 3. p. q. 9. art. 3.* ubi ait; Opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur; qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam: quia ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Ita Angelicus Doctor.

10 Atque ex allata non abs re fusè *Seraphici* Doctrina ferè sufficienter colligi obiter potest, quàm falsò, & contra Fidei veritatem, & puritatem pronunciaverint, qui aut Thesibus, aut scriptis, vel libris editis docuerunt *primò*. Voluntatem non posse efficere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quòd mereatur pondus rationum ad assensum impellentium, *secundò*, Quodque hinc posset quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. *Tertiò*, Assensum Fidei supernaturalem, & utilem ad salutem stare cum notitia solùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. *Quartò*, Quòd Fides latè dicta ex testimonio Creaturarum, similivè motivo ad justificationem sufficiat. Quæ sunt propositiones *Decima nona, vigesima, vigesima prima, & vigesima tertia*, in ordine *condemnatarum* ab Innocentio XI. A quibus propterea latiùs impugnandis, & refutandis supersedeo, cum non sit hujus mei præsentis instituti. Ratiocinetur quisque ex allata Doctrina, si lubet.

11 Meum est igitur differentiam refricare, quam attuli, inter Dubium, & Opinionem, de qua est sermo: siquidem Dubium est actus intellectus anceps, & indeterminatus, ex eo quòd intellectus ipse ex sua imperfectione, & ruditate nesciat investigare aliquam probabilem, firmamque rationem, cujus ductu determinet de eo, circa quod dubitat. Quòd si Dubitatio, vel Dubium ex nullo, aut levi fundamento degeneret in sollicitam quandam trepidationem, quæ reddit hominem nimis timidum, anxiúmque vel de præteritis humanis actibus, quasi malè, & peccaminosè actis, & non expiatis; vel de in præsentiatnm agendis, aut peragi cœptis, quasi malis, scrupulus dicetur, vel scrupulosa Conscientia; ut tradit Gaudentius *cit. quæst.* 24. cum Seraphico *in Compend. Theolog. verit. lib. 2. cap. 52. & in Centilog. p. 1. sect. 11.* quem sequuntur Sylvester, Vasquez, Valentia, Tannerus, Gerson à Gaudentio citati, & alij communiter. E contra verò, opinio est actus intellectus certus, & determinatus ad unam partem, ex eo quòd Intellectus ipse scit sibi Christiana investigatione invenire rationabile, & firmum fundamentum determinandi rem, de qua facit opinionem. Quia nihilominùs non habet eam certitudinem, evidentiam, & infallibilitatem, quæ reperitur in actu scientifico, idcircò habet adjunctam formidinem, & vacillationem aliquam circa partem oppositam; quæ tamen opinantem non impedit, quominùs prudenter dicatùr agere; operando secundùm conceptam opinionem sive propriam, sive alienam, idest consilio ab aliquo alio docto, pioque viro acceptam: eo quòd causa operationis non est illa formido, aut vacillatio, sed ratio firma, & non levis momenti, eáque ad recti, vetique amussim, non prava, atque distincta; quæ suadet, sic secundùm veri, aut æqui similitudinem operandum, aut posse operari.

Opinio ergo probabilis illa est, quæ habet firmas rationes, & probatos Doctores, non nomine, sed re: magis enim creditur, & credendum est Doctori propter rationem, quam affert pro sua opinione, quàm suæ dignitati, aut nomine: Doctori enim asserenti sine ratione non est credendum; ut dicit Megala *lib. primo de Pœnit. cap. 9. num. 16.* apud Bordonum *suprà cit.* quia opinio non ex fide humana, sed ex ratione nascitur: itaut illa sit probabilior, quæ in Christianæ, syncetæque mentis, conscientiævè examine deprehenditur innixa melioribus fundamentis, efficacioribus rationibus, adjunctis gravioribus, probatioribúsque Doctoribus; quorum auctoritati plurimum quidem deferendum est: ac semper Ratio auctoritati, ita & Consuetudini præferenda; excepta Consuetudine, & auctoritate vniversalis Ecclesiæ, quibus privata cujusque ratio concedat oportet, ut mox dicemus etiam de quibusdam alijs, privatæ item cujusque Neoterici præsertim opinantis rationi præferendis. 12

Quòd si ratio fuerit prava, atque distorta, vel nullius, levisvè momenti, aut facilè per interemptorem (ut phrasi utar Seraphici) diluatur, fugienda erit, non sequenda. Prava autem perhibebitur esse, quoties non Divinæ voluntati, auctoritatique morigeratur. Divinam autem voluntatem hæc septem nobis enunciare: Sacra volumina; œcumenica Concilia; Christi, & Apostolorum Traditiones; Ecclesiæ universalis Consuetudo, & practica Auctoritas; Romanorum Pontificum leges, & Jussa; cujusmodi sunt novissima, quorum gratia hæc scribo, Alexandri VII. (& Innocentij XI.) Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum una vox, atque concordia, Theologorum in Gymnasijs disceptantium conspiratio, atque 13

atque consensio. His septem privata uniuscujusque ratio, vel opinio omninò cedat oportet; ut testatur Comitolus *lib. 5. respons. moral. quæst. 15.* Quantum autem roboris unicuique horum septem respectivè deferendum sit, tradunt Theologi, ubi de locis Theologicis, cum Cano, & alijs, de his ex professo agentibus.

Sanè etenim (ut docet D. Augustinus *epist. 118.*) insanissimæ arrogantiæ est, existimare non rectè fieri, quod ab universa Ecclesia fit, aut aliter sentire faciendum. Quod verò ad Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum unam vocem atque concordiam non deferendam attinet, hæc est sententia D. Augustini contra Donatistas, apud Divum Bonaventuram *lib. 1. Pharetra, cap. 45.* teste Gaudentio *cit. q. 10. num. 101.* Non facilè pro uno, vel paucis, adversùs innumerabiles Religionis, & unitatis viros, & magno ingenio, & verbi doctrina præditos; nisi pertractatis pro viribus, & benè perspectis rebus, ferenda sententia est. Quare doctissimus, & pijssimus P. Theodorus Forestus noster Gaudentij citati Magister sic graviter, Gaudentio ipso testante *ubi suprà*, discipulos suos monebat: *Seligite opiniones sanctorum: Iam hi tuti è cœlo viam demonstrant.*

14 Cæterùm, ut vel ipse Marcus Tullius Romanæ eloquentiæ Princeps *lib. primo de natura Deorum*, naturalis rationis ductu scriptum reliquit; Non Auctores in disputando, sed rationis momenta quærenda, & pendenda sunt. Neque enim Philosophi ipsi in hominis definitione Authoritatem, sed Rationem collocant; eúmque dicunt Hominem, non qui Authoritate, sed qui Ratione utitur. Et, ut præclarè D. Thomas 1. 2. *quæst. 90. art. 1.* Regula, & mensura humanorum actuum Ratio est. Traditque hic S. Doctor duplicem normam, ad quam humana voluntas, & actio est dirigenda: Unam primam & remotam quæ æterna Dei est voluntas, & ratio; alteram propinquam, & homogeneam appellat, quæ humana est ratio. Enodantur autem hæc ab eo subtiliùs 1. 2. *quæst. 19. art. 4. 8. & 10. & quæst. 71. art. 6.* Et in *quæst. 95. art. 2* quærens, utrum lex omnis humanitùs posita à lege naturali derivetur? his verbis respondet: In rebus humanis dicitur esse aliquid justum, quod est rectum, secundùm regulam rationis: Rationis autem prima regula est Lex Naturæ. Concordátque cum Angelico, Seraphicus *in primo dist. 48. per totam*, & in 2. *dist. 39. art. 2.* & per totam passim; & utrúmque sequitur, & explicat Gaudentius *citat. q. prima & 4. & 25.* quem vide, & Comitolum *citat.* egregiè hac de re disserentem.

15 Et ecce, quòd, sicut Dubium, seu Dubitatio non sumitur in præsentiarum lato modo, prout scilicet dicitur Indifferentia quædam partis sensibilis ad sequendum affectum naturæ inclinantem, vel rationem imperantem, aut dictantem; cujusmodi dubitatio potuit esse etiam in Christo; ut in hunc sensum explicans D. Ambrosium *lib. 2. de Fide*, apud Magistrum *in 3. dist. 17. cap. 3.* docet Seraphicus *ibid. dub. 3. lit.* sed sumitur propriè, prout scilicet dicit Indifferentiam judicij rationis respectu utriusque partis contradictionis; ut explicatum est *suprà*: quo modo nequaquam cecidit in Christum dubitatio, nec cadere poterat; sicuti nec ignorantia, nec error, cùm habuerit scientiam omnium futurorum, & sub certitudine; ut benè Seraphicus *mox cit.* Ita non est sumenda opinio lato modo, quatenùs scilicet opiniones communiter vocantur, diversa hominum dicta, vel effata etiam Doctorum, præsertim nonnullorum recentiorum, qui corruptæ naturæ labe ad partem sensibilem inclinantes, quinimmò & putantes, obsequium se præstare Deo, satagunt, & toto nisu contendunt opiniones sibi efformare, & alijs tradere relevantes à peccato; cum sic (ut ajunt) nil detrimenti Deo superoriatur, homini verò maxima comparetur utilitas; ut minùs mihi probatus approbat, & latiùs sustinet Sancius *in selectis, disput. 44. à num. 65.* cui concinit Caramuel *in Reg. S. Benedicti, disput. 60. num. 883.* teste Gaudentio *cit. quæst. 10. num. 182.* Non sic, inquam, sumenda est opinio: Siquidem sententiæ hujusmodi, cum, ut plurimùm, luxuriante ingenio fuerint adinuentæ, minimèque proindè ad mox supra traditam veræ, & propriè dictæ opinionis probabiles amussim fiunt pronunciatæ, nequaquam securitatem conscientiæ causare possunt; ut observat, & concedit Sancius ipse *disp. 43. num. 49.*

Hinc benè Durandus *lib. 2. in Bullam Cænæ Domini, Cano. 15. quæst. 4. conclus. 1. num. 8.* ait, 16 Doctorum numerum, ac etiam gravitatem non facere opinionem communem, idest probabilem, & communiter sequendam; sed rationes, ac resolutiones occurrentium difficultatum, etiamsi solius Doctoris sententia fuerit, eam constituere: cum possit (inquit) & unius, ac deterioris sententia & multos, & meliores superare. Citátque Decium *consil. 499. num. 12. & consil. 258. num. 1.* Recollectorem *commun. opin. lib. 3. cap. 5. num. 9. vers. Quanta opinio:* & Martam; ex quo etiam, cum Panormitano *in cap. Bona: lib. 1. num. 30. de postulation.* & alijs id probantibus, affirmat, etiam, illos Doctores constituere communem opinionem, ut præfertur, qui articulo maturè discusso, in ipso casu, de quo agitur, consilia ediderunt; non autem qui leviter, & sine aliqua, aut cum modica ratione scribentes illam sequuntur. Neque à Duardo dissidet Comitolus *cit. num. 5.* ubi causas assignans, cur in opinionum delectu uni potiùs,

potiùs, quã alteri assentiendũ sit; tertiam enumerãs ait: *Tertia* causa est, si in ea, quæ disceptatur, quæstione studiosiùs, ac vehementiùs elaborarunt, scilicet Doctores, quos consulimus, vel quorum scripta, librosvè pro opinione eligenda perscrutamur. Immò quintam quóque recensens causam *ibid.* subdit: *Quinta* causa, si sint multitudine plures, dummodò in utroque contendentiũ agmine sint cætera paria: etenim si rebus quibusdam alijs minimè exæquarentur, non essent necessariò plures paucioribus anteponendi; immò deberent interdum pauciores pluribus anteferri, præsertim si in paucioribus plura inessent ingenij, & doctrinæ lumina, si major in ijs usus, si major auctoritas, si major sanctitas eluceret. Hæc *Comitolus.* Quare Romanus Pontifex Pius II. *in Epistola ad Ludovicum XI. Gallianum Regem*, hoc idem, quod nunc assero, his verbis confirmat, quæ utique à Majore, Adriano, Conrado & Comitolo *cit.* recitantur, nimirum: scriptura, quæ ait: *Ubi multa consilia, ibi salus:* consiliorum multitudinem non requirit, sed maturitatem, & digestionem; quæ res in paucis, quàm in multis faciliùs reperitur. Neque enim honestas, aut justitia multitudine facilè suadetur, quæ varijs affectibus agitata ad pejora frequenter inclinat. Ita Pontifex ille. Addo, quod ad hoc ipsum propositum Justinianus Imperator. *C. de vet. jur. enucleando, l.* 1. hisce verbis edicit, sui utique Fori Judicibus juris dicendi regulam præscribens; scilicet: sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius & æquius est, judicato; cum possit unius forsan, & deterioris sententia & multos, & majores aliquâ in parte superare. Hæc *ibi* Justinianus. Plura vide apud Comitolum *cit.* Sed præstat obiter observare, & premere verba Imperatoris mox allata: ex illis enim nec minimùm extortè elicitur, sensum, & intentionem ejus fuisse, quòd sui Judices, & Ministri judicarent, quod melius, & æquius esset, juxta probabiliorem opinionem: id quod propterea jure optimo, meritóque sancitum intendit Summus Pontifex Innocentius XI. dum inter damnatas à seipso propositiones secundo loco recenset sententiam probabile, seu probabiliter existimantium, *Judicem posse judicare, juxta opinionem etiam minùs probabilem*: Sicut & in Foro Sacramentali, ubi de valore agitur Sacramenti, tutiorem absolutè intendit esse sequendam; ut patet ex damnatione primæ earundem propositionum ab ipso condemnatarum.

17 Undè tandem tenendum restat, quòd, ut opinio probabilis sit: quod est dicere, ut opinio verè, & propriè opinio dicenda sit, (non lato modo, ut cautum est suprà) minimè sat est, à varijs eam sapientibus asseri, sed etiam immò præ omnibus opus est, eam optimis argumentis, firmisque rationibus confirmari. Et ita advertit ex Garzia *tom. 2. de Benefic. p.* 11. *cap.* 5. *num.* 363. Sancius *citat. disp.* 29. *n.* 7. *in fine.* Quod etiam tenet Medina 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. & Aragonius 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. quos *ubi suprà* allegat Sancius, idipsum alibi docens præsertim *disput,* 14. *n.* 8. ubi sic habet: Esto, per principia extrinseca, scilicet ob authoritatem Doctorum dicimus *disp.* 41. *n.* 7. posse aliquem operari, juxta opinionem aliorum, quantumvis eam reputet falsam: id tamen verum non est, quoties ratio omninò evidens, & convincens authoritati Doctorum opponitur; aut quoties suæ ipsorum authoritati suadentia argumenta, & rationes Doctores non adjungunt. Vide, quæso, quàm ferè ad nihilum restringat propositionem illam tàm latam *Sancius* ipse. Proindè illam ego minimè admitto, nisi rationes alienæ sententiæ tales sint, ut omninò evacuent fundamenta meæ ipsius propriæ, atque adeò ex tunc illam reijciam, ut non ampliùs mihi probabilem & habeam pro veritate, amplectarque ut propriam, quæ erat aliena. Quod ampliùs ex dicendis cõstabit. Rationem prædictorum optimè profert Sancius *cit. disp.* 48. *n.* 48. Quia (inquiens) opinio seu sententia habens pro se plures Doctores falso, aut nullo nixos fundamento, perindè valet, ac si nullum haberet assertorem. Videatur ille *disp.* 41. *cit.* ubi allegat Garziam *ubi supra* §. 4. *à n.* 60. Valentiam *t.* 3. *disp.* 5. *q.* 7. *pu.* 4. Lopez *t.* 1. *instruct. c.* 220. *&* 287. Salon. 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *controv.* 1. & Granado 1. 2. *tr.* 12. *disp.* 4. *sect* 2. *n.* 16. Videãtur etiam Lezana *t.* 4. *v. opinio*, Tamburinus *in Decal. lib. primo c.* 3. §. 1. *& seqq.* Cardin. de Lugo *t.* 1. *de Iust. & Iure disp.* 16. *sect.* 5. *n.* 97. Bardi *de Conscientia, discept.* 4. *c.* 8. Bordonus, *cit.* & in *opusc. de opin probab.* & Cotonius *alibi cit.* Castro Palao *in opere morali t.* 1. *disp.* 2 *pu.* 1. *& seq.* & iterum de Lugo *disp.* 15. *de Eucharist. sect.* 2. & alij hac de re scribentes.

His explicatis, redeamus modò ad duo illa asserta: *Primum* scilicet quod etiamnũ, post decreta prædicta Alexandri, & Innocentij, & alia, si quæ extant, adversùs particulares opiniones, vigeat in Ecclesia Dei integrum jus agendi in moralibus, ubi nulla est Decisio Canonica in contrarium, cum conscientia formata ex opinione probabili. *Secundum* verò; quod in ijsdem rebus, & terminis viri docti jure adhuc suo probabiliter, ritéque opinandi potiantur. 18

Quoad primum igitur, advertendum, est quòd opinio probabilis versatur circa veritatem practicam, quæ fundatur in probabili apprehensione, & æstimatione Intellectus cujusque hic, & nunc judicantis pro alterutra parte, è gravibus motivis, firmisvè rationibus, tametsi non necessarijs, sed tantùm probabilibus orta; & ideò non consistit in indivisibili, sicuti veritas rei physicæ in confirmatione intellectus 19

tellectus ad rem existentem; sed habet latitudinem in se; quia consistit in operatione conformi recto judicio practico, qui ab unoquóque operante sumitur ex medijs, vel rationibus probabilibus, plus, minusvè, quia & diversimodè apprehensibilibus, atque æstimabilibus à diversis operantium intellectibus, pro diverso singulorum captu, & varia intelligentia. Quare intra fines, & totam latitudinem opinionis probabilis alia est opinio moraliter certò probabilis; alia verò non moraliter certò sed probabiliter tantùm, vel dubiè probabilis.

20 Prima est, quæ certò probabilibus, solidisque, ac firmis nititur fundamentis, quin & probabiliter etiam adversæ partis objectiones, vel rationes solvit, nec ab adversatijs in praxi reijcitur, aut improbatur; & sufficienti gravium Doctorum auctoritate fulcitur; modò non sit contra Scripturam Sacram, Diffinitiones, vel Consuetudinem Universalis Ecclesiæ, Traditiones Patrum, & communem Doctorum consensum, vel opinionem. Communis tamen Doctorum consensus, vel opinio non est intelligendus, ubi plures habentur Doctores, qui præcedentes sequuntur instar avium, vel ovium, quæ gregatim inconsideratè præeuntem subsequuntur; ut lepidè ex Navarro, & alijs ait Gaudentius *cit. quæst.* 10. *n.* 64. *&* 101. & nos alibi notavimus *§. præcedente.* Ille igitur erit communis consensus, vel opinio Doctorum, atque adeò probabilis, qui (ut ait Aristoteles 1. *Topic. c.* 1.) Sapientibus omnibus, aut pluribus videntur, idest Classicis Doctoribus, quorum singuli pluribus gregarijs prævalere, maximè ubi ex professo subjectam opiniuni materiam eventilaverint. Inter Veteres tamen, & Recentiores Doctores hoc discriminis asserit etiam Gaudentius *cit. num.* 102. quod & nos asseruimus *§. præcedente*, cum Georgio Gobat; ut Veteres simpliciter Graviores sint: at Recentiores, qui Veterum monumenta, librosvè, atque sententias perscrutati sunt, & nova etiam agnita, & addita callent, proferunt de thesauris suis nova, & vetera simul; & ideò securiùs ducunt in Moralibus, maximè ubi Decreta Ecclesiæ intermiscentur, vel Concilia, Bullæ Pontificum, vel peculiaria Statuta, & Declarationes. Cum hoc tamen stat, quòd ubi hujusmodi Decreta, &c. non obstant, Veteres Doctores, & præsertim Sancti Patres non sint facilè refellendi, aut deserendi: jam enim hi (ut dictum est *suprà* ex sententia *Foresti*) tuti è cœlo viam demonstrant.

21 Cæterùm verò, ut Recentiori Doctori tantum deferam authoritatis, quòd possit ejus placitum, & sententia pro opinione haberi probabili, has incunctanter conditiones requiro. *Prima*, ut sit pius, & probus: unde attendendum, an sit homo, qui affectans placere mundo, aut populi applausum quærere, coacervantis sibi Magistros prurientes auribus, & à Veritate aversum auditum, ad fabulas verò conversum habentis, (ut phrasi loquar Apostoli 2. *Timoth cap.* 4.) novas, & laxiores, sensúsque conformes sententias evulgat: talis námque non est censendus pius, & probus. *Secunda*, quòd sit Vir doctus; quia Doctori (ut diximus *suprà*, & ait etiam Lezana *cit. num.* 3.) non est credendum propter dignitatem, sed propter doctrinam solidam, firmásque rationes, quibus ejus sententiæ pollent. *Tertia*, quòd rem, de qua profert sententiam, ex professo discusserit, & in ea elucidanda, vel enucleanda studiosiùs, ac vehementiùs elaboraverit, insudaverit: quia qui rem casualiter, incidenter, aut perfunctoriè tantùm discussit, seu potiùs tetigit, non est fide dignus in sententia circa rem ipsam ferenda. *Quarta*, quòd non studio, affectúque partium, sed merè Veritatis adinveniendæ, & cognoscendę cupiditate ductus ad disceptandum, vel tractandum de subjecta materia devenerit; quódque adversis percipiendis rationibus commodi, pacauique Iudicis aures, animúmque præbuerit. Elegauter enim, juxta ac Pbilosopbicè *in* 3. *Met. non longè à principio* ait Aristoteles: Meliùs se habere necesse est illũ ad judicandum, qui tanquam advetsarius omnes utrimq; rationes oppósitas audit. Da itaq; mibi aliquam opinionem extrinseca probabilitate, bujusmodi Doctoris autboritate, probabilem; & facilè concedam tibi, eam esse verè, & certò probabilem; quia hujusmodi Doctoris authoritas facilè, & non levi, sed gravi fundamento suadet, supponendam etiam probabilitatem intrinsecam, scilicet rationum solidatum & non nullius momenti. Quia & concedam, ejusmodi opinionem, etsi singularem, præponi posso contrariæ aliorum plurium, qui aut omnibus, aut aliqua ex prædictis conditionibus careant: prout mibi concedunt Lezana *cit. n.* 3. Castropalao *cit. n.* 12. Villalobos *in sum. tom.* 1. *tract.* 51. *diffic.* 7. *num.* 3. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 30. & Pasqualigus *in Decis. Moral. de opinion. elect. Decis.* 2. apud ipsum Lezanam. Quibus libens assentior, & absque dubio violandi censuram Alexandri VII. ob vigesimam septimam propositionem ab ipso damnatam; déque *infrà*.

Secunda verò, nempe opinio probabiliter tantùm, sive dubiè probabilis, ea est, quæ à quibusdam quidem tenetur, sed à pluribus improbabilis judicatur, & refellitur; (præsertim si à probatioribus, & sapientioribus) utpotè nimis levi, & tenui; ac proinde insufficienti fundamento innixa: non enim prudenter, ac certò probabiliter agit, qui ejusmodi levi, ac tenui motivo ductus agit; juxta Aristotelis sententiam 6. *Ethic. cap.* 3. *&* 6. ubi docet, quòd 22

ob

ob defectum solidi fundamenti, & certitudinis moralis opinio honesti non est judiciũ prudentiæ;(ut refert Gaudentius *cit. q.*10.*n.*88.) quia non ita fertur in suum objectum, ut non possit esse falsa.(& hæc re ipsa est opinio lato modo sumpta, de qua *suprà.*) Quodnam enim, quæso, Christianæ prudentiæ argumentum est, quodnam curandæ propriæ salutis indicium, hujusmodi probabiliter tantùm, & dubiè probabilem opinionem & sola voluntatis electione, & adhæsione, non rationis delectu sequi, ubi aliam certò probabilem vel quispiam alius indicat, vel etiam propria conscientia sequendam dictat? An non hoc est à ratione discedere? An non secundùm Deum, lumenvè vultus sui, quod ipse met signavit super nos, vivere nolle? Nemo enim secundùm Deum vivit, qui non secundùm rationem vivit; ut scribit D. Athanasius *lib. de Incarnat. verb.* Annon hoc est aut velle relinquere moralem veritatem cognitam, & unicuique unam, atque indivisibilem, ut dictum est *suprà*, & amplius ex dicendis constabit; aut illam nolle intelligere, ut benè agatur, vel ut benè de agendis, eligendisvè judicetur? Has omnes aliásque similes rationes latiùs prosequitur, exaggeratque *Comitolus cit.* ubi cum Gandavense, Gestore, D. Antonino, Joanne Majore, Corrado, Adriano, Caietano, Soto, Sylvestro, Angelo, Tabiena, Navarro, & Panormitano *ibi* allegatis modicùs sustinet (haud leviter sigillans Armillam contrarium docentem) non esse tutum in rebus moralibus probabilem sequi opinionem, probabiliore relicta. Quam sententiam tenuerunt etiam *Antonius Perez*, quem allegat Diana *p. 2. tract.* 13. *resolut.* 1. & Peregrinus apud eundem Dianam *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 3. *& p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 4. itémque alij apud Sancium *cit. disput.* 42. *num.* 12. *vers. Porrò licitum.* Hisque & ipse libens adstipulor; ita tamen, ut pro opinione probabiliori illam intelligam, non quæ est probabilior, moralitérque verior in se, sed quæ talis moraliter, & probabiliter certò videtur unicuique ideóque illam, quæ propriam cujusque haud indocti conscientiam rationibus hinc indè piè, Christianéque pensatis, moraliter convincit, & ligat, eique veritas moralis videtur, & quidem probabiliter certò: unde ea non sit cuipiam facienda licentia, quòd tutè possit propriam relinquere, & alienam sequi opinionem, nisi in casu supervenientis probabilioris, ideft robustioris, & efficacioris rationis moraliter convincentis, & formantis ejus conscientiam, & fidem pro altera parte, & per consequens neque concedendum, quòd possit quilibet (ut quidam docent) modò unam, modò aliam, ex sola asserentium authoritate, ad placitum sequi opinionem. Alioquin enim id esset vercipellem habere conscientiam, multifidam fidem, bifrontem, trifrontemque animum gerere, quæ quidem forsitan coram hominibus, vel in æstimatione hujusmodi sibi blandientium, vel potiùs se se fallentium, habere locum excusationis possunt; at minimè coram Deo, qui solus animæ cujusque illabitur, estque intimè præsens, & superior, atque ejus proindè oculis omnia nuda, & aperta sunt, etiam intima cordis, & secretissima quæque veritas, vel falsitas, aut duplicitas conscientiarum.

23. Rursùs intra limites opinionis moraliter certò probabilis, & in se sumptæ, alia est tuta, alia tutior. Tuta illa dicitur, in cujus praxi potest quidem esse aliquod periculum culpæ, in quæstione Juris, aut periculum nullitatis actus, in quæstionibus facti, vel valoris alicujus actus, ut in conficiendis, & ministrandis Sacramentis, quæ non ex judicio, aut existimatione nostra, quantumvis prudenti, & probabiliter, seu moraliter certa, sed ex natura rei, vel ex voluntate, & institutione alterius, Christi Domini scilicet, pendent, & validantur: à qua tamen culpa excusatur agens secundùm hujusmodi opinionem, (dummodò indubius agat, at ut præfertur, moraliter certus; ut advertit etiam Azorius *cit. cap.* 16. *vers. secundò quæritur* sive doctus agat ex propria; sive indoctus ex aliena opinione ductus,) quia prudenter operatur, eo ipso, quòd agit juxta dictamen rationis solidæ, sive propriæ, sive alienæ, moraliter certò probabilis, & inducentis illum hic, & nunc, ad sic operandum. Tutior verò illa dicitur, quæ nullum continet, vel à qua longiùs abest hujusmodi omne periculum, aut scilicet culpæ, aut nullitatis actus. Potest igitur esse aliqua opinio verè in se probabilis, immò & mihi probabilior, & moraliter vera, & tuta, sed minùs tuta respectu contrariæ tutioris, licet mihi minùs probabilis.

24 Vides ergò, quàm falsa sit, & in errorem ducens propositio illa damnata; quod *Generatim, seu in omni casu, dum probabilitate, sive extrinseca, sive intrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Primò enim non prudenter agimus, adeóque nec tutò, nec licitè, sequendo opinionem, seu probabilitatem non certò, sed probabiliter tantùm, vel dubiè probabiliter, cum hæc assertum relinquat dubium, & rationabilem ingerat oppositi formidinem; ut clarè docet D. Thomas *in quodlibetis loco mox citando.* Cum etiam voluntas sequatur intellectum, sive ejus ductum; ubi hic non habet judicium practicum determinatè, & moraliter certò probabile, quo citra temeritatem prudenter agatur, illa se exponit peccandi periculo, & quidem inexcusabiliter, Siquidem, ut ait D. Thomas *cit. quæst.* 13. apud Gauden

Gaudentium *cit. sect. 26. num.* 209.) necessarium est ad benè moraliter operandum, ut ita authoritas concilietur cum ratione, ut nullam voluntas sentiat de contrario conscientiam: Et tunc opinio est moraliter certò probabilis apud unumquemqoe eique in praxim tutè ducibilis; esto opposita possit esse in se verior, tametsi non in intellectu operantis, cui (ut dictum est) prudens ita consilium, & Christiana sinceritate accuratum examen adhibitum (non tamen maximum, & usquequaque exquisitum; quia sic nunquam esset scrupulorum finis: sed morale tantùm, quo eximatur ab errore, & culpa formali, etiamsi materialem incurrere possit) dictat, & docet, ut ex cordo puro, conscientia bona, & fide non ficta, pacatus ejus animus nullum contra primorum principiorum habitum, conscientiam, aut synderesim, remurmurationem, vel recalcitrationem horrescat, aut sentiat.

25 Secundò, stando etiam in terminis opinionis moraliter certò probabilis, adhuc falsa est propositio illa tertia ab Innocentio damnata: *Generatim &c.* ut *suprà*. Adhuc enim minimè licet generatim, sive in omni casu sequi opinionem sanè, & moraliter certò in se quidem probabilem, sed minùs tutam, in concursu probabilioris, aut tutioris.

26 Et quidem *primò* id non licet in materijs, & formis Sacramentorum, sive ubi agitur de valore Sacramentorum; sed tenemur ad tutiorem partem eligendam, non modò ex debito Charitatis, & Justitiæ, nempè cùm ita sibi vendicat Lex, conversio, aut periculum gravis damni incurrendi sive in persona operantis, sive alterius Tertij; sed etiam ex obligatione Religionis erga Sacramenta ipsa. Nisi fortè id liceat, saltem sub conditione, in casu necessitatis; ut cùm adest periculum mortis, & necessarium est Sacramentum nec potest fieri, aut ministrari, nisi verè quidem probabili, sed minùs tuta opinione in praxim docta. Qua de re Gaudentius *cit. q.* 11. *n.* 306. 308. *&* 310. *&* *per totam.* Ideóque jure optimo sanctissimoque Christianæ Religionis zelo ductus contrariam sententiam cum alijs condemnavit Innocentius XI. & est *num.* prima *in ordine damnatarum.*

27 Non licet *Secundò* Judici judicare juxta sententiam, sive opinionem etiam minùs probabilem, nec probabiliter in contrarium opinari, vel existimare quis potest, ut patet ex prohibitione propositionis secundæ inter damnatas à prædicto. Pontifice.

28 Cæterùm etiam in reliquis, quamvis conscientia, vel opinio verò probabilis possit esse regula humanarum actionom, citra culpam, utpotè tuta, attamen non semper expedit; immò data occasione, & commoditate favente, vel absque magno incommodo tutior pars satiùs est eligenda in concursu minùs probabilis, & minùs tutæ; ut latè cum D. Bonaventura sustinet Gaudentius *cit quæst.* 10. *à num.* 79. *&* 89. Qui enim potest absque gravi incommodo tutiorem partem sequi, & non sequitur; hic profectò tacitè saltem contemnit suam salutem; & partem minùs tutam ita amplectens minoris usquequaque æstimationis reputare perhibetur salutem animæ, quàm corporis, pro qua obtinenda multa amore deglutit pharmaca, ebibit medicamenta. Facitque ad hoc propositum authoritas Clementis V. vel potiùs Concilij Viennensis, Clemente ipso V. assistente, & approbante; quæ habetur *in Clementina, Exivi: de verbor. signific. vers. Nos itaque* hisce verbis: *Attendentes, quòd in ijs, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda.* Et ita semper sentire consueverunt Romani Pontifices: quoties etiam in suis Responsis, vel Rescriptis de eadem re duas contrarias sententias obvias habuerint explicandas, eos semper probabiliorem, atque tutiorem tenuisse, ac tenendam docuisse compertum est: ut testatur Comitolus *cit.* & patet experiētia. In concursu (extra quæstionē valoris actus, ubi de Sacramentis) opinionis tutioris, sed minùs probabilis, cum probabiliori, sed minùs tuta, prima quidem securior est à peccato non solùm formaliter, sed etiam materialiter incurrendo; quia tutiùs, & securiùs, utpote longiùs, retrahit nos à re, quæ est, vel potest esse saltem materialiter mala: at, quoad formale peccati, satis æquè illud cavetur, dum probabilior, id est quæ habetur pro morali veritate ab unoquóque agente, ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta; tametsi minùs tuta in comparatione tutioris: quippè quæ tamen tuta.

Quoad secundum denique Assertum ab initio propositū, in ordine *ad vigesimam septimam propositionem* ab Alexandro VII. *damnatam*, quam *suprà* retulimos: quod nempè, Censura illa non obstante, viri docti, in reliquis rebus moralibus nondum ab Ecclesia decretis, vel decisis, non sunt censendi sua sanè, ritèque opinandi facultate privati, ut patet ex doctrina *Seraphici* jam ad id ostendendum allata. Dico cum Gaudentio *cit. q.* 10. *sect.* 26. *n.* 210. *&* 211. & juxta sententiam D. Thomæ *suprà* allatam; plus quidem debere unumquemque fidere in opinionum delectu probabilitati intrinsecæ, hoc est rationibus tàm ponderosis, & validis à Scribentibus, vel pronunciantibus, traditis, ut intellectum moraliter convincant, eique pro moraliter certò suadeant id, quod affirmant aut negēt; quā probabilitati extrinsecæ, idest nudæ unius, aut alterius scriptoris authoritati, esto cæteroqui gravis. Et multò minùs Junioris, citra præjudiciū dictorū *suprà* in horum 29

V favorem

favorem) aut moderni alicujus Auctoris libro ita statim acquiescendum , ut si ab Antiquioribus dissonet præsertim Sanctis,aut insufficienti rationum fundamento suffultus sit, pro recta conscientiæ regula habendus sit : cum sæpè contingat , à Junioribus, tepescente sensim charitate,atque opinandi licentia ,luxuriéque debacchante, laxiores , quàm par sit , opiniones tradi, & evulgari, dum benigniores simul, ac subtiliores apparere affectant : Neque tamen ita inconsideratè, & fine delectu Antiquioribus adhærendum , (salvo semper delato eis *suprà* debito respectivè cultu)ut horum numerus potiùs, & simplex authoritas, quàm rationum pondus, & momentum pensitetur. Non enim (ut repetitum est *suprà*)volucrum more eò advolandum est, quò præcedentes se verterint. Hoc,inquam , verum est, & ipse latiùs idipsum prosecutus, tum *in §. præcedente*. Non ob id tamen fit, (prout à me ipsò *in eodem loco* monstratum fuit)quò minùs alicujus etiam Junioris nova sententia , vel opinio tradita possit esse sanè, ritéque probabilis,atque adeò pro recta conscientiæ regula acceptari queat ? Nam,si vel unius Junioris sententia eo firmo , ac solido nitatur fundamento, ut non solùm moraliter certò suadeat propriam opinionem , sed etiam contrariam omninò excludat , aut saltem ei satisfaciat, solvendo probabiliter ejus rationes , non video, quo jure , qua ratione spernenda sit, aut explodenda , ob solam nominis novitatem; cum & primarij in omni materia scriptores eo aliquando nomine in publicum prodierint.

Hinc Tamburinus *lib. 1. in Decalog. cap. 3.*
30 *§ 3. num. 4.* dubium excitans : Num authoritas unius Doctoris sufficiat ad probabilem practicè, & proximè opinionem constituendam ; ita scilicet, ut tutò, & sine peccato ex vi ipsius in actionem prorumpamus ? Appositissimè ad nostra principia respondet : Tunc solùm puto sufficere unum , tametsi contra innumeros Doctores is doceat, quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque rationem pro se habet,nec apparet contra ipsum aliquid convincens. Ita (inquit) Azorius *p. 1. lib. 2. cap. 17. q. 6.* Vasquez 1. 2. t. 1. *disput. 62. c. 4. n.* 12. & alij. Ratio est; quia ex tali Authore sic vallato nascitur meritò prudens judicium. Quòd si ejusmodi Doctor ratione alicujus momenti non fulciatur , idque tu doctus animadvertas, non vales illam sententiam regulariter accipere, nec illam alijs amplectendam proponere : cum tamen possit indoctus.Ratio est ; quia tibi non potest tunc innasci judicium prudens, indocto potest ; vel certè illum sequi , eidem indocto, qui sine culpa eidem docto fidem habet, culpæ non dabitur. Dixi, *Regulariter*:nam potest contingere , ut ille sit adeò doctus, ut tibi liceat prudenter judicare , rationem illius firmam esse , sed minùs à te penetratam , vel notam ; & item judicare , ipsum rationem in contrarium tibi probatissimam facilè posse diluere. In hoc enim eventu , ejus opinionem, utpotè extrinsecè probabilem , si amplectaris, prudenter geret. Hæc *Tamburinus*. Ipse tamen dixerim absolutè , quòd si ejusmodi Doctor ratione alicujus momenti non fulciatur, idque tum doctus animadvertas, non vales illam sententiam excipere , nec illam alijs amplectendam proponere ; præsertim, si tu habeas rationes in contrarium, te convincentes, quas ille non solvat , ita ut quiescas. Ratio est ; quia si tu illi sententiæ morem geras propter solam extrinsecam authoritatem , seu probabilitatem , ut explicat *Tamburinus* , adhuc tamen agis contra probabilitatem intrinsecam in contrarium apud te existentem ; & sic non agis ex corde puro, conscientia bona , & fide non ficta : quod antea non est ex fide, peccatum est ; (idest quod non est ex conscientia pura, bona , & non ficta) ut in hunc sensum ait Apostolus *ad Rom. cap.* 14. Interprete etiam D. Bonaventura *in 3. dist. 23. dub. 3. lit.* & in *4. dist. 39. art. 1. q. 3. ad argumenta* Tanneto item, & alijs scholasticis post Sacros Expositores apud Gaudentium *cit. q. 21*.

Concesserim tamen , quòd id liceat viro indocto, apud quem nulla est cognitio rationis, seu probabilitatis intrinsecæ in contrarium: vel etiam id admiserim scrupuloso, exteroqui docto , qui quoad hoc in se ipso, ob scrupulosam infirmitatem, comparari potest indocto:unde potest stare consilio viri docti,præsertim, si simul vir justus sit, pius, & timoratus ; juxta theoricam D. Bernardini , & Gandavensis, quam retuli *in §. praced. n.....* Et ità communiter consulunt Doctores , ac Spirituales Magistri , ubi de scrupulis curandis agunt. Vide Gaudentium *cit. q. 24.* & *ibi* Seraphicum, & alios citatos. 31

His addo etiam alium casum:nempè in casu Obedientiæ , quando scilicet Religioso aliquid à Superiori præcipitur.Tunc enim subditus tenetur obedire Superiori præcipienti non solùm in concursu opinionis probabilis, hinc indè, tùm ex parte Superioris,quòd possit præcipere,tùm ex parte subditi , quòd non; ut benè Lezana *tom. 4. v. Opinio Regularibus tenenda, num. 9.* & *tom. 1. cap. 4. n. 26.* Diana *p. 2. tract. 13. resol. 10. & p. 4. tract. 4. resol.....* & alij multi apud istos, contra Sancium,& alios paucos.Sed etiam contra probabiliorem propriam, & magis tutam , modò Superior præcipiat secundùm probabilem;ut ampliat Layman *lib. 1 tr. 1. c. 5. §. 2. n. 11.* ex Corduba, Vasquez,& Miranda: 32

hoc

hoc est modo opinio Superioris non sit evidenter improbabilis, aut falsa. Unde rectè Bordonus *cit. resol. 19. n. 5.* absolutè asserit, quòd Superior potest cogere subditum ad sequendam suam opinionem; & is tenetur obedire, & operari secundùm illam, modò sit circa materiam intra objectum suæ potestatis. Quòd si nolit subditus obedire, potest puniri &c. Ita *Bordonus*.

33 Quibus omnibus libens subscribo, præsertim quoad nos Fratres Minores, quibus ex *Regulæ cap.* 10. ea incumbit Obedientiæ amplitudo, ut nullam aliam limitationem habeat, quam ne sit contra animam subditi, aut Regulam ipsam: ibi *Firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.* Quocirca etiam Prælatis ipsis ibidē injungitur sic, *Non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam & Regulam nostrā.* Contra animam suam; utporè inhibitum lege Divina: Et Regulam nostram; inhibitum lege disciplinæ, scilicet Regularis; ut exponit S. Bonaventura *in hunc Regulæ locum.* Vel (ut explanant Patres Ordinis *in eundem locum*) contra animam, & contra Regulam esset, si per se (hoc est necessariò, evidenter, & manifestè) mala præciperentur; vel per se bona prohiberentur; aut inhiberetur quod Regula concedit, & prohiberetur illud quod præcipit, vel intendit. Et hoc est Tertium, (inquiunt) quod *in hoc cap.* præcipitur subditis, scilicet contra animam, & Regulam non obedire Prælatis. At clariùs adhuc Quatuor Magistri Parisini: Nuoquid contra animam dicitur solum, quod est mortale peccatum? Et videtur, quòd contra animam dicitur non solùm peccatum; imo illud, quod est hujusmodi incentivum, & proximum ad peccatum; ut audiendo Confessiones, ubi fragilitas carnis impugnat acriter aliquem. Contra Regulam videtur esse, non solùm quod est contra præcepta Regulæ; imò quod est contra statuta Ordinis ad servandam Regulæ puritatem; utpote quòd vadant Fratres ad quærendum pecuniam contra modos Ordinis, Declarationum, & statutorum, & sic de similibus prout addit Bartholomæus de Pisis *in dictum Regulæ locum*, referens ad amussim, & sequens expositionem Quatuor Magistrorum. Ita & omnes Recentiores Regulæ nostræ Interpretes, & Expositores juxta mentem Seraphici Patris, & legislatoris, quam præclarè ostendit Hugo de Digna *in eundem Regulæ locum* ad illa verba, *Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare &c.* Juxta Evangelij regulam, (inquit) quæ Majores (scilicet Superiores) Ministros esse decrevit, Prælatos Ordinis accipe generaliter universos nomine *Ministrorum*; sicut & dicitur indistinctè. Non enim dicitur, ut obediant suis Ministris Provincialibus; sed suis Ministris; nulla determinatione adjecta. Alioquin nec Custodibus obedientia deberetur; eosque frustra Regula poneret, quorum auctoritas nulla esset. At, si hoc de solis Ministris Provincialibus accipis, de ipsorum mandato Ministris inferioribus obeditur. *In omnibus*, (pergit ille exponere) *quæ promiserunt domino observare*: Quæ sunt, ut quibusdam placet, tàm quæcunque principaliter regulari expositione sub voto cadunt, quàm etiam quæcunque per se ad ipsorum observantiam, vel propinqui transgressionis periculi cautelam, vel quæ revelationem à transgressione faciunt. Sed altissimæ Obedientiæ gradum *Sanctus* creditur posuisse, cùm dicitur: *In omnibus, quæ promiserunt domino observare, & non sunt contraria animæ, & Regulæ nostræ.* Est enim duplex obedientia; imperfecta videlicet, & perfecta, Imperfecta (hoc intellige cum grano salis) est, quæ certis quibusdam terminis coarctatur; qua scilicet Professus quis in ijs tantummodò terminis obedit, quæ continet Regula, seu Instituta, secundùm quæ vivere profitetur. Ad hanc omnis de necessitate Religio astringitur. Perfecta autem, ut ait *Sanctus*, Obedientia legem nescit, terminis non coarctatur, nec contenta Professionis angustiis, fertur in latitudine Charitatis, & ad omne, quod injungitur, spontanea in infinitam libertatem extenditur. Et *post pauca* subdit: Perfectam autem hanc, ut creditur Obedientiæ legem maximus perfectionis amator Beatus Franciscus spiritus fervore instituit; ut scilicet Fratres non solùm in ijs, quæ promiserunt Domino observare; sed etiam in omnibus, quæ non sunt contraria animæ, aut Regulæ, obediant: hos duos Obedientiæ limites taotùm ponens. Sanè contra Animam, vel Regulam nec Prælati habent præcipere, nec subditi obedire. Hos tantum Obedientiæ limites speciales videtur intendere, dum sub his tantùm & hic subditos in obediendò, & superius Prælatos in præcipiendo conclusit, dicens: *Non præcipientes eis aliquid, quod sit contra Animam, & Regulam nostram.* Hactenùs *Hugo*, pergens deinde refellere nonnullorum sententiam dicentium, Fratres Minores ad perfectam hujusmodi Obedientiam nō nisi de Charitate, seu congruitatis perfectione teneri; de necessitate verò teneri in eis tantùm, quæ continet Regula, obedire, sicut & cæteris Regularibus obedientiæ distinctio iojuncta est. Hi nimirum sic opinantes volunt, Copulativā illā: *& non sunt contraria animæ*, &c. hoc loco nō cōtinere præceptū, vel hoc certè particulā restringere præcedentē, ut nec promissa obliget Regula, si fuerit animæ, vel (quod absonū videtur)

V 2 sibi

ſibi ipſi contraria. Atqui horum ſententiam communiter ab alijs rejectam, & nullo modo acceptatam reſtatur *Hugo*; utpotè quæ eſt contra ipſum Regulæ textum clarum, juxta communem verborum ſententiam, vel intelligentiam; contra Sanctum propoſitum Ordinis; contra uſum, & conſuetudinem antiquorum; pluriúmque neceſſitatem invehens inconvenientium. Cæterùm verò oſtendir *ibidem* optimè Hugo ipſe, quomodo Beatiſſimus Pater, & Legiſlator Franciſcus obedientiam Charitatis, & Humilitatis & de congruitate perfectionis ſuggerat in ipſa Regula tùm ſubditis, tùm Prælatis & quidem ſubditis *in c.*6. illis verbis: *Et ubicunque ſint, & ſe invenerint Fratres, oſtendant ſe domeſticos invicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam: Nam mutua obedientia mutuæ dilectionis ſignum eſt, & effectus.* Prælatos verò *in eod. c.*10. ad Humilitatis obedientiam, per quam inferioribus obeditur, invitat, cùm eos Miniſtros, & ſervos aliorum Fratrum eſſe commemorat; ipſóſque tantam habere familiaritatem circa recurrentes ad ſe ſubditos mandat, ut eis ijdem ſubditi dicere poſſint, & facere, ſicut Domini ſervis ſuis. *Nam ita*, inquit, *debet eſſe, ut Miniſtri ſint ſervi omnium Fratrum; ut Videlicet ſicut ſervi Dominis, ſic Miniſtri ſubditis, in quibus juſtè poſſunt, obediant.* Hócque etiam perſpicuè Prælatis ſuggerunt Conſtitutiones noſtræ *c.*10. Sicque omninò exploſa remanet illa ſententia.

34 Vides ergò, qua ratione, quàm meritò, quo jure dixerim *ſupra: Quibus omnibus libens ſubſcribo, præſertim, quoad nos Fratres Minores &c.* Subditus enim, præſertim inter nos Fratres Minores, cenſendus eſt, & reputare ſe debet, ut animatum inſtrumentum Prælati, quippè qui membrum eſt myſtici corporis Ordinis, Provinciæ, aut Familiæ, vel Conventus, cujus Prælatus reſpectivè jubens eſt Caput; atque ideò ad ejus nutum, & opinionem operari debet, ut tale, illamque ſequi tenetur in concuſſu propriæ, etiam probabilioris; modò illa non ſit evidenter improbabilis; aut falſa; prout *ſuprà* limitavi ampliationem Laymanni, & aliorum: vel, juxta *Minoricam Regulam*, modò non ſit manifeſtus error contra legem Dei, ſive Eccleſiæ, aut ipſius Regulæ, & ſtatutorum Ordinis ad ejuſdem Regulæ puritatem; qua in re vix ipſe ſubditus erit bonus Judex, niſi ſit valdè pacatus animo, & cæteroqui doctus, & pius, & obedientiæ ſtudioſus. Videatur D. Bonaventura *ad dictum locum Regulæ*, & in 2. *diſt.* 44. *q. ult. ad ult.* ubi prærogativam, & excellentiam indicans perfectionis trium votorum eſſentialium, juxta Profeſſionem Minoricæ Regulæ, ſupra Perfectionem eorundem, juxta Profeſſionem aliorum Religioſorum, Obedientiæ ſignanter (nam ibi de illa agit: An ſcilicet Religioſi in omnibus teneantur obedire Prælatis) Minoricæ excellentiam dictam oſtendens, docet, quòd communiter alij Religioſi de neceſſaria obligatione non tenentur obedire Prælatis, non ſolùm abſolutè in omnibus, (quod eſt impoſſibile, immò & abſurdum; neque etiam Fratres Minores ſic abſolutè tenentur) ſed niſi intra terminos, & menſuram ipſius Obedientiæ, juxta magnitudinem emiſſi voti, ſcilicet ad ea tantùm facienda, quæ in Regula expreſſa ſunt, non autem ad ea, quæ ſunt ſupra, vel extra, nedum contra Regulam ipſam; licèt (inquit) ſanum ſit conſilium, quòd in omnibus obediens, quæ non ſunt contra Deum. At verò Fratres Minores tenentur de neceſſaria obligatione emiſſi voti obedire in omnibus, quæ non sũt contraria animæ, & Regulæ ſuæ: atque adeò etiam in ijs quæ ſunt ſupra, vel extra Regulam, modò non ſint contraria animæ, vel Regulæ ipſi; ut dictum eſt. Unde pulchro epiphonemate ſic concludit S. Doctor: *Neſcio, ſi ad aliquod iſtorum votorum quiſquam ſciat plus addere: in hoc ergò Perfectionis culmine* (ſcilicet votorum juxta Minoricam Regulã *congruum eſt prædictæ quæſtionis terminare ſermonem.*) Ita Seraphicus.

Extra caſus verò prædictos, agere cum ſola extrinſeca probabilitate (propria reluctante intrinſeca) viro docto integrum non judico. Dicere enim, quòd ille alius adeò doctus ſit, ut cenſeas, rationem illius firmiorem eſſe, quàm tua ſit, te convincens in contrarium; ſed tibi ignotam, nec penetratam; eſt contra ſtimulum calcitrare, eſt remurmurantem conſcientiam ſuffocare, eſt nolle intelligere, ut benè agant; præſertim ſi tua opinio fuerit tutior, & à peccato ſecurior. Quòd ſi fortè ſit tutior opinio alterius, in tali duntaxat caſu, extra prædictos, etiam ratione illius tibi ignotâ, & penitùs obſtruſâ, ritè illi acquieſcere non ſolum poteris, ſed & ſatius erit: immò quandóque neceſſarium, utpotè ſi eſſes dubius: nam in dubijs tutior pars eligenda; & quidem in materia omnium virtutum: ut communiter docent Scribentes: qua de re Sancius *cit. diſput.*42. *à num.*9. cum Suarez *to.*2. *de Relig. lib.*4. *cap.*5. *num.*7. *& tom.*3. *diſp.*40. *ſect.*15. *& ſect.*6. *& eod. tom.*2. *lib.*2. *cap.*33. *n.*7. Garzia *tom.*2. *de Beneſic. p.*7. *cap.*2. *num.*14. Villalobos *tract.*1. *de conſcientia, diffic.* 21. Sanchez *de matrim. lib. primo, diſp.*9. *n.*21. *& in Decalog. lib.*1. *cap.*10. *n.*36. Filliucio *tom.*2. *tract.*21. *cap.*4. *n.*165. & Maldero 1.2. *diſp.*87. Vaſquez, Monteſio, Lopez, Cornejo, & alijs pluribus ab ipſo ſparſim allegatis. 35

Addo, cum Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.*9. *n.*10. *&* 11. & ex noſtro Carolo à Cremona *p.*2. *opuſc. moral. diſceptat.*5. *cap.* 1. *§.*9. *n.*60. *&* 61. quòd etiam qui in rebus moralibus parũ verſati ſunt, non poſſunt tutâ conſcientiâ, quod in 36

in uno, vel altero Auctore, seu libro iovenerint, sequi: quia potest illis probabilis videri ea opinio, cum tamen apud peritos non talis habeatur: tùm quia, ut opinio habeatur probabilis, oportet ut communiter reputetur non continere errorem, & non sit antiquata, neque contra illam Decretum aliquod Pontificium existat. Quapropter qui aliter agunt, non consulentes viros doctos, peritos, ritè timoratos, & pios, sed fidentes ingeniolis, ac speculatiunculis suis, aut aliquo qualiquali Auctore innixi contra doctrinam practicam, maximè confirmatam aliquo Decreto Pontificio, non sunt tuti in conscientia, nec prudenter, & rationabiliter operari censentur in agenda vita, sed neque in quærendo, & disserendo; ut docent Sabonius *in 2. 2. quæst. 63. art. 4. controv. 2. notab. ult.* Sayrus *in Clavi Regia lib. 1. cap. 8. num. 4.* & alij. Hoc enim est uti dubiè, vel probabiliter tantùm probabili, sive opinione lato modo sumpta pro regula in moralibus; quo sensu Antiochus, & Lucullus impugnantes assertum, quòd Probabile sufficit pro regula actuum nostrorum; iure optimo, ut quid ponderatione dignissimum, in primis objiciunt, hujusmodi propositionem fuisse jam antiquissimis temporibus expressè impugnatam.

37 Quòd verò opinio inventa in aliquo libro impresso, & ab Ecclesia approbato, non semper pro probabili, & tuta in conscientia sit habenda probatur à nostro Carolo *mox citat. num. 64. 65. & 66.* ex Petro Marchantio *in Tribunali Sacramentorum tract. 5. titul. 5. quæst. 5.* ubi sic ait: Patet, quàm periculosum sit sequi quorumlibet Auctorum, & Doctorum opinionem, ex sola auctoritate, quod illas in suis libris referant, & permittantur imprimi: neque enim prælum, neque impressio, aut etiam censura evulgari permittens librum, dat auctoritatem opinionibus singulis, aut Auctorum sententijs, quæ in libro reperiuntur; neque liber ipse, eo quòd approbatus est, indicat omnes opiniones esse probatas; sed sufficit, quòd liber, sive Auctor nihil contra Fidem, aut bonos mores apertè doceat, aut apertos errores seminet. In totum verò eorum opiniones existimandæ sunt probabiles, in quantùm sunt legi conformes, & non ampliùs. Ita benè *Marchantius*, Doctissimus etiam Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis *in suis opusc. p. 2. Defensory cap. 82.* ad hoc ipsum propositum ita loquitur: Quando Ecclesia approbat opera alicujus Doctoris, non approbat omnia contenta in illis, nec asserit, omnia illa esse vera, immò (quod plus est) nec unam propositionem approbat. Hæc ille, quem vide septem causas afferentem, propter quas Ecclesia, approbando opera alicujus Doctoris, nullum dictum ipsius singillatim approbat, sed tantùm permittit, ne impediantur, vel attingantur ingenia Scholasticorum, & studiosorū virorum, nisi ita illis, quæ jam Fide constant. (Addo ego: Et quæ jam quoad morum doctrinam, ab ipsa Ecclesia determinata, & statuta sunt.) Et tandem concludit: Multæ aliæ causæ existunt, propter quas Ecclesia nunquam aliqua scripta cujusquam Doctoris approbat, sed tantùm permittit. Ita *Abulensis*, Vide etiam Gaudentium *q. 10. citat. n. 43.*

38 Cæterùm, quoad primam partem allatæ responsionis *Tamburini*, jam & egomet idipsum sustinui *in §. præcedente*, ubi etiam cautum volui, animadvertique hanc doctrinam non esse eandem, quam sibi vult *Propositio vigesima septima* damnata ab Alexandro VII. Siquidem propositio illa (ut novissimè observatum video apud Gaudentium *cit. q. 10. sect. 26. n. 211.*) ideò tantùm damnata fuit, quòd suam probabilitatem in hoc ponat, quod opinio in libro alicujus Junioris inventa, seu contenta, à Sancta Sede Apostolica, tanquam improbabilis, non sit rejecta: Si enim liceret quibusvis ratiunculis, & opinationibus, vel (ut ait *propositio tertia* ab Innocentio XI. damnata) quacúnque probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, & levi, modò à probabilitatis finibus non exeatur, generatim, & in omni casu assentiri alicui opinioni, vel doctrinæ, eò quòd typis, de Superiorum licentia, sit excusus liber Auctoris ita docentis, quousque sedes Apostolica eam, tanquam improbabilem, rejecisset: si, inquam, id liceret, heu! qualis, & quanta conscientiarum licentia, luxuries, laxitas in dies undequaque proveheretur! E contra verò, si veterum duntaxat vestigijs insistendum esset, nec Junioribus, seu Modernis sensa sua proferre liceret, quantæ hinc conscientiarū angustiæ, anxietatésque in singularibus casibus nascerentur? Quapropter graviter advertendum est (ut monet etiam Gaudentius *cit. q. 10 n. 102.*) ne ad extrema declinemus, nimisvè laxas, quas aliqui moderni approbant, vel evulgant, opiniones inducamus; néve altero in margine arctiùs obligantes invehamus. Ratio ergò opinionum, Christiana sinceritate, & corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, accurato moraliter examine, in primis ab unoquóque veritatem in quacúnque quæstione perquirente pensanda est.

39 Et advertendum, quòd alia est moralis Veritatis, vel Opinionis probabilitas, vel probabilioritas in se; alia verò, quoad me, quoad te, quoad Tertium, & Quartum. Probabilis ergò, vel probabilior opinio, quoad me, vel quoad te, non est illa, quæ sit omninò in se tutior, aut tuta, vel moraliter vera, aut verior; hoc enim non æquè ab omni intellectu, pro diversitate intelligentiæ, & captus uniuscujusque perci-

pi potest: sed est illa, quæ mihi, vel tibi, Tertio, & Quarto ita per prudens judicium, sinceram & Christianam discussione, ut præfertur, præmissâ, dictat, ut sine rationabili ambiguitate, sed cum morali certitudine Veritatis, vel Justitiæ, pacatâ conscientia, hoc est ex fide, secundùm Apostolum supra allatum, & sine ulla recalcitratione contra synderesim, seu primorum principiorum habitum, ego, vel tu, tertius, & quartus, hic, & nunc operamur, vel operari posse sentimus in agenda vita morali. Quòd si irrationabilis ambiguitas, formido, vel trepidatio partis oppositæ occurrat, jam scrupulus est, non curandus, sed abigendus; ut dictum est suprà. Quare in moralibus ille prudenter, atque adeò securè, & tutâ conscientiâ operari censendus est, qui ita rationi gravi, & firmæ, moralem hanc certitudinem non in communi, aut alijs, sed sibimet suadenti, innixus, & adhærens operatur. Et hoc accidit Viris doctis, dum ponderatis, & palpatis (ut ita dicam) momentis, & fundamentis alienjus opinionis, ei, omni rationabili ambiguitate remota, corde puro, conscientiâ bonâ & fide non fictâ accedunt. Accidit etiam (ut dixi) imperitis, & rudibus, dum ducti consilio boni alicujus, & eruditi Viri, ut dictum est, ponderantis, quem tenentur consulere, se benè factitare non ambigunt, etiamsi res in se sit obscura, aut forsan falsa, vel minùs probabilis: nam ad conscientiæ hujusmodi imperitorum securitatem subintrat ignorantia invincibilis, & ad meriti cumulum sufficit hic cum Gratia sincera fides, & bona voluntas. Ita etiam Gaudentius *cit. quæst.* 10. *sect.* 26. *n.* 213.

40 Hinc ipsemet, ut patet ex *Paragraphis præcedentibus*, & ex *sequentibus* etiâ constabit, in præsenti materia, & opere nec semper adhæsi opinionibus rigidioribus, nec semper benignioribus; sed modò his, modò illis; prout recta ratio indicabat, eas præferendas esse, utpotè solidiori fundamento innixas. Unde, etsi fortè cuipiam videar à communi sententia in cardinalis Operis puncto, & conclusione, aut aliàs quandoque discessisse; cum tamen & ipse cum communiori sententia standum censeam, quoad fieri potest, id (si tamen ita est) effecit efficacia, & pondus rationum, in adversum me trahens. Prætérquàm quòd nec à communiori sententia me discessisse ostendi. Neque enim ea semper censenda est opinio communior, quam plures amplectuntur; cum non rarò contingat, plerósque Authores alieno alicui placito adhærentes non facere numerum, præsertim cùm rem ex professo non agitent, nec funditùs vim rationum effodiant: sæpè etiam eveniat, non paucos ex ijs, qui pro sententia aliqua referuntur, parùm ei favere, si benè expendantur. Quòd si tamen quis putet, me in principalis meæ sententiæ, vel opinionis delectu, aut probationibus errasse, testor cum D. Anselmo *lib.* 2. *Cur Deus homo cap.* 22. me non fugere correctionem; modò rationabilis sit. Neque demùm mihi conscius sum, aliquam ex damnatis sive ab Alexandro, (quas singulas optimè post *Nicolaum de Bois* impugnat, & refellit Gaudentius noster *cit. quæst.* 10. *singulis sectiunculis*) sive ab Innocentio; Summis Pontificibus prædictis, sententiam à me in hoc Opere fuisse assertam, vel adductam. At quidquid sit, universam hanc meam lucubrationem, omnésque in ea contentas sententias, ac propositiones ad prædictorum Apostolicorum Decretorum, quæ mox subijciam, amussim pronunciatas, & intellectas, atque (ubi opus esset) revocatas, & cassas volo; penésque intemeratam Fidem, judiciumque infallibile Sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ, quæ est Trutina, immò Columna, & Firmamentum Veritatis, in omne pronus obsequium, ut minùs sapiens, relinquo; qua libuerit censura notandas. Hæc autem sunt Decreta, quæ subijciēnda indicavi.

DECRETUM I.

Feria 5. die 24. Sept. 1665.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S.D.N.D. Alexandro Divinâ providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S.R.E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMUS D. N. audivit non sine magno animi sui mærore complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere; per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem Sanctissimus D.N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque per quam itur ad perditionem, viâ, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam revocaret, earundem opinionum examen pluri-

bus

bus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit: Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hunc diem infrà scriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

Primò. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

Secundò. Vir Equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Tertiò. Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julij in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

Quartò. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

Quintò. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

Sextò. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denunciandus.

Septimò. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est. Si sollicitatus confiteatur eum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

Octavò. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Vrbani VIII.

Nonò. Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendij sibi retentâ.

Decimò. Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium unum offerre, neque est etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Vndecimò. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

Duodecimò. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis; non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

Decimotertiò. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

Decimoquartò. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit Præcepto Ecclesiæ.

Decimoquintò. Pœnitens propriâ authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

Decimosextò. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium, simplicem Sacerdotem, non approbatum ab ordinario.

Decimoseptimò. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

Decimooctavò. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia viâ non potest innocens damnum evitare.

Decimononò. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem, in adulterio deprehensam.

Vigesimò. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam Declaratoriam Iudicis, eo, quod sit pœna.

Vigesimoprimò. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

Vigesimosecundò. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator cõferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi cõferre non tenebatur.

Vigesimotertiò. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subijcere præcepto.

Vigesimoquartò. Mollities, Sodomia bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

Vigesimoquintò. Qui habuit copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

Vigesimosextò. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem vnius præ alio.

Vigesimoseptimò. Si liber sit alicujus junioris, & moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

Vigesimooctavò. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini, cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re maturè considerata, statuit, & decrevit prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de ijs etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissimá notá dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

IOANNES LVPVS Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Not. &c.

Locus † sigilli.

Anno à Nativitate D. N IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, indictione tertia, die vero 2. mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D.N.D. Alexandri Divinâ Providentiâ Papæ VII. Anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

DECRETVM II.

Feriæ 5. die 18. *Martij 1666.*

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Alexandro Divinâ Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D. N. post latum Decretum die 24. Septembris proximè elapsi, quo 28. propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò, & accuratè atque ad hanc diem infra scriptis aliis 45. tum numerum implentibus per plures in S. Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos Dominos Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque audivit.

Vigesimononò. In die Jejunij, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

Trigesimò. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione Jejunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum Jejunio.

Trigesimoprimò. Excusantur absolutè à Præcepto Jejunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

Trigesimosecundò, Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.

Trigesimotertiò. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficij fecerit.

Trigesimoquartò. In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit Præcepto.

Trigesimoquintò. Unico officio potest quis satisfacere duplici Præcepto pro die præsenti, & crastino.

Trigesimosextò. Regulares possunt in foro conscientiæ, uti privilegijs suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

Trigesimoseptimò. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

Trigesimooctavò. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium; non Præceptum.

Trigesimononò. Illa particula *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

Quadragesimò. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

Quadragesimo

Quadragesimoprimò. Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis est ad oblectamentum concubinarij, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magis concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

Quadragesimosecundò. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Quadragesimotertiò. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquam per decem annos.

Quadragesimoquartò. Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

Quadragesimoquintò. Libri prohibiti, donec expurgentur possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatu, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, ac prohibet; Itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de ijs etiam disputativè publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à quo non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

DECRETUM III.

Die 30. Ianu. 1659.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Alexandro VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in Universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

CUM nuper à Regularibus Mendicantibus Diœcesis Andegavensis judicio Apostolicæ (ad quam dumtaxat Fidei controversias, & morum Universalis Ecclesiæ pertinet definire) infrà inserta propositiones fuerint oblata: de mandato Sanctiss. D. N. D. Alexandri Divinâ Providentiâ Papæ VII. plurium Theologorum, ac Canonistarum, Sanctitate sua ad id specialiter deputatorum, examini sunt commissæ: quo peracto, ac relata Sanctitati suæ unanimi eorumdem Theologorum, ac Canonistarum censurâ, idem Sanctissimus votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium, Inquisitorum, easdem Propositiones prout infrà qualificatas auctoritate Apostolicâ declaravit, & declaratas decrevit, & tales ab omnibus haberi præcepit.

HÆ SUNT PROPOSITIONES.

Prima. Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut Sæcularium Confessiones audire possint: neque de illius consilij auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit, præterquam in Decisionibus fidei. Neque etiam Bulla Sixti IV. pro illius confirmatione promulgata.

Est falsa, temeraria, scandalosa, & schisma inducens, sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apostolicæ injuriosa.

Secunda. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas: neque illas ulla ex causa revocare. Quinimò Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur. Et si ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa valet tantum, ac si approbatio concessa fuisset.

Complexè accepta est falsa, temeraria, scandalosa, & erronea.

Tertia. Regulares Ordinum Mendicantium, semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur approbati in alijs Diœcesibus, neque novâ indigent Episcoporum approbatione, Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ista ipsis indulta non fuerit.

Quoad primam partem est falsa, & saluti animarum perniciosa. Quoad secundam partem est falsa, authoritati Episcoporum, & Sedi Apostolicæ injuriosa.

Quarta. Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam Confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, Divinam legem, fidei Rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in Cathecesibus annuntiantur, & docentur.

Quoad primam, & secundam partem simpliciter accepta, est erronea, & temeraria, suppositis verò Privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Christi, servetur dispositio sacri Concilij Tridentini.

Quinta.

Quinta. Talem legem in hac materia, nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, nec Nationum faocite, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris multare possunt.

Suppositis itidem Privilegiis Apostolicis nullam meretur censuram. Verum ista non est prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

Sexta. Regulares Mendicaotes petere possunt licitè à Iudicibus Sæcularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu, & Quadragesima. Quod si renuant facere Episcopi, Decretum Judicum Sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

Est falsa erronea; & in hæresim, & schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem, & declarationem à cunctis tenendam, & sequendam, & in praxi observandam Sanctitas sua declaravit, & mandavit sub pœnis contra Schismaticos, seditiosos, ac de hæresi suspectos, impositis, contrariis quibuscumque non obstantibus.

JOANNES LUPUS Sanctæ Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Notarius.

Feria V. die 2. Martij 1679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMUS D. N. Jnnocentius Papa XI. prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxijs doctrinarum pascuis ab innoxijs à fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis exceptas, & partim noviter adinventas Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpius discussis eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis. Idem Sanctissimus D. N. re posteà maturè considerata, statuit & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimùm tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenùs approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.
2. Probabiliter existimo, Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.
3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.
4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.
5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.
6. Probabile est, nè singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.
7. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.
8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.
9. Opus Conjugij ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.
10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.
11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.
12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.
13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob

ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de patricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cùm notitia solùm probabili revelationis; immò cùm formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum, similivè motivo ad Justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in Testem mendacij levis, non est tanta irreverentia, propter quàm velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cùm intentione lucri. *Mohatra* Hispanicè; Italicè *Stocco*.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est dum ultrà sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam,

tiam, & honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compẽsatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cùm conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeóque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor simul à diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò, honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ. 38

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse. Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

66. Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicij prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

67. Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alij quicumque imposterùm se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura,

&

& nota, necnon à quibuscumque convicijs contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognita super ijsdem propositionibus judicium proferatur.

Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Indictione secunda, die verò 4. mensis Martij, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentij divina Providentia Papæ XI. anno tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum. Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Floræ ac in alijs locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

43 Atque ex allatis Decretis, En, quæso, quàm effrænis opinandi licentia, in animarum perniciem, novamque corruptelam invecta, ac debacchata fuisset in Ecclesia Dei, nisi providè, Sanctissiméque obstitissent prædicti Summi Pontifices Quorum menti ac decretis concors mihi occurrit Prosper Fagnanus, post hæc scripta visus, *in Comment. cap. Ne innitaris, de constit. à num.* 13. *& seqq.* ubi exquisitum habet Tractatum *de Opinione probabili, à num.* 304. *& deinceps*, in quo apertè docet, Doctrinam de libera electione opinionis utcunque probabilis invertere ordinem judicij in foro pœnitentiali, publicam multoties pacem turbare, & inflammare Principes ad bella gerenda; vix ad praxim deduci posse fine scandalo, convellere libertatem & immunitatem Ecclesiasticam, reddere homines ignavos, eósque ab omni studio contemplandæ veritatis abducere, relaxare Fidelium conscientias, cásque hebetare; patere que effrænatam Opinionum multitudinem, & plerisque earum falsis, temerarijs, & scandalosis viam aperire, & quandam veluti libertatem conscientiæ suffovere; ac denique Probabilitatum hujusmodi usum, esse commentum Diaboli ad enervandam vim præceptorum. Ita ille omninò videndus. Cum quo videri etiam pôtest Candidus Philadelphus *in disput. de praxi Opinionum*, quem cum Mercoro, & alijs impugnat Bordonus *in suo propugnaculo Opinionis probabilis in concursu probabilioris.*

44 Ad eorundem tamen Decretorum amussim, Pontificúmque mentem, nonnullæ aliæ & mihi subessent, quas libenter refellerem, Propositiones, vel Doctrinæ, quas in animarum scandalum disseminari ab aliquibus audivi, immò in dies serpere, & de aure in aurem penetrare persentio. Verùm, cum id præsentis mei non sit instituti, non parco, sed supersedeo. Unicam prosequar, quam alibi ante hæc scripta tetigi; ut mox dicam: libensque id præsto, eo vel maximè, ut illa penitùs, magísque explosa maneat, juxta censuram ei à Sac. Congregatione adhibitam. Quocirca.

Quæritur, An proponens voluntate deliberata, & efficaci proposito, v. g. non recitare Horas Canonicas, non jejunare, non audire Sacrum, cùm tenetur; quodpiamvè aliud hujusmodi præceptum humanum obligans sub mortali violare, peccat mortaliter; si postea illud reipsa impleat, recitando, jejunando, &c. 45

Negativam sententiam necdum equidem typis editam in libro ullo, quem volutaverim, vidi; uno excepto, ut mox dicam: ea tamen ab uno, vel altero Doctore, quà viva voce, quà scriptis traditam ab eorum Magistrorum discipulis sæpiùs audivi, sempérque impugnavi, eosdem ab errore revocate, contendens. Nec pauca contra ipsam differui *art.* 3. §. 14. *num.* 23. *& seqq.* ubi Cyprianum nostrum Crousers Antuerpiensem retuli, qui hujusmodi sententiam *in suis Lectionibus Parœneticis super Regulam S. P. N. Francisci*, protulit de Fratre Minore voluntate deliberata proponente recipere, vel contrectare pecuniam, vel denarios contra præceptum Regulæ *cap.* 4. quæ tamen sententia corrigi, vel modificari jussa fuit per censuram Sac. Congregationis; prout latiùs *ibidem*. 46

Modificanda nimirùm fuisset, (ut indicant Patres Congregationis nostræ in relatione evulgata dictæ Censuræ, quæ mihi præsto est, dum hæc scribo, cum Codice ipsius Crousers) juxta doctrinam Vasquez *in* 1. 2. *q.* 96. *art.* 3. *disp.* 160. *cap.* 3. *num.* 10. ubi nil quidem habet de præcepto non equitandi imposito Fratribus Minoribus; ut videtur notare dicta relatio; sed vera explicatione communem exponit sententiam circa titulum illius disputationis: An scilicet Lex humana vim habeat obligandi conscientias ad actus interiores? Bonacinæ item, ubi de præcepto audiendi Sacrum; & aliorum plurium, qui ex eo, quòd (ut ipsi volunt) Leges humanæ non feruntur circa actus internos, asserunt satisfacere Ecclesiæ præcepto, de Officio Divino recitando, eum, qui voluntariè distractus illud recitat. 47

Impugnat autem *ibi* Vasquez sententiam Cajetani *in Sum. V. Excommunicatio, cap.* 3. *& V. Hora*, §. 3. & Dominici Soti *lib.* 10. *de Iust. q.* 5. *art.* 5. dicentium, Legem humanam non posse præcipere, aut prohibere actus omninò inte- 48

X riores;

riores; benè tamen interiores, qui conjuncti sunt cum exterioribus. Horum tamen (inquit ille) doctrina sic indistinctè pronunciata (scilicet quoad primam partem,) falsa est, nec cum rationibus communis opinionis, quam ipsi sequuntur, consentit. Communis porrò sententia est cum modificatione: nimirum, Nullum Legislatorem, etiam Ecclesiasticum, potestatem habere in actus omninò internos, qui interiùs consummantur, nec de sua natura sunt causa actionum exteriorum; quia de hujusmodi actibus nullatenùs potest judicare, sive sententiam ferre, considerata ipsorum natura, nedum defectu probationis. Et hæc est sententia D. Thomæ 1.2. *quæst.* 1. *art.* 4. & *q.* 100. *art.* 9. & aliorum, quos refert *ibi* Vasquez *cap.* 2. *num.* 5. Cui necessariò subintelligendum est (si germanè illam interpretari velimus) aliud membrum, quod illius modificationem consequitur; nimirùm, quòd Legislator, seu Lex humana potestatem habeat in actus, etiam omninò internos, & qui interiùs consummantur, qui tamen ex se, seu quantum est ex se, & ex natura sua sunt causa actionum exteriorum: cujusmodi proculdubio imprimis est actus voluntatis efficacis, & determinata in Fratre verbi gratiâ Minore accipiendi, & contrectandi denarios, etiamsi postea ad executionem non deveniat, & effectivè non recipiat, sive pœnitentia ductus, sive alia ex causa; quod est per accidens. Talis autem non esset affectus simplicis delectationis voluntariæ, & morosæ circa actum externum peccaminosum contra legem humanam, sive jam exercitum, sive simpliciter excogitatum: quia hujusmodi affectus, tametsi alioqui possit esse peccaminosus; cum tamen de sua natura non sit causa actus externi, nullatenùs sub legem cadit humanam, quæ, dum præcipit, aut prohibet actum aliquem externum, directè quidem, & per se fertur in ipsum opus externum, quod præcipit, aut prohibet; ac consequenter, & indirectè fertur etiam in actum internum, qui de sua natura est causa actus externi; cujusmodi est voluntas efficax, & determinata opere exequendi, quod vetitum est, aut non exequendi, quod est præceptum; non sic autem simplex affectus, & delectatio prædictorum. Sic germanè intelligenda est sententia D. Thomæ, non detorquenda ad absurda.

49 Ideò Vasquez *cap.* 3. *cit.* optimè ait: Ut igitur hanc sententiam rectè explicemus, & falsitatem doctrinæ Cajetani, & Soti ostendamus, notandum est, actum interiorem dupliciter posse comparari cum exteriori: primùm, ut est solùm voluntas quædam efficax faciendi aliquid exteriùs, quod lege humana vetitum est; vel omittendi id, quod præceptum est: Et hoc modo nullus dubitat, actus interiores lege humana prohiberi, itaut solum propositum opere exercendi id, quod lege humana interdictum est, sit verè peccatum, & contra legem; non quia Lex per se prohibeat talem voluntatem; nam de illa secundùm se judicare non poterat, neque vim suæ coactionis, & pœnæ circa illam exercere: sed quia ex opere exteriori prohibito derivatur malitia in voluntatem efficacem illius: ideò enim voluntas hæc mala est, quia opus, cujus est causa efficax, (subintellige, quantùm est ex natura sua) malum est; & prohibitio, seu præceptum per se fertur in opus externum, consequenter, & secundariè in actum interiorem efficacem. Verùm, quia affectus simplicis delectationis non est causa operis externi, ac proindè ab externo non derivatur in illum malitia, sed ipsa delectatio secundùm se considerari debet, an sit contra rationem; ideò talis affectus hac lege nec prohiberi primariè potest propter rationes superiùs dictas, nec secundariè ratione operis exterioris primariè prohibiti. Hæc ille optimè, pergens deinde *num.* 11. explicare alium modum, quo actus interior habet comparari cùm exteriori, dicens comparari affectus quosdam interiores, qui conjunguntur exterioribus operibus, non ut per se (vel ut ex natura sua) causa illorum, sed quasi circumstantiæ, & causæ accidentariæ; cujusmodi sunt voluntas finis; affectus odij, aut amoris in aliquo opere exteriori exercendo superadditi; & attentio in recitandis Horis Canonicis, comparata cum ipsa recitatione, quatenùs actus exterior humanus est: nam omnes hæ operationes, vel omissiones exteriores ex se solùm postulant simplicem voluntatem, ut causam per se; (sive ex natura sua) accidit autem, ut voluntas omittendi, vel faciendi sit cum tali, vel alio fines cum odio, vel amore; cum attentione, vel distractione Intellectus.

Cum igitur (concludit ille) dicimus, Lege 50 humana non prohiberi actus interiores nec primariè, hoc est non secundùm se; nec secundariè, hoc est non ratione operis externi, intelligimus de ijs, qui non sunt per se (sive ex natura sua) causa exteriorum, sed ex accidenti ei conjunguntur, & ex se suam malitiam habent, quatenùs sunt contra rationem. Hæc iterum Vasquez, quem vide *ibid.* etiam *n.* 14. ubi ex tradita doctrina duo notanda deducit. *Primum* est etiam affectum illum, qui per accidens conjungitur actui exteriori, nec ullo modo per actum exteriorem indicatur, prohiberi posse lege humana secundariè, quatenùs tamen est causa operis externi, & ab eo habet suam malitiam; at quatenùs respicit finem alium, qui nullo modo exteriùs indicatur, & non est causa operis externi, non posse prohiberi lege humana, nec puniri; immò

immò nec ipsum actum exteriorem, quatenùs præcisè subest tali affectui, & ab eo qualificatur, seu circumstantiatur; ob easdem rationes. *Alterum* notandum, est, affectum, seu propositum, vel voluntatem efficacem, & determinatam, quæ est per se, & ex natura sua causa operis, posse quidem, & de facto prohiberi per accidens, consequenter, & secundariè, ut *suprà* explicatum est; tamen non posse infligi pœnam propter illum præcisè, nisi prodeat in opus; quia sicut nulla humana potestas potest sententiam ferre de tali actu propositi merè interno, nec propter illum pœnam infligere, sic etiam nec Lex potest imponere pœnam ipso facto: ejusdem enim potestatis est, per sententiam infligere pœnam, ac per legem: nulla autem sententia ferri potest contra peccata cordis, etiamsi sint in proposito efficaci, & voluntate determinata circa opus, quandiù in hoc non prosiliunt, nec produntur. Videatur ille.

51 Debuisset igitur etiam *Crousers*, & quisquis illi in hac sententia adhæsit, cum modificatione pronunciare sic: Fratres Minores habentes voluntatem determinatam accipiendi, & contrectandi denarios, non peccant mortaliter primariè, & per se, vel directè contra præceptum Regulæ prohibens talem contrectationem; quia directè, primariè, & per se præceptum ipsum hujusmodi voluntatem non prohibet: attamen peccare, & quidem contra ipsum Regulæ præceptum secundariè, & consequenter, sive indirectè, quatenùs præceptum ipsum secundariè, & consequenter prohibet actum illum interiorem voluntatis, & propositi efficacis, & determinati. Nullus enim est, (ut ait Vasquez *cit.*) qui de hoc dubitet.

52 Peccant ergo mortaliter Fratres Minores prædictam voluntatem habentes, (idem die in quocunque alio præcepto, vel prohibitione legis humanæ obligantis sub mortali,) & quidem contra Regulam; tametsi non coram hominibus, sed coram Deo ex malitia objecti, quæ in ipsam voluntatem derivatur; ut dixi antequam hæc scriberem *loco cit.* Eò autem vel maximè idipsum sentio, & assero; quia Fratres Minores in sua Professione vovent, & promittunt Deo omnipotenti servare Regulam; ut tenet etiam idem Vasquez *in part. 2. quæst. 72. art. 6. disput. 98. cap. 3. numero* 9. cum Navarro. Unde præcepta Regulæ cadunt sub Voto, atque ideò coram Deo ita sacrilegè peccat contra ipsa præcepta, & in ejus judicio ita reus est pœnæ essentialis tali peccato, etiam opere externo consummato, debitæ, qui voluntate determinata proponit quodpiam illorum violare, & postea ad executionem non devenit; sicut qui per peccatum, & actum externum reus fit coram hominibus punitionis, & pœnæ, sive à Jure, sive à Judice humano inflictæ. In judicio enim Dei, qui intuetur cor, & considerat justitiam privatam, & non solùm publicam, sicut facit Ecclesia, & alij Judices humani, quantitas peccati, quatenùs attenditur quantùm ad plenitudinem consensus, & quantùm ad magnitudinem contemptus Dei, & aversionis ab illo, qui est prima regula dirigens, tanta est cum sola voluntate deliberata, seu determinata, sine opere exteriori, quanta est cum opere: & pœna essentialis correspondet prædictæ quantitati malitiæ, vel peccati; cum voluntas, vel intentio sic plenè avertatur à Deo, & ipsum contemnat, se sola, sive solo suo actu deliberato, sicut cùm est operi conjuncta: & ideò opus externum non addit ad iniquitatem voluntatis, in hoc sensu; & voluntas prava deliberata coram Deo reputatur pro facto, ut ait Gloss. *in Psal.* 57. & non minùs est reus, qui vult, & non facit, quia v. g. non datur potestas; quàm qui vult, & facit; si uterque æquali amore, consensu, & contemptu feratur; ut cum D. Augustino *lib. 1. de libero arbitrio cap. 3. in fin.* docet S. Bonaventura *in 2. dist. 42. art. 2. q. 2. in corp. & ad argumenta*; quem vide omninò etiam *q. 1. ibid. & dist. 40. artic. 1. quæst. 2.* Atque hæc urgent etiam in sententia Cajetani, & Soti, quòd scilicèt Ecclesia, seu Lex humana, vel Regula nullatenùs prohibeat talem voluntatis actum, neque solùm secundariè, & consequenter; ut affirmat Vasquez. Negativa ergo illa sententia Crousers, & aliorum ad propositam quæstionem sic absolutè, & indeterminatè pronuntiata manifestè est falsa; error est, non opinio.

Sanè autem erroris illam redarguit magno zelo Navarrus *in Comment. de Oratione, & Horis Canonicis, cap. 2. num.* 9. ubi docet, quòd nolens recitare Horas Canonicas, aut nolens audire Missam die festo, peccat mortiferè, debétque pœnitentiâ duci, & suo tempore, & loco illud peccatum confiteri, licèt postea integrè, & debitè impleat præceptum recitandi Horas, audiendi Missam, &c. Et ita non sine dolore, præ zelo, non semel se respondisse ait aliquibus sibi tardè celebraturo aliquoties dicentibus: Benè Tibi sit; quia si Tu non celebrasses tardè, vel si non nos admonuisses, hoc die festo Missam non audivissemus, aut Horas non pronuntiassemus, & in peccatum incidissemus: Ita, inquam, se respondisse commemorat: Si proposuistis non audire Missam hoc die festo, licèt postea, me tardè celebrante, audieritis; vel, si proposuistis non recitare Horas, licèt postea, me admonente, recitaveritis illas, non excusamini à peccato com- 53

missionis, quod, proponendo non audire, vel non dicere, admisistis; licèt sic, à peccato omissionis, quod incurrissetis, non audiendo, vel non dicendo, post illud malum propositum, cùm possetis. Ita Navarrus.

54 Atque hæc doctrina (inquit ille) fundatur in conclusione illa D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 20. *art.* 4. & Cardinalis S. Xisti *in cap. si quis non dicam : de pænit. dist.* 1. & communi; nempè Actum interiorem voluntatis deliberatæ, & perfectæ sine exteriori, æquè bonum, aut malum esse, atque cum illo, cæteris paribus. Videatur etiam Navarrus ipse *in d. cap. si quis non dicam*, & in *cap. Magna : ibid.* Ubi observa, quòd Navarrus propositum illud appellat peccatum commissionis, non omissionis: & benè; ille enim sic proponens verè actu deliberato voluntatis recedit hic, & nunc (tametsi nondum actu externo, à regula divina;) sed hoc est committere peccatum, hoc est committere contra dictam regulam; ergo, &c. Probatur minor: quia communiter à Doctoribus peccatum definitur, quòd sit voluntarius recessus à regula divina, per quam regulam intelligitur præceptum tàm naturale, & humanum, quàm divinum. Et præterea omnis malitia (ita & bonitas) moralis primario, & per se, convenit actui interiori, nempe voluntatis deliberatæ; secundariò verò, & quasi per accidens derivatur in actum exteriorem: unde, etsi actus exterior nondum extet, nec subsequatur, jam peccatum, quoad suum formale, perpetratum est; nec multiplicatur, nisi materialiter, per actum externum executionis, si subsequatur. Vide Gaudentium nostrum *tom.* 4. *tractat.* 1. *disp.* 16. *q.* 1. *& seqq.* & S. Bonaventuram *d.* 42. *sup. cit. art.* 1. *quæst.* 1. cui concordat Navarrus *in dict. cap. Magna : num.* 19. quoad illud, quod diximus *suprà*, quòd nempè voluntas deliberata coram Deo, & in foro conscientiæ, & pœnitentiarum reputatur pro facto, quoad meritum, vel demeritum essentiale, tàm in malis, quàm in bonis.

55 Quocirca Navarrus ipse *in d. Comment. de Oratione, & Horis Canon. cap.* 7. *num.* 11. animadvertit, innumeram peccatorum mortalium confessionem omitti. Quamplurimi enim sunt, (inquit) qui proponunt, non audire Missam, aliquibus festis; non dicere Horas aliquot diebus; non facere alia, quæ sibi sub pœna peccati mortiferè à lege, vel homine præcipiuntur; qui, si postea, mutato proposito, audierint, recitaverint, vel præcepta impleverint, non curant proposita illa mala, quæ sunt mortifera, confiteri: velut etiam sunt plurimi, qui proponunt alium percutere; fornicari; furari; perniciosè mentiri; non jejunare, quando ad id tenentur; non solvere, quod debent, præfixo termino; non adimplere juramentum; non præstare quod promiserunt; & alia id genus infinita: qui, si postea, mutata voluntate, jejunant, soluunt, & adimplent, non curant illa proposita mortifera confiteri. Qui omnes satis miserabiles sunt. Tùm quòd compertissimum est, omnia præfata proposita interiora esse mortifera, cum sint ejusdem speciei, cujus sunt opera exteriora ab eis profecta; & ideò, cæteris paribus, æquè mala, ac illa; ut præfatum est. Tùm quòd æquè compertum est, nos obligari ad confitendum omnia peccata mortifera, etiam mentalia tantùm: *cap. omnis utriusque sexus : de pœnit. & remiss.* & latè Cajetanus post alios *in lib.* 11. *quæst.* 7. & urgentiùs Concil. Trident. *sess.* 14. *Can.* 7. *de Sacramento Pænitentiæ*; & expresè de peccatis mentalibus, & cogitationibus tantùm, *in cap.* 5. *ejusdem sessionis.*

Toties igitur quisque peccat mortiferè, quoties voluntate perfecta, & deliberata, proponit violare quodcunque præceptum, etiam humanum, violatione mortifera; licèt postea propositum illud opere non compleat. Verbi Gratiâ. Toties quotidiè peccat obligatus ad dicendas Horas Canonicas, vel ad abstinendum à carnibus, vel ad jejunandum; quoties proponit, vel omittere Horas omnes, aut aliquam earum; vel carnes comedere; vel jejunium frangere: licèt postea & Horas recitet, intra tempus debitum; & à carnibus abstineat; & jejunium non solvat: Quando verò post illud propositum, vel Horas non recitat; vel carnes comedit; vel jejunium solvit, peccat iterum ob omissam pronunciationem Horarum; ob carnium comestionem; ob solutionem jejunij; ita quòd propositum non recitandi Horas verbi gratiâ unum sit peccatum, & earumdem postea data opera omissio, alterum: hoc, Omissionis; illud verò commissionis, scilicet contra Deum, juxta illud *Lucæ cap.* 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Et contra quartum Decalogi præceptum. Quapropter qui die uno, mense, aut anno Horas Canonicas recitare omiserit, sæpiùs memor earum, & proponens non recitare illas, non satisfacit confitendo Confessario suo, se omisisse eas uno die, mense, aut anno: quia non solùm tenetur specificare tempus, quo omiserit; sed etiam verisimilem numerum earum vicium, quibus proposuit non recitare illas: quæ est conclusio quotidiana, & diligenter notanda tàm Confessarijs, quàm Confitentibus. Hactenùs doctrina, & ferè ipsissima verba Navarri, & verè digna omnia tanto Doctore monita, & asserta. 56

Pro

57 Pro his videri etiam possunt Sylvester *in Sum. V. Hora, quæst.* 11. §. *Secundum*: & *quæst.* 12. §. *Sextum* Diana mihi Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 3. *resolut.* 1. *& resolut.* 5. & alibi, ut indicat ibi Marginista, & Coordinator: Itémque doctissimus Prosper Fagnanus *in cap. dolentes*: *n.* 64. *& seqq. de celebrat. Missarum*: qui usquequaque nostræ sententiæ, favens, docet, propositum, de quo egimus, esse contra ipsum præceptum Ecclesiæ de audienda verbi gratiâ Missa: quia eodem (inquit) præcepto, quo Ecclesia præcipit audire Missam, vel Jejunare, &c. præcipit etiam velle audire, & jejunare, &c. tanquam actum necessariò requisitum, & concurrentem ad esse Morale actus externi audiendi, jejunandi, &c. Ita etiam Petrus à S. Josepho Fuliensis *lib.* 4. *de Iustitia, cap.* 2. *resol.* 4. *vers. Not. Secundò.* Quomodo autem Ecclesia præcipere, vel prohibere possit, etiam sub Censura, actum internum, egregiè sustinet Suarez *in tract. de Legibus lib.* 4. *cap.* 13. *n.* 12. & eruditè ex Sacris Canonibus ostendit Fagnanus *cit.* Atque adeò hæc doctrina vera à Diana *cit.* ut doceat, quòd audiens v. g. Missam de præcepto, intendens tamen non satisfacere, nec parere præcepto Ecclesiæ, nec aliam audire, ut pareat, & sic nullatenùs parere Ecclesiæ; satisfacit quidem præcepto Ecclesiæ materialiter; sed formaliter peccat contra aliud præceptum; nempè quartum Decalogi, quo quilibet tenetur esse subditus Ecclesiæ, eique parere velle. Videatur ille afferens Doctores ad saturitatem.

Et ecce, favente Deo, universam hanc quæstionem enucleatè absolutam: quoad verò illa, 58
quæ docuimus *suprà* de protestatione à Fratribus Minoribus pro annuis legatis facienda; & de obligatione hæredum, vel gravatorum solvendi legata ipsa, duobus sequentibus Articulis duo hæc ipsa puncta seorsim ex professo discutienda, ac pleniore stylo, prosequenda reservavimus. Unde fit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

AN, ET QVOMODO PROTESTARI TENEANTVR FRATRES Minores Hæredibus, vel Gravatis, Executoribúsve Testamentarijs, cùm Legatarios se se noverint institutos. An scilicet, Quando, seu in quibus casibus; quibusvé terminis, seu verbis declarare se debeant cum prædictis personis circa Legata præsertim annua, eáque perpetua, pro se ipsis facta.

§. I.

Doctorum sententiæ in hoc proposito afferuntur, & expenduntur, punctúsque difficultatis elucidatur.

SVMMARIVM.

1 *Minores legatum annuum simplex, vel sub onere Missarum recipere non possunt, nisi præmissa protestatione se non posse ex obligatione accipere, sed solum per modum eleemosynæ, juxta quorundam opinionem.*

2 *Protestatio à Minoribus facienda an requirat actum solemnem renuntiationis omnis juris quod ex legato ipsis competere posset; itaut in hæredum arbitrio sit illud eleemosynaliter dare eisdem, vel non dare.*

3 *Protestatio, vel Renuntiatio à Minoribus facienda circa legata ipsis relicta, ab Authore declaratur sub quibusdam distinctionibus observandis*, & num.4. & 5.

4 *Renuntiatio pro respuitione intelligenda est.*

5 *Renuntiatio propriè quid sit? & quid importet.*

Minores non possunt renuntiare seu remittere hæredibus jura quorum incapaces sunt super legatis sibi relictis.

6 *Legatum annuum sub forma simplicis legati annui relictum longè differt à legato annuo sub forma usufructus.* & numer.7.

Minores possunt recipere legatum annuum de facto tantum absque ulla obligatione civili ex parte hæredum, & cum moderaminibus requisitis.

Minores non possunt recipere legatum sub forma usufructus, vel alio modo illicitè expresso relictum.

8 *Omnes Reditus sive formales, sive etiam virtuales, Minores nullo modo admittere possunt.* & num.9.

9 *Legatorum forma maximè attendi debet, an importet annuum usumfructum, an verò simplex legatum annuum Minoribus relictum, ad declarationem ab ipsis faciendam hæredibus circa hujusmodi legata.*

EST aliquorum opinio, post San- 1
chez *lib.7. in Decal. cap.26. num.49.*
quem item citat, & sequitur Jo.
Card. de Lugo *tom. 1. de inst. & iure*
disp.3. sect.5. num.105. & lib.4. Resp. moral. dub.7.
num.3. dicentium. Non posse Fratres Minores
licitè recipere legatum annuum, nisi protestentur hæredi, vel gravato, se illud non posse ex obligatione datum accipere. Sed solùm, ut gratuitam eleemosynam; atque ideò dantem esse liberum ab omni obligatione; si tamen tale legatum sit absque ullo onere, v.g. Missarum, Officiorum, vel hujusmodi. Quòd si sit cum tali aliquo onere, debet hæres, vel gravatus facere, quòd ijs oneribus per alios satisfiat: poteritque ipse, post factam per Fratres protestationem prædictam, sicut alijs, sic eisdem etiam Fratribus sponte sua committere eas Missas, vel Anniversaria implenda; qui tunc poterunt eleemosynam illam oblatam accipere; quia illa erit vera eleemosyna, quam non prohibentur accipere sicut legata. Ita isti innixi quibusdam declarationibus, & ordinationibus Capitulorum generalium Ordinis, de quibus alibi; quarumque duas affert *Sanchez cit.*

Noster verò à Politio *in cap 6. Reg. num.46.* 2
non contentus simplici protestatione (quàm tamen ipse aptioribus exprimit terminis, quàm Doctores prædicti) requirit etiam actum solemnem renunciationis omnis juris. &c. Rem autem istam edisserit hisce verbis: Ex his liquet; non posse Fratres, pro suis necessitatibus petere, aut recipere eleemosynas frumenti, vini, olei, vestimentorum, & hujusmodi, & multò minùs pecuniarias; quas aliqui particulares, seu Confraternitates, aut Communitates, & Hospitalia tenentur quotannis facere ipsis Fratribus, itaut civiliter ad id cogi possint. Quoniam tales eleemosynæ naturam sapiunt redi-

tuum

tutum, & habent obligationem civilem annexam; quorum Fratres incapaces sunt. Quare hujusmodi certam petere, aut recipere eleemosynam civiliter debitam, Fratres nullatenùs poterunt. Quòd si Fratres expresè protestentur, purè eleemosynaliter absque ullo jure prædictam petere, seu recipere eleemosynam, licitè poterunt illam habere: cùm nullum in ea jus habeant; ut vult Corduba *super hoc cap. quæst.* 10. *art.* 4. Quod ego puto verum, si ultra protestationem prædictam, renunciationis interueniat actus per publicum Notarium, aliumvè legitimum Ministrum confectus: per quem Fratres omni juri super dictis legatis, seu eleemosynis eis quotannis dandis renunciat, tanquam horum incapaces ex Regulari Professione, & Declarationibus summorum Pontificum. At per hoc, qui fuerant gravati eleemosynas prædictas quotannis solvere, liberi, & absoluti ab hoc onere reddantur: nec ullo modò civiliter ad id compelli possint; sed in eorum sit arbitrio & libertate eas dare Fratribus merè eleemosynaliter, vel non dare, prout eis libuerit. Hactenùs à Politio *loc. cit.*

3 Veruntamen nullus horum Doctorum loquendi modus (quidquid sit de eorum mente, sensúve interno) mihi satisfacit; salva semper tantorum virorum pace, & reverentia. Respectivè etenim exorbitant in explicatione, vel Protestationis, aut Renunciationis à Fratribus faciendæ; vel absolutionis gravati ab obligatione eleemosynæ solvendæ ex testatoris mandato. Et primi quidem exorbitare perhibentur, dum dicunt, teneri Fratres, ut licitè recipiant simplex annuum legatum, protestari hæredi, vel gravato, se illud non posse ex obligatione datum accipere &c. non exprimentes, ex qua obligatione id procedat, civilinè tantùm, an etiam ex conscientia; cum utraque suapte natura veniat sub nomine obligationis indefinitè prolato. Quod utique ipsimet sibi velle manifestiùs indicant; dum subjungunt, ideò Dantem esse liberum ab omni obligatione: si tamen &c. Præterea non distinguunt inter annuum legatum simplex, & annuum legatum importans annuum usumfructum legatum, adeóque fixum certæ, & determinatæ rei immobili, vel inter immobilia computatæ, quæ distinctio apprimè advertenda est in hac materia; ut ex dictis *in præcedente Articulo* constat: ex quibus pariter constat, nunquam esse liberos hujusmodi hæredes, vel gravatos ab obligatione in foro conscientiæ solvendi legata prædicta, sive Fratribus ipsis specialiter à testatore institutis, sed civiliter non acceptantibus, seu agnoscentibus legata ipsa, si sint annua legata simplicia; sive alijs pauperibus, vel alijs pijs Causis pro bono animæ ipsius testatoris, cùm scilicet sunt annua legata importantia annuum usumfructum legatum, à quibus, & à quorum receptione per omnem modum Fratres abstinere tenentur, ac proindè expresè illa respuere.

Unde mihi nec placet, nec titè à Fratribus, sive simpliciter protestantibus, se civiliter non acceptare legatum, sive etiam expresè respuentibus, fieri posse videtur, quod ait Politius; si videlicet ultra protestationem prædictam, (vel etiam respuitionem) renunciationis interveniat actus per publicum Notarium, aliumvè legitimum Ministrum confectus &c. Nisi fortè *Politius* per Renunciationem intellexerit simplicem respuitionem vel juris ad res legatas quotannis percipiendas, vel ipsarum legatarum etiam secluso jure præstitarum. Quorum sanè primum exprimit ille dum subjungit: Per quem Fratres omni juri super dictis legatis, seu eleemosynis quotannis dandis renunciant: idest respuunt. 4

Ratio autem improbandi est; quia Renunciatio, secundùm Hostiensem, Sylvestrum, Angelum, Lorichium, & communiter secundùm Canonistas, & Juristas, est spontanea & legitima cessio, refutatio, dimissio, seu resignatio, vel repudiatio rei, vel juris proprij, saltem competentis, & in futurum acquisibilis; ut ex *c. quam periculosum: 7. quæst. 1.* tradunt Lezana *tom. 4. sum. verb. Renunciatio inter Religiosos, num. 2.* Parisius *de Resignatione, lib. 1. quæst. 1. num.* 34. & alij communiter. Dicitur autem, *rei, vel juris proprij*, quia, quod non habetur, renunciari non potest; ut ex Parisio *cit. num. 50. not.* Lezana *cit.* Dicitur, *saltem competentis, & in futurum acquisibilis*; quia non potest quis renunciare juri, aut alicui rei, antequam saltem ea sibi competat, ita ut possit illam acquirere in futurum, si velit; ut docet Gloss. *in cap. si quis ordinaverit: de simonia: & in capit. ex multiplici: de Decimis: argum. l. is qui: ff. de acquiren. vel omitten. hæredit. & l. qui potest: 174. §. quod quis: ff. de reg. juris*; ubi Gloss. *cum concordantijs*. Et renuncians juri suo, debet illud scire, & agnoscere tanquam suum; ut notat Gloss. *in Authen Maxima quidem: cap. 1. §. sed etiam: verb. Interroget: Quomodo oporteat Episcopos & cæteros Cleric. ad ordin. perduci, & de expens. Eccles. Novel. 6.* Et præterea Renunciatio est quædam donationis species, sicut & remissio; ut tradit Christophorus Torniola *Consilior. p. 1. consil. 26. num. 2.* ex *l. si mulier*: ubi Bartolus & Doctores, maximè Alexander, *ff. de condictione cau. data*: & ex *l. quam etiam: ff. de calumniator.* & ex *l. peculium: §. 1.* ubi Bartolus, *ff. de peculio*, & *l. contra juris, §. 1.* ubi Doctores, maximè Iason post alios, *ff. de pactis, & l. si quis obligatione*: ubi Gloss. Bartolus & Decius, *ff. de reg. juris*: & ex Bartolo *in l. Modestinus: ff. de solutionibus, & liberation.* Alexan- 5

dro, & Modernis, ubi Decius, *in l. creditori tuo: C. de pactis:* notátque Gloss. ubi Baldus, *in l. si inter patrem: C. de solutionib. & liberatior.* cum *concordant*, ut per Jasonem *cons.* 199. *col.* 2. *lib.* 2. & *cons.* 149. *col.* 2. *lib.* 4. Nam remittentibus juta sua ulterior regressus non datur; *l. quaeritur: §. si venditor ff. de adilitio edicto: l. fin. C. de remissione pignor. & l. postquam liti: C. de pactis, & cap. ex transmissa: de renunciationibus. & cap. ex ore: de privileg.* cum *concordant.* per Decium *cons.* 389. *col. penult.* & Cephalum *cons.* 94. *col.* 3. *in princ. &* 137 *col.* 14. apud Torniolam *cit. n.* 3. Renunciare ergò propriè hæredibus, vel gravatis legatorum jura, aut res ipsas sibi legatas, quæcunque illæ sint, non solùm non debent, sed nec ritè possunt Fratres Minores; quippè quibus nunquam sunt acquisita, aut in futurum acquiri possunt, tanquam propria, jura ipsa, vel res; atque ideò donare illa nequeunt, aut remittere, sive in totum, sive in partem (ut *infrà* dicemus §. 4.) neque per Syndicum Papæ,

6 Restat igitur difficultatis punctus, An, & quomodo declarare se debeant Fratres ipsi cum hujusmodi gravatis, vel hæredibus. Pro cujus resolutione valdè recolenda est, necessarióque callenda distinctio inter annuum legatum sub modo & forma simplicis annui legati relictum, & annuum legatum sub modo & forma annui ususfructus sive causalis, sive formalis legati: prout explicatum est *Artic. praecedenti, §.* 23. & alibi pluties. Nam secundùm diversitatem legatorum ipsorum, diversimodè quóque gerere, declararéque se debent Fratres cum hæredibus, vel gravatis. Prout enim vidimus in superioribus, præsertim *eo §.* 23. & 24. legata primi generis, etiamsi perpetua, accipere possunt Fratres de facto tantùm, cum moderaminibus requisitis, citra ullum jus ad illa ex parte ipsorum existens, ac proindè citra ullam obligationem civilem, benè tamen ex sola obligatione conscientiæ, in solventibus illa. Legata verò secundi generis, utpotè eis relicta cum expressione modi ipsis illiciti, neque de facto, & citra omne jus, capere possunt ut sibi relicta, seu ex tali institutione; sed ab his, & ab eorum receptione abstinere per omnem modum tenentur; ut declarat Nicolaus III. *in eo § Ad hæc quia*: Nam, si legata primi generis admitterent ex civili obligatione debita, & præstita ab hæredibus, vel gravatis, jam haberet Fratres ipsi annuos reditus formales, & propriè dictos; quod repugnat statui, & mendicitati ipsorum; hócque non solùm si legata essent annua, ad longum tempus, vel perpetua; sed etiam si ad modicum tempus, vel pro unica vice; ut ostendimus *locis suprà cit. & §.* 25. Si verò legata secundi generis, etiam citra omnem juris acquisitionem ad illa ex parte ipsorum, admitterent, jam haberent usumfructum annuum, si non causalem, neque formalem de jure, & propriè dictum, hunc saltem de facto, quod esset virtuales reditus annuos, vel proventus habere, & simplicis saltem facti usum alicujus rei immobilis, vel inter Immobilia computatæ, præter eas, quæ necessario, & expressè concessæ ipsis sunt; ut patet ex Declarationibus Nicolai III. *cit.* & Clementis V. *in eo §. licet verò.*

Atque optimè hanc legatorum differentiam, quoad theoricam, notavit Politius *citat. num.* 42. & 43. deducens indè, quæ suprà attulimus, quoad protestationem, & renunciationem ab ipso assertam. Minùs tamen benè rem explicat in praxi exemplorum circa legata secundi generis, sive jura attendamus, sive modum expressum loquendi, quo utitur *Nicolaus III. citat.* ut latè monstravimus *eo §.* 23. 7

Confirmans autem interpretationem illius textus *Clem. Exivi: §. Proindè: versic. cùmque annui reditus*: à nobis alibi traditam, *eo num.* 42. ait: Quòd autem reditus formales, & propriè dictos (quod est jus, seu actio ad aliquid annuatim percipiendum) Fratres nullo modo habere valeant, expressè declaratum habetur *in dicta Clem. Exivi.* Ait enim ibi Clemens V. *Cùmque annui reditus inter Immobilia censeantur à iure &c.* Ex quibus verbis constat, quòd non modo reditus, nec possessiones aliquas, sed nec horum usum (licet proprietas sit penes alios) Fratres habere possunt: nisi tantùm hortorum pro necessarijs hortalitijs, & ad eorum recreationem: & Domorum item ad habitandum, dummodò sint competentes, & paupertatem nostram non excedant; ut in *eadem Clementina* apparet, §. *licet vero*: Hæc ibi Politius. *Num. verò* 43. *sequente* subjungit. 8

Virtuales autem reditus, seu possessiones habere, (quod idem est, quod usum habere eorum, quæ ad horum speciem, & naturam appropinquant) omninò Fratribus interdicitur, ex *Decretali, Exijt: §. Ad hæc: & Clem. Exivi: §. licet verò*: Quare horum usum habere, (licèt sit absque ullo jure) quia virtuales est reditus & possessiones habere, seu retinere, nobis inhibitum probatur. Ideò si quis ordinaverit reditum perpetuum, quò in aliqua Civitate, seu loco sustentarentur Fratres; hæredes in hoc gravando, ut quotannis necessaria Fratribus subministrent: vel si reliquerit aliqua territoria, vel vineas, de quorum fructibus per culturam, & industriam, vel eorundem fructuum pretio Fratrum necessitatibus per hæredes singulis annis provideretur: hæc penitùs Fratribus interdicta probantur. Quia hæc habere, est habere usum redituum, seu habentium speciem, & naturam redituum, seu possessionum; ut ex *dicta Clem.* probatur, §. *licet verò*: 9

quæ

quæ Fratribus denegantur. Hæc iterum ille. Immeritò tamen prohibita penitus affirmans legata illa, quibus theoricam suam exemplificat. Neque enim talium legatorum forma, maximè cum sint facta, gravando simpliciter hæredem, (ut ipse ait) & sub forma fideicommissi, importat annuum usumfructum legatum rei immobilis, ut possessionis, agri, vel vineæ; aut inter Immobilia computatæ, ut annui census, vel reditus constituti; sed importat propriè simplex annuum legatum, vel fideicommissum; adeóque hæres gravatus dominus est non solùm bonorum illorum immobilium, vel inter immobilia computatorum, dominio directo, & utili, sed etiam eorum fructuum annuorum; sicque ipsi, non Fratribus, tribuendus est usus, vel usufructus eorundem bonorum: eique sola incumbit obligatio in foro conscientiæ præstandi quotannis Fratribus sive ex prædictis frûctibus, sive ex aliis aliundè, & quomodocúnque sibi provenientibus substantiis eleemosynam, quam ordinavit testator, quippè quæ, attentâ formâ expressâ legati, secundum Jura, non debetur ex re immobili, aut inter Immobilia computata, ad id specialiter obligata, neque ei est fixa, itaut radicaliter immobilis censenda sit. Quare rem hanc non ità benè digessit *Politius* exemplis illis, sicut digessit D. Bonaventura *in libello Apologetico, quæst. 9.* infrà afferendus. Esset quidem usufructus legatus Fratribus, & ipsi dicerentur habere, saltem quoad usum simplicem facti, bona illa immobilia, vel inter immobilia computata, si reciperent ex legato, quo testator directò ad ipsos verbo in forma legandi: directè eis reliquisset integros fructus eorundem bonorum; ut alibi ostensum est, allatis juribus id decidentibus, *eo* §. 23. Quare, ut monuimus, in his difficultatibus observanda in primis est forma legandi à Testatore servata; an scilicet importet annuum usumfructum legatum, necne; vel simplex annuum legatum: & juxta legatorum diversitatem deprehensam, diversimodè declarare se debent Fratres cum hæredibus; ut statim subdo.

§. II.

Solvitur difficultas proposita; & quid agendum Fratribus pro legatorum diversitate statuitur.

SUMMARIUM.

1 *Minores quorum legatorum sint incapaces, & quomodo suam incapacitatem declarare debeant, & protestari.*

2 *Protestationis formula à Minoribus facienda circa legata sibi relicta.*

Et similiter de hæreditate, vel fideicommisso universali. num. 3.

4 *Protestationem facere an teneantur Minores pro annuis legatis simplicibus sibi relictis.*

Donationis acceptatio an præsumatur in Iure ex præsentia & taciturnitate donatarij. ibid. & n. 9.

Tacere, est quid medium inter consensum & dissensum. ibid.

5 *Tacens consentire videtur quando de ipsius commodo agitur.*

6 *Præsentia donatarij in dubio an præsumatur in actu donationis, ad inducendam tacitam acceptationem.*

7 *Donatio facta absenti per nuntium, vel epistolam, an censeatur tacitè acceptata si donatarius epistolæ non respondeat, vel tacens dimittat nuntium; itaut hæres donatoris non possit revocare donationem.*

Facultas revocandi donationem non transit ad hæredes donatoris, ibid.

Mandatum favore piæ Causæ non expirat morte mandantis. ibid.

8 *Minores, dum illis denuntiantur legata eisdem relicta an teneantur protestari se civiliter non acceptare, ne tacendo inducatur acceptatio.* & num. 11. 12. & seqq.

Obligatio naturalis constat quando lex humana contractui non resistit, neque assistit. ibid.

10 *Regula*, Qui tacet, consentire videtur: *& Regula*, Is qui tacet, non fatetur: in *6. explicantur, & conciliantur.*

Verbum, Videtur, *præsumptionem importat, non veritatem.* ibid.

Fictio non operatur nisi ubi veritas locum habere potest. ibid.

Fictio non inducitur nisi ex æquitate. ibid.

Falsitatis imago est quod longè à verosimili recedit. ibid.

11 *Minorum protestatio an sit necessaria in legatis sive lucrativis, sive onerosis, eisdem relictis.*

12 *Protestatio seu declaratio Minorum in legatis sibi relictis non est necessaria simpliciter, sed sufficit si politicè & civiliter illa non acceptent.*

13 *Regula*, Qui tacet: de reg. iur. in *6. explicatur.*

Minorum taciturnitas non inducit acceptationem civilem rerum sibi relictarum, obsistente illorum paupertate & professione.

14 *Protestationis loco sunt Declarationes summorum Pontificum circa Regulam S. Francisci, ad inducendum rejectionem civilem legatorum Minoribus relictorum.* & num. 16. & 17. cum seqq.

Et constitutiones Capuccinorum respectu ipsorum. num.15.

17 *Heredes ad legata Minoribus licito modo relicta solvenda se liberales exhibeant: quod declaratar.*

18 *Praelati, & Iudices saeculares promptos se exhibeant ad pias defunctorum voluntates impleri faciendas officio nobili.*

19 *Declarationes summorum Pontificum circa legata Minoribus relicta satis ostendunt nullum jus civile, nullamque actionem ipsos habere ad illa exigenda, ut protestatio Minorum hac parte videatur inutilis.* & num.20.

Et qua ratione Minores possint exponere suas necessitates depositario pecaniae ad eas sublevandas relictae, & rogare ut fideliter se gerat in re sibi commissa. ibid.

20 *Protestatio interdum opportuna & utilis, non tamen semper necessaria.*

21 *Minores qualiter se gerere debeant erga haeredes, aliosvè gravatos ad aliquid sive pecuniarium, sive alterius generis praestandum.*

1 PRima Conclusio. Loquendo igitur primo de legatis importantibus usumfructum legatum, sive in annos plures, in perpetuum, vel ad tempus tàm breve, quàm longum, sive etiam pro unico anno; de quibus procedit secunda Conclusio nostra §. 25. *articuli praecedentis* exposita; nulla dubitatio est, quòd Fratres Minores, cùm eorum nullatenùs sint capaces, debent ab illis, & ab eorum receptione, quatenùs ex sui ipsorum institutione procedunt, per omnem modum abstinere; ut ait Nicolaus III. *eo §. Ad hae, quia:* proptereáque protestari necessariò debent hæredibus, vel alijs testamentarijs Executoribus hanc suam ipsorum omnimodam talis institutionis incapacitatem, & legata ipsa, quatenùs ex tali testatoris ordinatione procedentia, omninò respuere; ita ut hæredibus, vel Executoribus ipsis innotescere faciant, quòd illa ex nulla omninò obligatione debentur, non solùm scilicet ex obligatione civili, sed neque ex obligatione conscientiæ; quoad illa sibi specialiter tanquam à testatore institutis præstanda: benè tamen adhuc deberi illa pro salute animæ testatoris pauperibus, vel pijs Causis in genere erogari; neque hæredibus, aut cuipiam alteri licite, & tutâ conscientiâ acquiri posse. Nullatenùs tamen tenentur Fratres ipsi, ut volebat Politius noster *suprà* allatus §. *praecedente*, actum solemnem renunciationis per publicum Notarium; sed neque per se ipsos privatim, seu minùs solemniter facere; neque ad evitandam sinistram opinionem, vel scandalum, quod apud hæredes, vel alios quospiam concipi, vel oriri posset de Fratribus ipsis; ut putavit in tali casu necessariò faciendum Crousers Antuerpiensis noster *in cap. 6. regul. lect. paraenet. sexta, versicul. sed utrum Fratres; in fine.* Quinimmò neque licet Fratribus ipsis talem actionem facere; ut probavimus *suprà, paragrapho praecedente*; & insuper docet Sanctes Romanus noster *in idem cap. sextum Regul. versicul. Et casu:* Renunciatio, enim, secundùm Juristas (ut vidimus) est rei, jurisvè proprij, spontanea, eáque legitima refutatio, vel dimissio; & quædam juris, vel rei acquisitæ, aut quæ saltem de jure competit, & acquiri in futurum potest, alienatio, vel cessio. Tusch. *lit. R. conclus.* 160. Unde ijs tantummodò convenire perhibetur hujusmodi actus, qui jus ipsum, sive in re, sive in rem aliquam civiliter & juridicè possidenr, aut possidere possunt in futurum. Sufficere proindè judicat *Sanctes citat.* quòd Fratres verbis simpliciter monstrent, & protestentur, quòd talium legatorum sunt omninò incapaces; ut dictum est *suprà.* Ad hoc autem protestandum tenentur non tantùm ad benè esse, seu evitandi gratiâ scandali pusillorum; sed absolutè, etiam si nullum omninò scandali periculum immineret. Atque hanc facere protestationem, ad Guardianos spectabit; quibus tamen consulerem, eam in scriptis facere, adhibitis duobus, vel tribus Patribus discretis suorum Conventuum. Quòd si formam decideres hujusmodi declarationis, seu protestationis, hisce terminis ritè eam fieri arbitrarer.

In Nomine Domini.

Nos Frater N. Guardianus Conventus N. Fratrum Minorum Capuccinorum, & Discreti ejusdem infrà scripti dicimus, ad nostram notitiam pervenisse, quòd N. Testator quoddam nobis reliquit annuum legatum, annuorum scilicet fructuum proventuum, vel pensionum talis agri, vel vineae domus locata, vel Census, seu Reditus annui constituti super quingentos, vel mille verbi gratia, aureos, apud talem personam, vel communitatem; in perpetuum, vel ad tale tempus, gratis vel cum onere Missarum &c. Cumque hujusmodi legati, quippè ab ipso relicti, cum expressione modi, secundùm quem nobis (nostri conditione status, Paupertatisque inspecta) recipere non licet, nullateniis capaces simus; per praesentes protestamur in Domino, quòd ab illo, & ab ejus receptione; quatenùs ex institutione specialiter de nobis à testatore facta procedit, per omnem modum abstinebimus, respuentes omninò institutionem ipsam, & declarantes, nullo modo per eam attingi haeredem, vel alium Executorem, neque in foro fori, neque in foro poli, ad nobis specialiter legatum illud, vel aliquid de ipso praestandum. Relinquentes tamen 2

de

de caetero haeredis, vel Executoris ipsius curae, quòd pia Testatoris voluntas non fraudetur, sed alio meliori, quo fieri potest, modo per ipsam impleatur, consulto Episcopo; prout ipse in foro conscientiae ex fidelitate erga testatorem praestare tenetur, erogando legatum praedictum pauperibus, pijsvè Causis in communi, itaut in ejus sit omnimoda libertate nobis quoque erogare, si sponte sua voluerit, tanquam pauperibus, non tanquam legatarijs specialiter institutis; neque unquam alio titulo, quàm eleemosynae pauperibus, pijsvè Causis in communi erogandae, legatum ipsum, vel de eo quippiam petemus, aut accipiemus. Ita declaramus, & protestamur pro cautela conscientiarum cùm ex parte nostra, tùm ex parte haeredis, vel Executoris ipsius.

In Conventu N. die... mense... anno....

F. N. Guardianus dico, ut sª.

F. D. Discretus dico, ut sª.

Fr. N. Discretus dico, ut sª.

3 Hanc igitur Protestationem Respuitionem, & Declarationem tenentur Fratres Minores necessariò, & absolutè facere in casibus legatorum hujusmodi, sicut etiam tenentur eandem facere, cùm se noverint institutos ad aliquam haereditatem, vel fideicommissum universale, sive de rebus immobilibus, sive mobilibus quibuscumque haereditas ipsa, vel fideicommissum sit. Facta autem hujusmodi Protestatione, si haeres, vel executor (missum facio substitutum, qui, si adsit ex testatoris dispositione, cùm legatum seu etiam fideicommissum particulare hujusmodi, tùm haereditatem, vel fideicommissum universale tutissimâ conscientiâ, optimóque jure sibi retinere potest: ut alibi docuimus) aliquid de testatoris relictis, vel fideicommissis sponte sua voluerit Fratribus quoque tanquam venientibus in numero pauperum Christi in communi, & quidem proximiùs intentionis testatoris, erogare: poterunt hi licitè, & salva omninò suae ipsorum Paupertatis puritate, secundùm indigentias suas praesentes, vel imminentes, & cum moderaminibus requisitis (ubi praesertim ageretur de erogatione pecuniaria) tale subsidium admittere; ut aliàs docuimus. Atque in his tantùm, non in annuis legatis simplicibus, locum habet doctrina Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 26. n 49. & 51.* quam alibi, quoad legata simplicia, refutavimus.

4 Secunda Conclusio, quoad Protestationem pro annuis legatis simplicibus, An scilicet ad illam faciendam haeredibus, vel gravatis, teneantur Fratres, necne; colligi posset ex responsione ad illud, quod quaerunt Card. de Lugo *tom. 2. de just. & jure disput. 23. sect. 5. num. 82.* & alij communiter: An scilicet ad valorem (civilem intellige, & in foro fori) donationis sufficiat, si donatarius taceat, ut acceptasse videatur. Eò, vel maximè, quòd & legatum, donatio quaedam esse definitur; ut alibi diximus. Cui quidem quaestioni aliqui negativè respondent, quos refert, & sequitur Andreas Tiraquellus *in l. si unquam: v. libertis, num. 68. C. de revoc. donat.* Angles, & Emmanuel Rodericus, quos allegat Sanchez *lib. 1. de Matrim. disput. 6. num. 11.* & sequitur Turrianus *disput. 64. dub. 4. num. 4.* apud *de Lugo cit.* Hi autem ea ratione ducuntur: ut ait *Sanchez cit.* quod tacens respuere videatur, cum moris sit recipientem beneficium statim gratias agere. Item quia, cùm sit contractus inter homines, ea externa acceptatio exigitur, quae donanti constare possit: at taciturnitas nec est signum consensus, nec dissensus: *Reg. Is qui tacet: 44. de regul. juris, in 6.* ubi Dynus *num. 1.* ait Tacere, esse medium inter consensum, & dissensum. Sicque secundùm hanc sententiam, statui posset in proposito nostro Conclusio; Non teneri Fratres Minores ad ullam Protestationem, vel aliam externam declarationem faciendam, quòd civiliter non acceptant: quia videlicèt, tacendo, non videntur civiliter acceptare jus ad illa annua legata simplicia; quae proindè, si ab haeredibus, vel gravatis, ex sola fidelitate, & obligatione justitiae in foro conscientiae erga testatorem, ijsdem Fratribus annuatim praestentur, non sunt censenda praestari ex obligatione civili ex quasi contractu erga Fratres, vel alterum ex parte ipsorum specialiter se habentem.

Alij verò (& est communior sententia) affirmant sufficere, si donatarius (praesens tamen, saltem praesumptivè, & moraliter, adeóque sciens: ut monet Sanchez *cit. num. 12.*) taceat, ut civiliter censeatur acceptasse donationem sibi factam; eamque civiliter valere, & de jure deberi praesumitur. Sunt autem Sylvester *in sum. v. Pollicitatio, num. un.* Angelus, Curtius, junior, Andreas ab Exea, Cagnolus, quos refert, & sequitur Molina *lib. 4. de primogenit. cap. 2. num. 76.* Julius Clarus *lib. 4. receptarum, senten. §. Donatio, quaest. 14. verb. sed pone:* Monterosus *in sua Pract. tract. 7.* Menchaca *lib. 2. controv. illust. cap. 62. à num. 12.* Menochius *de praesumption. lib. 3 praesumpt. 42. num. 4.* Gutierres *in cap. quamvis pactum, in princ. n. 58. de pactis, in 6.* Azebedo *lib. 5. recopil. tit. 6. lib. 2. num. 11.* Decisio Pedemontana 70. *num. 12.* Antonius Gomezius *tom. 2. variar. cap. 9. num. 2.* & ex Theologis Molina *tom. 2. de just. & jure tract. 2. disp. 264. §. Dubium deinde est: & disput. 270. §. In foro autem conscientiae:* Ludovicus Lopez *p. 1. Instruct. in secunda editione, cap. 180. §. Hinc Josephus, &c.* & alij, quos affert, & sequitur Sanchez *cit. num. 11. vers. Nihilominus dicendum est, &c.* seipsum etiam referens *ibid. disput. praecedente, numero quinto,* pro ratione, quam adducit 5

pro

pro sua sententia, dicens: Quia quoties de tacentis commodo agitur censetur tacens in sui favorem consentire.

6 Dixi per parenthesim: *Præsens tamen saltem præsumptivè, & moraliter.* Quia Berous, Avendañ Gutierres, Boërius, Tiraquellus, & Menochius apud Sanchez *cit. num. 11 v. Pulchrum tamen dubium:* docent, quòd in dubio præsentiæ vel absentiæ, præsumitur præsentia. Alij verò è contra, ut Baldus, Albericus, Paulus Felinus, Mascardus, & ipse Menochius, quos allegant, & sequitur Sanchez *cit vers. His tamen:* dicunt, præsentiam non præsumi; quia consistit in facto. Benè tamen concedit Sanchez *ibidem numero 12.* taciturnitatem moraliter præsentis, & intelligentis promissionem, vel donationem sibi fieri, censeri acceptationem sufficientem.

7 Dixi etiam: *adeoque sciens*: Nam si fiet absenti, cui per nuncium ad hoc destinatum, vel per epistolam ab ipso donatore notificetur; ipse autem, donatione sibi facta intellecta, tacens dimittat nuncium, vel Epistolæ non respondeat, adhuc, secundùm hanc sententiam; censebitur acceptasse. Unde si donans, nulla alia innovatione in tali donatione suborta, moriatur; non potest donatio ipsa revocari ab hæredibus donatoris: quia non fuit revocata à donatore, qui solus id poterat, & tantummodò ante acceptationem præsumptam donatarij; ut docet idem Sanchez cum alijs *ibid. num 5. vers. verius tamen est:* ubi etiam addit: Nec hæredum donatoris præjudicium in consideratione est; censentur enim una, & eadem persona cum defuncto. Item quia mortuo donante ante acceptationem expressam donatarij, (misso tamen ab eodem donante ante mortem suam nuncio, aut epistola ad intimandam donationem donatario) non potest hæres donatoris donationem revocare; facultas enim revocandi non transit ad hæredes, ut docent Covarruvias *lib. 3, var. cap. 14. num. 17.* Iulius Clarus *lib. 4. receptarum sent. §. donatio, quæst. 13. ad fin.* Molina alios referens, & Decisio Pedemontana 70. *num. 9.* Ita Sanchez *cit.* qui etiam *num. 9.* docet, quòd si quisquam alicui mandaret certam eleemosynam largiri, ac re integra mandans decederet, favore piæ causæ non expirat mandatum obitu mandantis; & ideò eleemosyna illa largienda est: & ita cum multis defendit Tiraquellus *de privilegijs piæ causæ, privileg. 82. & 132.* & *de privilegijs scholasticorum, privileg. 50.* Covarruvias *lib. 1. variar. cap. 14. num. 1[illegible].* Molina *t. 2. de just. & jure, disput. 263. vers. [illegible] mandatum:* & probatur ex *l. si pater in principio, ff. de manum. fis vindicta* [illegible] Julianus statuit, mandatum favore libertatis non expirare mandantis morte. Favet etiam expressè, in subjecta materia eleemosynarum pro Fratribus Minoribus, declaratio Nicolai III. *in cap. Exijt: paragrapho Ad majorem autem, versic. In eo verò casu.*

Atque ex hac secunda sententia colligi posset conclusio præsentis Quæstionis pro parte affirmativa: Teneri scilicet Fratres Minores, cùm sibi denuntiantur legata, cæteroqui citra juris vinculum licita, si præstentur; ad Protestationem, vel declarationem faciendam, quòd civiliter non acceptant: tacendo enim videntur acceptare: qua tamen ab ipsis facta Protestatione, manent quidem ipsi, & donatio à Testatore per legatum ijsdem facta, destituti auxilio juris Civilis eis non assistentis, cum illius beneficio, ejúsque omnibus actibus per heroicæ paupertatis votum abrenunciaverint; non tamen resistentis, & cassantis donationes, seu legata ipsa: at manent tùm Fratres ipsi, tùm legata, seu donationes Testatorum ipsis factæ sub fomento juris naturalis, solam, & veram obligationem in foro conscientiæ parientis, cum naturali juri per prædictum Paupertatis votum, nequaquam abrenunciaverint; ut alibi notavimus. Unde eadem Paupertate inoffensa; possunt cùm ipsi erga alios, tùm alij erga ipsos esse obligati obligatione naturali tantùm; ut tradit etiam noster à Politio *in cap. 6. Reg. n. 25. in fine:* sicque hæredes, vel gravati non manent, post quamcunque Protestationem Fratrum, absoluti ab obligatione naturali; & in foro conscientiæ ad res Fratribus a testatoribus donatas, vel legatas annuatim ijsdem præstandas, loquendo de annuis legatis puris, & simplicibus, ut alibi dictum est, & ampliùs ex instituto monstrabimus *Articulo sequente* contra Sanchez juxta tamen ipsiusmet doctrinam *lib. 1. cit. disp. 7. n. 16. vers. si autem*: ubi appositissimè hanc regulam tradit, ad cognoscendum, quando ex aliquo contractu oriatur obligatio naturalis. Si autem (inquiens) lex humana minimè contractui resistat, ipsum reprobans; nec assistat denegans ei actionem in foro externo; tunc contractus hic destitutus manet auxilio juris Civilis, sub fomento tamen juris naturalis: quare sola naturalis obligatio, verum in foro conscientiæ debitum producens, consurget. Sic Bartolus in *l. 1. num. 8. ff. de novationib. & delegation.* Covarruvias *de pactis, par. 2. §. 4. n. 6.*

Tertia sententia circa illam quæstionem, 9
quam pro præsenti subjecto ex Card. de Lugo attulimus, est ipsiusmet de Lugo *ibidem*, qui in ea resolvenda mediam quandam viam tenens, distinguit inter Donationem, & Donationem, quarum exempla, vel practicas ipse ponit, & juxta illas modò affirmativè, modo negativè concludit: quia tamen fusior aliquantò est ipsius modus loquendi, ideò ab eo adducendo supersedeo: videat illum, qui vult, apud ipsum.

Summatim

10 Summatim ipse dixerim consistere in ponderatione rationum pro duobus prioribus respectivè sententijs; quibus expensis, tota circa illas disceptatio fundari videtur (ut observat ipsemet *de Lugo*) supra duas Regulas Juris, quæ contrarium ad invicem sibi velle videntur. Prima est illa: Qui tacet, consentire videtur: *de regul. jur. in sexto regul. quadragesimatertia.* Ubi tamen pro nostro instituto valdè notandum est, quòd non dicitur: *Qui tacet, consentit*: sed, *Consentire videtur*: verbum autem, *Videtur*, præsumptionem tantùm, non veritatem importat; seu est fictionis denotativum, non veritatis expressivum; ut ajunt Juristæ apud Jasonem *super titul. de actionibus, paragrapho Præjudiciales: numero vigesimosecundo*, & latiùs tradit Gomesius, *de Actionibus, paragrapho in personam. numero secundo* ex Bartolo, Jasone, Socino, Bertachino, & alijs, aitque hoc esse regulariter verum. Et quamvis fictio idem operetur (in foro tamen externo) quod veritas: *paragrapho item per acceptilationem, Institut. quib. mod. solu. obligat. l. Cum ex oratione: Institut. de excusat. tutor. & curator.* fictio tamen non inducitur, nisi æquitate suadente: *l. denique: & l. nec utilem: ff. ex quib. caus. major. in integrum restitut.* Neque operatur fictio, seu præsumptio, nisi in eo, in quo veritas potest locum habere. *l. qui ad certum: ff. locati, & conducti,* & *l. legem: C. de locato, & conducto.* Nam quod longe est à verisimili; est quædam falsitatis imago: *l. milites oportet: C. de quæstionib.* Baldus *in l. 1. ff. de fugit.* quem refert Socinus *in l. 3. paragrapho item si Respublica: in 4 colum. C. ad legem Falcidiam.* Altera verò Regula est illa: Is, qui tacet, non fatetur; sed nec utique negare videtur: *de regul. juris in 6. reg.* 44. Quas duas regulas ità conciliant Auctores secundæ sententiæ, ut priorem veram admittant in Contractibus purè lucrativis, & ita Sanchez *de matrim. disput. 5. cit. num. 5.* & *disp. 6. num.* 11. posteriorem verò in onerosis; & ità idem Sanchez *cit. vers. nec obstat.* Et quidem ab hoc modo dicendi nonabsunt resolutiones, & practicæ, quas affert, & statuit Card. de Lugo *ubi suprà.*

11 Sicque ex hac tertia sententia ita distinguente colligi posset pro præsenti quæstione nostra Conclusio item sub distinctione; dicendo, quòd cùm Legatum sit quædam Donatio, adeóque contractus quidam, & quidem aliquando purum lucrum, aliquando verò lucrum cum onere aliquo importans legatario; teneantur Fratres Minores ad protestationem, vel declarationem faciendam, cùm legata merè lucrativa eis denunciantur; non autem cùm onerosa. Favet Rebellus *de obligat. just. p. 2. lib. 17. de Promiss. & Donation. quæst. 2. vers. sit tamen secunda propositio*: cum Bartolo, Covarruvia *ad Rubric. de Testament. num.* 13. & alijs communiter. Tametsi videri posset facienda Protestatio prædicta, etiam in onerosis. Nam in onerosis etiam actionibus, qui tacet, cum contradicendo actum impedire potest, semper præsumitur consentire, sive dolo taceat sive non: ut tradit ex *legib.* & Bartolo *in l. quæ dotis: ff. soluto matrim. quemadmod. dos pet.* Jason *super titul. de Actionibus paragrapho item Serviana: num.* 55. Et repudiatio legati non debet in dubio præsumi; cùm sit donatio; ut tradit idem Iason. *in l. qui Romæ: paragrapho duo fratres: ff. de verborum obligationibus, num.* 42. ex *l. cum de indebito: in princip. ff. de probationib. & præsumpt.* & ex *l. si eum aurum: ff. de solutionib. & liberationibus.* Hisce nihilominùs sententijs omnibus pensitatis, & non obstantibus:

Concludo, non teneri Fratres Minores absolutè, & ex vi suæ ipsorum Professionis, & Paupertatis, ad præfatam sensibilem Protestationem, seu declarationem faciendam, quando à Tabellionibus, vel Notarijs, (qui ad id in conscientia tenentur; ut benè docet Bonacina, *de præceptis Decal. disput. decima, quæst. tertia pu. ult. num.* 5.) seu etiam ab ipsorum Testatorum hæredibus, vel gravatis, aut executoribus testamentarijs, alijsve quibuscúnque internuncijs denunciata sibi fuerint legata annua simplicia, etiam perpetua, vel pro unica vice, sive purè lucrativa illa sint, sive onerosa: sed sufficere arbitror, si ipsi verè civiliter non acceptantes ab ijs omnibus caveant, quæ politicam acceptationem, civilemvè acquisitionem tituli, aut prætensionem legatarum rerum præseferant. Neque in hanc feror sententiam ductus ratione Doctorum primæ opinionis *suprà* expensæ, aut auctoritate Gregorij Lopij *ad l. 26. partita 5. titul.* 11. & aliorum, quos affert Gomezius 2. *Resolutionum, cap. 9. n. 2.* ut testatur mihi Rebellus *cit. num. 2. vers. ubi primùm verò*, dicentium, non satis esse taciturnitatem præsentis, vel scientis promissarij, aut donatarij, vel etiam legatarij) ut oblata promissio, aut donatio (vel etiam legatum) censeatur acceptata: immò neque sufficere (ut addit Lopius) complacentiam ipsius promissarij, aut donatarij (vel etiam legatarij) manifestis signis, & vocibus declaratam. 12

Sed duplici hac ducor ratione. Prima est, quia nimirum in Regula illa Iuris: *Qui tacet consentire videtur*: ly *videtur*, ut suprà observatum est, præsumptionem tantùm, in foro externo, seu fictionem, (id tamen tantùm: cùm æquitas ita suadet, & in ijs in quibus veritas potest locum habere) non autem veritatem importat. Unde ad summum, qui 13

tacet, & verè capax est juris actuum, ex Juris præsumptione, cùm æquitas ità suadet civiliter consentire; politicéque acceptare censetur contractum exhibitæ v.g. promissionis, donationis, aut legati. Atqui apud Deum, & in foro conscientiæ non attenditur, quid Jura, hominesvé præsumant de aliquo ad eum coarguendum de culpa; sed quid revera velit, & intendat, & agat; quantumlibet alte delitescat in corde, quod utique Deus ipse scrutatur, & renes; ut Regius loquitur Psaltes *Psalm.*7. & Jeremias propheta *cap.* 17. Unde etiam Sancta Mater Ecclesia, cùm de hæresis crimine contra aliquem agit, conformans se sponso suo Deo opt. max. ubi eum ex probabili tantummodò suspicione, vel præsumptione, immò etiam violenta coarguerit, ipsum non damnat, ut talis culpæ reum, sed tantùm ei indicit Canonicam purgationem: quòd si nec probabilis contra eum adsit præsumptio, neque purgationem indicit; ut tradit Glossa *in cap. Excommunicamus: paragrapho qui autem: Extra, de hæreticis*; & communiter Canonistæ, & Doctores. Præterquàm, quòd nec Jura, nec homines possunt hujusmodi civilem consensum, & acceptationem ad legata prædicta in Fratribus Minoribus ritè præsumere ex sola taciturnitate ipsorum; quia non potest in eis habere locum veritas rei præsumptæ, cum omnium juris actuum sint ex sua professione incapaces: neque ita æquitas præsumendum suadet; ut patet consideranti: nam æquitas non suadet præsumere illos suæ ipsorum professionis prævaricatores, & paupertatis osores; sed potiùs fideles observatores; juxta illam regulam, quam tradit Torniola *consilior. part. prima consil. secundo numero nonò.* Quod scilicet videri quisque in dubio debet id egisse, servasséque, ad quod erat obstrictus, allegátque *leg. secundam, & tertiam ff. de solutionib. & liberationib.* & Bartolum *in leg. triticum: in princip. ff. de verborum obligationibus.*

14 Secunda ratio est; quia sufficienter pro Fratribus ipsis publicè protestantur Declarationes Canonicæ summorum Pontificum *in corpore Iuris Sacri* existentes Regulam circa Seraphici Patris Francisci, quibus videlicet universali notitiæ perpetuò valituris monumentis mandatur, quòd præfati Fratres (spectata suæ ipsorum Regulæ puritate) non possunt vel minimum quidpiam (quidquid sit illud) sibi in particulari, neque toti Ordini in communi civiliter acquirere, aut ex civili obligatione debitum, præstitúmque accipere; ad quod utique desiderari politicam acceptationem jure ipso naturæ compertum est ex alibi dictis ex Sanchez, & alijs.

15 Expresse insuper pro nobis specialiter Minoribus Capuccinis protestantur constitutiones nostræ *cap.* 6. illis verbis: *Facciamo intendere, come in effetto non habiamo alcuna Giuridittione, Dominio, Proprietà, Giuridica possessione usofrutto, ne uso Giuridico di cosa alcuna, anco di quelle, che per necessità usiamo, ne de luoghi, doue facciamo dimora: di sorte, che i veri è proprij Padroni ci possono mandar via ogni volta, che lor piace, è pigliarsi tutte le cose sue à posta loro.* Hæc ibi.

Quid, quòd de legatis signanter sine expressione modi illiciti Fratribus Minoribus relictis indistinctè, sive scilicet annuis, sive pro unica vice, disertissimis verbis declarat Nicolaus III. *in eo cap. Exijt*: *§. Ad hæc quia*: quòd hæredes, vel gravati, seu Executores præstare ea tenentur Fratribus ipsi specialiter ex sola obligatione conscientiæ, & ex fidelitate erga Testatorem, solo Judicis officio nobili competente ad hæredes hujusmodi, vel gravatos, aut executores in casu negligentiæ compellendos. 16

Quæ igitur adhuc clariores desiderantur Protestationes, aut declarationes in hoc proposito? An non eas exhibet expressissimas *Nicolaus III.* citatus? Certè ille palmaribus ibi litteris protestatur, quòd, quoad prædicta legata Fratribus Minoribus relicta, per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos providere intendit; quod hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur, ne pia Defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur: Hortatúrque proindè (sciens, non posse eos ad id in judicio ex parte Fratrum civili actione compelli) tàm hæredes ipsos testatorum, quàm executores, *ut ad hujusmodi legata solvenda se liberales exhibeant*: Ubi nota, quod non ait Pontifex: *Liberales sint*: sed, *se liberales exhibeant*: quandoquidem in tali solutione nec propriè, veréque liberales esse, nec donare dici possunt, hæredes ipsi, vel gravati, aut Executores; (ut alibi ostendimus *§.9. præcedentis articuli*, etiam, ad hominem contra *Sanchez*) sed tantùm fideles executores voluntatis testatoris; vel ad summum liberales apparere, quoad proprium pietatis, charitatisque affectum in hujusmodi executionis, officio exercendo; quem solum possunt Deo offerre, non rem legatam quam solvunt. 17

Commendat insuper prædictus Pontifex Prælatis, & Secularibus, quibus de Jure, vel consuetudine provisio ista competeret, ut (cùm expedierit) se ex officio (scilicet nobili, cùm sciret Pontifex officium eorum mercenarium ad Fratrum instantiam, per actionem civilem in foro præstari non posse) promptos exhibeant ad pias deficientium voluntates adimplendas. 18

Quibus

19 Quibus profectò Pontifex ille clarissimè ostendit, nullum omninò Jus Ciuile, nullam politicam actionem ad prædicta legata recipienda, vel exigenda existere aut apud Fratres, aut apud Apostolicam Sedem pro ipsis Fratribus specialiter se habentem; sed ad ea solvenda in foro tantùm conscientiæ, & ex fidelitate erga testatoris defunctos teneri hæredes, vel Executores prædictos. Id quod fanè insinuare intendit, & monstrat; dum, quoad Fratres attinet in prædictis legatis accipiendis, illud ab ipsis in omnibus, & per omnia (considerantis eorum necessitatibus, & moderaminibus requisitis) servari decernit, quod à seipso *ibidem* suprà (*§. Cæterùm: §. Et quia oportet:* & *§. Ad majorem autem: quos* per extensum descripsimus *§. 3. præcedentis articuli*) in concessis eleemosynis pecuniarijs fuerat declaratum. Declaratum autem fuerat *§. Ad majorem autem:* quòd, cùm quis (per ultimam quodammodo voluntatem, vel donationem absolutam quacúnque causa, vel casu contingente, disponendo) pecuniæ aliquam summam pro Fratrum Minorum necessitatibus expendendam alicui personæ commiserit, dicens, vel exprimens, quòd ipsa persona pecuniam ipsam in necessarium usum Fratrum expendat; quidquid de ipso concedente, vel donante, vivendo, vel moriendo, contigerit; sive concedens hujusmodi hæredem reliquerit, sive non possint Fratres ad personam deputatam (non obstante concedentis morte, vel hæredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere, sicut poterant ad ipsum Dominum concedentem observatis tamen (ut notat ibi Marginista, *ad v. Recurrere*) modo, & formâ ab eodem Pontifice *ibidem* suprà, *§. Cæterùm versicul. Ita tamen*: præscriptis. Ita scilicet, ut illius pecuniæ dominio, proprietate, ac possessione penes ipsum dantem, (quandiù vixerit) cum libera potestate revocandi sibi pecuniam ipsam, semper usque ad conversionem ipsius in rem per Fratres utibilem, plenè, liberè, & integrè remanentibus; (quòd si obierit ille remanentibus his in bonis ipsius defuncti, sublata tunc per accidens potestate revocandi, quæ certè ad hæredes non transitiut fassus fuit etiam Sanchez *hic suprà citat.* multóque minùs ad personam prædictam deputatam) in ipsa pecunia nihil omninò Fratres juris habeant, nec administrationem, seu dispensationem, nec contra personam depositariam, seu commissariam, vel substitutam ejusdem dantis, cujuscúnque conditionis existat, in judicio, vel extra, actionem, persecutionem, aut aliquod aliud jus intententi; qualitercúnque persona prædicta in commissione hujusmodi se habeat: licet tamen Fratribus suas necessitates insinuare, ac specificare, vel exponere personæ prædictæ, ac eam rogare, quòd solvat. Possunt etiam personam eandem exhortari, ac inducere, quòd fideliter in re commissa se habeat, & animæ suæ saluti in commissa sibi executione provideat: (non obstante, ut diximus, concedentis morte, vel hæredis contradictione) ita tamen, quòd ab omni ejusdem pecuniæ administratione, seu dispensatione, & contra prædictam personam actione, seu persecutione, ut prædictum est, Fratres abstineant omni modo. Ita *Nicolaus*, cùm de pecunia agitur pro Fratrum necessitatibus ab aliquo, vel vivente, vel jam defuncto concessa, observandum ab ipsis declarat; ne videantur, nec dici possint per se, vel per interpositam personam pecuniam recipere cõtra Regulam, vel professionis suæ Ordinis puritatem: cùm manifestè; observatis præmissis, pateat, ipsos Fratres non solùm à receptione, proprietate, Dominio, sive usu ipsius pecuniæ, verùm etiam à contrectatione qualibet ipsius, & ab ea pecunia penitùs esse alienos. Et ità prorsùs observandum ab ipsis Fratribus declarat in legatis sine expressione modi illiciti ijsdem relictis recipiendis; ne videantur, aut dici possint vel pecuniam, ejusvè usum, vel immobilia, eorumvè usum, per se vel per interpositam personam habere, etiam de facto simplici; cùm manifestè, ijsdem observatis, pateat ipsos Fratres in legatorum hujusmodi à nobis assertorum receptione nullum omninò habere, vel simplicis facti usum, per se, vel per interpositam personam, boni immobilis, vel inter immobilia computati, sicut neque pecuniæ.

Cùm igitur tam claræ habeantur in Jure Canonico declarationes in hac materia, quid est, cur absolutè, & ex vi suæ ipsorum Professionis, & Paupertatis teneri Fratres Minores dicantur ad ulteriorem declarationem, seu protestationem faciendam? Ergonè, tanquam propriæ Professionis, & Paupertatis violatores, audient apud aliquos Fratres, ipsi pauperculi, si ab ijs omnibus cæteroquí abstinentes, quæ ipsis cavenda à *Nicolao III.* ut præfertur, præcipiuntur in pecuniarijs subsidijs recipiendis, legata prædicta recipiant? Apage; hoc siquidem, impium, temerariúmque judicium foret, nulli quippè rationabili præsumptioni innixum. Quamvis enim commune sit apud Juristas proloquium, quòd actus, qui multiplici intentione fieri potest, debet ab agente, præmissa protestatione, seu attestatione suæ mentis declarari: *arg. l. as; si quis: § sed interdum: v. oportebit* ibi: *oportebit igitur testari quemquam quo animo funeraat, ne postea patiatur quæstionem. ff. de religiosis, & sumpt. fun.* Siquidem attestatio, seu protestatio probat voluntatis nostræ sententiam; ut ait ibi *Gloss.* allegans etiam ad id, *l. Nesennius: ff. de negotiis gestis:* & *alias concordantias.* Attamen advertendum est, quòd opportunum 20

id dicitur, non necessarium; ut notat *ibidem* Glossa.

21 Illud ergo tantummodò absolutè, & ex sua ipsorum professione incumbit Fratribus onus, ut in hujusmodi rerum legatarum, sive pecuniariæ eæ sint, sive alterius cujuscunque generis, receptione, aut petitione humiliter procedant, & ab omni earumdem rerum administratione, juridica prætensione, vel repetitione, & contra hæredes, vel gravatos, aut Executores testamentarios actione, vel persecutione in judicio, vel extra (qualitercúnque illi in Testatorum voluntatibus implendis se habeant) omninò abstineant: itaut (quemadmodum & in eleemosynis pecuniarijs admittendis) à quibuslibet verbis, vel factis caveant, quæ repetitionem, vel appropriationem, jurisvè acquisitionem arguere possunt, dum agunt cum hæredibus, vel gravatis, aut Executoribus prædictis: quomodo scilicet res ipsæ legatæ administrentur, vel expendantur, (si pecuniæ sint) præcipiendo, prohibendo, auctoritate propria alios substitutos subrogando; computum exigendo &c. Nihil est enim aliud, quod nostri splendorem Ordinis magis obscuret, quàm (ut loquar cum D. Bonaventura alibi allegato) negotiorum implicatio, qua pecunia nostro Instituto inimica avidè petitur, incautè recipitur, incautiúsque contrectatur. Videantur Nicolaus III. *locis citat.* & Clemens V. *in Clement. Exivi: §. Porrò versicul. Denique.*

§. III.

An saltem ad evitandum scandalum pusillorum, vel ad majorem Fidelium ædificationem teneantur Fratres Minores prædictam Protestationem, vel declarationem facere.

SUMMARIUM.

1 *Minores licèt absolutè loquendo non teneantur protestationem facere ratione suæ professionis & paupertatis satis notæ; attamen utrum scandali vitandi causa ad illam faciendam teneantur, dubitari potest.*

2 *Minores protestationem facere expedit, non ratione scandali, quod nullum est; sed ad majorem proximi ædificationem.* & num. 3. & 5.

Scandalum Pharisaicum curandum non est. ibid.

Iuris ignorantia inculpabilis excusat à peccato. ibid.

3 *Minores efficere debent, quantùm possunt ne quis scandalizetur vel ex ignorantia, vel ex infirmitate.*

4 *Scandali vitandi causa, an sit omne bonum faciendum quod proximus expetit.*

5 *Authoris conclusio de protestatione facienda, ædificandi proximi gratia.*

Quæ magis declaratur & probatur ibid. & num. 6. cum alijs seqq.

6 *Minores declarare debent Tabellionibus, vel hæredibus ipsis, legata Fratribus relicta non deberi ex obligatione civili, sed solùm titulo eleemosynæ; hæredes tamen teneri in foro conscientiæ satisfacere piæ testatoris voluntati.* & num. seq.

7 *Protestatio à Minoribus fieri debet, ut omnis suspicio adversus Minoricæ paupertatis puritatem tollatur.*

8 *Utrum Minores aliquo casu excusari possint si hanc omittant protestationem.* & num. seqq.

9 *In deposito expendendo pro necessitatibus Minorum protestatio ab ipsis facienda est quod nihil juris habere volunt in tali pecunia seu ejus usu & administratione: quod declaratur.* ibid.

10 *Protestatio expressa requiritur ad excludendam obligationem civilem in casibus in quibus suapte natura contrahitur; nec sufficit intentio tacita non acquirendi seu respuendi.*

11 *Protestatio Minorum de non acquirendo si omittatur ex oblivione, vel negligentia, an talis omissio importet transgressionem Regulæ.*

12 *Declaratio Pontificia Regulæ Minorum an suppleat defectum Protestationis.*

13 *Protestatio seu insinuatio Minorum de non acquirendo & liberæ facultatis revocandi, aut non dandi eleemosynam, debet fieri ipsi danti, non alijs personis.*

14 *Protestatio Minorum de non acquirendo facta hæredibus, vel substitutis, non eximit ipsos ab obligatione qua tenentur erga testatorem eleemosynas ordinantem.* & num. 15.

15 *Legatum alicui relictum sub onere solvendi summam annuam necessitatibus Minorum impendendam, non valet respectu Fratrum, nisi cum debita protestatione præmittenda.*

16 *Protestatio à Minoribus de non acquirendo non fit per viam renunciationis, aut refutationis propriè sumpta.*

17 *Legatum simplex, vel annuum quomodo à Minoribus recipi possit sine Regulæ transgressione, ex doctrina S. Bonaventuræ.*

18 *Proponuntur quædam objectiones circa legata Minoribus relicta: quibus respondetur* num. 19. & seqq.

19 *Protesta*

19 *Protestatio Minorum de non acquirendo jure politico in rebus sibi relictis, mobilibus vel immobilibus, sed solùm se illas recipere pro necessitatibus per modum eleemosynæ, & modo licito, satisfacit omnibus difficultatibus.*

20 *Dispositio pia de dando tot panes v.g. per modum eleemosynæ Minoribus singulis annis, non inducit annuum reditum contra illorum Regulam.*

21 *Etiamsi de certo censu, vel certis prædiis talis eleemosyna præstanda ordinetur.*
Protestatio tamen præmittenda est, scandali vitandi causa n.22.
Admonitiones dantur, ex quibus intelligi potest qua ratione Minores sibi relicta recipiant, & obligatio hæredum, & necessitas, protestationis eisdem facienda. num.23.& 24.

25 *Protestationis formula adducitur*, & numero 26.

27 *Protestationis clausula quædam ambigua observantur ex quibus scrupulus oriri posset.*

28 *Protestationis formula quibus verbis concipienda ex mente Authoris.*

1 Dictum probatumque est *supra*, non teneri Fratres Minores absolutè, & ex vi suæ ipsorum Paupertatis Protestationem, qua de agimus, facere. Jam verò, an aliundè ad id teneantur, quærimus, nimirum ad evitandum scandalum passivum, & pusillorum, vel ad majorem proximi ædificationem. Nam, ubi scandalum probabiliter timetur, etiamsi præter intentionem agentis, & per accidens oriturum, ob aliquid dictum, vel factum aut omissum, non quidem malum, secundum se, sed ob aliquas circumstantias mali speciem præseferens; certum est, omnes teneri ex Charitatis præcepto divino naturali ad illud evitandum; ut communiter docent omnes omninò Theologi, & Summistæ. Unde D. Joannes Chrysostomus *super Ioan.* apud Seraphicum Doctorem *lib.4. Pharetra, cap.39.* ait: Omnia agamus, ne scandalizetur proximus; vita etenim, etsi valde recta fuerit, scandalum alijs præbens, omne perdit.

2 Et primo quidem aspectu videri posset, quòd ad summum id Fratribus Minoribus competat ad majorem proximi ædificationem; non autem quòd ex præcepto vitandi scandali incumbat. Scandalum enim dubitari potest oriturum, & ideò vitandum, vel in personis conscijs professionis Fratrum, vel in inscijs. Si in conscijs, nec supponendum, nec dubitandum est; jam enim ijs constar, nullum penitùs civilis juris actum, vel favorem Fratribus ipsis suffragari posse ex sua ipsorum abrenunciatione, & professione: neque secundùm rationalem æquitatem ex sola Fratrum taciturnitate, nullis alijs externis juridicæ prætentionis indicijs ex parte ipsorum concurrentibus, præsumere illi possunt Fratres suæ ipsorum Professionis osores, indéque scandalum idest occasionem spiritualis lapsus accipere, exemplum scilicet prævaricandi leges divinas, vel Ecclesiasticas. Quòd si scandalum sumant, scandalum potiùs erit Pharisaicum, & merè acceptum ex propria scandalizati malitia, quàm oriens ex actione, vel omissione Fratrum nullam speciem mali cæteroqui in suis factis, vel verbis, ut supponimus, exhibentium: quod sanè scandali genus curandum non est, sed contemnendum; ut docent Theologi, & Summistæ. Si verò in inscijs: jam frustra dubitatur. Quomodo enim in hujusmodi personis scandalum istud probabiliter oriturum timeatur, si ipsæ, cum Fratrum professionem, legemque ignorent, non possint per consequens in ijsdem cognoscere, aut suspicari peccatum? Per legem enim cognitio peccati, ut ait Apostol. *in epistol. ad Romanos, cap. tertio*, qui & *cap. septimo, ibid.* idipsum, confirmat, inquiens: *Sed peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces.* Undè Juris ignorantia, quæ est causa actus, estque inculpabilis, privátque simpliciter cognitionem Juris, excusat à peccato in foro conscientiæ, & Dei; & quidem non solùm à tanto; sed à toto; ut tradunt S. Bonaventura *in secund. sentent. distinct. vigesima secunda artic. secundo quæst. tertia, ad quartum*, D. Thomas *secunda secundæ quæst. septuagesima sexta, art. tertio*, & cum his communiter Theologi, atque summistæ. Videri ergò ex his posset alicui, non teneri Fratres, vitandi scandali gratiâ, prædictam Protestationem facere; sed ad summum id eos decere, ipsisque commendabile esse, ad proximorum ædificationem.

Veruntamen, sive cùm conscijs personis 3
agatur, sive cum inscijs, potest adhuc aliqua species mala oriri, si Fratres prædictam protestationem, seu declarationem non faciant. Nam, si cum conscijs agatur, fortè adhuc hujusmodi protestationem à Fratribus expectant: & tunc vel hujusmodi expectatio rationabilis censetur, vel irrationabilis, neque Fratres irrationabiliter eam omittunt; etiamsi non teneantur absolutè, & ex vi suæ ipsorum professionis eam facere; tenentur tamen, ne proximus scandalizetur: si verò expectatio illa, quæ probabiliter supponi potest, irrationabilis videatur, ac proinde è contra rationabilis omissio protestationis; adhuc tamen debent saltem Fratres exponere, quomodo rationabiliter illam omittant;

quod certè coïncidit cum protestatione ipsa, quæ nil aliud est, quàm expositio, vel declaratio quædam sicque debent, pro posse, facere, ne scandalizentur personæ ipsæ vel ex ignorantia, vel ex infirmitate.

4 Atque hæc doctrina conformis est sententiæ *Alexandri*, quem refert, & sequitur Sylvester *in sum. ver. scandalum, quæst.* 5. ubi quærens, utrum ratione scandali vitandi sit omne bonum faciendum, quod proximus expetit: respondet hisce verbis: Dico, colligendo ex Alexan. 22. *tract de scandalo*, quòd si proximus rationabiliter petit, putà pauper vestimentum, teneor, si ad illud sum obligatus ex præcepto, ut patet, & similiter, si non sum obligatus ex præcepto, & tamen rationabiliter non omitto illud, teneor illud facere, ne proximus scandalizetur, argum *cap. cùm ex injuncto: extra, de novi operis nunciatione.* Si verò rationabiliter illud omitto, non teneor, sed sufficit exponere, quomodo rationabiliter omitto: ut patet *Matth.* 15. ubi cum Dominus satisfecisset de non lotione manuum dixit: *Sinite illos, quia cæci sunt*: Si proximus non petit rationabiliter, non teneor; sed sufficit, pro posse, facere, ne ex ignorantia, vel infirmitate scandalizetur: & si non acceptat; est scandalum Pharisæorum. Hæc ille ad rem nostram appositissimè. Si verò cum inscijs personis agatur, adhuc ab his tolli debet falsa opinio, quam ex ignorantia concipere possunt, vel fortè conceptam habent de Minoricæ paupertatis professione, & statu: fortassis enim credunt, posse Fratres Minores, sicut alios Religiosos, capere ex jure, & obligatione civili, quod falsum est, & contra bonum conceptum Religionis; ac proindè per protestationem prædictam instruendi sunt qui nesciunt.

5 Qua propter mea est Conclusio, teneri Fratres Minores, ratione vitandi scandali pusillorum, nedum ædificandi proximi gratiâ; prædictam Protestationem facere. Hæcque est expressa sententia *S. Bonaventuræ*, infrà adducendi, *Politij*, *Crousers*, *Hugonis de Dina*, *Ioannis Philipps*, & aliorum *infrà* citandorum.

Præsertim verò facienda est à Fratribus protestatio prædicta, cum hæres, vel gravatus, vel executor volens solvere legatum, signanter eleemosynæ pecuniariæ, pecuniam ipsam convertendam in Fratrum necessitates, vel quamcunque aliam rem Fratribus ipsis præstandam (putà, si centum panes Fratribus hebdomatim, vel menstruatim præstare gravatus hujusmodi habere curam nolit, sed in principio cujuslibet anni frumentum necessarium pistori mittat, qui subactâ indè farinâ panes conficiat, & Fratribus solvat, quoties accesserint ita ab ipso moniti) committit alteri personæ, oportétque ut frequenter contingit, quòd ad expeditionem, vel provisionem occurrentium necessitatum Fratrum per diversas alias manus, & personas transeat pecunia illa, vel res quælibet alia in futurum præstanda deposita: tunc enim si præsto sit hæres, gravatus, vel executor, (qui propriè est nuncius Testatoris eleemosynam illam mittentis, ejúsque personam, authoritatémque repræsentat, cum hac tamen differentia, quòd facultatem non habet liberam in foro conscientiæ, tametsi habeat in foro fori, ob Juris civilis beneficij carentiam ex parte Fratrum, revocandi sibi pecuniam ipsam, vel rem legatam, sicut habebat Testator ipse, dum viveret) debent illi expressè Fratres prædicere, & declarare, quòd sibi placeat, ut dominio (utili tamen tantùm intellige) talis pecuniæ, vel rei in futurum depositæ, cum libera potestate in foro fori, nullo jure civili cogente, revocandi sibi pecuniam ipsam, vel rem, penes ipsum liberè remanente, usque ad conversionem ipsius pecuniæ in rem utibilem, vel usque ad occurrentem necessitatem alterius illius cujuscúnque rei depositæ; per quorumcúnque manus pecunia, seu eleemosyna ipsa cujuscúnque alterius rei tractetur, sive personas ab eo, vel à Fratribus nominatas totum suo consensu, voluntate, ac auctoritate procedat: quo assensum suum præbente prædictis, securè Fratres subsidio expensæ illius pecuniæ, vel alterius rei identidem præstitæ per quecúnque substitutum uti poterunt. Ità expressè, declarando, dicit, & statuit Fratribus observandum in eleemosynis pecuniarijs à viventibus concessis, Nicolaus III. *eo paragrapho. Et quia oportet: in fine.* Et ità, juxta ejusdem declarationem *in eo paragrapho*, *Ad hæc quia*: observandum in omnibus, & per omnia ab ipsis Fratribus est, etiam in legatis sine expressione modi illiciti, adeóque licitis, iisdem relictis; ut ostendimus *suprà*, & videri potest in textibus ad verbum descriptis *paragrapho* 3. *præcedentis articuli.*

Debent igitur Fratres ab initio, cùm primùm scilicet sibi à Tabellionibus, alijsve, quibuscúnque personis denuntiantur legata, quorum capaces sunt, juxta primam Conclusionem *præcedentis Articuli*, protestari, vel Tabellionibus ipsis, qui deindè protestationem à Fratribus factam renuncient hæredibus, vel gravatis vel etiam hæredibus ipsis, aut gravatis immediatè; & declarare, nequaquam hujusmodi titulos à se ipsis, vel à Pontifice, aut ab Apostolica Sede ex parte ipsorum specialiter se habente civiliter acceptari, agnosci, seu acquiri; ac proindè nullatenùs se percepturos ab iisdem hæredibus, vel gravatis, 6

tis, aut executoribus res legatas, sive annuatim, sive pro unica vice præstandas, velut ex obligatione civili, qua illi teneantur; sed solùm titulo eleemosynæ sibi à Testatore legatæ, seu missæ; quam tamen tenentur illi in foro conscientiæ præstare ex obligatione justitiæ, & fidelitatis erga testatorem; prout in forma, quam infra assignabimus.

7 Nostri porrò asserti ea etiam potest esse ratio: quia, cùm (ut aliàs notavimus ex *Petro à S. Ioseph Iuliensi*) probabilis quorumdam Doctorum opinio sit, Promissiones, & donationes factas Causis pijs, obligare civiliter ante expressam acceptationem donatariorum, aut promissariorum: & idem dici possit de legatis, quippe quæ sunt donationes quædam; nisi Fratres protestentur, ut suprà, posset probabiliter oriri opinio apud aliquos, quòd ex civili obligatione percipiant legata; quod certè scandalum esset, ut ex dictis patet. Oportet ergo protestari, ut præfertur, ut omnibus nimirum ansa præcludatur ad ita opinandum de Fratribus, quòd scilicet habeant aut Capellanias, aut annuos reditus propriè dictos: talia enim jure optimo censerentur legata sive cum onere Missarum, sive non, si ex civili acceptatione, & contractu, adeóque ex obligatione, & certitudine politica Fratribus provenirent; ut probabiliter præsumere quis posset, prædicta protestatione non præstita. Quod cum adeò repugnet puritati Regulæ, quam Fratres profitentur, bonúmque Ordinis conceptum tollat, valdè cavendum est à Fratribus, non solùm ne hujusmodi abusus per expressam Regulæ transgressionem admittatur, sed etiam ne de illo cuipiam probabilis suspicio, vel opinio suboriatur. Non solùm enim, quod malum esse dignoscitur, (ait Pontifex Clemens V. *eo §. Proinde:*) sed & omne, quod speciem habet mali, est à viris perfectis specialiter evitandum: cúmque ad veritatem vitæ pertineat, ut id, quod exterius agitur, interiorem mentis dispositionem, & habitum repræsentet; necesse habent Fratres, qui se expropriatione tanta à temporalibus abstraxerunt, ab omni eo, quod dictæ expropriationi esset, vel videri posset (ut omissio protestationis prædictæ) contrarium, abstinere; ut nimirum & testimonium habeant ab ijs, qui foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, ac evitetur per hoc scandalum proximorum, juxta Apostoli doctrinam *1. ad Corinth. cap.8.* & *cap. nisi cum pridem: §. Non tamen: verf: pro gravi: extra de renunciatione*; ubi Glossa. Juxtáque exemplum ipsiusmet Christi Redemptoris nostri, qui, quamvis absolutè non teneretur solvere didragma, maluit tamen solvere, quàm scandalum proximis exhibere, discipulorum Principi mandans (ut habetur *Matth. cap.17.*) hisce verbis: *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Certè autem vectigales illi irrationabiliter à Christo exigebant didragma, poterátque hic rationabiliter non solvere; & nihilominùs vitandi scandali gratiâ exoluit. Quid igitur, si etiam Fratres Minores ad vitandum idem scandalum, & sinistrum de sua ipsorum professione conceptum, prædictam protestationem, exhibeant, ad quam cæteroqui absolutè, & ex vi Regulæ exhibendam non tenentur? Nunquid verò non præivêre exemplo ijsdem Fratribus, hac ipsa in praxi, eam in generalibus Ordinationibus præcipiendo, veteres illi zelatores Patres de Observantia; ut referunt *Corduba Sanchez, Antonius Palumbus de Campobasso Angelus de Lantusca,* & alijs; ut *infrà* ostendam, allatâ formulâ ab illis præscriptâ?

Excusarem tamen Fratres ab omni culpa, si hujusmodi Protestationem omitterent ex inculpabili oblivione, vel quia semel ij, quibuscum agunt, per ipsos fuerunt de veritate edocti, vel ex alia rationabili causa, probabiliter præsumentes, nullum alicui scandalum subrepturum. 8

Sed videatur Politius noster *in cap.4. Reg. numero 38.* ubi hanc doctrinam egregiè edisserit in simili, cùm scilicet deponitur ab aliquo, vel exhibetur pecunia pro Fratrum necessitatibus expendenda: ait enim Fratres teneri ad dictam protestationem faciendam, inquiens: Si procurata pecunia (idem dic de spontè exhibita) non statim solvi, sed deponi penes aliquem debeat, ita hoc fiat, ut tàm pecuniæ dominus, quàm depositarius semper agnoscant, quòd nihil auctoritate Fratrum fit, vel recipitur, sed totum ipsius dantis auctoritate fit: ideò protestari debent, quòd quandiù pecunia ipsa duraverit apud depositarium, semper dominium, proprietas, possessio, ac ipsius usus ipsius dantis est, cum libera potestate eam ad se, quandocúmque voluerit, revocandi: Et quòd Fratres ipsi nihil in dicta pecunia, seu ejus usu, & administratione, juris habere volunt. Et hoc expressè habetur *in dicta Clementina, Exivi: §. Porrò: verf. denique:* Nec sufficit Fratribus in mente solùm talem renunciationem dominij, dispensationis, &c. habere; sed id expressè protestari tenentur; ut annotavit Joan. Philippus *articul.3.* & Corduba *hic, quæst.8.* Quod intelligi debet, si dans, vel depositarius, vel astantes ignorarent, qualis sit ipsorum Fratrum professio; quia tunc opinari possent, quòd dominium, seu aliquod pecuniæ jus apud Fratres maneret; quod non esset absque scandalo pusillorum. Sed si semel Fratres eos de sua professione docuerint, non videtur hæc protestatio semper necessariò facienda; ut annotavit Hugo *in cap.4. Reg.* & idem 9

Joannes Philippus videtur sentire, illis verbis: *Maxime apud personas statum nostrum ignorantes, &c. Si autem ex oblivione, seu alia rationabili causa, sine dolo, id Fratres omitterent, non utique omittendo, peccarent. Tali verò oblivione, seu rationabili causa cessante, tenentur expressè prædictum nostrum statum ignorantes certificare de prædictis, si probabiliter crederetur, quòd aliquod inde scandalum possent haurire.* Hæc ille: qui eandem doctrinam appositissimè repetit *cap.6.* ubi *num.24.* & *num.25.* docet, quòd in contractibus Emptionis, Mutui, Commodati, & hujusmodi, (qualis est etiam contractus Legati, qui censetur tunc fieri, cùm denunciatur legatum ipsum) in quibus ex natura rei, & ex ipso facto oritur obligatio civilis, & consequenter jus, actióque politica, sive ultrò, citróque, sive ex alterutra tantùm parte respectivè; sola occulta intentio non excusat factum inordinatum, nec sufficit ad excludendam obligationem ciuilem; sed per expressam declarationem, & protestationem esse excludendam. Quam tamen doctrinam Doctor ille intelligendam putat, quando hujusmodi contractus cum his aguntur, qui nostræ professionis ignari sunt. Et quod dicitur ab illo de obligatione Fratrum erga alios contrahenda, idem omninò dicendum est de aliorum obligatione contrahenda erga Fratres. addit enim *ibidem, num.25. in fine:* Nota tamen, quòd neque nos alijs, neque alij nobis civiliter pro aliqua re temporali obligari possint: nam civilis obligatio hæc duo necessariò dicit; nẽpè, quòd unus teneatur civiliter ad id, ad quod se alicui obligavit; & alius prædictam habeat, seu teneat obligationem, seu jus adversùs illum; quorum actuum Fratres incapaces sunt. Attamen largo modo de obligatione loquendo, prout pro quadam æquitate, seu obligatione naturali sumitur, benè poterũt alij ipsis Fratribus obligari, & ipsi Fratres alijs. Hæc iterũ ille, eandem de ipsa protestatione doctrinam tradens etiam quoad legata, quæ Fratribus annuatim à gravatis debentur *ibid. num* 45. prout expendimus *suprà:* quæ certè intelligenda est in legatis ibi expressis de simplici protestatione, prout in eleemosynis pecuniarijs; nihil enim ampliùs servandum Fratribus præcipitur à Nicolao III. *in eo §. Ad hæc, quia:* in percipiendis legatis cæteroqui licitis, nisi quod servandum ab ijsdem statuit in concessis pecunijs, vel donatis à viventibus.

10 Optimè autem *Politius* dicit, non sufficere solam occultam intentionem ad excludendum, quin contrahatur obligatio civilis activa, & passiva in contractibus, in quibus suaptè naturâ illa oritur; sed requiri expressam protestationem de tali obligatione, vel jure non acquirendo. Nam ita etiam evenit è contrario, quòd scilicet in actibus, in quibus ex natura rei jus alicujus periclitari potest, vel aliquod ei præjudicium importatur, non sufficit occulta intentio agentis ad proprium jus non amittendum, vel præjudicandum; sed præmittenda est cautio expressæ protestationis ejusdem juris non amittendi, vel præjudicandi; quæ idcircò protestatio dici potest, consuevitque à Juristis, jus protestantis conservare; ut tradit Torniola *Consilior. part.1. consil.48. num.5. & consil.99. numero* 20. ex Jasone *in vulgato §. morte: colum. penult.* & ex *l. si debitor: §.1.* ubi Gloss. & Bartolus, *ff. quibus modis pignus, vel hypoth. solu.* & *ex cap. cum M. Ferrariensis: extra, de Constitution.* & ex *d. vulgato §. Morte.*

11 Concordat cum *Politio*, Crousers Antuerpiẽsis *ad c.4. Reg. lect. paranetica 9. vers. Quartò requirunt aliqui:* inquiens: Hæc verò, quæ dicuntur insinuanda, (loquitur de insinuatione, seu protestatione prædicta) etiamsi sint verissima; insinuatio tamen eorum, licèt convenientissimè fiat à Fratribus, non puto tamen, si omittatur ex oblivione, vel etiam negligentia, ejus omissionem fore Regulæ transgressionem. Quia vel conditio Fratrum perspecta est danti, & tunc superflua videtur hujusmodi insinuatio; vel ignoratur ab ipso, & tunc meritò præsumi potest, quòd non aliter velit recipi, & tractari pecuniam, quàm modo Statui Fratrum conveniente. Hæc *Crousers*, qui tandem concludit: jus ergo commune cum dictam faciat insinuationem, (affert enim ibi paulò ante Nicolai III. *declarationem* super hoc, *in cap. Exijt: §. quia verò:*) non puto aliâ opus esse. Atque in hoc novissimo asserto videtur *Crousers* sibi velle, quòd nullatenùs teneantur Fratres ad dictam insinuationem faciendam, cum omne omninò scandali, vel pusillorum, & ignorantium, periculum sublatum esse ei videatur per Pontificis declarationem. Eò vel maximè, quòd Pontifex ille, *ibi, vers. Et quia:* totus est in hujusmodi utique insinuatione ad simplicium notitiam deducenda; & consultum per eam securiùs vult saluti animarum hinc indè, id est tùm ex parte offerentium, seu dantium eleemosynas pecuniarias. Ait enim: *Et quia in prædictorum seriosa expositione à dante, vel recipiente de facili posset errari, ut clariùs utilitati dantium, puritati Ordinis, simplicitati aliquorum simplicium, saluti animarum hinc indè securiùs consulatur; intellectum illum, qui satis in hoc casu à sanè intelligente percipitur, præsentis, & in æternum valitura Constitutionis serie lucidamus: volentes illum ad communem deduci notitiam; videlicèt, quòd semper, quando pecunia Fratribus ipsis mittitur, vel offertur (nisi expressè per mittentem, vel offerentem aliud exprimatur) prædictis modis prorsùs oblata intelligatur, & missa. Non enim verisimile est, aliquem eleemosyna sua sine expressione modum illum præfigere, per quem & donans merito, & illi,*

quorum

quorum necessitatibus intendit per donum hujusmodi provideri, vel effectu doni, vel sua conscientiæ puritate fraudentur. Ita Pontifex ille.

12 Verùm, quia non omnes adhuc notitiam habent Canonicæ illius declarationis, adeóque ignorantibus occasio superest offensionis, cum hujusmodi obloquentium vituperationibus, vel sinistre opinantium conceptibus Fratres obnoxij maneant; qui digna proindè reprehensione merentur carpi, dum omissione sua linguas, vel opiniones ipsorum in injuriam Religionis, vel in ejusdem reputationis detrimentum armare censendi sunt, si quam intùs custodiunt omnimodę expropriationis intentionem, non solùm factis, vel verbis discrepantibus destruant, (quod sanè directè esset contra Regulam, & nulla excusatione dignum) sed etiam opportuna expressione ignorantibus non insinuent. Ideò ipse dixerim, *Declarationem illam* Nicolai III. sufficere, & supplere omissionem Fratrum (cum in hoc de facili ab ipsis errari possit, ut ipse Pontifex aitputà omittendo protestationem, quam faciendam ipse antea *eo §. Et quia oportet:* ordinaverat) eosdemque excusare in casu ipsius omissionis ex oblivione, vel negligentia: non autem duxerim liberari per eam omninò Fratres ab obligatione vitandi scandali, maximè apud personas statum Minoricæ professionis ignorantes; ut ait Politius cum Hugone cit. qui Hugo *in idem cap. 4. reg.* testatur, fuisse aliquando generaliter ordinatum in Seraphica Religione, ut pecuniam offerentibus dicerent Fratres: *Potestis, si placet, istum vestrum constituere nuncium, vel apud eum vestram eleemosynam deponere qui vice vestra inde Fratrum necessitatibus provideat.* Debent enim Fratres (subdit ipse *Hugo* rationem) in omnibus non solùm veritatem (scilicet in occulta intentione) ostentare, sed etiam honestatem, (scilicet in externa expressione internę intentionis) semper à mali specie, secundùm Apostolum, abstinentes. Habet Frater (sequitur ille) paupertatem in corde, quam ore non exprimit, vel ei quibusdam cupiditatis signis exteriùs contradicit. Videbitur pecuniam per interpositam personam recipere. Omnis penè contractus verbo mediante efficitur, verbúmque, juxta Domini sententiam, justificat, aut condemnat. Denique in facto pecuniæ quandocúmque Fratrum intentio per verbum ordinatum exprimitur, & conscientiæ puritas, & Ordinis retinetur honestas. Hæc ille.

13 Sanè autem nec suæ ipsorum vitæ, ac professionis veritatem ostentant Fratres in omnibus, si occultam omnimodæ expropriationis intentionem intra se tantummodò retinentes, verbis consonis exteriùs non exprimant; cùm secundùm Clementem V. *supra* allatum, ad veritatem vitæ pertineat, ut id, quod exteriùs agitur, interiorem mentis dispositionem, & habitum repræsentet; ita ut non solùm ab omni eo, quod dictæ expropriationi esset, vel videri posset contrarium abstineant Fratres, sed etiam illud verbis exprimant, quod eandem præsertim ignorantibus manifestet: quod fit protestatione asserta, atque hactenùs comprobata. Ita tamen, ut protestatio, vel insinuatio liberæ facultatis revocandi, aut non dandi eleemosynam exhibitam, sive pecuniaria illa sit, sive alterius rei Fratribus utibilis, sive à vivente, sive à moriente per ultimæ voluntatis dispositionem missa, seu legata; non fit per Fratres ipsos alteri unquam facienda, quam principali danti, & Domino, cùm præsto est; nequaquam ejus nuncio, vel substituto, hæredi, vel gravato, aut executori Testamentario. Nam licet ille, qui vivens pecuniam committit alicui substituto suo, vel nuncio pro certa Fratrum necessitate, vel etiam pro eorumdem necessitatibus in genere expendendam, possit illam, dum vivit, revocare, & repetere ad suum beneplacitum, quamdiù expensa non est, & conversa in res Fratribus utibiles; unde, si sit pecunia ipsa oblata pro necessitate determinata, & quidpiam de ipsa supererit, post eatam illam expletam necessitatem, non potest id (sive recurrentibus, sive non recurrentibus ad ipsum Fratribus) per nuncium, aut substitutum in aliam necessitatem expendi, nisi pecuniæ ejusdem Dominus consentiat, ita à Fratribus, vel ab ipso nuncio, aut substituto rogatus; aliàs ei restituetur; ut dicitur *in d. cap. Exyt: §. Ad majorem autem: vers. Quia verò,* &c.

14 Attamen hoc non habet locum in hæredibus, vel gravatis, aut executoribus testamentarijs, neque in ipsis nuncijs, vel substitutis, ubi, post traditam eis à vivente Domino, & dante principali pecuniam expendendam, ut suprà, ipsum mori contigerit, pecuniâ non expensâ, neque ulla alia per ipsum facta dispositione de illa. Nam personis istis, cum ijs non competat pecuniæ, vel cujuscúmque alterius rei legatæ dominium, nisi fortassis utile tantùm, neque competit libera hujusmodi facultas revocandi, & non dandi, prout poterat, dum viveret, largitor ille, vel testator; non, inquam, competit, saltem in foro conscientiæ, sed neque de Jure civili; tametsi non adsit contra ipsos actio civilis, ex parte Fratrum, qua in judicio, vel extra compellantur, si revocent, & non dent; sed solùm possint à Judicibus tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus ex officio nobili procedentibus compelli, ut pia largitoris, vel Testatoris voluntas impleatur; ut alibi tradidimus sæpiùs: & confirmat Politius *in cap. 6. Reg. n. 60. ex leg. 4. ff. de servis exportand.* & ex *cap. Exijt: §. Ad majorem autem: versic. In eo verò casu:* Quare (concludit *ibi* Politius cum *Bartolo, Baldo, Ancharano, & Serena Conscientia*) si causa, propter quam

quam legata, vel missa est pecunia, sit finita, residuum expendetur in aliam necessitatem præsentem, vel imminentem: Non enim debet hoc accrescere hæredi; sed pro defuncti anima in aliam Fratrum necessitatem converti debet; ut *l. legatum: ff. de usu, & usufruct. leg.* & *l. fin. ff. de operib. public.* Hæc ille: qui idipsum asserit *num. 61.* servandum, quando legatum est relictum pro aliqua determinata causa, seu necessitate, quæ tunc non adest: quòd scilicet commutari debet in aliam. Vide illum etiam in *c. 4. Reg. num. 41.* Cum hujusmodi ergo personis, scilicet hæredibus, vel gravatis, aut executoribus (sicut etiam cũ nuncijs, vel substitutis viventiũ largitorum pecuniæ) nil ampliùs apertè protestari, eisve insinuare tenentur Fratres Minores, cùm legata exteroqui sibi licita, prout à nobis assertum est, denunciantur, quàm quòd nihil juris in talibus legatis, seu donationibus percipiendis volunt, aut intendunt habere, & per consequens quòd illi non tenentur ea sibi præstare ex ulla obligatione civili erga ipsos, sed tantùm ex obligatione erga Testatorem, & in foro conscientiæ; quódque proindè ea non recipient, nisi tanquam eleemosynas sibi à Testatore missas.

15 Atque in hoc sensu intelligendus est, ut sibi constans esse perhibeatur Crousers ipse *lect. paranet. 6. ad cap. 6. Reg.* ubi quærens: si quis ordinasset in testamento suo, quòd sui hæredes annuè docent centum aureos pro Fratrum necessitatibus: sive alio modo, legasset alicui hospitali ducentos aureos annuè, ea conditione, vel onere, quòd centum per Curatores Hospitalis necessitatibus Fratrum Minorum impendantur; utrum Fratres possint, salvâ Regulâ, recipere annuè ejusmodi eleemosynam, vel ad eam recurrere. Respondet, quòd non, nisi renuncient (intellige, Nisi protestentur, ut *suprà*: actus enim renunciationis etiam in legatis cum modo illicito non potest ritè à Fratribus fieri; ut ostendimus § *præcedente*: neque legata hic expressa continent formam, aut modum illicitum; unde illa Fratres refutare teneantur) tali modo, quòd hæredes, seu Curatores hujusmodi nullatenùs civiliter conveniri possint ad dandam Fratribus eleemosynam sic relictam. (Ecce, an hæc verba importent actum renunciationis, vel refutationis; an verò actum simplicem protestationis, seu insinuationis, quam nus asserimus.) Qua facta renunciatione, (sequitur ille) seu protestatione, si hæredes, vel Curatores illi liberè (idest liberi ab obligatione civili in furo fori, non tamen ab obligatione in foro poli) denuò offerât Fratribus talẽ eleemosynã, aut aliquid adferant pro rata illius, velintve, quòd Fratres recurrant ad eam, quotiescúmque necessitas aliqua recursu digna exiget, possunt Fratres illam recipere, & ad eam recurrere. Sicut etiam, si quis v.g. diceret eis: *Volo vobis dare singulis annis, quandiù vixero, pitantiam pro centum aureis*; vel, *Volo vobis dare singulis annis tantum olei, aut butyri, aut alterius rei necessaria*: possunt (inquit ille) Fratres ad ejusmodi Benefactorem recurrere pro dicta pitantia ab ipso emenda, aut pro butyro, vel oleo; modò nulla interveniat obligatio, qua Benefactor ille civiliter obligetur ad tale quid præstandum; ut docet P. Ludovicus Parisiensis. Ita ille.

Dixi, Protestationem, seu declarationem, 16
vel insinuationem, ut præfertur, faciendam esse in prædictis, & similibus legatis; non autem refutationem, minùs verò renunciationem, nisi renunciatio latè sumatur, prout significat quãcumque respuitionem rei exhibitæ. Quia facta protestatione, vel insinuatione tantùm, sufficit pro percipiendo beneficio rei legatæ sarta tecta Regulæ puritate; si v. g. occurrat casus legati hoc modo expressi: quòd scilicet quis testamento suo gravet hæredes, vel hæredem suum dare pro Fratrum necessitatibus centum aureos annuatim in perpetuum, cum hoc addito, quòd si Fratres talem eleemosynam refutent, illa cedat in commodum Hospitalis; tunc ejusmodi eleemosyna potest à Fratribus recipi, si in res ipsis utibiles conversa ab ipso hærede, secundùm ejus discretionem, & pietatem, eisdem mittatur; vel etiam possunt ijdem Fratres ad illam recurrere, occurrentibus necessitatibus recursu dignis; etiamsi fortè pro aliqua vice, vel anno, non occurrentibus necessitatibus prædictis, eam Fratres vel in toto, vel in parte recipere noluerint; & pro tunc tantùm cesserit ea, vel ejus portio Hospitali. Quòd si ab initio eam semel Fratres solemni declaratione refutârint, ipsa tunc statim pro semper cessisset in commodum Hospitalis, juxta Testatoris Ordinationem; & substitutionem de ipso Hospitali factam: neque possent Fratres ampliùs ad eam habere recursum, etiamsi hæredes adhuc eam offerrent ad ipsorum necessitates; quia non est ampliùs in potestate hæredum, & jam habuit locum dispositio defuncti Testatoris, júsque civile ad illam acquisitum est Hospitali; ac proindè non nisi de consensu Curatorum ejusdem Hospitalis possent Fratres ad illam recurrere. Et ita docet etiam *Crousers cit.*

Atqui omnium optimè veritatem confirmat 17
doctrinæ à nobis traditæ, cùm hic in præsentis resolutione quæstionis, tùm in præcedente Articulo pro prima Conclusione; enucleatéque tradit S. Bonaventura, *tom. 2. Opuscul. in Opusculo*, cui titulus: *Libellus Apologeticus in eos, qui Ordinem Fratrum Minorum adversantur*, in quo egregiè viginti duas objectiones, vel quæstiones adversariorum proponit, atque resolvit;

resolvit; in *Nona* autem resolutione omninò, ut & nos tradidimus, in propatulo ponit sanè intelligentibus, quomodo legata simplicia, etiam annua, vel perpetua, possint sine Regulæ transgressione à Fratribus Minoribus recipi. Introducit igitur adversarios primò loquentes, quorum hæc est.

OBIECTIO.

18 Cum asseratis vos, secundùm Regulam, & Professionem vestram, nullos debere recipere proventus redituum, seu possessiones, exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini transgressores Regulæ vestræ in eo, quòd accipitis domos, vel areas non contiguas vestris areis, in quibus habitatis. Eodem enim modo, si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, & agros, & Mansas, & similia quæcúmque recipere; immò Grangias, & Villas, & Castra, & Terras, & Oppida, & quæcúmque fuerint vobis data: & sic pristina Paupertas, & mendicitas, quam professi estis, paulatim evanesceret, & non eritis discipuli S. Francisci, cum non sequamini vestigia ejus, nec ejus Regulam teneatis. De domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quod pro dilatanda area vestra illas quandóque recipiatis, sed de alijs non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem Procurator vester loco vestri exigit, & in usus vestros convertit pro voluntate vestra. Ita illi justè injustè, meritò immeritò opponentes; ad quos propterea hæc est sancti ipsius Doctoris annuens renuens, instruensque.

RESPONSIO.

19 Si qui in talibus incautè agant, dolemus, & contradicimus, & prohibemus. Qualiter autem in hoc licitè agere possimus, adverte; & tunc non judicabis nos (si sanè intelligis) transgressores. Protestamur nos secundùm Regulam nostram, nil debere, seu velle possessionis, vel certorum redituum recipere, vel habere. Quia verò Mendici sumus, & pauperes, ea, quibus pro præsenti necessitate indigemus, ideò recipimus, pro ut licet, sive pro solvendis debitis, vel alijs necessarijs procurandis. Cùm ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suam, vel aream non connexam nostræ Mansioni, non recipimus eam, nec per nos; nec per interpositam personam, ut nostram. Sed si illam disponit per alium quemcúmque, ut, eâ venditâ, de pretio ejus provideatur nobis ex parte sui in his, quibus tunc indigemus, procurandis, vel solvendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens, ne fortè ejus talis dispositio per hæredes suos, vel alios in prosterum impediatur, & propter hoc præoccupat robotare illam sigillo alicujus Judicis, vel Civium, vel alterius; & sic committit illam alicui amico suo, vel Fratrum, qui conservet, quod ipse disposuit de domo tali, vel area; nil ad nos: cum de rebus suis possit ordinare; quod vult. Nec domum, nec locum talem dicimus esse nostrum, cum nihil Iuris nos ad ea protestemur habere.

Similiter, si aliquis disponeret, per amicum, vel alium, quòd de pretio, vel de proventibus illis, vel illis, darentur Fratribus tot panes quotidiè, vel tantum eleemosynæ singulis septimanis, aut annis; non essemus propter hoc prædij, vel redituum possessores. Nam, si me petente eleemosynam, aliquis dives promittat, quòd singulis annis velit dare Fratribus duas tunicas, vel tantùm unam, vel singulis hebdomadibus tot panes; & hoc committat Officialibus suis, ut vice sui ista dent, etiam eo absente; & hoc pro Fratribus recipiam: vel etiam si illi negligant dare, admonendo exigam; numquid propterea certos reditus habere dicendi sumus; cùm non ex Jure, sed ex gratia solùm talem eleemosynam recipiam, vel exigam? Et si post obitum illius uxor ejus, vel alij amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se, vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter recipere ex eadem gratia, (non ex Jure) ita quòd quandocúmque nollent ampliùs ista dare, nil peteremus ab eis, quasi ex debito; (scilicet ex jure) sed more Mendicorum recurreremus ad domum clementis Domini pro quotidiana eleemosyna, quandiù illi placeret; sed q[illegible]do plus nollet, abiremus vacui, gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato. Hæc est vera, & pura vita Mendicorum. Quod datur, ex gratiâ recipere, non ex jure. 20

De censibus verò domorum Fratribus legatarum nihil quærimus; sicut nec de alijs reditibus. Si autem, antequam vendantur, aliquem indè censum recipiunt hi, in quorum tunc potestate sunt illæ domus, nihil juris in eo habere protestamur; sed eleemosynam nobis spontè oblatam simpliciter recipimus, sicut aliundè donatam. 21

Quia verò Dominus docet nos cavere ab hominibus *Matth.* 10. & Apostolus ab omni specie mali abstinere: 1. *ad Thessalon. cap.* 5. ne putemur ab ignorantibus trangressores Regulæ nostræ, debemus apertè protestari, nil nobis juris in talibus donationibus velle habere. Sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus posset ista suspicio probabilis judicari. Hactenùs Seraphicus ille, ac Minoricæ mendicitatis, & observantiæ zelantissimus Doctor; cujus hæc mihi doctrina adeò, secundùm Regulam, & paupertatem Fratrum Minorum, pura, veráque est, ut eam hîc traditam velim Fratribus ipsis pro compendio 22

dio positionum mearum, atque ab ijsdem in hac materia valdè observandam. Ex ea enim

23 Admonentur primò, qualiter eleemosynarum, etiam annuarum, & ex determinatis bonis immobilibus assignatarum; gravando hæredes, subsidium admittere possint; idest non ex jure, sed ex mera largientium, seu ordinantium gratia; cujus utique ratio nequaquam tollitur, quòd ipsorum largientium sive viventium, sive cum mortuis jam degentium, executores teneantur in conscientia eorumdem exequi ordinationes; vel etiam, si in casu negligentiæ admoneantur à Fratribus de propria obligatione, ut consulant animarum suarum saluti.

24 Admonentur secundò, quàm necessarium sit, eos in hujusmodi legatis vel donatis protestari; qualitérque id fieri ab ipsis debeat, ne putentur ab ignorantibus transgressores propriæ professionis, & Regulæ; ac proinde splēdor Ordinis sinistræ opinionis nebulâ offuscetur.

25 Formulam porrò Protestationis hujusmodi in Ordine olim statutæ, & præscriptæ tradunt P. Antonius Palumbus de Campobasso Ord. Min. Obscrv. Provinc. S. Angeli Minister Provincialis *in suo Familiari Regularium, part. 2. pag. mihi* 161. & P. Angelus de Lantusca Ord. Min. Strictioris Observantiæ Provinciæ Romanæ *in suo Theatro Regularium, V. Bona temporalia, n. 3. & 4.* qui etiam docet, Protestationem ipsam scripto exaratam, & à Guardiano, duobusque Patribus Discretis subscriptam dandam esse executori testa[illegible]nti, vel hæredibus, sive gravatis, & insuper adnotandam ad futuram rei memoriam in libro, seu Chronologio Conventus: atque hac ratione tantùm, secundùm doctrinam S. Bonaventuræ in duabus Congregationibus Generalibus recēptam, & in Romana Rota examinatam, bona temporalia, seu legata recipere, Fratribus Minoribus, ipsorum Regulæ puritate servata, promissum esse, & licitum declaratum fuisse, testatur idem *Lantusca*, citatque Constitutionem 49. Urbani VIII. *ex Bullar. Rom. tom. 4. pag.* 67. & Congregationes Generales Ordinis Romæ habitas annis 1603. 1615. & 1618.

Formula autem prædicta hæc est.

26 *Nos Frater N. Guardianus Conventus N. & Discreti ejusdem dicimus, ad nostram notitiam pervenisse, quòd N. certam Eleemosynam huic Conventui distribuendam perpetuò, gratis (vel forsan pro aliquibus Missis, & Officijs celebrandis) legavit: Cùmque legata hujusmodi, nisi per simplicem eleemosynam, ex nostra Regula, nobis acceptare non liceat; per præsentes protestamur in Domino, quòd legatum prædictum, tanquam incapaces, ex vi legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen hæres, aut executor testamentarius dictam quantitatem per modum simplicis eleemosynæ, omni obligatione, dominio, & proprietate penitùs cessantibus, nobis liberè conferre voluerit, illam simpliciter accipiemus, & piæ testatoris voluntati, quantùm in nobis fuerit plenè, & fideliter satisfaciemus.*

Loco N. Die . . . . Anno.

F. N. Guardianus dico, ut supra.

F. N. Discretus dico, ut supra.

F. N. Discretus dico, ut suprà.

Verùm ex hujusmodi Protestationis exemplari, prout in cortice nonnullorum ejus verborum apparet, videtur oriri posse vel Fratribus scrupulum, quòd talis rei legatæ, quatenùs ex legato, & ordinatione testatoris procedit, etiam secluso jure ex parte ipsorum, & obligatione civili ex parte hæredis, ipsi nullatenùs sint capaces, nec illam recipere ullo modo possint, prout à testatore per hæredem missam; dum dicitur: *Tanquam incapaces ex vi legati*, &c. vel hæredibus, aut gravatis præsumptio falsa, & inanis fiducia omnimodæ solutionis ab obligatione præstandæ ipsius legatæ eleemosynæ signanter Fratribus ipsis, dum dicitur: *Omni obligatione, &c. cessantibus, nobis liberè conferre voluerit*, &c. Cùm nihiluminùs nec legatorum, quæ aliàs licita sunt, sint Fratres omninò incapaces, sed tantùm juris ad illa, ut patet ex *doctrina Seraphici*: neque hæredes, vel gravati, per dictam protestationem soluti maneant, nisi ab obligatione civili, & politica, & liberi in foro fori, non in furo conscientiæ, in quo idcircò adhuc obstructi manent ad legatam, sibique commissam à testatore eleemosynam, sive omninò gratuitam, sive cum onere Missarum, vel Officiorum, Fratribus specialiter præstandam, juxta testatoris expressam voluntatem, & Fratres ipsi possunt licitè ad illos recurrere pro dicta eleemosyna legata accipienda, humiliter tamen, & citra juris prætensionem; quin etiam, si hæredes, vel gravati, aut executores prædicti negligant dare, eos admonere, & admonendo petere; ut præfertur, & docet Seraphicus. Ideò, majoris claritatis gratiâ, mihi placeret prædictis clausulis allatæ Protestationis aliqua verba addere; ut sic nimirum expressiùs consultum foret hinc inde conscientijs cùm Fratrum nimis trepidantibus, tùm hæredum, vel gravatorum nimis confidentibus, suffultis præsertim quorumdam Doctorum blandientibus, at non subsistentibus opinionibus; ut alibi ostensum est, §. 26. & 27. *Articuli præcedentis.* 27

28 Quare, ubi dicitur: *Ex vi Legati*, &c. dicerem: *Ex vi Iuris legati.* Ubi verò dicitur: *Omni obligatione, &c. cessantibus, nobis liberè conferre voluerit*, &c. dicerem: *Omni obligatione civili, vel politica cessantibus, nobis liberè, idest nullo jure civili cogente, vel obligatione in foro fori conferre voluerit*, &c. Ita enim in rei veritate sibi volunt verba illam & ipsius Protestationis, si in sensu

sensu stricto, & Juristarum proprio teneantur, quidque Minoricæ mendicitatis puritas ab ejusmodi legatis percipiendis excludat, benè attendatur; sicque ea sunt intelligenda juxta doctrinam Seraphici, quam secuti sunt Patres illi, qui prædictæ protestationis formam statuerunt; ut patet consideranti tum allatam S. Bonaventuræ responsionem, tum doctrinam à nobis hactenùs traditam. Et de his satis.

§. IV.

An Fratres Minores, occasione Protestationis prædictæ, vel alia, si fortè ab hæredibus, vel gravatis rogarentur, ut vel ex toto, vel ex parte remitterent eis legata, possint ea ipsis remittere

SUMMARIUM.

1 *Legatum pecuniarium Minoribus relictum an ab ipsis remitti possit hæredibus pro parte, vel à Syndico*, & n 2.

2 *Minores nullo modo remittere possunt hæredibus gravatis ut eis accrescant legata Fratribus ipsis relicta.*

Remissio debiti importat donationem, ibid.

Nemo dat quod non habet, ibid.

Religiosus per se remittens debitum, fit reus transgressionis voti paupertatis, ib. & n.4.

3 *Remissio, seu transactio super alimentis futuris, fieri non potest sine decreto iudicis.*

5 *Remissio legati Minoribus relicti an per Syndicum fieri possit*, & n.6.

7 *Remissio quædam à Ministro Generali Capuccinorum facta, fuit declarata nulla*, & n.8.

9 *Minores nō possunt nec debēt remittere sibi relicta, sed sufficit si declarēt id sibi nō licere.*

Veritas non est omittenda etiam propter scandalum vitandum ibid.

Veritas triplex est, bona vita, justitia, & disciplina.

Veritas bona vitæ, semper obligat, & nunquam omittenda.

Veritas justitia, & disciplina exterioris, interdum relaxantur, seu omittuntur, scandali, vel majoris mali vitandi causa. Quod exemplo declaratur, ibid.

10 *Minores qui privilegia utendi syndico acceptarunt, an per ipsum remittere possint sibi relicta, inconsulto Pontifice*, & n.11.

11 *Regulæ quædam proponuntur ex D. Thoma, de faciendis, vel omittendis, scandali vitandi causa*, & num. seqq.

12 *Scandali vitandi causa non debet fieri, aut omitti aliquid, quod facere, aut omittere, per se sit peccatum mortale.*

13 *Scandali vitandi causa non debet fieri aut omitti, quod fieri aut omitti non potest sine peccato veniali.*

14 *Scandali vitandi causa, ex obligatione charitatis oportet facere vel omittere quæ sine peccato fieri vel omitti possunt moraliter.*

15 *Scandali pharisaici vitandi causa, non est necesse facere vel omittere aliquid cum aliquo detrimento spirituali aut temporali.*

16 *De scandalo vitando duæ aliæ Regulæ adducuntur à S. Bonaventura*, & n.17. & 18.

17 *Peccatur vel ex infirmitate, vel ex ignorantia, vel ex malitia.*

18 *Scandali vitandi causa quid faciendum, vel omittendum, ex D. Hieronymo.*

Scandali vitandi causa non est omittenda veritas Vitæ, Doctrinæ, & Iustitiæ: quod declaratur, ib. & n.seqq. *& præsertim* n. 24.

19 *Scandali vitandi causa non debet fieri quicquam contra præceptum aliquod negativum legis naturalis.*

Scandali vitandi causa Prælati Ecclesiarum non possunt alienare bona quæ ad fabricam Ecclesiæ, vel ad stipendia Ministrorum, vel ad subsidia pauperum deputata sunt.

Quod declaratur, & limitatur, n.20.

20 *Bona Ecclesiæ à Prælatis alienari non possunt absque solemnitatibus requisitis, ex constitutione Paulina.*

21 *Ministri Provinciales Minorum an possint componere cum hæredibus circa sibi relicta, mediante syndico Apostolico*, & n.22.

23 *Scandali vitandi causa non debet fieri aliquid contra præcepta negativa juris divini positivi*, & n.24.

24 *Veritas cognitionis est menti creatæ conformis entitas.*

Veritas entis, seu transcendentalis est conformitas entis creati cum Veritate æterna & increata, ibid.

25 *Veritas vitæ, doctrinæ, & justitiæ, in quo consistant.*

Correctio fraterna quando omitti posit absque peccato, ibid.

Quando duo Præcepta concurrunt quæ simul servari non possunt, majus servandum est, omisso altero, ibid.

26 *Scandali vitandi causa Minores non possunt donare seu remittere sibi relicta hæredibus vel alijs gravatis absque duplici peccato.*

27 *Scandali vitandi causa non licet aliquid facere vel omittere contra præcepta affirmativa juris naturalis & divini; vel etiam juris humani obligantia sub mortali, quod explicatur*, ibid. & n.28.

28 *Scandali vitandi causa, an mulier teneatur abstinere sacro per longum tempus, si fortè præberet alicui infirmo occasionem scandali*, & n.31.

29 *Scandali vitandi causa, corporis incommodum, vel aliqua jactura bonorum ferenda est interdum ex præcepto Charitatis.*

Z Declara-

Declara, nisi alio modo scandalum posset averti, num.30.

31 *Scandali pharisaici vitandi causa nemo unquam debet facere vel omittere aliquid contra praeceptum etiam humanum.*

32 *Scandali pharisaici vitandi causa, si cum eo scandalum quoque pusillorum & infirmitatis oriretur, an liceret Minoribus componere seu remittere aliquid ex rebus sibi legatis*, & num. seqq.

33 *Protestatio seu declaratio Minorum qualiter facienda sit haeredibus compositionem petentibus*, & n.34.

34 *Pactum politicum de non petendo Minoribus interdicitur.*

Pactum politicum de non petendo, vim habet renunciationis, donationis, & alienationis. ibid.

Minoribus non licet transigere super legatis relictis & pensionibus non solutis, ibid.

35 *Remissio debiti an & quando importet alienationem.*

Aliud est non acquirere; aliud, acquisitum remittere, ut explicatur, ibid.

Ecclesiae relictum, post mortem testatoris ipso jure & sine facto hominis Ecclesiae acquiritur, ibid.

36 *Praelati Ecclesiarum quid, & quomodo res à fidelibus oblatas remittere seu repudiare possint.*

37 *Remissio legatorum Minoribus relictorum an & quomodo fieri possit? cum distinctione resolvitur*, & n.38.

Legatum Minoribus relictum, quoties eis acquiri non potest, non cedit beneficio haeredis gravati; sed in utilitatem Ecclesiae omni meliori modo converti debet, ibid.

38 *Legatum Minoribus relictum secundum privilegia dispensativa puritatis Regulae an remitti possit.*

39 *Declaratio Ministri Generalis Capuccinorum super legato annuo ipsis relicto, ut non nisi per modum eleemosynae recipi possit, quamvis haeres sibi retinere nequeat tuta conscientia.*

1 NOstet à Politio *ad cap.6. Reg. n.27.* ex eo, quod *num praecedente* docuerat, quòd scilicet nec Generalis, nec totus Ordo Minorum unum quidem denarium donare possit amore Dei, propria auctoritate; cùm nullum in pecunia jus habeant: quinimmò nec ipsius Domini auctoritate id facere possent, cùm Fratres administratores, seu pecuniarum dispensatores loco Domini esse non possint: ex hac, inquam, doctrina colligit responsionem ad quaestionem nostrae huic affinem, & ferè eandem, nisi quòd nostra generalior est, quippe quae de omni re legata procedit, illa verò *Politij* de solo legato pecuniario est. Ait enim: Num poterunt Fratres, si eis putà centum fuerint legata, mortuo ipso testatore, ad haeredum preces aliquam dicti pecuniarij legati eis partem dimittere? Dico, quòd non; quia cùm domini talis legati non sint, non possunt aliquid de eo dare, vel remittere. Sed, si quaeras, num syndicus Papae id facere possit? Salmanticae, ad hoc dubium negativè fuit responsum, quòd scilicet non possint Fratres per Syndicum. Quia licèt in *Bulla Syndicatus* contineatur, quòd Syndicus potestatem habeat remittendi, refutandi, &c. hoc tamen intelligitur, quando id in Fratrum utilitatem fit: putà quia sequeretur litigium, vel solutio multùm differretur. Quare, ubi Fratrum utilitas hoc exigit, talem poterit Syndicus remissionem facere; non secùs. Ubi tamen scandalum orietur, quia fortè non crederent haeredes, quòd talem remissionem facere non possumus, sed quòd potiùs talia fingimus ob avaritiam; licitè possent Fratres, immò deberent rogare Syndicum, ut aliqualem dicti legati remissionem faceret. Quia utiliùs in hoc providetur Fratribus, cavendo scandalum, quàm si cum scandalo totum legatum consequerentur. Quòd si Syndicus talem remissionem facere nollet, & scandalum immineret; melius esset Fratribus omninò ab illo cavere legato, quàm eum scandalo recipere. Ita *Politius*.

Verùm ipse responderim cum nostro Crousets Antuerpiensi *ad cap.6. Reg. lect. paranet.4.* quòd Fratres, neque per se, neque per Syndicum Papae possunt quicquam de ejusmodi, scilicet pecuniarijs legatis, sed nec de alijs quibuscumque remittere, ità quòd per talem remissionem illud justè accrescat haeredibus, vel gravatis. Et quod dico de haeredibus, vel gravatis, idem dico de quocùmque alio vel depositario, vel substituto Amici spiritualis, Executore, vel Commissario Benefactoris viventis, vel mortui, in casu, depositatae ab isto, vel commissae pecuniae vel cujuslibet alterius rei, Fratribus Minoribus praestandae ad eorum necessitates pro tempore occurrentes sublevandas. Et ratio est, quia remittere est dare: *cap. veniens: Extra. de testamentis: l. contra jus: ff. de pactis. l. Modestinus: ff. de donation. & l. si inter: C. de solutionib. & liberationib.* Et remissio debiti est donatio: *l. si mulier: ff. de conditione caus. data*: ubi Alexander, & Jason, Bartolus *in l. Modestinus: cit.* Alexander, & Jason *in l. creditori: Cod. de pactis*: Covatruvias *Variar. resolut. lib.2. cap.4. numero 8. & 12.* Decius *in l. si quis obligatione*: ubi etiam Cagnolus, post Glossam, *ff. de regul. jur.* & in *consil. 401. column. 3. in princ.* atque ex his Torniola *Consilior. part.1. consil.91. numero 12.* Dare autem, vel 2

vel donare non competit, nisi ijs, qui vel dominium dandæ, vel donandæ rei babent, vel saltem jus ad illam habendam, vel de auctoritate domini illam administrant cum facultate dandi, vel donandi: quales profectò non sunt, secundùm Regulæ puritatem, respectu eleemosynarum, vel legatorum quorumcúmque nondum Fratribus præstitorum, aut Pontifex, ut Patet specialis Fratrum, aut ejus Syndicus, minùs verò ipsi Fratres. Ergo Fratres neque per se, neque per Syndicum possunt remittere hæredibus, vel quibuslibet alijs personis prædictis, ex toto, vel ex parte, eleemosynas, vel legata, ut præfertur, ita ut illis ea justè accrescant. Iuxta illud vulgatum in Philosophia: *Nemo dat, quod non habet.* Estque etiam *Regula* cùm Pontificij, tùm Cæsarei Iuris expressa, quod Nemo plus Iuris in alium transferre potest, quàm ipse habeat: *de reg. jur. in 6. & ff. de reg. jur.* & est textus ad idem *in l. traditio: ff. de acquiren. rei domin.* & in *cap. nuper: extra, de donation. int. vir. & uxorem.* Et, quod quisque juris statuerit in alterum, ipse eodem uti necesse est; ut ex *tit. ff. Quod quisque juris:* per *totum sparsim.* Et, pro non dato habetur, quod datur ab eo, qui donare non potest: *cap. quod autem: in fin. extra, de jure patron.* Et qui nihil habet, nihil dare potest: 1. *quæst. 7. in cap. dtabertum:* Et iterum, Nemo dat, quod non habet: *de Consecrat. dist. 4. in cap. quomodo:* & in *l. si filius: Cod. de donation.* & facit text. *in l. 2. Cod. de pœnis; in l. 1. Cod. qui pro sua jurisdictione:* & 42. *dist. in cap. nulla ratio*, & in *l. Observare: ff. de offic. Proconsul. circa fin.* & *ibi* Bartolus; & in *l. si universæ:* ubi Baldus, *Cod. de legatis*; & Fulgos. *in consil. 63. Classium: col. 3.* Neque in præsenti locum habent limitationes, quas tradit Decius *ad hanc reg. 24. ff. de reg. juris*; quem vide, si Iubet. Unde in terminis docet Bonacina *tom. mihi 1. in tractationib. varijs disp. 3. de largit. munerum: punct. 1. propos. 1. num. 3.* Religiosum, seu Monialem, quæ consanguineo condonat solutionem legati, vel alterius debiti, ream esse violationis Bullæ Clem. VIII. & transgressionis Voti paupertatis, quia remissio debiti est donatio, saltem indirecta. Citátque Antonium de Sousa *in expositione Bullæ prædictæ, n. 73.* Sanch. Filliuc. & Sorbum. Vide etiam quæ dicuntur *hic infrà, §. 7. n. 37.* ex Filliuccio.

3 Addo, quòd donatio, renunciatio, & remissio expressa alimentorum futurorum legatorum, etiam diviti, juris capaci, fieri ab ipso legatario non potest sine decreto Prætoris, & causæ cognitione; juxta *l. cum hi:* quasi per totam, *ff. de transaction.* Et idem de legato annuo simpliciter facto pauperi juris, dominijque capaci; quia intelligitur pro alimentis; ut *in d. l. cum hi: §. nihil:* & declarat Bartolus *in d. l. cum hi: §. si in annos:* ut tradit Torniola *cit. consil. 91. num. 12. & 14.* Ergo multò minùs poterit hujusmodi remissio fieri à Fratribus Minoribus, neque per se, neque per Syndicum; quippe qui non solùm nil juris habent ex parte sua, aut penès seipsos, aut penès Pontificem specialiter pro ipsis se habentem; sed in summa paupertate constituti sunt, ideóque legata non nisi ad alimenta ipsis fieri intelligenda sunt, nec nisi pro necessarijs alimentis recipere ea ipsi possunt; ut alibi diximus. Ubi verò Fratres Minores acceptaverint Pontificum privilegia de Syndico habendo, qui nomine Papæ acquirat jus ad legata, &c. (quod sanè practicari non potest ab his, qui Regulæ puritatem profitentur; cum privilegia illa sint dispensativa, & relaxativa puritatis, strictiorisque observantiæ ipsius Regulæ, & mendicitatis Minoricæ: ut ostendimus *suprà, §. 21. præcedentis articuli*, & alibi) adhuc videri posset, secundùm jura prædicta, non posse hujusmodi remissionem fieri sine decreto Prætoris, vel Episcopi, vel fortè Papæ; ut *infra* dicemus *num. 10. & seq.* At, juxta Regulæ puritatem, nullo modo fieri potest. Faciuntque ad hoc ea, quæ tradidimus *supra §. 1. præcedentis artic.* in refutatione assertionis *Politij* de renunciatione facienda. Et optimè hanc novit doctrinam Cotonius *controv. celebr. lib. 4 contr 6. cap. 1. num. 19. & 30.* cum Portel. *V. Legatum, num. 2.* contra Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 26. num. 32.* ubi in casu, quòd relinquatur Fratribus Minoribus aliquod bonum, immobile ut vendatur, & pretium in eorum necessitates convertatur, &c. ait: posse executorem expectare opportunitatem, ne vili pretio vendatur: &, si semper nullatenùs inveniatur, teneri Fratres Minores rem illam à se abijcere, vel dare in eleemosynā; cum nullatenùs retinendi sint capaces. Ita ille: cū Abbate *in cap. recolentes: fin. de statu Monachorum:* Non tamen benè; ut ait *Cotonius cit.* Cum in rem illam nullum jus habeant, necdum illam acceptaverint. Labitur tamen & ipse *Cotonius*, dum illā censet cedere hæredibus; ut patet ex dictis.

Quapropter, si quis aut Prælatus, aut privatus Frater ejusmodi remissionem per se faceret, in reservatum proprietatis casum incideret; utpotè exercens actum proprietatis circa rem alienam; ut patet consideranti, & amplius contrabit ex dicendis *§. seq.* 4

Quòd verò neque per Syndicum (Regulæ puritate spectata) fieri à Fratribus possit dicta remissio; patet ex dictis: quia Syndicum ad id habere, aut nominare, eóque uti nequeunt; sed in ijs tantùm casibus, in quibus æstimato pretio, vendi, vel commutari oporteat res aliquas, quæ jam in Fratrum usu, adeóque in Apostolicæ Sedis dominio, & proprietate existunt; ut habetur *in cap. Exijt: §. Quia verò:* 5

Z 2 *vers.*

verf. Si verò: prout in *cit. nostro §. 22.* & alibi. Atque id colligitur ex *dicto* ipsius Politij *cit. num.26.* ubi expresse ipse quoque asserit, quòd Papa nunquam in suum dominium recipit pecuniam pro Fratrum necessitatibus, vel à vivente largitore concessam, vel à defuncto testatore legatam; sed ea semper, quandiù non est conversa in res Fratribus utibiles, manet in dominio, & proprietate dantis, si vivit, itaut nonnisi per ipsum, vel de ejus authoritate (nunquam tamen ministrantibus eam, vel dispensantibus Fratribus) donari possit; vel in ejus bonis, si fuerit defunctus; idest in proprietate hæreditatis ejus, quæ ipsius personam repræsentat, & vicem gerit. Et quod dicitur de pecunia legata, vel deposita, seu commissa, idem in omnibus, & per omnia dicendum necessariò est de quacúmque alia re Fratribus iisdem legata, quamdiù ipsis non fuerit actu tradita, eorúmque usui addita; juxta declarationem Nicolai III. *in eo §. Ad hæc, quia:* ut tradidimus in superioribus, præsertim *art. 1. §.22. per totum.*

6 Non igitur licet Fratribus Minoribus suæ ipsorum puritatem Regulæ profitentibus, & servare volentibus, ejusmodi remissionem facere, sivè per se, sive per syndicum.

7 Hinc apud nos Capuccinos, cum P. Paulus à Cæsena Minister Generalis concesserit, quòd hæredes Domini N. qui ex testamento fabricare debebant totum Conventum Amanteæ in provincia Calabriæ, darent dumtaxat 4000. nummos, & de cætero liberi essent: Quæ summa cùm non esset sufficiens pro adimplenda voluntate testatoris, P. Provincialis illius provinciæ recurrit ad Capitulum Generale anno 1618. celebratum, petens cessari dictam concessionem; super qua petitione sic fuit decretatum.

8 *Nos infra scripti Generalis, & diffinitores, declaramus supra scriptum Decretum ab admodum R. P. Paulo à Cæsena tunc Generali, bono quidem zelo factum, nullum potuisse præjudicium afferre ultimæ voluntati, & dispositioni supradicti testatoris, quin possit, & debeat executioni mandari. Romæ 23. Iunij 1618.*

F. Clemens à Noto Minister Generalis.
F. Hieronymus Narniensis Diff. Gen.
F. Laurentius à Brundusio Diff. Gen.
F. Ioannes Venetus Diff. Gen.
F. Honoratus Parisiensis Diff. Gen.

Et hujus origioale Decretebabetur *in 2. tom. Archivij Romæ fol.* 238.

9 Neque ob vitandum scandalum pusillornm, seu ignorantium, tenentur eam facere: sed sufficit, si eos doceant, quòd sibi non licet ex proprij puritate Voti eam facere, ratioo ibus prædictis. Quòd si adbuc post hujusmodi admonitionem, seu synceratio nem quis scandalizetur, jam videri is poterit scandalizari ex malitia sua; ideóque id scandali non curaodum, utpotè Pbarisaicum: neque enim pro illo vitando detrimentum sive temporale, sivè spirituale quis subire tenetur. At, quidquid sit, sivè scandalizetur ille ex malitia sua, & pharisaicè, sivè ex infirmitate adbuc, & ignorantia, si fortè (ut contingere potest) ea conditione, & simplicitate sit, ut etiam post admonitionem, seu synceratio oem, & rationem redditam, rem non satis capiat; non est cur Fratres transgrediantur professionis suæ observantiam, & puritatem: id eoim non est habendum aut pro nullo, aut pro penè nullo spirituali ipsorum detrimento, quod proindè subire teneantur ex charitate, ut proximi, vel Pharisaicum scandalum impediatur; sed neque ut pusillorum: peccareot enim contra veritatem, & puritatem suæ professionis, & vitæ. Est autem Canonici Juris regula, quòd propter scandalum evitandum veritas non est omittenda; ut *extra de regul. juris, cap.3.* hisce verbis: *Ven. Beda in cap.9. Marci, sed & D. Gregorij homil.7. in Ezechielem. Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Ubi Glossa triplicem notat Veritatem, scilicet bonæ vitæ, quæ nunquam omittenda est propter scandalum vitandum; & ad quemlibet pertioet, secundùm cujusque professionem, & statum: Aliam, Justitiæ; quæ ad Judicem pertinet: Tertiam, disciplinæ exterioris; quæ pertinet ad Prælatum. Atque in bis duobus casibus tantùm, quandóque aliqua omittuntur propter scandalum vitandum; ut 50. *dist. cap. Ut constitueretur.* Unde versus.

Est verùm vita, Doctrina, Iustitiaque.
Primum semper habe: duo propter scandala linque.

Unde benè Clemens V. *in Clem. Exivi: §. Proinde: verf. Cupientes:* in proposito ajebat: Cùm enim ad veritatem vitæ pertineat, ut id, quod exteriùs agitur, interiorem mentis dispositionem, & habitum repræsentet; necesse babeant Fratres, qui se expropriatione tanta à temporalibus abstraxeruot, ab omni eo, quod dictæ expropriationi esset, vel posset videri cootrarium, abstinere: Cujusmodi sanè esset actus remissionis prædictæ, cum sit actus domioij, & proprietatis; ut vidimus. Ergo Fratribus Minoribus nunquam Illa licebit, si puritatem, & veritatem suæ ipsorum professionis, & vitæ servare velint. Quapropter si orituri scandali scrupulus ipsis subrepat; illud pro certo habeant, quòd facta ab ipsis protestatione prædicta, eáque revera observata, si quid scaodali apud hujusmodi hæredes, gravatosve rogantes, ut suprà, oriatur, non illud justum, non verum, non datum, non pusillorum; sed iniquum,

sed

sed commentitium, sed merè acceptum, sed Pharisæorum scandalum erit contemnendum potiùs, quàm devitandum, resecandum, præscindendum, ac longè à se propulsandum. Enimverò quàm verum sit, quòd Protestatio justificat actum, vindicátque à scandalo, quod ex ipso posset ignorantibus suboriri, appositissimè docet ter Seraphicus meus Doctor S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 33. *dub.* 8. *lit.* ubi ad illud D. Augustini effatum à Magistro *ibi* in litera *cap. ult.* relatum: Sanctius est mori fame, quàm Idolothytis vesci; ita respondet: Dicendum, quòd illud intelligendum est de illo, qui vescitur Idolothytis in reverentiam Idoli; vel quando scit, alios propter ignorantiam scandalizari: verumtamen propter scandalum in articulo necessitatis non est Idolothytum dimittendum, sed cum Protestatione, quòd non facit in reverentiam Idoli, & est sumendum: & tunc non scandalizat. Ita S. D. Sic igitur in proposito, Protestatione, ut præfertur, à Fratribus præmissa, immunes erunt à culpa, & non scandalizabunt.

10 Quid verò, si dixerim, neque eos Fratres Minores, qui privilegia utendi Syndico acceptârunt, posse per Syndicum ipsum hujusmodi remissionem facere, rogando scilicet illum, ut illam faciat; cùm nec ipse eam facere possit, inconsulto Pontifice, & sine ejus decreto? Jam enim, juxta privilegia prædicta, legata illa, vel eleemosynæ depositæ Apostolicæ Sedi acquisitæ, sunt verè jura, bonáque Ecclesiastica, quorum non domini, sed procuratores, seu œconomi sunt ipsi syndici, nomine Papæ à Fratribus nominati, ad ea scilicet pro Fratrum utilitate, & commodo ministranda; ut benè videntur observasse Salmanticenses illi Doctores, vel Patres Ordinis apud *Politium cit.*

11 Illud igitur etiam dico. Aderit autem mihi pro hac doctrina firmanda, & præcedente, (quidquid ex ea remissione non facta oriri scandali possit) D. Thomas 2. 2. *quæst.* 43. & ibi Cajetanus; Gregorius de Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 18 *punct.* 4. Sylvest *in Sum V. Scandalum, num.* 4. Filliuccius *tom.* 2. *tract.* 28. *in quartum præceptum Decal. cap. ult. num.* 253. & communiter Canonistæ, Summistæ, & Theologi, cum D. Thoma *ubi suprà.* Horum enim doctrina est, quadrupléxque regula generalis ad dijudicandum in varijs casibus, quidnam sit faciendum, vel omittendum, néc ne, cùm circa spiritualia, tùm circa temporalia, ad proximorum scandalum avertendum.

12 *Prima Regula* est. Propter vitandum scandalum proximorum, nec debet, nec potest fieri, aut omitti aliquid, quod facere, aut omittere per se, seu intrinsecè sit peccatum mortale: idest, stantibus alioqui illis omnibus circumstantijs, quibus positis, commissio, aut omissio est per se mala mortaliter. D. Thomas *cit art.* 7.

13 *Secunda* est. Ad vitandum scandalum proximi, similiter non potest, nec debet fieri, aut omitti, quod fieri, aut omitti non potest sine peccato veniali. D. Thomas *cit art.* 1. *ad* 5.

14 *Tertia* est. Ad vitandum proximi scandalum, quod ex illius ignorantia, aut infirmitate secuturum alioqui videatur, quod ideò dicitur *pusillorum*, omnia illa ex obligatione charitatis oportet facere, vel omittere, quæ sine peccato fieri, vel omitti possunt; salva tamen suavitate, quæ est in jugo divinarum legum, idest non qoomodocúmque, sed moraliter. D. Thom. *cit art.* 7. *ad* 4.

15 *Quarta* est. Ad vitandum scandalum, quod ex alterius malitia oritur, quódque ideò appellatur *Pharisæorum*, seu *Pharisaicum*, non est necesse aliquid facere, vel omittere cum aliquo detrimento spirituali, vel temporali, etiamsi id absque peccato fieri, vel omitti possit. Immò aliquando esset perniciosum bono communi temporalia bona dimittere, seu condonare ejusmodi, improbis ad vitandum eorum scandalum Pharisaicum; (D Thom. *cit art.* 7, *&* 8.) nisi fortè concurrat scandalum aliorum pusillorum, qui ab ipsis pendent; ut observat Cajetanus *ibi.* Addit etiam Valentia *cit. vers. existimo:* quòd si quis, cum nullo suo, vel ferè nullo detrimento posset impedire proximi scandalum Pharisaicum, aliquid faciendo, vel omittendo, deberet illud facere.

16 Sanctus tamen meus ter Seraphicus Doctor Bonaventura *in part.* 7. *Centiloquij sect.* 31. *in fin.* ad sciendum, quæ sunt propter vitandum scandalum proximorum facienda, vel omittenda, duabus tantùm Regulis contentus est, unâ ex *Divo Bernardo*, alterâ ex *D. Hieronymo.*

17 Regula (inquit) *Bernardi* hæc est. Peccamus ex infirmitate, vel ex ignorantia, vel ex certa etiam interdum malitia: cavendum est, ne quid faciamus, quod sit in scandalum alicujus. De talibus dicit Dominus Petro: (*Matth.* 17.) *Ne autem scandalizemus eos*, &c. In tertio verò casu, cùm scandalum procedit ex certa malitia, non propterea est omittendum opus, vel ab opere desistendum. Unde dicit Dominus de Pharisæis scandalizatis ex malitia. (*Matth.* 15.) *sinite eos; cæci sunt*, &c.

18 Regula *Hieronymi* est talis. Omne, quod potest fieri, vel non fieri, salva triplici Veritate, omittendum est propter scandalum. Non est autem omittenda Veritas Vitæ, doctrinæ, Justitiæ, propter scandalum evitandum. Veritas Vitæ pertinet ad omnes, comprehendens præcepta, prohibita, & consilia. Veritas doctrinæ pertinet ad Prædicatores, & Magistros. Veritas Justitiæ pertinet ad Prælatos, comprehēdens duas partes Justitiæ, scilicet severitatem

in puniendo malos, & reos; & liberalitatem in sustinendo justos. Hæc S. Bonaventura, quæ tamen intelligenda sunt, non quomodocunque, (ut diximus *supra, in tertia regula communi*) sed moraliter, attenta suavitate legum divinarum, humanarumque, vel etiam naturalium præcipientium, vel prohibentium, aut consulentium, quod ad vitæ, Doctrinæ, vel etiam Iustitiæ attinet veritatem; prout ampliùs *in sequentibus* explicabimus.

19 Ex his colligere est primò, non posse, nec debere unquam ob vitandum alterius scandalum fieri quicquam contra præceptum aliquod negativum legis naturalis. Sic, non licet occidere privata auctoritate, etiam ad evitandum scandalum; nisi concurrente moderamine inculpatæ tutelæ. Hoc enim verè concurrente, etiãsi scandalum oriturum videatur, licebit occidere invasorem, vel insidiatorem. Sic etiam, qui bonorum aliquorum temporalium non dominus, sed dispensator tantùm est, non potest licitè, ad vitandum scandalum, malè dispensare ejusmodi aliena bona, ea donando propria auctoritate, aut ea penitùs negligendo, & permittendo, seu remittendo alijs sine rationabili causa. Siquidem præceptum naturale negativum est, de non malè dispensandis alienis bonis. Hocque ad rem nostram facit, si benè attendatur. Et in hac doctrina fundatur, quod tradit D. Thomas *cit. art.* 8. Non posse Prælatos Ecclesiarum, ob scandalum vitandum, donare, permittere, vel remittere alijs bona Ecclesiastica, quorum ipsi non Domini, sed tantùm dispensatores sunt: cujusmodi sunt saltem illa, quæ ad fabricam Ecclesiæ, & ad stipendia Ministrorum ejus, & ad subsidia pauperum deputata sunt; ut latè prosequitur Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 3. *pu.* 7. cum D. Thoma 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. communiter recepto. Vnde S. Thomas Cantuariensis (ut notant *ibi* D. Thomas, Sylvester, & alij) repetijt, & tutatus est bona, juraque Ecclesiæ, cum magno etiam Regis Angliæ scandalo.

20 Qua tamen in re duo potissimùm rectè, & prudenter admonet *in illo* D. Thomæ *art.* 8. fidus ejus interpres Cajetanus. *Primum* est, Ecclesiam quidem ipsam, quæ ejusmodi bonorum dominium habet, rectè posse aliquando, ob vitandum scandalum, illa alijs donare, aut promittere. *Alterum* est, Prælatos quóque posse, & debere interdum, ob eandem rationem, ad vitandum scilicet scandalum, & pauperum calamitatem, differre Ecclesiasticorum jurium, bonorumvè repetitionem, ubi illi, qui debent, sine magno saltem detrimento sui status, ea reddere, solveréque non valent. Maximè cùm Ecclesia ad vitandum pusillorum scandalum, in totum etiam dimittat quandóque jura sua; ut in quibusdam locis, in quibus non exigit Decimas à Fidelibus, ubi scilicet id non est usitatum, sicut in Italia. Qua etiam ratione Apostolus non accipiebat stipendium, cæteroqui debitum omni jure, ab ijs, quos docebat; ut habetur 1. *Corinth. cap.* 9. & notat D. Thomas *cit. ad* 5. dicit quóque Caietanus, cùm Prælati non sint Domini bonorum Ecclesiæ, teneri ad restitutionem eos, quibus illi sinè causa rationabili, pro libito suo tantùm, ea donant, vel remittunt, Et benè dicit; quia donatio, vel remissio illa injusta est, & invalida. Certè enim non possunt jura, bonáve Ecclesiastica sive mobilia, sive immobilia, venditione, permutatione, donatione, aut remissione, aliovè modo alienari, vel distrahi, inconsulto summo Pontifice, & sine ejusdem Apostolicæ Sedis auctoritate, & consensu, seu decreto, cujus forma fideliter servanda est; ut constat ex novo Iure Canonico *in Extravag. Pauli II. Ambitiosæ: de rebus Eccles. non alien.* quæ recepto nomine *Paulina* appellatur; & ex ipsa tradunt Azorius, Quaranta, Caietanus, Navarrus, Redoanus, Hieronymus, Mainasius, Benedictus Canosilus, & Leon, Vasquez, & alij apud Filliucium *tom.* 3. *tract.* 44. *cap.* 1. *à num.* 7. *& cap.* 5. *num.* 7. præter alia requisita de *Iure Canonico antiquiore* servanda, de quibus latè idem Filliucius *secundo loco citat. à num.* 1. tametsi solus ipse assensus Apostolicus, si fuerit absolutus, sine dubio sufficit sine alia solemnitate; secundùm receptam Doctorum sententiam, quam refert, & sequitur Filliucius ipse *cit. num.* 9. apud quem hac de re plura *ibidem*.

At, loquendo etiam specialiter de annuis legatis relictis Fratribus Minoribus, quorum recipiendorum ipsi Fratres capaces sunt per modum eleemosynæ, & præstantibus hæredibus: 21.
vel gravatis citra politici juris vinculum, ex sola obligatione conscientiæ, juxta Seraphici Doctoris sententiam allatam *suprà*: quamvis Clemens Papa V II. *in Bulla*, quæ incipit: *Nuper pro parte vestra*: sub die 23. *Novembris anni* 1526. refertúrque per extensum à Lantusca *citat. vers. legatum, num.* 3. concesserit facultatem Ministris Provincialibus, quòd possint se componere cum hæredibus, vel gravatis, mediante Syndico Apostolico, ne piæ testatorum voluntates frustrentur prout *ibi in Bulla*. Nihilominùs (misso, quòd dicta *Clementina*, concessio est puritatis Minoricæ mendicitatis relaxativa) in Decreto Sacræ Congregationis Reu. Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe, (quæ in statu Ecclesiastico, ex Apostolica plurium Summorum Pontificum constitutione, ut videbimus *artic. seq.* substituta est, ad ejusmodi legatorum ratas, seu annuas pensiones de jure exigendas, quoties post bienniumelapsum eas Fratribus per modum eleemosynæ, ut præfertur, præstare neglexerint ex scientia,

&

& expresso ordine, ac mandato Urbani Papæ VIII. *sub die 14. Februarij anni* 1633. extat prohibitio expressa, quâ tam deputatis ejusdem Fabricæ vetatur; ne cum debitoribus faciant compositiones, quibus ea legata extinguantur, vel reducantur &c. prout *ibi*: quàm Fratribus ipsis interdicitur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant per se, vel per Syndicos, seu Procuratores, tam sæculares, quàm Regulares, judicialiter, vel extrajudicialiter petere dictas annuas præstationes legatas, nisi juxta formam à Patribus Ordinis statutam, secundùm Doctrinam S. Bonaventuræ *suprà* allatam; neque prædictis hæredibus, vel gravatis facere aliquas *receptas* pro dictis annuis præstationibus, nisi pro ratâ, & pecunia, seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac verè, & realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis: prout latiùs *in dicto Decreto*, quod per aliud ejusdem Sacræ Congregationis Decretum *sub die* 15. *Decembris* 1646. confirmatum fuit, quoad universum ejus tenorem, adjecta declaratione nullitatis, & irritationis cujuscúnque remissionis, vel compositionis, si in posterum fiant, &c. ut videre est apud Angelum de Lantusca *cit. v. Bona temporalia, num.* 5. *&* 6. ubi verbatim prædicta Decreta ab ipso referuntur: quibus etiam concordant duæ aliæ Bullæ Alexandri Papæ VII. prima *sub die* 30. *Augusti* 1655. altera *sub die* 26. *Novembris* 1660. quoad dictorum Rev. Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Deputatorum facultatem, ut in prædictis Decretis, moderandam circa legata pauperibus in genere facta: quas refert ad literam idem Lantusca *citat. v. legatum, num.* 1. *&* 2.

22 Atque per hæc confirmatur, quòd legata annua Fratribus Minoribus relicta, & Ecclesiæ, ut supponimus, acquisita, non possunt ab ipsis Fratribus in toto, vel in parte per se, vel per Syndicum remitti hæredibus, vel gravatis, sine consensu ejusdem Ecclesiæ, seu Apostolicæ Sedis, quantumvis agatur de Scandalo vitando; quippè cùm interdictum id sit iisdem Fratribus non solùm ex Jure novo Canonico communi, sed etiam ex speciali, edito post concessionem illam Clementinam, quam recensuimus *suprà*: Immo ex præcepto negativo legis naturalis, ut patet ex dictis.

23 Vt autem præjactam de scandali vitandi obligatione doctrinam prosequamur; unde ex omni parte elucescat, non teneri Fratres ad vitandum scandalum, ejusmodi remissionem facere: ex illa prima Regula.

24 Colligere est *Secundò*, non posse quóque ad vitandum scandalum, fieri aliquid contra præcepta negativa juris divini positivi; cujusmodi esset credere, sive docere aliquid contra veritatem, seu veritates, quas Catholica fide profitemur; aut desperare salutem, beatitudinemque sempiternam; aut Ecclesiæ Sacramenta Sacrilegè tractare &c. Quippè hæc omnia, aliáque hujusmodi flagitia lethifera per se esse, & intrinsecè perhibentur. Atque in hoc sensu intelligenda est Regula illa, quam cum D. Hieronymo tradit S. Bonaventura *ubi suprà*, illis verbis: *Non est autem omittenda veritas vitæ, Doctrinæ, Iustitiæ, propter scandalum evitandum*: quemadmodum & illam, quam ex *Regulis Iuris*, ex D. Gregorio, & Beda; videlicet: *si de veritate scandalum sumitur, utiliùs scandalum permittitur, quàm veritas relinquatur*. Nimirum ità, ut nunquam quid fiat, aut omittatur contra ipsam triplicem veritatem; per quam videlicet non intelligitur hic veritas cognitionis, seu propositionis, quæ est menti creatæ conformis entitas, (de qua logici) sed veritas entis, & transcendentalis, idest conformitas, seu assimulatio actuum humanorum, sicut etiã aliorum omniũ entium creatorũ cum veritate illa æterna, & increata, quæ est menti increatæ, & Paternæ conformis entitas, soláque & solius ipsius Patris cõnaturalis similitudo expressissima, exemplar, omnia entiã creata, creanda, & creabilia exprimens, eorúmque omnium cognoscẽdorũ ratio prima, & causa ipsa omnia efficiens, & regula dirigens; Verbum scilicet Patris, species ab ipso expressa, & expressiva totius sapientiæ, & potentiæ ipsius; medium, in quo relucent omnia, species, Forma, Exemplar, Verbum, Imago, Similitudo, Ars, Filius; ut tradunt Metaphysici, & Theologi, S. Bonaventura *in* 1. *sent d.* 8. *artic.* 1. *quæst.* 1. *in corp.* & *dist.* 31. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. & *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corp. & serm.* 1. *&* 3. *in Hexamer.* & alibi. Quæ Veritas (entis scilicet, & transcendentalis) verè convertitur cum Bonitate, dicitque rectitudinem, & immunitatem à peccato, seu malitia in actionibus humanis.

Veritas itáque hæc vitæ continetur in actionibus rectis, quas unusquisque in se ipso exercet convenienter rectæ rationi, & appetitui recto, parenti scilicet legibus divinis, humanisque quibus est subjectus; atque adeò veritate quadam practica. Veritas autem Doctrinæ continetur fide vera, & minimè erronea. Veritas denique Justitiæ continetur rectis actionibus, quæ exercentur erga alterum convenienter rationi rectæ, discretæque, prout verè, & absque peccato oportet, vel decet. Ex quo patet, omnes has veritates posse revocari ad veritatem vitæ; sic videlicet nominando quicquid rectè in humana vita fit, vel omittitur, & creditur; sicut latiùs deducit Adrianus *quodlib.* 1. *art.* 2. §. *Ex qua conclusione*: quem refert, & sequitur Valentia *cit. col.* 815. Sicque Veritas doctrinæ seu disciplinæ non omittitur, seu relinqui- 25

tur, nisi contra ipsam doceatur: Nam veritatem celare tantùm, seu non patefacere, aliud est, & aliquando licitum, & necessariò faciendum, ad vitandum scandalum; juxta illud *Matth.7. Nolite dare Sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* Hoc enim non est omittere veritatem, vel eam relinquere; sed actum docendæ veritatis. Sic omittere licet, & oportet correctionem fraternam, cùm ex ea probabiliter timetur perturbatio, & scandalum. Sic prudens, sapiénsque Judex, aut Prælatus quandóque præterit, differendo saltem, Justitiæ vindicativæ actum, ut punitionem peccati; quando ex ipsa probabiliter oriri potest majus malum, schismatis v.g. aut alterius spiritualis ruinæ delinquentis; ut docent D. Thomas *cit. art.7. in solutionibus argumentorum.* & alij Doctores *cit.* cum ipso. Ea nimirum ducti ratione communi apud Theologos, ex Adriano *cit. §. Ad nonum*: quòd scilicet quando videntur concurrere duo præcepta, quæ non possunt simul servari, majus est servandum, & consequenter illud solum tunc obligat, non autem alterum. Hancque ait *Adrianus* esse certissimam regulam ad judicandos in hac materia, ac in alijs, varios census. Certè autem, cum actus docendi Veritatem, & correctionis fraternæ, sint eleemosynæ quædam spirituales, debent adferre commodum spirituale, non autem perturbationem, & scandalum proximi: punitio quóque ex actu Justitiæ vindicativæ, cùm debeat esse medicinalis, atque adeò non inducere majus malum; consequens est, quòd concurrentibus hujusmodi periculis incurrendi in finem contrarium illorum actuum, illi sunt omittendi: Majus est enim præceptum charitatis de impediendo scandalo, quàm præceptum Justitiæ vindicativæ de puniendis delictis: & inter plura præcepta charitatis, inter quæ sunt illa duo, de docendis ignorantibus, & de admonendis, seu corrigendis errantibus; majus est negativum, quod obligat pro omni tempore, quale est præceptum de non scandalizando proximo, quàm affirmativum, qualia sunt prædicta duo, quæ non obligant proinde pro omni tempore, sed pro certo tantùm, cùm scilicet spectatis omnibus circumstantijs, & præcipuè fine ipsorum, possunt rectè, & cum spe obtinendi finis impleri.

26 Atque ex his iterum constat, non posse licitè unquam, minùs verò teneri Fratres Minores, vitandi scandali id petentium hæredum, vel gravatorum gratiâ, vel etiam aliorum quorumcúnque remittere, ut præfertur, eis legata prædicta, per se, vel per Syndicum. Remitterent enim, darent, vel donarent, quòd suum non est, sed Ecclesiæ, ut supponimus; actumque appropriationis exercerent; adeóque duplici peccato Sacrilegij delinquerent; contra præceptum scilicet divinum negativum de re aliena non usurpanda, quæ cum sit juris Ecclesiæ, ejus usurpatio erit Sacrilega: deindè contra Votum etiam solemne Paupertatis, præceptum utique continens negativum de nulla re sibi appropriandа; quod pariter ex Divino Jure servandum est, itaut ejus violatio sacrilegium inferat. Sicque expresè relinquerent veritatem vitæ (contra propriam scilicet voti professionem agendo) quæ nunquam, cujuscúnque avertendi scandali causâ, omittenda est, nec omitti potest; ut ex dictis manifestum est. Ratiocinare, & esto Iudex. Iam verò ex præjactis Regulis,

Colligere est *Tertiò*, Neque contra præcepta affirmativa Juris naturalis, & Divini, neque etiam contra negativa, vel affirmativa Juris humani obligantia sub mortali, licere, ad vitandum scandalum, aliquid omittere, vel facere, verè violando hujusmodi præcepta, itaut peccetur mortaliter. Dixi, *Verè violando, &c.* Nam aliud est, non exequi, aut non servare illa pro tempore, quò ob aliquam circumstantiam concurrentem non obligent. Id quod aliquando occurrere potest, & tunc licebit, immò quandóque necessarium erit, ob proximi scandalum evitandum, quippiam facere, vel omittere contra præscriptum Juris humani; quòd tamen tunc non dicetur violari, cum in tali non currenta majoris præcepti charitatis desinat obligare; ut patet ex dictis *in Corollario præcedente*. Sicque si mulier v.g. vadens die festo ad templum audiendi Sacri gratiâ præberet alicui infirmo occasionem scandali, teneretur manere domi: (modò ille labatur, vel labi periclitetur ex infirmitate; non autem ex malitia sua; tunc enim minimè ea teneretur domi manere; ut dicimus *infrà*) Siquidem in hujusmodi præceptorum servandorum concurrentia, Ecclesiasticum positivum de Sacro audiendo diebus Festis cedit, cessátque obligare, cùm præponderet præceptum alterum naturale divinum charitatis de scandalo impediendo, quod ideo tunc in primis servandum est. 27

Hic tamen observant Doctores, quòd si oporteret ejusmodi mulierem, ob tale scandalum avertendum, perpetuò, aut etiam per annum carere Sacro, illa non teneretur sic domi manere, & Sacro audiendo non privari. Id enim esset intolerabile, atque adeò minimè cum tanta difficultate, & proprio detrimento spirituali ad illud teneretur, ob implendum charitatis præceptum de scandalo evitando, attenta suavitate, quam ipsemet Christus adesse testatus est in suæ legis jugo: *Matth. cap. 11.* & ut tradidimus *suprà*. Idémque confirmatur à fortiori ex D. Thom. *cit. art.7. ad 4. & art.8. ad 3.* docente 28

docente, non teneri aliquem abstinere perpetuo à bonis spiritualibus, quæ sunt tantùm posita in consilio, (ut ab ingressu Religionis, ad breve tempus, vel etiam ad longum, diù durante periculo; ut vult *Valentia cit.*) propter vitandum proximi scandalum: quia scilicet id esset magnum detrimentum, etiamsi possit incurri sine peccato, & sine delitione alicujus legis præcipientis. Neque item teneri aliquem propter alterius scandalum abstinere omni cibo in perpetuum; quod esset propriam vitam negligere.

29 Tametsi ab aliquibus cibis abstinendum sit, v.g. à carne; juxta doctrinam Apostoli *ad Roman. cap.* 14. & 1. *ad Corinth. cap.* 8. propter infirmorum, vel ignorantium scandalum evitandum: hoc enim potest fieri sine peccato; ut explicat D. Thomas *cit. ad* 3. licèt cum aliquali incommodo corporali. Quod etiam cum ijsdem limitationibus intelligendum est in patienda jactura, vel præjudicio in bonis temporalibus nam jacturam sustinere omnium, aut penè omnium fortunarum, ob unius, aut paucorum scandalum (nisi fortè sequeretur aliqui gravissimum, & commune scandalum in fide, aut moribus alicujus integræ Communitatis) impediendum, nimis durum esset: aliqualem tamen ejusmodi bonorum jacturam pari, quando esset necessarium ad impediendum infirmorum scandalum; cadit meritò sub præcepto charitatis; ut docet D. Thomas *citat. art.* 8.

30 Ubi observa, quòd dicitur: *Quod esset necessarium*: nam si alio modo posset scandalum ipsum avertiut putà reddendo rationem ei, qui ex ignorantia scandalizandus putatur; non esset necesse ejusmodi vel modicam jacturam subire; ut alibi tradidimus cum *Sylvestro* ex *Alexandro*, & docet etiam D. ipse Thomas *cit.* cum D. Augustino *lib.* 2. *de serm. Domini in monte, cap.* 40. ad illa Domini verba: *Omni petenti da &c. Matth c.* 5. ajente: Id dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum sciri, aut credi ab homine potest: & cùm justè negaveris, quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non eum inanem dimittas. Ita omni petenti dabis; quamvis nō semper id, quod petit, dabis; sed aliquando melius aliquid dabis, cùm petentem injuste correxeris. Hæc *D. Augustinus* egregiè. Quòd si adhuc post admonitionem alter scandalizetur, jam videtur hujusmodi scandalum ex malitia (nisi fortè sit illi adeò obsæsa mente, ut redditam rationem justitiæ non capiat) esse potiùs, quàm ex ignorantia; (ut ait D. Thom. *cit. art.* 7.) propter quod neque spirituale, neque temporale ullum incommodum, seu detrimentum subeundum est; ut docuimus *suprà, in Regulis prædictis generalibus:* Ex quibus demùm.

Colligere est *Quartò*, non solùm non teneri, sed neque unquam posse quempiam ad vitandū scandalum Pharisaicum, facere vel omittere aliquid contra ullum præceptum etiam humanum: siquidem præceptum charitatis de evitando scandalo Pharisaico in tali concurrentia non obligat; unde si quis, neglecto præcepto humano, mallet curare, ne tale scandalum sequeretur, is verè violaret tale præceptum humanum, quod in tali concurrentia non cedit. Sicque omnes Doctores tradunt, debere mulierem adire ad Sacrum audiendum die festo, non obstante alterius scandalo, si illud ex malitia, & non ex infirmitate oriatur. Ac per hanc doctrinam instruuntur optimè Fratres Minores, quomodo se gerere possint, debeantque cum prædictis hæredibus, vel gravatis petentibus ab ipsis legatorum vel ex toto, vel parte remissionem; etiam quoad obligationem vitandi scandali.

Primò igitur, cùm, ut probatum est, Fratres ipsi nedum non teneantur, sed nec possunt ejusmodi remissionem facere; ideóque si eam negant, justè negent; tenentur indicare petentibus ipsam negationis justitiam, idest eosdem certiorare, & instruere de suæ ipsorum professionis conditione, & statu, ratione cujus non possunt eam licitè facere. Quia tamen, vel hoc præstito, posset adhuc oriri scandalum pusillorum, seu ignorantium non percipientium vim Minoricæ professionis, & status, nec satis capientium negationis rationem, quibus nimirum posset adhuc judicium subrepere, quòd ipsi Fratres potiùs talia fingunt ob avaritiam, nevè temporalium bonorum vel exiguam patiantur jacturam; quàm quòd reverà non possint. Quod sanè scandalum non est reputandum, tanquam Pharisaicum, & ex malitia, adeóque minimè curandum; sed erit adhuc ex infirmitate, & ignorantia procedens: Cúmque, ut docuimus *suprà* cum D. Thoma, Ecclesiæ exemplo, & Apostoli Pauli debeat quoque fieri aliqualis jactura bonorum temporalium, quando id esset necessarium ad impediendum hujusmodi scandalum: ideò 31

Secundò poterunt, debebúntque Fratres protestari hujusmodi petentibus, eísque expressè declarare, quod quantùm est ex parte sua legatam sibi eleemosynam illam habent pro non sibi legata, immò illam refutare intendunt, ità ut nunquam accessuri sint ad petendam, vel quoquomodo urgendam ejus executionem, & solutionem: cùm tamen nihil juris ad illam ipsi habeant, nec habere possint, ideò nequeunt illos securos, & absolutos in conscientia reddere, quoad obligationem erga testatorem, cujus piam voluntatem, & intentionem alio meliori modo, quo fieri potest, implere debent, erogando eandem eleemosynam, vel quantita- 32

tem

tem legatam alijs pauperibus, vel pijs Causis; ac pruindè saluti animarum suarum ipsi consulant, caventes, maximè, ne cupiditate decepti ejusmodi eleemosynam, tanquam sibi accrescentem, (ex quo à Fratribus refutata est, retineant: ea enim jam Christi res est, quippè ei in Fratribus paupercu lis dicata per irrevocabilem testatoris voluntatem; juxta illud ejusdem Christi effatum *in Evang. Matth. cap.*25. ibi: *Quandiu fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sicque Fratres hanc protestationem facientes implebunt (quod ad hoc attinet) omnem justitiam, omnibusque Charitatis officijs facient satis, & proximi videlicèt scandalum, quæ sua sunt non quærentes, avertendo; & proximū ipsum, quærentesque Jesu Christi, opportuna admonitione erudiendo.

34 Exprimant tamen Fratres, quòd per prædictam protestationem non intendunt facere cum ipsis hæredibus, vel gravatis petentibus, ut suprà pactum politicum de non petendo: siquidem hoc coïncidit cum actu remissionis, & cessionis; ac proindè æquè, ac remissio, & cessio, eorundem Fratrum professioni repugnat. Sicut enim remissio debiti, vel juris certi connumeratur inter donationes propriè dictas, & requirit insinuationem, ut valida sit, saltem quoad excessum quingentorum solidorum, prout alibi diximus *art.*1.§.10.*num.*12. ità ptorsus inter donationes propriè dictas censentur & pactum de non petendo, & cessio, & requirunt insinuationem; ut ex communi sententia docet Julius Clarus *in Pract. Civ. §.donatio qu.est.*16.*num.*2.3.*&* 4. quem refert sequitúrque Filliucius *tom.*2.*p.*2.*tract.*34.*cap.*4.*n.*87. Nisi fiant in recompensationem pro alia re, aut pro remissione, cessione, vel pacto non petendi alterius juris; ut fit in transactionibus. Tametsi in rebus Ecclesiæ incorporatis, & jam acquisitis sive per specialem acceptationem, sive ipso jure, non solùm remissio, cessio, vel pactum non petendi, & quæcunque alia alienationis species, vel etiam servitutis; sed etiam ipsa transactio, & compromissum interdicuntur: quippè hæc duo quóque sunt quædam alienationis species, ut tradit Quaranta *in sum. Bullar. v. Alienatio rerum Ecclesiæ num.* 20. cum Rebusso, Redoano, Federico, de Senis, Barbario, Francho, Rolandino, Cravetta, Abbate, Capitaquensi, & alijs. Nisi fiat transactio super Decimis præteritis; ut cum eodem *Abbate* tradit idem *Quaranta*. Quod tamen specialiter prohibitum est, in statu saltem Ecclesiastico ne à Fratribus Minoribus fiat super legatis sibi relictis, per quoscúnque Procuratores, vel Syndicos; ut vidimus *suprà*: cùm in hujusmodi legatis pensionibus præteritis, & non solutis, post biennium succedat de jure Fabrica Divi Petri de Urbe; ut ibi.

Neque nostræ officit sententiæ, quod docent 35 Federicus de Senis, Lazius, Abbas, Geminianus, Franchus, Socinus, Rebuffus, Sylvester, Armilla, Jason, Felinus, & alij, quos refert Quaranta *cit. num.*23. & Filliucius *tom.*3. *tract.* 44. *cap.*4. *num.*33. *&* 34. *vers. fit tertiò*: quatenùs universè dicunt, remissionem non esse alienationem; ex *l. alienationis*: *ff. de verbor. & rerum significat.* Intelliguntur hi omnes loqui de remissione, quatenùs significat simplicem refutationem, seu repudiationem rei, jurisvè oblati, adeóque acquisibilis, (si tamen acceptetur) ita ut ad illud acquirendum necessaria sit expressa acceptatio: non tamen transeuntis ipso jure ad Ecclesiam; ut benè explicat *Filliucius cit.* Primi generis sunt v. g. Hæreditas, aliævè res incertæ, & alio modo provenientes, & oblatæ, quæ ipso jure non sunt acquisitæ, & possunt non acquiri, & cedi. Secundi generis sunt alia, quæ ipso jure Ecclesiæ acquiruntur, ut legata; hæc enim, mortuo testatore, ipso jure fiant legatarij, & transeunt in ejus dominium, licet ab ipso nondum sint apprehensa; ut *l. hujusmodi*: *§. Stichum*: *ff. de legatis* 1. *l. à Titio*: *ff. de Furtis*; *l. Sempronius Attalus*: *ff. de usufru. leg.* Glossa in *l.*1.*§.*1. *C. de caducis tollendis*: & pluribus probat Guglielmus de Benedictis *in cap. Raynaldus*: *§. si absque liberis*: 2. *num.* 150. ac proindè à Prælatis Ecclesiarum particularium repudiari non possunt; minùs verò cedi, vel remitti in favorem alteriùs, ità ut illi justè accrescant, sine consensu Sedis Apostolicæ, ad quam intelligitur transijsse eorum dominium à morte testatoris; ut tradunt Quaranta, & Filliucius *cit.* ex *l. fin. C. de sacros. Eccles.* Ancharano, Alexandro, Lambertino, Ripa, Molina, & alijs communiter. Ubi nota, quòd ratio, propter quàm hujusmodi bona non possunt à Prælatis alienari, non sumitur ab eorum apprehensione, seu incorporatione actu secuta; sed à dominio, quod ipso jure ad Ecclesiam transijt post testatoris mortem, nec nisi ab ipsa Ecclesia repudiari potest: quapropter inconstanter locutum Quarantam *cit. n.*23. *&* 43. *vers. decimò limita*: arguit Filliuc. *cit. n.*34. quem vide.

Poterunt igitur Ecclesiarum particularium 36 Prælati cedere, vel repudiare simplici refutatione, quæ non dicit collationem juris, vel dominij, ac proindè nec alienationem importat, res primi generis; ut v. g. hæreditatem, vel oblatam pecuniæ summam, aut aliquid aliud ejusmodi; modò id rationabiliter faciant; nam si irrationabiliter graviter peccabunt, & damnum tenebuntur resarcire, licèt non incurrant pœnas *Paulinæ*: ut benè Filliucius *cit. vers. secundò fit*: cum Abbate, Francho, Sylvestro, Rebusso, & Redoano, & alijs.

Hic tamen advertendum valdè est, quòd simplex

hæc cessio, seu repudiatio non facit rem cedere alteri, eíque justè accrescere, nisi sit aut illemet dominus, qui eam offerebat, aut, si res sit à moriente, jamque defuncto oblata, ille sit à testatore substitutus ad illam habendam posito quòd ab Ecclesia repudietur, seu refutetur &c. Nisi enim ita fuerit per testatorem dispositum, relictum illud pium est, ac proindè profanis usibus non potest accrescere, sed convertendum est in alias pias Causas: adhuc enim subsistit pia ipsa Causa in genere, quæ gerit vicem hæredis, & legatarij, ut alibi latiùs ostendimus. Quare Ecclesiarum Prælati non poterunt cedere, vel remittere hujusmodi rem, Ecclesiæ, v.g. ex testamento delatam; in favorem alterius, ad quem non spectet res ipsa ex dispositione testatoris; ut diximus: jam enim cedunt, seu remittunt extraneo; cui propterea, vel remittere intendunt jus Ecclesiæ acquisitum, vel non acquisitum: si non acquisitum iniquè agunt, & furti speciem committunt, donando alteri quod suum non est, nec Ecclesiæ: si sit acquisitum, jam rem illam pro Ecclesia accep tasse perhibentur, & peccant contra *Paulinam*, aliósque Canones, alienando ad libitum suum bona Ecclesiæ: sicque utroque modo iniqua erit talis remissio: & qui rem illam sic remissam recipit, injustè retinet. Videantur *Rotæ decis. divers. decis.* 233. *num* 6. *p.* 3. *& decis.* 284. *n.* 9. Puteus *decis.* 519. *lib.* 2. Caputaquensis *decis.* 359. *p.* 9. & Filliuc. *citat num.* 35. Vide etiam Socinum, *regul. Renunciatio*: 338. ubi ille expendit, An renunciatio, seu cessio, vel refutatio simplex juris nondum acquisiti, sed de futuro, valeat? Et *in reg. Renunciare juri suo*: 339. ubi ostendit, Renunciare quibus juribus quisque possit? Et *reg.* 327. ubi, An renunciari possit Protestationi.

37 Atque ex his confirmationem optimam infero traditæ à nobis resolutionis. Nam loquendo de cessione, seu remissione legatorum Fratribus Minoribus relictorum, vel de illis loquimur, quorum impropriè dictorum ipsi capaces sunt, secundùm Regulæ puritatem, & juxta doctrinam S. Bonaventuræ à Romana Sede approbatam; vel de illis, quorum sunt capaces, secundùm concessiones, & Privilegia dispensativa: si de primis, illa profectò non acquiruntur Ecclesiæ, seu Apostolicæ Sedi pro ijsdem Fratribus specialiter se habentibus alibi docuimus; ac proindè si sint res distrahendæ, ut earum pretium in Fratrum necessitates convertatur, possunt illæ distrahi (non tamen à Fratribus sive per se, sive per interpositam personam; sed ab hæredibus, vel Executoribus testamentarijs auctoritate legantium) sine solemnitatibus requisitis in alienatione bonorum Ecclesiasticorum; ut tradunt Filliucius *cit. num.* 32. cum Rebuffo, Rolando, Hippolyto, & Francho: & Quaranta *cit. num.* 41. *vers. sextò limita*: cum Socino, & Decio; & nos tradidimus *alibi* cum Castro Palao, Sanchez, & alijs. Quinimò hanc alienationem faciendam esse, ait *Fil. linc. cit.* etiamsi legatum factum fuerit cum conditione, ne alienetur: Nam tunc (inquit) ad hæredes non recidet; (quod est benè observandum:) sed poterit, & debebit alienari, & in utilitatem Ecclesiæ legatariæ converti eo modo, quo commodiùs poterit: allegátque Gloss. *in cap.* 1. *de Relig. domib. v. Domo*: Abbatem, Felinum, Decium, D. Antoninum, Armillam, Socinum ita colligentem ex *Tridentino*, & Quarantam. In his ergo legatis Fratres, cum nullum ad illa, vel in illis jus, aut dominium habeant, nec habere possint, non possunt per se, vel per alium quempiam facere remissionem, vel cessionem in favorem hæredum, vel gravatorum petentium, ita ut his justè accrescant. Donarent enim de non suo, & contra veritatem propriæ professionis manifestè agerent; ut latiùs diximus *suprà*: Sed tantùm possunt, & ad scandalum vitandum quandoque tenebuntur, (ut in casu posito) cedere, vel remittere simplici cessione, & quantùm est ex parte sua, quod est respuere; prout nos explicuimus: per quam cessionem, vel remissionem legata ipsa non intelliguntur donari, acquirique hæredibus illis, vel gravatis; ut pariter ijsdem indicandum per Fratres in dicta protestatione, vel cessione monuimus.

Si verò sermo sit de legatis, secundùm concessiones; & privilegia dispensativa puritatis Regulæ concedentiaque posse ea à Fratribus per Syndicos nomine Ecclesiæ de Jure peti, & exigi in judicio, vel extra; jam manifestum est ea esse Ecclesiæ Sedive Apostolicæ ipso jure mortuo testatore, acquisita, ac proinde non posse sine ejusdem consensu, & decreto à Fratribus per Syndicum, minùs verò per se ipsos remitti, vel cedi in favorem alterius; ut patet ex dictis. Vel in his ergo solùm poterunt Fratres & (concurrente obligatione vitandi pusillorum scandali) tenebuntur facere simplicem cessionem, seu remissionem, quæ repudiatio, vel refutatio est, ut dictum est. At neque hoc forte poterunt, propter doctrinam traditam mox *suprà n.* 36. cum ipso iure sint acquisita Ecclesiæ, prout hîc quoque repetitum est. Sanè autem, supposita acceptatione privilegiorum dictorum, id minime possunt, quoad legata formaliter sumpta, hoc est quoad jura, titulosvé legati: quidquid sit quoad legata materialiter accepta, id est quoad res, pensionesvé legatas. Id quod ipse facile concesserim, immò & necessarium duxerim, quando superfluitatem v.g. inferrent. Sicque firmissima manet sententia nostra: secundùm quam etiam possunt intelligi *Politius*, & *alij*, ubi volunt Fratres teneri ad faciendum actum 38

12 *Heres, si verè pauper est, neque ejus paupertas erat nota testatori tempore testamenti, in quo gravatur de eleemosynis distribuendis, potest illas accipere eo modo quo cæteris egenis ministrat.* & num. 18.

Cajetani doctrina adducitur & explicatur. ibid.

Religiosi, quibus eleemosyna committuntur pauperibus eroganda, non possunt se inter pauperes computare, ut ex illis accipiant. ibid.

13 *Heres gravatus legatis piis debet adhibere consilium vel Parochi, vel Confessarij, ut sibi applicare possit tanquam pauperi.*

Sanchez dicens tale consilium Parochi vel Confessarij non esse necessarium reprobatur. num. 14.

Authoris sententia requirentis tale consilium pluribus rationibus fulcitur. ibid.

16 *Hospitale, vel Monasterium, si instituatur hæres sub onere præstandi singulis annis certam eleemosynam gratuitam, vel onerosam, Minoribus; possit illam sibi ratione paupertatis retinere.* & num. seqq.

17 *Legatum, cujus Minores capaces sunt, eisdem præstari debet, nisi refutetur seu respuatur.*

Eleemosyna non est, unum Altare tegere, & alterum denudare.

18 *Legatum Minoribus relictum; si ab ipsis respuatur, debet erogari alijs pauperibus, excluso Hospitali, vel Monasterio, cui tale onus fuit commissum, in præsumpta mente testatoris.*

Nisi Hospitale, vel Monasterium esset substitutum in tali legato. ibid.

Vel nisi supervenisset gravis necessitas Hospitali, vel Monasterio gravato, non nota Testatori. ibid

Episcopus potest commutare pias ultimas voluntates ex justa causa. ibid.

19 *Hospitale gravatum de eroganda eleemosyna pauperibus simpliciter, potest sibi illam applicare si illa indigeat.*

Hospitale gravatum onere Missarum celebrandarum, tenetur illud implere & integram eleemosynam præstare. ibid.

Monasterium similiter gravatum, integram potest eleemosynam sibi implenti onus retinere. ibid.

1 PRo responsione advertendum in primis est, an legata illa sint merè lucrativa, idest gratis, & absque ullo onere à Testatoribus relicta; an verò onerosa, idest cum onere Missarum, Officiorum, vel hujusmodi suffragiorum.

2 Si onerosa fuerint, est sententia eorum etiam, qui putant, (falsò tamen, ut alibi ostensum est) legata annua quæcunque Fratribus Minoribus relicta, esse caduca, & prò non scriptis haberi, ac proinde hæredibus, vel gravatis cedere, & accrescere; teneri nihilominùs hujusmodi hæredes, vel gravatos facere ea Sacra celebrari, ad quæ testator intendebat præfatos Fratres obligare: itaut possit etiam piè declarari, quòd si quid de quantitate legata pro tali onere superesset, soluto justo stipendio celebrantibus præfatas Missas, illud impenderetur Monasterijs pauperibus, secundùm electionem eorundem hæredum, vel gravatorum: tùm quia testator videtur voluisse, nullam illius eleemosynæ legatæ partem apud hæredes, vel gravatos ipsos remanere: tùm quia ipsis hæredibus aperiretur via, per quam possent justè id erogare præfatis Fratribus Minoribus quando necessitas eorum præterita, vel præsens illud premeret. Hæcque est sententia Navarri *Consil. lib. 3. in tit. de Testamentis, cons. 14. in prima editione*; & *in secunda cons. 8. à num. 9. usque in finem*: quem cum Menochio *cons.* 1014. *num.* 4. *vol.* 11. sequitur Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 25. n.* 50. & 51. hisce se verbis exprimens, (post assertam nullitatem hujusmodi legatorum, itaut nec eorum æstimatio Fratribus debeatur: *n.* 49. quod & Navarrus *cit.* asserit *num.* 8.) nimirum: Monuerim tamen Hospitale, aut hæredem, cui id legati onus relictum est, ut Fratres Minores ea Sacra facerent, teneri facere ea Sacra celebrari, &, si fieri potest, in Ecclesijs, & Altaribus à Testatore designatis. Constat ex *l.* 1. §. *pro secundo: C. de caducis tollendis*; ubi deciditur, legatum caducum pertinere ad hæredem; at hunc teneri implere onus licitum ei adjunctum: Nec enim ferendus est commodum admittens, & onus illi impositum reijciens. At non tenetur facere ea fieri per Fratres Minores; quòd ea obligatio fuerit nulla; sed potest sua voluntate mera committere Minoribus ea facienda, sicut posset committere cuicúnque Sacerdoti; ut decidit Generale Minorum Capitulum allegatum *num. præcedente*. Possetque Pontifex dispensare, ut hoc legatum daretur Minoribus. Quæ omnia docent *Navarrus cit. Menochius & alij*. Addit autem Navarrus *in fine illius consilij*, si quid ex ea eleemosyna superetit, soluto Missarum stipendio, esse piè interpretandum, ut detur alijs Monasterijs pauperibus. Quia videtur Testator voluisse, nullam illius eleemosynæ partem remanere hæredi: sed benè ait *Navarrus*, eam esse piam interpretationem; nam verè ad id non tenetur hæres, sed potest sibi retinere. Quia, quando legatum est caducum, & irritum non est necessariò in alium usum convertendum, sed cedit hæredi: at *n.* 48. probavimus id legatum esse caducum & irritum. Quare cum sola oneris implendi obligatio hæredi maneat, quicquid ex legato

impleto onere,ſuperfuerit,cedit ipſi.Hæc Sanchez,cui tamen ipſe in illo uno aſſentior,quod ait,monens, hæredem teneri ea Sacra celebrari facere. Cum de cætero nec legatum ſit reputandum pro non ſcripto, & caducum, utpotè factum contemplatione animæ,adeóque pium; cui nulla omninò lex reſiſtit,illud irritans. ſed tantùm nulla aſſiſtit,tribuendo actionem in foro cauſſarum, ob Fratrum mendicitatem; qui proindè illius ſunt capaces, quatenùs ſubſiſtit ſub fomento Juris naturalis, cui per Mendicitatis votum non abrenunciarunt; ſecluſo Jure civili,& per modum eleemoſynæ gratis ſibi,vel etiam cum aliquo onere à moriente miſſæ, atque ab hærede fideli ex ſola obligatione conſcientiæ delatæ, & præſtitæ; ut conſtat ex dictis,& ex doctrina S.Bonaventuræ.

3 Neque ob id aliquid obſtat, cur iiſdem in primis Fratribus præſtari debeat,ſi illud ſic, & cum tali onere accipere velint, citra politicam ſcilicet conventionem. Quòd ſi illud refutent, ut præfertur, adhuc integrum cum ſuo onere legatum ipſum offerendum eſt aliis Religioſis, ne ullatenùs pia teſtatoris intentio fraudetur, qui eam hæreditatis portionem pro bono animæ ſuæ delibavit, & quotannis ob Dei amorẽ, & honorem Fratribus pauperculis prçſtandam reſervavit, ac mandavit. Non igitur ſufficiet, (refutantibus Fratribus, ut præfertur) facere Sacra illa celebrari,vel aliud quodcúnque onus impleri, ita ut, ſoluta celebranti, vel implenti ſtatutâ,per legem,vel per conventionem,ſtipe, ſi quid ſuperfuerit, id ſibi hæres retineat;ut vult Sanchez Navarri piam interpretationem,quam ſaltem ſuadere debuiſſet hæredi, excludens.

4 Proh dolor!heu pietas!heu jugulatas doctrinis hujuſmodi pias voluntates Morientium! Si enim dilationis executionis eleemoſynarum à Morientibus relictarum præiudicat animabus ipſorum purgatorio igne cruciatis; (ut tradit D. Thomas *in quodlib 6. art.* 13. & cum ipſo Sylveſter *in ſum.v.Teſtamentum,n.9.*) & ſi non quoad meritum,vel quia puniantur ob hujuſmodi tardationem,maximè ſi quantùm in ipſis fuit,cauſam,ſeu curam adhibuerunt, ut eorum eleemoſynæ citiùs darentur;ſed quoad effectũ eleemoſynarum ipſarum, qui eſt remedium expiationis pœnæ,& ſuffragium, undè ſublevarentur:ſuffragia etenim (ut benè loquitur S. Bonaventura *in 4.ſent.diſt.45.art.2.q.1. ad* 3.) non auferunt à pœna, nec liberant, niſi dum fiunt:undè tam hæredes,quàm Executores ex tali dilatione præcipuè magna,(etiãſi ſub prætextu meliùs vendendi res defuncti, ut major fiat eleemoſyna,niſi illud augmentum eleemoſynæ ſit valdè magnum, & tempus tardationis valdè parvum) moraliter peccant;quia injuſte inferunt defuncto damnum notabile,ſi non faciunt quantum in ſe eſt;nec excuſantur hæredes,quia commodè non poſſunt; neque Executores, etiamſi non poſſint; cùm debeant de hoc monere Epiſcopum,qui cogere poteſt.Sicque hujuſmodi hæredes,vel Executores meritò dicuntur gentium necatores, & ab Eccleſia abijciẽdi,13.*q.2.c. Qui:& duobus ſeqq.*& ſic ſunt excommunicandi, & conſequenter mortaliter peccant,ſecundùm Archidiaconum poſt Joan. de Neap.ut ait Sylv.*cit.in fin.*Immò hçc dilatio ultra biennium, ſi ſit eleemoſynarum gratuitarum Eccleſiis,vel locis piis debitarum; ſi verò ſit oneris Miſſarum,aut Anniverſariorum,ultra annum duntaxat; eſt crimen Epiſcopo in aliquibus Diœceſibus reſervatum; ut mihi conſtat ex *Tabella Caſuum reſervatorum Novocomenſis Epiſcopi Lazari Caraffini,caſu* 8.Si inquã ejuſmodi tardatio, ſeu dilatio animabus Teſtatorum præjudicat,quantò magis præjudicabit earundem eleemoſynarum detractio,ſeu diminutio,vel etiam in totum fraudatio,quam hæredibus tutiſſimâ conſcientiâ admittunt opiniones *alibi* refutatæ? Videatur Bonac.*t.mihi* 2. ubi *de contractibus,diſp.*3.*q.*17.*pu.*8.§.6.*n* 4.ubi ex Rodriquez 1.*p.c.*133.*num.*8. Petro Navarro *lib.*3.*c.*4.*num.*169.Sylveſtro *v.Teſtamentum,q.9.* Emmanuel Sà *v.Hæreditas,n.*38.& *v.Teſtamentum n.*45.& *v.legatum,n.*22. Covarruvia *in c. Si hæredes: de Teſtamentis: n.*5. Naldo *v.legatum n.*18.& aliis;oſtendit, quomodo patiantur animæ defunctorum ob dilationem ſolutionis legatorum piorum,& quàm graviter peccent, ac reprehendẽdi ſint Executores,vel hæredes negligentes.De hoc item caſu reſervato etiam in Diœceſi Mediolanenſi (ſi nimirũ dilatio protrahatur ultra biennium) diſertè agit Oliuerius Mazuchellus *in tractatu de Caſibus reſervatis in Diœceſi Mediolanenſi,diſp.*2.*c.*20. cum Lupo, Bellochio,Graffio,& aliis;ubi etiam *n.*71.*&* 72. de commutatione agit eorundem legatorum,à quibus ſcilicet fieri ea poſſit; & tandem concludit,oſtendendo gravitatem hujuſmodi peccati, & quomodo defunctorum animæ ex tali dilatione detrimentum ſentiant:quod & confirmat exemplo ſumpto ex B. Turpinio *in ſua Hiſtoria expeditionis Hiſpanicæ, cap.*7. de quodam milite:prout *ibi.*

Tenentur igitur in conſcientia hæredes, vel gravati (quicquid minùs probè, ac pie minùs dixerint aliqui) morientiũ hujuſmodi eleemoſynas Fratribus Minoribus relictas, quantúlibet ab his ob quamcunque cauſam, ſive ſcil.ob propriam omnimodam incapacitatem ex modo legandi dijudicandam, ſive ob ſuperfluitatem vitandam,ſive ob ſcandalum proximorũ avertendum ſimplici ceſſione,(qua ab illis per omnẽ modũ & ab earũ receptione abſtinere ſe velle proteſtãtur,refutatas,ut præfertur tenentur,inquã erogare integras in alios pauperes, vel in alias pias Cauſas pro ſuffragio Teſtatorum;ſive 5

lucrati

lucrativæ merè illæ sint, seu gratuitæ, sive onerosæ. Vide, quæ dicuntur *infrà, artic. tertio, §. sexto*, ad hominem contra *Sanchez* in hoc proposito: & *casu primo paragrapho quinto numer. decimo, & undecimo.* Atque hæc pauca hic dicta sint obiter in gratiam purgantium animarum tota die clamantium: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*: quas rogo mihi apud Deum propitias. Quod si cum onere Missarum, vel aliorum suffragiorum sint, ipsique hæredes, vel gravati paupertate verè pressi non habeant undè satisfacere possint, vel in toto, vel ex parte, ut in præsenti quærimus.

7 Dico, teneri eos omnino recurrere, pro suarum securitate conscientiarum ad Apostolicam Sedem, ei exponendo rei veritatem syncerè, & sicuti se habet; quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedite arbitrabitur, per reductionem, aut moderationem, vel commutationem talis oneris, vel etiam per totalem absolutionem ab eo, si ita exigat gravati necessitas, concedendo ei legata illa stipendia titulo, & cum vi eleemosynæ pro anima Testatoris, à quo fuerunt relicta; Papâ rationabiliter commutante voluntatem illius: nam Pontifex in obligationibus ultimarum voluntatum, ac in pijs Causis, sicut & in restitutione bonorum, quæ sunt incerta, facultatem habet dispensandi, necessitate exigente. Ità ergò, eis agendum est, quoad legata onerosa, ut præfertur; juxta *Decretum de celebratione Missarum, Sac. Congregat. Concil. Tridentini Urbani Papæ VIII. auctoritate editum anno* 1625. quòd habetur *in tom.* 4. *Bullar. inter constitutiones ejusdem Urbani, num.*43. de quo Lezana *tom. primo sum. cap. vigesimoprimo numero quinto, & sexto,* Gavantus *in Thesaur. tom. primo, p. tertia titul. duodecimo, numero quadragesimotertio,* Diana *tract.*14. *de celeb. Miss. resol. sexta*, & alij. Vide etiam Reginaldum *in praxi fori, pænitentialis tom.*2. *lib.* 23. *num.*239. Jam enim ea facultas per dictum Decretum dempta est Episcopis, etiam in Diœcesana Synodo, nedum Generalibus Religionum in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo; quæ antea ijsdem competebat, juxta Decretum Concil. Tridentini *sess.*25. *de Reformat. cap.*4. Nisi de novo habeant Episcopi, & Generales prædicti privilegium à Sede Apostolica reducendi in suis respectivè Diœcesibus, & Religionibus onera Missarum. Quo casu poterunt prædicti hæredes, vel gravati sufficientem habere recursum ad suos Episcopos, qui non solùm onera Missarum, sed aliorum etiam suffragiorum, ut Anniversariorum, Officiorum &c. reducere, moderari, commutaréque poterunt, sicut Pontifex. Ità Quaranta *in sum. Bullar. v. Missa, v. Posse Episcopum*: ex responso Sac. Congreg. Decretorum Concil. Trid. Cardinalium Interpretum ad Archiepiscopum Neapolitanum *sub die* 26. *Novembris* 1583. Lezana etiam *tom.*4. *sum. v. Missa, n.* 32. cum Barbosâ *de offic. & potest. Episc. allegat.*29. *n.*4. Diana *p.*6. *tr.*6. *resol.*5. Garzia, Piaccio, Quaranta, Galero, Riccio, & alijs. Vide dicta *hic infrà, n.*18. *in fine.*

Jam verò, si eleemosynæ prædictæ legatæ merè lucrativæ fuerint, & gratuitæ, hæredesque vel gravati, aut alij Executores testamentarij obligati in conscientia, ut dictum, & probatum est *suprà*, ad illa pro anima Testatoris, inter pauperes, & pia opera erogandas, sint verè pauperes, videndum est, an possint hi semetipsis tanquam pauperibus applicare; atque hac intentione retinendi eas sibi, tanquam eleemosynas, suis satis conscientijs facere: vel etiam, an possint, si non sibimetipsis, suis saltem filijs; aut consanguineis familiaribus, v.g. Patri, vel Matri, vel uxori? Qua in re. 8

Est opinio Calderini, Baldi, Odofredi, Alberici, Fulgosij, Salyceti, Pauli, Celsi, Floriani à S. Petro, Abbatis, Cardinalis, Imolæ, Bonifacij, Ancharani, Zachariæ, Parisij, Joannis Lupi, Jacobi de Arena, Capræ, Rosellæ, Angeli, Sylvestri, Peraltæ, Sarmienti, Manticæ, Mexjæ, Azebedo, Spino, Felini, Hippolyti, Padillæ, & Horoscij, quos latè allegat Sanchez *lib.*6. *in Decal. c.*11. *n.*50. dicentium, quòd jussus, seu obligatus bona aliqua inter pauperes distribuere, non potest sibi aliquid applicare. Limitant tamen; Alij scilicet, nisi extrema necessitate laboret, in qua aliena furari sibi integrum esset: Alij, nisi sit in necessitate evidenti: Alij, nisi maximè egens sit: Alij, nisi satis cognita, & dura ipsiusmet paupertas sit. Unus autem *Mantica* sine limitatione ait, id esse expeditum. Ferè tamen omnes alio etiam modo temperant hanc sententiam, ut scilicet eam procedere velint de Executore solo, non de eo, qui alios habet Coexecutores, à quibus ipse pauper existens potest eligi ad eleemosynam illam capiendam. Sic Abbas, Sylvester, Albericus, Cardinalis, Ancharanus, Imola, Bonifacius, Manuel, & alij, quos allegat Sanchez *cit. n.*53. Et consentit Filliucius *infrà cit.* 9

Quod verò attinet ad filios eligendos: diversimode item sentiunt Doctores. Quidam enim, quos refert Sanch. *cit. n.*51. dicunt, nequaquam posse ab hujusmodi obligato eligi filios suos, nisi extreme patientes; quemadmodum potest se quóque ipsum eligere: filius enim reputatur eadem persona cum patre. Nonnulli tamen negativam hanc sententiam temperant alio modo; ut nimirum intelligatur, quando pater habet in illis bonis usumfructum, & illum retineat. Unde, si illum renunciet filijs, tunc non habebit locum illa sententia; ut ait *Baldus*: quia tunc nihil acquiritur patri. Alij eandem sententiam temperant, addendo, ni- 10

si filius, vel filij sint extra patriam potestatem. Alij tandem absolutè asserunt, quòd si filij sint verè pauperes, & egentes, poterit pater, Executor illos eligere, eisque applicare, seu distribuere dictas eleemosynas. Atque idem affirmant, si filius sit Executor, & pater ejus verè pauper, & egens.

11 Quoad alios denique consanguineos; alij concedunt eos posse eligi, si testator expressè rit, quòd hæres, vel Executor possit distribuere, quibus volet. Alij idem affirmant si consanguinei sint valdè conjuncti. Alij, si sint verè pauperes, quicúnque illi sint. Hósque latè allegat respectivè omnes, pro suis quosque sententijs, Sanchez *cit at num.* 52. Hisce præmissis, & non obstantibus.

12 Dico, prædictos hæredes, vel gravatos, aliosvè Executores, si verè pauperes sint, & præsertim si in pauperem inciderint post mortem Testatoris ità illos gravantis, vel jubentis, cùm ei scilicet ipsorum pauperies nec erat, nec poterat esse cognita, adeóque nec supponi, vel præsumi exclusa à tali suffragio: posse tutâ conscientiâ sibimetipsis, sicut alijs, pauperibus, illas eleemosynas, vel ex parte, vel ex toto, si opus fuerit, applicare; adhibito tamen Parochii vel Confessarij consilio. Sicque solutos eos omninò remanere ab obligatione erogandi alijs. Hanc sententiam tradit, cum cautionibus positis, Rodericus *tom.* 1 *sum.* 2. *edit. cap.* 199. *n. ultimo, & tom.* 3. *qq. Regul. quæst.* 70. *art.* 4. est etiam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 9. *ad* 3. & Caietani *ibi*: ajente D. Thoma, Propriè loquendo, nullus sibi eleemosynam facit, nisi fortè ex persona alterius; putà, cùm quis distributor ponitur eleemosynarum, potest & ipse sibi accipere, si indigeat, eo tenore, quo & alijs ministrat. Caietano autem rem egregiè elucidante & dignam observatione doctrinam tradente, occasione objectionis, quam solvit, hisce verbis: Dubium occurrit ab objicientibus contra hoc, ex eo, quod in jure Civili dicitur: Quòd si dedero tibi centum, ut cui volueris dares; si consumpseris, mandati teneris. Ex hoc enim apparet, quòd oportet ipsum dare alteri, ut maudatum expleat. Ad hoc dicitur, quòd verba illa sunt intelligenda formaliter, si scilicet ille distributor, non ut distributor constitutus à principali, applicaret sibi ipsi pauperi, vel alteri; sed absolutè consumpsisset. Si enim ut distributor paupertatis propriæ intuitu fecit jam mandatum implevit, dando, cui voluit, ratione duce, quæ ipsum non deterioris conditionis esse dictat ex hoc, quòd est distributor, quàm si non esset. Stat ergò solida literæ doctrina, quòd distributor liberè institutus (aut aliundè liber existens; ut in casu nostro) potest seipsum inter pauperes computare, si est, & absque fraude tantum sibi distribuit, sicut sibi similibus distribuit. Debet enim se, ut extraneum computare, & in persona donantis distribuere, Hæc *Caietanus*; cum quo eandem in proposito resolutionem tradit Filliucius *tom.* 2. *p.* 1. *tract.* 28. *cap.* 4. *n.* 197. monens tamen quòd Religiosi, quibus id à pœnitentibus, vel ab alio quopiam committeretur, cavere debent, ne sibi tàm in communi, quàm in particulari applicent; tùm quia hoc ipso videtur intentio dantium esse, ut alijs pauperibus distribuantur eleemosynæ traditæ, vel creditæ, ut pauperibus dentur, ipsis mediantibus; tùm quia non decet ipsos, nec convenit bonæ ipsorum æstimationi.

Ex quibus colligo rationem efficacissimam pro cautione illa à me posita illis verbis: *Adhibito tamen Parochi, vel Confessarij consilio.* Valdè enim cavere debent hæredes, vel gravati, aut executores prædicti, ne culpâ suâ in pauperiem inciderint, seu in impossibilitatem erogandi eleemosynam illam, consumendo nimirum, & dilapidando bona testatoris, ex quibus quantitatem eleemosynæ erogandæ commodè percipere consueverant; vel etiam consumendo, & dissipando quantitatem certam à testatore relictam ad illum finem. Nam si ità sit, non excusantur à culpa; & mandati tenentur; ut dicitur ex *jure* in objectione illa apud *Caietanum*, quam illemet in tali sensu admittit: Debent etiam diversimodè se habere in intentione sua, & diversâ fungi personâ, ut salvetur distinctio personarum dantis, & accipientis; ità ut, qua recipientes, se extraneos reputent; qua verò dantes, se habere intendant, ut, & in persona testatoris, qui eam eleemosynam censetur largiri; ut ex *l. unum ex familia: paragrapho de Falcidia: ff. de legatis* 2. tradit Sanchez *cit. num.* 54. Præterquàm quòd, ut benè loquitur idem *Caietanus*, debent cavere, ut id fiat sine fraude, quam proprij sensus oculus cupiditatis caligine plerumque obtenebratus non ità benè discernit, nisi alieni adjuvetur perspicilio consilij. Ergò meritò adhibendum diximus in hac praxi Parochi, vel Confessarij consilium, ut rectum fiat judicium, quod sanè difficilius est, quàm arbitretur Sanchez, *cit. num.* 55. ubi reprobat Rodericum, Confessoris consilium in hac praxi exigentem. Immò haud absque ratione videri posset, requiri consilium Episcopi, juxta ea, quæ *hic infra* dicimus *num.* 18. Favet Navarrus *in tract. de redit. Eccles. q.* 1. *moni.* 52. *n.* 4. *& q.* 3. *moni.* 25. *n.* 3. *in Propugnaculo Apologia ejusdem tract. de reditib. Eccles. num.* 12. ubi seipsum citans etiam *in materiali cap.* 25. *num.* 123. docet pauperem, qui tenetur restituere pauperibus, posse sibi, tanquam uni ex eis, aliquid retinere, præsertim in foro conscientiæ, saltem de consilio Confessarij, vel Episcopi; ut Ancharan. *cons.* 84. dixit Abbatissam executricem ad distribuendum

dum pauperibus, etiam in foro exteriori, posse deligere suum Monasterium paupertate laborans, quamvis effectu sit eligere se ipsam: *arg. cap. Nullam: 18. quæst. 2.* & Calderinus *conf.* 39. posse parentem deligere filios pauperes, quamvis reputentur idem, quod Pater: *l. fin. C. de impuber.* Ita Navarrus, referens etiam Doctrinam suprà allatam *num. præced.* ex D. Thom. & Caietano.

14 Quare in hac parte ipse potiùs Sanchez reprobari meretur; cùm ejus ratio reprobandi Roderici dictum, non sit sufficiens. Ait enim: Addit autem Manuel *eodem capit.* 199. *num. ult.* Si magna executoris paupertas peteret, ut partem illius eleemosynæ sibi applicaret, id cum consilio Confessoris faciendum. Sed hoc non approbo; quia si ea paupertas nota erat Testatori, censetur executor exclusus ab ea eleemusyna participanda; & ideò neque ipse solus, neque cum consilio Confessoris potest sibi aliquid applicare: si autem erat ignota, nullo indiget consilio applicatio illa. Ita ille: qui tamen minimè mihi in hoc probatur; eò vel maximè, quòd ipse etiam aliam subjungit sublimitatiunem, inquiens: Sed hanc limitationem sublimitarem, Nisi notabiliter major paupertas supervenerit executori, quàm ea, quæ tempore testamenti erat testatori nota: tunc enim non censebitur exclusus, quin posset partem sibi illius eleemosynæ applicare: quod quidem satis probat doctrina allata ex Anchar. *eo conf.* 84. *à num.* 3. in eo scilicet casu, quo testator reliquit aliquod legatum Monasterio, & reliqua sui bona inter pauperes distribuenda; & quæritur, an ex præsumptione specialis legati relicti censeatur ita exclusum Monasterium, ut ex reliquis bonis nihil ipsi per Abbatissam illius testamenti executricem relictam applicari valeat. Et respondet *Ancharanus*, in eo casu posse, quando supervenit magna paupertas Monasterio illi. Hæc iterum *Sanchez*; quem quidem in hac cum *Ancharano* sublimitatione (tametsi hæc à *Navarro*, nullibi referatur, aut ex se addatur) approbo; ac in præcedente Roderici reprobatione, nequaquam. An non enim consilio indiget applicatio illa in dijudicando, an verè executor ille pauper sit, nec ne? Num culpâ suâ in pauperiem inciderit, seu impossibilitatem erogandi eleemosynam illam, dissipando testatoris bona, pro illa commodè habenda, designata, & relicta? (Et huc spectat doctrina de culpa depositarij aliquid recipientis pro custodia depositi: qua de re Abbas *in cap. Bona fides: num.* 1. 2. & 3. qui etiam docet, quòd in legato res deponitur in favorem legatarij tantùm: *in cap. cum dilecti, num.* 4. *de donationibus*:) An paupertas ipsa cognita fuerit Testatori, nec ne? Et, posito, quòd ei perspecta fuerit; an notabiliter major evaserit post illius mortem, nec ne? nam, si ita sit, poterit sibi applicare partem aliquam; secùs autem, non; ut ait ipsemet *Sanchez*. An consilio indiget applicatio illa in definiendo, num paupertas ipsa sive testatori cognita, (post mortem autem ejus notabiliter major facta) sive ignota, exigat totam illam eleemosynam ab illo Executore sibi applicari, an verò aliquâ ejus' tantùm parte ab eo sibi retentâ contenta esse possit, ne videlicet alij pauperes, simúlque pia Testatoris intentio fraudentur? An non enim consilio indiget applicatio illa in expendendis utrinque rationibus prædictorum omnium dijudicandorum? Adeóne purgatæ mentis oculo ab omni proprij emulumenti affectus caligine censebitur executor ille, vel gravatus, quin, si solus judicet, naturæ instinctu in sui favorem propendeat? Esto, quòd perpensis utrinque rationibus, si adhuc dubium esset, an paupertas executoris esset nota testanti, non sit excludendus (ut vult Sanchez *cit. num.* 56.) à potestate illius eleemosynæ sibi applicandæ; quia stat possessiu pro regula generali, ut possit scilicet applicare, quando non constat de conjectura contrariæ voluntatis, ex paupertate Executoris sibi cognita. Esto, inquam, hoc: at nihilominùs cunsilium sanè requiritur prudentis Parochi, vel Confessoris, ad ritè resolvendum, an dubia res verè sit, perpensis, ut præfertur hinc indè rationibus; an verò magis cogat conjectura in contrarium. An non denique consilio indiget applicatio illa, quo nimirum (cùm ea facienda est) Executor ipse instruatur, qua intentionis forma se habere debeat, ne dum dispensatorem se putat, usurpator evadat, & dissipator fiat in Dei judicio? Non igitur probari mihi potest in hac parte Sanchez tàm liberam facultatem tribuens Executori prædicto. Stet ergò nostra, eáque sanissima *Roderici* sententia (quæ est etiam *Navarri* ut patet ex ipsius verbis relatis, *num. præcedente*) requiri in hujusmodi applicatione Parochi, vel Confessoris Consilium; ne dixerim Episcopi, vel Romani Pontificis; quod equidem necesse esset dicere, ubi mutatio voluntatis testatoris fieri præsumeretur (sicuti absque dubio fit in casu nostro) quæ etiam sine causa soli competit Papæ circa pia legata: cùm verò causa subest, etiam Episcopis: ut cum Angelo, Sylvestro, Tabiena, Armilla, Petro Perusino, Antonio, Buttio, Ludovico Romano, & communi Theologorū sententia tradit Comitolus *lib.* 7. *respons. mor. q.* 9. & juxta Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 8. *in decreto de reformatione.* Denique, quod, qui ad dādum aliquid pauperibus tenetur, tunc tantùm queat illud sibi, quoad forum conscientiæ, accipere, vel retinere, tanquā unus ex eis, cùm verè talis est, & consilium Confessarij super hoc ei suffragatur: tradit

Navarrus *in Comment. de oratione, & Horis Canon. cap. 7. num.* 34. ubi non semel se consolatum fuisse ait aliquos Clericos Scholares pauperes, qui ob non solutum pensum Horarum Canonicatum fructus Beneficiorum amiserant; dicendo eis scilicet, quod cum fructus illi essent distribuendi pauperibus, ipsi satisfacerent, si verè pauperes essent, capiendo, seu retinendo, saltem de consilio Confessarij, eos sibi, tanquam pauperibus. Nunquam igitur secùs ipse consulerem, quàm ut supra tenui cum Roderico.

15 In reliquis tamen traditam à nobis sententiam cum D. Thoma, Caietano, & Roderico, affirmat, egregiéque ab objectis vindicat idemmet Sanchez *cit. n.* 54. eam appellans probabiliorem, communem, & verissimam; allegánsque non solùm D. Thomam, Caietanum, & Rodericum, sed etiam Aragonium, Marianum, Socinum, Antonium Rosellium, Joannem Dilectum Tabienam, Armillam, Navarrum, Ledesmam, Menochium, Seguram, Anglem, Toledum, Ludovicum, Lopez, Vegam, & Antonium Gomesium. Quare apud ipsum plura vide, si cupis, pro asserta resolutione, *cit n.* 54.

16 Ex his colligi potest alterius resolutio quæsiti: An scilicèt, si (quod plerúmque contingit) Monasterio alicui, Collegio, vel Domui Religiosorum, aut Xenodochio, seu Hospitali ab aliquo Testatore committatur onus, vel officium præstandi quotannis certam eleemosynam sive merè gratuitam, sive onerosam, Fratribus Minoribus: possit tutâ consciewtia Rector, Procurator, seu œconomus talis Monasterij, Collegij, Domus, vel Hospitalis retinere illam eleemosynam, vel partem ejus, applicando eam Monasterio, Collegio, Domui, vel Hospitali ipsi, ratione paupertatis ejus. Patet enim, quòd non.

17 Primò quidem; quia nisi à Fratribus ipsis eleemosyna illa expressè refutetur simplici remissione, seu respuitione, ut *suprà* explicatum est *§. præcedente*, ijsdem signanter ex obligatione tantùm naturali, & in foro conscientiæ, non autem civili, destituto videlicet hujusmodi legato suffragio juris Civilis, ob Fratrum professionem, non autem fomento juris naturalis veram in foro conscientiæ obligationem parientis, ijsdem, inquam signanter debetur; & illi sic præstitam accipere licitè possunt, sarta tecta professione, sua, si velint cum moderaminibus requisitis, ut abundè probatum est *in superioribus*. Altare autem unum non debet discooperiri, ut aliud cooperiatur; prout vulgatum est apud Jutistas, Bartolum, Baldum, & alios: & proverbium sumendum proponit Gloss. *in authent. Quomodo oporteat Episcopos, & Clericos: §. sed neque effusas: ad v. Hac pia*. Non est eleemosyna, unum Altare tegere, & alterum detegere: Andreas ab Exea *in cap. cum omnes: num.* 1 *de constitut. ex cap. cum causam: de prab.* & ex *assiduis C. qui potiores in pignore:* ubi Bartol. *in col. in versic. Not. ex §. exceptis:* & ex *l. si finiti. §. deinde: vers. sive autem: ff. de damno infecto:* etiam argumento in *l. si autem. §. fin. ff. de aqu pluvia arcen.* & tradit Baldus *in l. fin. § sed & quis: in 3. col. in v. Not. quod non debet: C. communia de legatis:* & in *Auth. nisi: in 2. col. in princip. super text. in vers. Alimenta: C. ad Trebellianum.*

Secundò; quia licet à Fratribus refutetur, 18 ut suprà, ob quamcúnque causam, adhuc tenentur Rectores prædicti (cùm Monasterio non cedat, sicut nec cederet hæredibus, nisi in casu substitutionis; ut alibi ostensum est) eam alijs pauperibus in communi, vel pijs Caufis, erogare, juxta voluntatem Testatoris, de qua evidens habetur præsumptio, constatque conjectura, quòd ea fuerit, Ne tale Monasterium, Collegium, Domus, vel Hospitale ejusmodi eleemosynæ particeps esset; cùm ejusdem paupertas optimè fuerit Testatori ipsi comperta, & tamen in ejus favorem non disposuerit. Quare nullo modo crediderim, talem eleemosynam à Fratribus, ut præfertur, refutatam posse illi Monasterio, Collegio, vel Domui Religiosorum, applicari, saltem sine consilio Episcopi, ad quem spectat in hisce casibus, disponere, commutando usum legati à Testatore relicti in alium; quemadmodum etiam ad eundem spectat dispensare, & applicare incerta; ut habetur *in cap. sancimus: & in cap. concesso:* 12. *quæst.* 2. Habet enim in hoc casu locum (ut optimè concedit Sanchez *cit. num.* 59.) limitatio Doctrinæ, seu resolutionis præcedentis quæsiti: fuisse scilicet cognitam paupertatem Monasterij, Collegij, vel Domus hujusmodi Religiosorum Testatori, & tamen talem ei executionem commisisse; vel nihil illi legando, si nil legaverit ei; vel, si quid legaverit, illud in tali portione rationabiliter gravando, & non substituendo: Nisi fortè post mortem testatoris notabiliter major paupertas, vel indigentia supervenirct prædicto Monasterio, Collegio, vel Domui, juxta doctrinam Ancharani traditam *hic suprà num.* 14. de Abbatissa executione relicta.

Hócque à fortiori dicendum esset, ubi Mo- 19 nasterium illud, Collegium, vel Domus Religiosorum lucrosam cæteroqui à testatore perceperit hæreditatem cum tali simpliciter onere. Faciliùs tamen admitterem, ejusmodi eleemosynam sic à Fratribus refutatam, vel etiam ex primaria Testatoris dispositione relictam, distribuendam pauperibus, adeóque merè gratuitam posse ab Hospitali retineri, sibique applicari; cùm Hospitale propriè eroget pauperibus in communi; unde illi met applicata, censetur

ſetur pauperibus germaniſſima interpretatione diſtributa. Niſi fortè eleemoſyna illa legata adjunctum haberet onus Miſſarum celebrandarum, vel aliorum ſuffragiorum pro anima Teſtatoris: nam in tali caſu, cum tam Monaſterium, quàm Hoſpitale teneretur, ſecundùm omnium ſententiam, tale onus implere, & quidem ſolvendo implenti, ſi per alium impleat, integram eleemoſynam ipſam, velut ſtipendium a Teſtatore taxatum, & relictum; ut ſuprà ſuſtinuimus contra *Sanchez*; poſſet Monaſterium aſſumere ſibi, ſicut & alteri dare, tale onus implendum, & per conſequens integram etiam eleemoſynam ſibi, tanquam legatum ſtipendium, juſto titulo retinere: non ſic autem Hoſpitale, quod neceſſario per alios, vel alium onus illud implere teneretur, integrâ eis, sivè eleemoſynâ ipſâ ſolutâ. Et quod dico de Monaſterio, vel Collegio, dictum volo de quacúmque ſingulari etiam perſona privata pariter gravata, ſi per ſe, vel filium Sacerdotem ſatisfacere oneri illi, Miſſarum v.g. par ſit. Atque hæc ſatis pro præſenti ſubjecto.

§. VI.

De temporalium bonorum adminiſtratione, quatenùs ad Minoricam attinet OEconomiam.

SVMMARIVM.

1 *Adminiſtratio rerum temporalium civilis & politica Minoribus interdicta eſt*, & num. ſeqq.

2 *Minores non poſſunt eſſe Executores teſtamentórum, Tutores, Curatores, Procuratores, Adminiſtratores, &c. ne quidem accedentes ſuperioris authoritate.*

Religioſi alij etiam Mendicantes poſſunt eſſe Executores teſtamentarij de ſui Superioris licentia, & Arbitri, ibid.

3 *Cautelæ obſervandæ à Minoribus in percipiendis ſubſidijs pecuniæ ſibi oblatæ ſeu relictæ, vel depoſita, ne Regulæ ſuæ puritatem violent.*

4 *Actus omnes adminiſtrationem civilem & politicam requirentes, ut hæreditates, Minores non admittunt.*

5 *Legata etiam licita Minores exigere non poſſunt in judicio, vel extra nequidem per ſyndicum, ſed tantum humiliter poſtulare per modum eleemoſynæ, Regulæ puritate ſpectata.*

6 *Contractus omnis civilis & politicus Minoribus interdicitur.*

Et quomodo ſe gerere debeant in emptione rerum neceſſariarum, & in aliis neceſſitatibus ne vitium adminiſtrationis prohibitæ incurrant, ibid. & n.8.

7 *Minores à ſtricta conventione & æſtimatione pretij, ejúſque traditione pro re empta abſtinere debent.*

8 *Minoribus non licet convenire de mercede ſui laboris, ſive ſpiritualis, ſive corporalis: & qua ratione locatio activa vel paſſiva eis permittatur.*

9 *Minores an, & quomodo poſſint dare res pignori, vel accipere; alióſve actus facere ex obligatione naturali, non tamen civili.*

10 *Actus civiles ſeu adminiſtrationem civilem importantes Minoribus interdicti ſunt non ſolùm in particulari ſed etiam in communi; nec ideo Procuratores conſtituere poſſunt; ad differentiam cæterorum omnium Ordinum Religioſorum.*

11 *Prælatis Minorum aliqualis adminiſtratio permiſſa eſt, & in quo conſiſtat*, & num. 12. & 13.

13 *Res mobiles & parvi valoris Minorum qua ratione vendi aut commutari ab eiſdem poſſint per ſyndicum.*

De ratione emptionis venditionis eſt ut pretium conſiſtat in pecunia numerata, ibid.

Permutatio, latè ſumpto vocabulo, inſtar emptionis venditionis habetur, ibid.

14 *Minores non poſſunt quærere ſeu mendicare ſuperflua eo animo ut commutentur, aut vendantur, pro alijs neceſſarijs comparandis, abſque licentia.*

15 *Superflua quæri & recipi poſſunt ut commutentur pro neceſſarijs intra Ordinem, non extra, ex licentia Prælatorum.*

16 *Commutatio ſuperfluorum pro neceſſarijs, intra Ordinem, non eſt diſtractio, ſed proviſio ſeu diſtributio rerum neceſſariarum inter Fratres permiſſa: ut declaratur*, ibid.

17 *Eleemoſynæ Minoribus conceſſæ ſuperfluæ ut commutari & aliò transferri poſſint intra Ordinem quid requiritur*, & n.18.

19 *Eleemoſynæ morientium, ſeu legata alicui Conventui, ſi exceſſiva ſint & ſuperflua, an ſimiliter poſſint commutari in alterius Conventus uſum ejuſdem Ordinis ſine Epiſcopi authoritate*, & n.20.

21 *Prælati Ordinis Minorum poſſunt commutare eleemoſynas pro uno uſu factas, in alium; ſecluſo ſcandalo, & inter Fratres ſibi ſubjectos.*

Accedente conſenſu vel hæredum, vel dantium, ut explicatur, ibid.

22 *Guardiani, vel Fratres Conventuum ſingulorum non poſſunt determinare quæ ſit quantitas ſuperflua eleemoſynæ, ſine conſilio Miniſtrorum, vel Cuſtodum.*

Et recepta ſufficienti quantitate, reſiduum petere non poſſunt niſi nova occurrat indi-

 gentia

gentia præsens vel imminens, ibid.

23 *In commutatione superfluorum facienda requiritur licentia expressa Ministri, nec sufficit tacita.*

Guardiani aliquando veniunt appellatione Prælatorum, ibid.

24 *Ordo Minorum neque in communi, neque in particulari, dominium, actionem, administrationem bonorum temporalium habere non potest, puritate Regulæ servata.*

25 *Guardiani præter licentiam Ministri, debent habere Benefactoris assensum ut eleemosyna superflua commutetur, vel ex residuo necessitatibus alterius Conventus subveniatur, si fuerit determinatè concessa.*

26 *Eleemosynam indeterminatè factam possunt Prælati Ordinis sine benefactoris, vel hæredis consensu diversis unius Conventus, vel plurium necessitatibus applicare, intra sphæram suæ administrationis, vel commutare.*

27 *Eleemosynam uni Conventui relictam Guardianus ejusdem non potest ad alium Guardianum suæ curæ non commissum transmittere, vel commutare, nisi de licentia Provincialis aut Custodis, & consensu dantium, vel hæredum.*

Idem de Provincialibus, sine licentia Generalis vel Superioris ipsorum, ibid.

Tolerantia non semper pro licentia habenda est, ibid.

28 *Minores utrum aliquid donare, vel recipere, intra, vel extra Ordinem? Remissivè.*

29 *Bona immobilia Minorum an & quomodo vendi possint? ad interpretationem constitutionum Martini IV. & Leonis X.*

Quid de Mobilibus, & oblationibus ad Imagines Sanctorum? ibid.

1 CVm suprà ostensum sit, non posse Fratres Minores remissione propriè & strictè dicta, hæredibus, vel gravatis ita petentibus res sibi legatas, vel aliquam earum partem cedere; eò quòd ipsi nil in illis habeant juris, aut administrationis: non abs re censeo, paucis hic, hac ipsa occasione, exponere, An aliqua temporalium bonorum administratio, & qualis, Fratribus ipsis, quatenùs ad eorumdem attinet OEconomiam, concessa sit. Qua in re, Certum est *primò*, legitimam, & liberam, eámque propriè dictam, temporalium bonorum administrationem, quæ (secundùm Innocentium *in cap. ex literis: extra, de probationibus*; ubi allegat *l. principalis: Cod. de Iurejur propter calumn. dando*: quem refert, & sequitur Sylvester *in Sum V. Administratio, num.* 1.) est, quando quis potest agere, & conveniri in judicio, & etiam extra judicium de re aliqua disponere; Fratribus Minoribus, de quibus hic loquimur, non esse permissam, non solùm quatenùs ad ipsorum attinet OEconomiam, seu erga ipsos, sed neque erga Moniales ijsdem subjectas: tùm propter rigorosam paupertatem, & omnimodam temporalium quorumcúmque bonorum expropriationem, quam profitentur; tum ex declaratione Innocentij IV. & Decreto Cardinalis Matthæi à Clemente VIII. confirmato; prout refert Tamburinus *de jure Abbatiss. disp.* 14. *quæst.* 2. *num.* 5. teste mihi Lezana *tom.* 3. *Sum. V. Administratio: num.* 4. præcipuè verò ex declarationibus Nicolai III. *in cap. Exijt:* passim, & Clementis V. *in Clement. Exivi: Proindè:* & ex communi consensu omnium Expositorum Regulæ.

Hinc ijsdem Fratribus interdictum est Executores esse ultimarum voluntatum, Tutores, Curatores, Procuratores, Administratores, &c. cum hæc (ut ait Põtifex *in Clementina Exivi: §. Proindè vers. Verùm etiam:*) sæpiùs absq; litigio, & contrectatione, vel administratione pecuniæ nequeant expediri. Id autem ita ipsis Fratribus ex sua ipsorum Regula, & Professione interdictum est, ut non prosit eis, quoad hoc, auctoritas sui Superioris, quippe cui non licet dispensare contra Regulam antedictam; cum multò minùs Papa Constitutiones istas infringere consueverit, *arg. l. nam Magistratus: ff. de recept. arbitris*: Cæteri verò Mendicantes, ac Religiosi de sui Superioris licentia, & non aliter, possunt esse Executores; ut *in cap. fin. in princip. de Testam. in* 6. & not. per Batt. *in l. à filio: ff. de alimentis, & cibar. leg.* & traditur per Joaonem Petrum de Ferrarijs *in sua Practica aurea, super forma libelli, quo agitur ad reddendam rationem tutelæ, ad V. Ac executores, num.* 3. Addit tamen ibi Joannes Antonius Masuerus *super text. Ferrarij, ad V. Fratres Minores:* posse eosdem Fratres esse Arbitros, non tamen sine licentia sui Superioris; teste Bccc. *consil.* 40. *n.* 6. *lib.* 1. ubi declarat. 2

Hinc tot eis injunctæ cautelæ, & circumspectiones in modo se habendi, quoad percipienda subsidia oblatarum, seu concessarum pecuniarum, sive à viventibus, sive à defunctis, in manibus substitutorum ipsorum depositarum, seu relictarum; ut habetur *in cap. Exijt: §. Cæterùm: §. Et quia oportet: & §. Ad majorem autem.* 3

Hinc Fratres ipsi nullatenùs capaces sunt hæreditatum, vel fideicommissorum universalium, vel etiam legatorum, seu fideicommissorum particularium cum expressione modi illiciti ijsdem relictorum, inferentium scilicet usumfructum legatum sive annuum, sive non: quippè hæc necessariò ad sui expeditionem, & perceptionem requirunt administrationem, vel per ipsos Fratres (cœlo, terrâ, marique reluctantibus) exercitam, vel per interpositam 4

ab

ab ipsis personam; aut saltem usum de facto important bonorum immobilium, qui pariter ipsis Fratribus est prohibitus.

5 Hinc quæcumque alia legata, cæteroqui sine expressione modi illiciti facta, adeóque Fratribus licita; quaslibetvè alias eleemosynas rerum utibilium, sive à viventibus donatione vel inter vivos, vel mortis causâ oblatas, vel depositas, sive à morientibus in ultimis voluntatibus relictas, etiam pro unica vice; ut civiliter debitas recipere, petere, vel exigere, in judicio, vel extra, etiamsi id fiat per Syndicos; rigorosæ Fratrum, puræque paupertati, & Mendicitati repugnat. Id siquidem suaptè natura legitimam, & propriè dictam administrationem in prædictis eleemosynis importat, vel actu exercitam, vel in habitu competentem, si non Fratribus ipsis, alteri saltem ex parte ipsorum specialiter se habenti; nempè Romano Pontifici, vel Apostolicæ Sedi, (secundùm Privilegia) cujus nomine agunt, vel agere de jure possunt Syndici. Etenim, secundùm Paupertatis rigorem, & Mendicitatis puritatem, nullum Fratres, vel Romanus Pontifex, Sedesvè Apostolica pro ipsis specialiter se habens, acquirunt unquam rerum, vel à viventibus oblatarum, vel à Morientibus relictarum jus, vel dominium, seu proprietatem, donec, & nisi actu illis ex fuerint traditæ, vel solutæ, esto ex obligatione conscientiæ; (tunc autem non Fratribus, sed Apostolicæ Sedi acquiritur) manente interim earumdem dominio, saltem utili, apud hæredes, & etiam directo apud principales dantes, si adsunt inter vivos; ut diximus §. 22. *art. præcedent. & alibi*, traditque optimè etiam Politius *in cap. 6. Reg. num.* 73. cum Bartolo *lib. 2. Minor. dist. 4. c. 2.* tametsi à *Politio* ipso recedam, quoad usum Syndici pro expediendis legatis, quem ille *ibid. in fine*, pro indubitato concedit: id enim haud consonum est fundamento prajacto; & nos alibi idipsum refutavimus, Regulæque puritate spectata, in praxim non ducendum docuimus.

6 Hinc denique summatim Fratrum Minorum altissimæ paupertati repugnat, quemcumque inire civilem contractum, conventionem, vel pactum, emendo, vendendo, mutuum contrahendo, locando, commutando, impignorando, commodando, & donando. Hæc enim omnia administrationem propriè dicunt. Unde, cùm Fratres aliquid parata, seu procuratâ pecuniâ necesse habent sibi providere, ipsi (ait Nicolaus III. *eo §. Cæterùm:*) à mutuis contrahendis abstineant, cum eis Mutuum contrahere (ipsorum statu considerato) non liceat; quia ibi de meo fit tuum, (addit *ibi* Marginista) quod pronomen Fratri Minori non convenit: possint tamen ipsi (sequitur Nicolai *textus*) pro satisfactione facienda pro eorum necessitatibus, quæ pro tempore occurrerint, (cessantibus eleemosynis, de quibus satisfieri cõmodè tunc non posset) citra cujuslibet obligationis vinculum (civile intellige) dicere, quòd per eleemosynas, & alios amicos Fratrum ad solutionem hujusmodi faciendam intendant fideliter laborare. Hæc ille. Sicque hoc modo agentes Fratres in hujusmodi casibus, non dicentur propriè emere, sed largo tantùmmodò; quod ipsis licitum esse, omnes concedunt; ut testatur Politius *cit. num.* 19. quem vide. Cavere tamen debent, ne ipsi per se stabiliant conventionem, & æstimationem pretij circa illam rem quam emi procurant: id enim manifestè importat administrationem pecuniæ; quemadmodum & computum exigere de eadem expensa, juxta *Clement. Exivi: §. Porrò: in fin* illis verbis: *Quapropter præcipere, quòd, & qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expensa, eam quomodocúmque repetere, sive deponere, aut deponi facere, capsulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre, hos actus, & consimiles sibi Fratres illicitos esse sciant: prædicta enim facere ad solos dominos pertinet, qui dederunt, & eos, quos ipsi deputaverint ad hoc ipsum.* Hæc Clemens V. In quibus nota, quòd ait: *Hos actus, & consimiles sibi Fratres illicitos esse sciant:* An non igitur consimilis actus est pretij æstimatio, & conventio? Certè hunc actum consimilem censuit, Fratribúsque illicitum declaravit Nicolaus III. *in cap. Exiit: §. Quia verò:* ubi id per Syndicum expediendum mandat. Et quamvis Nicolaus ibi agat de æstimatione pretij in venditione, idem tamen dicendum est etiam in emptione; cùm sit eadem utrinque ratio.

Neque in hoc audienda est doctrina Cordubæ *in cap. 6. Reg. quæst.* 3. docentis, non solùm conventionem, & æstimationem pretij, sed etiam traditionem rei vendendæ posse fieri per Fratres, &c. quem meritò refutat Politius *cit. num.* 20. quem vide. Ob idque adhuc minùs poterit per ipsos Fratres fieri traditio pretij, sive illud sit in pecunia, idest in re pretiò æstimata, sivè in ære, argentóve, aut auro numerato. Poterunt tamen Fratres ab eo, à quo rem sibi necessariam accipiunt, petere quanti paulò plus, minúsvè, res ipsa æstimetur, ut indè congruam procurare possint fideliter solutionem, relinquentes amico ipsi spirituali solvendi, vel ejus substituto ultimam, strictamque conventionem, & æstimationem pretij faciendam. 7

Sic neque licet Fratribus convenire, & pretij æstimationem stabilire pro mercede sui laboris, sive spiritualis, sive corporalis; hoc enim dicit propriè conductionis passivæ actum, ex quo suaptè natura conducens manet civiliter obligatus personæ conductæ: sed tantùm possunt eandem mercedem humiliter recipere; ut ait Seraphicus Pater *in cap. 5. Reg.* Ubi S. Bonaventura: 8

ventura: Sed nec mercedis exactio turbet (inquit, debitores, aut extra modum Mendicitatis degeneret, addit: Et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, & Paupertatis sanctissimæ sectatores. Et quod dicitur de mercede locati laboris Fratrum, licitum videlicet esse, de locatione loquendo largè sumpta; illicitum verò, de ea strictè dicta; idem dicendum de locatione tàm activa, quàm passiva cujuscúmque alterius rei, quæ videlicet, vel ad Fratrum usum jam addicta sit, & locetur alteri, vel ab ipsis in usum conducatur.

9 Idem die de rebus in pignus dandis, vel accipiendis; denique mutuo, vel commodato utrinque facienda; ita ut Fratres absque ulla interventione obligationis civilis, sed solùm bona fide, & obligatione naturali, & possint alteri in pignus dare de licentia saltem præsumpta domini rei in pignus dandæ; & ab alio in pignus eodem modo recipere: sicque etiam non quidem mutuantes, (possunt tamen humiliter dominos pecuniæ rogare, ut sint contenti mutuare petenti) sed mutuatarij, & Commodantes, & commodatarij esse possunt; civiliter autem, & propriè, nullum horum præstare possunt; non solùm nomine proprio, sed nec nomine alieno, putà auctoritate domini rei locandæ, impignorandæ, mutuandæ commodandæ; quia jam haberent auctoritatem ministerialem propriè dictam, cujus sunt incapaces, ut diximus. Vide Politium hæc latiùs prosequentem, *ubi suprà, num. 22. 23. & 24. & in c. 4. num. 29. in fin.* Quod attinet ad actus commutandi, dandi, vel donandi, mox *infrà* dicetur.

10 Certum est *secundò*, hujusmodi administrationem propriè dictam, actusque omnes eam importantes non solùm illicitos esse Fratribus Minoribus in particulari, sed etiam in communi, idest nomine, & auctoritate Communitatis, seu Conventus; ita ut scilicet neque Prælati, Ministri nempe Generales, vel Provinciales, minùs verò Guardiani, vel alij Locorum Superiores illam habeant nomine communi Conventus, aut Romani Pontificis, vel Apostolicæ Sedis: unde nec possunt eligere privatos Fratres, quibus eam committant, qui Procuratores Conventus dicantur: quemadmodùm illam quidem habent, & hujusmodi Officiales ritè constituunt aliarum omnium Religionum Prælati, ad quorum Conventus, seu Monasteria in communi pertinet dominium bonorum, quæ habent, sive immobilia possideant, sive non; ut patet ex *cap. quoniam 16. quæst. 1.* Atque in hoc omnem omninò omnium aliarum Religionum, Regulariumvè Congregationum paupertatem excedit Paupertas, atque expropriatio Minorica; ut patet consideranti: sed & alibi ostensum est, & iterum *infrà* indicabitur *art. seq. §. 9. num. 24.* Diferè autem traditur id totum à Navarro *in comment. 3. de Regular. in cap. Nullam: 18. quæst. 2.* ubi *à num. 29.* quatuordecim causas adducens justificantes Regularium modum vivendi per portiones privilegiatas, *num. 31. vers. Duodecima,* affert duodecimam hisce verbis: *Duodecima;* ut etiam hoc nomine resultet pulchritudo Ecclesiæ, ex Religionum convenientia, & varietate, & diversitate; juxta illud Psalmi 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* Nimirum, ut sint nonnulli, qui nihil habeant, quoad verum dominium, neque quoad jus administrandi, nec in particulari, nec in communi; quales post Concilium Tridentinum soli sunt Franciscani, qui de Observantia, & Capuccini dicuntur: & alij, qui habeant jus administrandi in communi, & non in particulari; quales sunt omnes alij jure communi: & alij sint, qui habeant jus administrandi ea, quæ suo victui sunt destinata in illum honestum, & alios pios usus tantùm. Hæc ille usquequaque benè ad rem nostram.

11 Certum est *tertiò*, aliqualem saltem administrationem esse Fratribus Minoribus, signanter Prælatis, necessariò concedendam circa bona mobilia, quibus utuntur. Hæc autem est circa actus commutandi & dandi, seu donandi, vel largiendi; habetúrque expressa hujusmodi administrationis concessio in *cap. Exiit: §. Quia verò:* hisce verbis: *Quia verò libros, & alia mobilia, quibus tam Ordo, quàm Fratres utuntur, quorum dominium (cùm non sint dominij aliorum) ad præfatam Ecclesiam specialiter spectare dignoscitur, interdum contingit, seu expedit vendi, seu etiam commutari, Fratrum utilitatibus, & eorum conscientijs providere volentes, eadem auctoritate concedimus, ut commutatio talium rerum, & ad eas res, quarum usum Fratribus licet habere, de Generalium, & Provincialium Ministrorum in suis administrationibus, conjunctim, vel divisim, auctoritate procedat: quibus etiam de dispositione usus talium rerum concedimus ordinare. Si verò res hujusmodi æstimato pretio vendi contingat; cum Fratribus ipsis per se, vel per alium recipere pecuniam (regula prohibente) non liceat: ordinamus, & volumus, quòd talis pecunia, seu pretium recipiatur, & expendatur in rem licitam, cujus usum Fratribus licet habere, per Procuratorem à præfata Sede, vel à Cardinali gubernatione per ipsam Sedem gerenti ejusdem Ordinis deputandum, juxta modum in superioribus necessitatibus, præteritis, & ingruentibus ordinatum.*

12 *De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus liceat ex præsenti nostra concessione Fratribus (pietatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa) obtentâ super hoc prius Superiorum suorum licentiâ, juxta quòd inter Fratres in Generali, vel in Provincialibus Capitulis tàm de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus,*

l atibus, & earum valore, quàm præfatâ licentiâ, scilicet à quibus, & qualiter sit habenda, extiterit ordinatum; intra, & extra Ordinem aliis elargiri. Ita ibi.

13 Ex his igitur colligitur (quod ad actum administrationis attinet, qui est vendere, vel Commutare res Mobiles Fratrum usibus jam addictas:) vendere nihil per se ipsos ullo modo posse Fratres Minores; at quoad commutandum, posse ex Pontificis concessione per seipsos etiam exercere hunc administrationis actum circa bona mobilia, quæ ad ipsorum usum sunt; dũmodò tamen nulla interueniat cõ ventio, seu æstimatio pretij, ita ut scilicet res una nõ detur pro pretio æstimato alterius: quia tunc, licet non sit propriè contractus emptionis, & venditionis, (adeóque nec contractus nominatus) de cujus ratione est, ut pretium consistat in pecunia numerata; ut habetur *Institut. de empt. & vendit. §. item pretium*: aliquibus tamen ex *antiquis juribus* contrarium sentientibus; ut *ibi in textu*, & nos aliàs retulimus; adhuc tamen est contractus permutationis (qui profectò ex pretij æstimatione, & conventione oritur, sicut emptio & venditio) & species contractus innominati suas parientis actiones, etiamsi diversimode ab emptione & venditione; ut *ibi in Gloss.* notatur; Quinimmò largè sumpto vocabulo emptionis & venditionis, ipsa quoque permutatio, æstimato utrimque rerum pretio, emptio & venditio est; ut notat Gloss. *in l. statuliberi: ff. de statuliberis*; & ibi textus ex *lege duodecim Tabularum*. Hoc autem administrationis genus, cùm expressè Fratribus non concedatur, intelligitur denegatum, & interdictum in generali prohibitione administrationis ex sua ipsorum strictissima paupertate; juxta regulam, quæ habetur *in Clem. Exivi: §. Porrò:* & in casu occurrente, expediri id, & fieri debet per Syndicum; sicut etiam, quando propriè vendenda res est, & pretium numeratæ pecuniæ ex illa vendita habitum in aliam rem Fratribus necessariam convertendum: ita expressè concedente, & declarante Pontifice, cùm scilicèt res hujusmodi in dominio Ecclesiæ existit: quòd si fuerit in dominio alterius, qui, dum illam concessit Fratribus ad usum, ejus sibi retinuerit proprietatem; necessariò requiritur ejus voluntas expressa, ubi habere commodè possit, vel, si id minimè possit, saltem probabiliter præsumpta: nec sufficit concessio Pontificis, quippe quæ de solis ijs rebus mobilibus procedit, quæ in Fratrum usu sunt, & ad aliorum dominium non spectant; ut patet ex *textu allato*. Præterea, sive res sit Ecclesiæ, sive alterius domini, cujus etiam habeatur consensus ad eam commutandam, necessariò requiritur licentia Ministri Generalis, vel Provincialis, eáque expressa, si commodè haberi potest, vel saltem probabiliter præsumpta, ex ratihabitione de præsenti, si commodè haberi non possit, urgente videlicet necessitate; notificando tamen ei in Visitatione quod factum est Et quod dictum est de habenda voluntate domini pro rerum commutatione, intellige etiam in commutatione, quæ sine pretij æstimatione fieri potest per ipsos Fratres.

Hícque præterea observandum est, quòd 14 quærere, seu mendicare, vel etiam spontè oblata recipere superflua, eo animo, ut commutentur in alias res, vel vendantur, & pretium cõvertatur, &c. est Fratribus interdictum; cùm talium rerum superfluarum Ecclesia nunquam acquirat dominium; ut nos alibi tradidimus §. 16. *num.* 8. *& seqq. art. præcedentis*: & observat etiam Politius *cit. num.* 21. ex eodem, quo & nos *ibi*, Nicolai textu *in cap. Exyt. §. Insuper nec utensilia*: Atque etiam istud intellige de quæstu, vel receptione rerum superfluarum eo animo, & intentione, ut per Fratres ipsos absque ulla æstimatione pretij commutentur in alias necessarias, aut meliùs sibi visas. Commutare enim vel sic, distrahere est, quod per *Nicolaum III. mox cit.* generaliter, & sine ulla exceptione prohibetur, adeóque etiamsi non fiat per contractum formalem, & politicum, pretij æstimatione interveniente, sed conventione tantùm naturali, cæteroqui Fratribus licita, vetitum ijsdem est, citra Generalis, vel Provincialis licentiam; respectivéque etiam domini rei, ut dictum est *suprà*.

Communis tamen Ordinis praxis suadet hic 15 distinguendum, ut scilicet id intelligatur, quando hujusmodi res quæruntur, vel recipiuntur, ut in alias commutentur extra Ordinem, non autem intra ipsum; (ut observat *Politius cit.*) distribuendo eas alijs Conventibus qui illis indigent, sive ut illi retribuant alias, quas abundè habent, sive non. Nam in primo casu, cum res illæ sint verè superfluæ Fratribus, non sunt in dominio Ecclesiæ, & sic non habet locum concessio *Nicolai*, unde eas perperam Guardianus, seu alius Frater subditus de mandato Guardiani ita & recipit, & distribuit, nisi id faciat de expressa licentia, & nomine dantium: (citra tamen pretij æstimationem, si per se ipsum id faciat: quod si faciendum sit cum pretij æstimatione, expediendum erit per ipsum dantem, aut per ejus substitutum, vel mandatarium: in secundo verò casu, cùm res illæ verè sint Fratribus necessariæ, ijs scilicet, quorum intuitu quæsitæ sunt, vel receptæ, sunt in dominio Ecclesiæ, & sic suffragatur Guardiano, vel Fratri subdito de mandato Guardiani ita distribuenti concessio Pontificis, modò in reliquis etiam ritè id fiat, juxta ipsius concessionis tenorem; ut mox dicemus. Consuevêre enim Ministri Provinciales, in suis quisque Provincijs,

cijs, sed & Generalis Minister in universa Religione concedere, (ijs quippè solis id auctoritatis tribuitur per *Nicolaum cit.*) & aliquando etiam mandare, illi Guardianis sibi subjectis, isti Provincialibus ipsis, ut in suis quisque respectivè Guardianijs, & Provincijs quæri certis temporibus diligenter curet, cumularique aliquas res, quæ ibi affluunt, eo animo, & intentione, ut mittantur, & distribuantur alijs Conventibus, vel Provincijs, quæ illis carent, vel ad sufficientiam non habent ex propria mendicatione; alijs tamen è converso abundant rebus, (non enim omnis fert omnia tellus; ut communi fertur adagio) quas eorum Guardiani, vel Provinciales de Mandato, vel licentia Ministrorum respectivè, ut dictum est, saltem probabiliter præsumpta, ubi expressa haberi non potest; vel saltem tacita juxta id, quod communiter fieri consuevit in unaquaque Provincia) alter alterius Guardiani, seu Conventus, Provincialis, seu Provinciæ onera portat, legemque Christi omnes adimplent; juxta Apostoli monitum *ad Galatas, cap. 6.*

16 Hæc autem, si benè attendatur, non quæsitarum, receptarúmve superfluarum rerum distractio censenda est, sed potiùs vera est utrimque provisio, & dispositio, seu distributio rerum necessariarum ad Fratrum indigentias hinc indè sublevandas ritè, juréque optimo facta de mandato, vel licentia, seu auctoritate Ministrorum, quibus in suis quibúsque administrationibus, & providendi necessitatibus Subditorum sibi Fratrum in primis cura incumbit, & ijsdem solis talis facultas dispensandi hujusmodi res, seu hujusmodi rerum usum, etiam sine commutatione, à *Nicolao III.* conceditur, *ubi suprà.* Requiritur tamen, ut res prædictæ sint utrobique loci, pro quo, cujusvè intuitu quæruntur, vel recipiuntur spontè oblatæ, in sua specie utibiles, & necessariæ; non ad ullam superfluitatem, divitias, seu copiam, quæ deroget paupertati, neque quòd eò mittantur, eò animo, ut distrahantur per commutationem extra Ordinem, sive vendantur; juxta declarationem Nicolai *eo §. Insuper nec utensilia.* Requiritur etiam, quòd qui res hujusmodi tribuunt, non reservent sibi earumdem dominium, neque exprimant, se eas dare pro ipso Conventu, à cujus Fratribus quæruntur: secùs enim, requireretur expressa quoque eorum licentia, & consensus ad eas aliò mittendas, sive in commutationem, sive non.

17 Quare consultissimum duxerim, immò quandóque necessarium, si, cùm hujusmodi rerum quæstus faciendi sunt, haberetur priùs mandatum, vel licentia Ministri; (nisi adsit consuetudo, ac proindè tacita licentia, ut in plerisque est, v.g. in leguminibus, pane, vino, & hujusmodi non multum valentibus) cùm verò actu fiunt, indicaretur dantibus intentio, & necessitas, propter quam res illæ in tanta copia quæruntur, vel spontè oblatæ recipiuntur; ut nimirum sic & habeatur eorum consensus pro ijsdem transmittendis sive in commutationem, sive non; & evitetur scandalum pusillorum, seu ignorantium, quod probabiliter timeri posset apud aliquos oriturum, ignotâ causâ tam copiosi quæstus, opinantes fortè, quod Fratres quærant ad superfluitatem, divitias, seu copiam, vel ad thesaurizationem, contra propriam Professionem.

Hinc autem doctrinam confirmat Politius 18 noster *cit. num.* 21. hisce verbis: Dum ergo Fratribus inhibetur, rem posse suscipere animo distrahendi; clarum est, eis esse interdictum, rem posse recipere animo commutandi eam hocque deducit ille ex *Decretali, Exyt: eo §. Insuper nec utensilia:* Nisi tu velis, Decretalem prædictam de superfluis habere sermonem. Si autem res in Ordine, nec extra eum commutanda requiritur; de Ministrorum licentia, saltem probabiliter præsumpta, poterit Guardianus, seu alius Frater subditus de mandato Guardiani, aliquas res, seu lanam, oleum procurare, ad commutandum intra Ordinem pro alijs necessarijs rebus; quando aliàs commodè Conventus, & Fratrum necessitatibus, Mendicando minimè providere potuerint. Et ratio est; quia, cùm res ad usum Ordinis recipiatur; & qui eam dat, si secùs non exprimat, à se dominium abdicet; in dominium transit Sedis Apostolicæ, à qua Ministri habent facultatem commutandi res ad Sedem Apostolicam pertinentes. Et, si in eadem Provincia hæc fieret commutatio, non aliud censenda est, quàm quædam dispositio usus harum, illarúmque rerum; has illi Conventui assignando, illas autem huic Monasterio. Idémque dicendum est, si in diversis Provincijs Ordinis fiat; cum de licentia Generalis Ministri, probabiliter saltem præsumptâ, fit. Ejus enim est, prout Fratrum necessitatibus viderit expedire, aliqua procurari facere, ut commutentur intra Ordinem: ut sic una Provincia carens hac, vel illa re; per eam quæ ijs affluit, sublevetur; sicut illa per istam, in rebus sibi necessarijs. Distributio enim quædam hæc est, à Generali facta, de rebus ad Ordinis necessitates sublevandas petitis; huic, vel illi Provinciæ (prout opportunum duxerit) assignando. Notanter dixi: *Si secùs dominus rei non exprimat,* &c. Quia penitùs tunc in Fratrum utilitatem rem donasse censetur, & à se penitùs abdicasse dominium: ut ex *cap. Exyt:* extat determinatum. Sed, si exprimat, in hoc tantùm loco velle rem concessam manere, & in horum Fratrum necessitates absumi; absque ipsius dantis licentia minimè posset commutari: quia liberè

liberè rem haud donavit; sed sibi potiùs in re illa dominium videtur servasse, donec in illius Monasterij necessitates sit consumpta. Notantet etiam pluries repeti: *Pro necessitatibus* Fratrum, &c. Quoniam nonnisi pro necessitatibus veris aliquid peti, vel recipi potest, non autem ad superfluitatem; ut professio ipsa altissimæ Paupertatis convincit, & determinatur expressè *in dicto §. Insuper nec utensilia:* Hactenùs *Politius* mihi in hoc usquequáque probatus.

19 At quæres: An hujusmodi doctrina locum habeat etiam in recipiendis, vel petendis Morientium eleemosynis, legato, vel fideicommisso relictis, sive pecuniariæ eæ sint, sive cujuslibet alterius rei Fratribus utibilis; ubi pro eo Conventu, cui à Morientibus fuerunt relictæ, excessivæ sunt, & superfluæ.

20 Respondeo, videri quidem posse, quòd non. Quia, dum Testator huic verbi gratiâ signanter Conventui Fratrum Minorum suam dispofuit, legavítque eleemosynam, censetur voluisse, eam in eo tantùm manere, & in eorum Fratrum necessitates absumi; neque idcircò eam legasse ad usum Ordinis: ac proindè non posse illam, vel illius partem aliquam in alterius Conventus usum commutari, absque consilio, & auctoritate Episcopi ejusdem Testatoris voluntatem interpretantis, & concedentis. Veruntamen (ut ut valeat hoc argumentum in contrarium stando in Iure communi) pro Affirmativa resolutione.

21 Notatim *primò*, Concessum esse Prælatis Ordinis, quoad suos tamen cuique respectivè subjectos Fratres, & in suis tantùm administrationibus, commutare eleemosynas sive à viventibus, sive à Morientibus, easque cùm pecuniarias, tùm alterius cujuslibet rei Fratribus utibilis, factas pro unu usu (putà pro vestiendis Fratribus, vel pro alia designata necessitate, vel etiam pro tali Conventu, vel Fratre particulari) in alium usum; secluso tamen scandalo eorum, ad quos solutio, seu præstatio pertinet hujusmodi eleemosynarum: ex quo communiter Regulæ Expositores intelligunt, id faciendum esse de consensu hæredum, vel gravatorum, cùm eleemosynæ sunt morientium; cùm autem eæ sunt viventium, nulla dubitatio est, quòd requiritur consensus, ipsorum dantium, & eorum licentia, saltem probabiliter præsumpta; ut alibi diximus ex *Nicolao III.* præsertim quoad eleemosynas pecuniarias pro certa necessitate paratas, & concessas etiam quoad earum superfluum, necessitate illa impleta: & ut mox *suprà* diximus, quoad alias eleemosynas non pecuniarias. Hanc Prælatorum facultatem communiter affirmant, cum cautelis assignatis, Expositores Regulæ, Politius, Crousers, Sanctes Romanus, Corduba, & alij ex *constitutionibus Benedicti XII.* ex Bartolo *in Minor. lib. 2. dist. 5. cap. 2. & dist. 3. cap. 3.* Petro de Ancharano *in Clement. Exivi:* Serena Conscientia *quæst. 18. & 19.* eamdemque ad majorem animarum Fratrum quietem concessisse affirmant Sixtum IV. & Leonem X. Politius *in c. 4. Reg. n. 41.* Hieronymus Rodericus *in Compend. qq. Regul. Manuelis resol. 88. n. 12.* Manuel ipse, Sorbus, & alij. Sicque etiam morientium eleemosynæ, quæ superfluunt pro usu talis Conventus, pro quo determinatè fuerunt relictæ, possunt per Prælatos Ordinis in suis respectivè administrationibus in alium usum commutari, eique applicari, cum cautelis prædictis.

Notatim *secundò*, non posse Guardianos, vel Fratres Conventuum singulorum sine consilio Ministrorum, vel Custodum determinare, quæ sit quantitas immoderata, excessiva, vel superflua eleemosynæ cujuscumque, sive scilicet pecuniariæ, sive alterius rei Fratribus utibilis, siveque à vivente, sive à moriĕte ea fuerit concessa, vel missa; ut alibi docuimus statutum *in cap. Exyt: & in Clem Exivi:* & communiter tradunt Regulæ Expositores. Quare Guardianorum quidem curæ apprimè incŭbit, ut de eleemosynis v. g. legatis, citra judicium prædictum quantitatis legatæ, recipiant, vel admittant solummodò quantitatem moderatam, quæ tunc talis censetur, quando tanta solùm accipitur, quanta pro præsenti, vel imminente necessitate sufficiens esse prudenter judicatur: siquidem pro hujusmodi tantùm necessitatibus intelliguntur facta legata quæcúmque etiamsi in quantitate excessiva. Residuum verò (quo adhuc vel Fratribus, vel alijs pauperibus, si illud Fratres simplici cessione refutaverint, erogandum est ex obligatione conscientiæ, ut alibi probavimus) nec petere, nec recipere possunt Guardiani ipsi, nisi eis nova occurrat præsens, vel imminens indigentia; ita ut si nunquam ea occurrat, & quidem in sui cujusque respectivè administratione Conventus, nunquam aut petere, aut recipere illud, vel de illo possint. Ita de superfluo legati pecuniarij tradit Politius *in cap. 6. Reg num. 58.* cum Bartolo *in Minor. lib. 2. dist. 1. cap. 3.* Serena Conscientia *quæst. 18.* Baldo, & Federico de Senis; consentiuntque omnes Regulæ Interpretes. Quod autem de pecunia sive à moriente, sive à vivente concessa dicitur, idem in omnibus, & per omnia dicendum, servandúmque à Fratribus Minoribus est in quacúmque re à morientibus ijsdem relicta; ut expressè determinat Nicolaus III. *in eo §. Ad hæc quia Fratribus:* nosque ex ipso valdè observandum *in superioribus* tradidimus. Hisce igitur prænotatis, ad propositum quæsitum.

22

23 Dico, doctrinam illam nostram, atque *Polity* posse utique optimè habere locum etiam in morientium eleemosynis, ut præfertur. Non posse tamen absolutè in praxim duci à Guardianis, nisi cum consilio Ministrorum, vel Custodum, quippe ad quos in tali praxi pertinet primò judicare de superfluo; & deindè commutare usum eleemosynæ legatæ dareque licentiam, ut ad aliam Conventum mittatur; concurrente simul (ad vitandum scandalum eorum, ad quos solutio pertinet) consensu hæredum, vel gravatorum. Patet hæc responsio ex *Notandis præmissis.* Hoc tamen strictiùs video hic, quàm suprà; quòd nimirum hic non sufficit præsumpta licentia Ministri, nec probabiliter præsumi potest; sed expressa requiritur: tum quia primò sine expresso consilio, & concursu Ministri non potest fieri à Guardiano, etiam cum Fratribus Conventus, judicium de superfluo: tùm etiam, quia ad ipsum in tali casu spectat, non ad Guardianum, hanc commutationem facere circa rem legatam de usu talis Conventus in usum alterius. Quamvis enim etiam Guardiani veniant nomine Prælatorum in illis Concessionibus *Sixti IV.* & *Leonis X.* (quod etiam ad Vicarios, vel alios Superiores locales, saltem à Diffinitorio institutos, & in actu jurisdictionis exercitæ, facilè extenderim; cum & ad istos extendatur Privilegium *cap. Ne pro dilatione: de pœnit. & remiss.* ut docet Card. de Lugo *disput.19. de Pœnit. sect.1. num.4.* cum Diana *part.2. tract.2. d. dub. Regul. resol.1. & part.3. tract.4. miscell. resol.1.* & alijs, quos iste congerit; hocque etiam in præsentia Guardianorum, & jurisdictione impedita; ut probabiliter vult Bassæus noster *tom.1. v. Confessarius 2. numero 11. versic. Ad secundum dicendum:* cum Pasqualigo *in decis. mor. decis.103.* contra Dianam, quem citat *part.6. tractat.8. resol.15. & alibi:* est etiam contra nostros Cyprianum Crousers Antuerpiensem, & Bonagratiam Habsensem, quorum primus *lect.25. ad cap.7. Reg.* id Vicarijs concedit in absentia dumtaxat Guardianorum, & in actu jurisdictionis exercitæ: alter verò *in Sum. qq. regul. V. Absolutio quoad Fratres, numero 95.* cum Coriolano, id denegat etiam Guardianis; sed nimis durè, & contra praxim: non possunt tamen disponere, nisi in sui quisque administratione Conventus, & quoad providendum Fratribus sibi subjectis, commutando scilicet rem legatam pro uno usu Conventus, in alium usum ejusdem Conventus, causâ legitima concurrente, & consensu hæredum, vel gravatorum, ad quos spectat solutio, ne scandalum detur; ut cavent Pontifices prædicti, & Doctores *loc. cit.* & insuper ex dicendis per *sequentia Corollaria* magis elucescet. Ex hac siquidem resolutione, ejúsque fundamentis prænotatis.

Colligitur *primò*, quòd Fratres Minores, etiam Guardiani, & Ministri, firmiter in corde tenere debent, nullum se unquam, sed neque Ordinem ipsum in communi neque Apostolicam Sedem (seclusis Concessionibus, & Privilegijs Regulæ puritatem, & rigorem paupertatis dispensantibus) dominium, actionem, administrationem, seu dispensationem habere cùm circa pecuniam, concessam, vel legatam, tùm circa alias morientium eleemosynas (idem enim in his servari vult Nicolaus III. ac in pecunia) quarumcumque rerum in propria specie Fratribus utibilium: neque item verbis, aut factis, aut aliquibus signis demonstrare sibi fas esse, quòd prædicta habeant; sicut in veritate non habent, nec habere possunt tam ipsi etiam in communi, quàm Sedes ipsa Apostolica ex parte ipsorum specialiter se habens; Regulæ rigore, & Mendicitatis puritate servata: donec eleemosynæ illæ, quæcunque ex sint Fratrum usibus actu addictæ non fuerint; ut patet ex dictis. 2

Colligere est *secundò*, quòd si Guardiani Conventuum aliquam prædictarum eleemosynarum, vel ejus partem, tanquam superfluam pro necessitate, vel Conventu, vel etiam Fratre particulari, pro quibus fuerit determinatè vel concessa à vivente, vel à testatore relicta; applicare, vel mittere voluerint alteri Conventui, vel necessitati, sive in commutationem alterius rei, sine non; rogare tantùm possunt, & debent dominum ipsum principalem, si vivit, & adsit, vel ejus substitutum, si ille absit; vel etiam hæredẽ, aut gravatum, qui quasi dominus est illius eleemosynæ, dominio scilicet tantùm utili, non directo; ut talem eleemosynam, vel ejus partem pro hoc, vel illo Conventu, hac, vel illa necessitate expendat, si pecuniaria illa est, vel concedat aliò, auctoritate sua, per substitutos suos mittendam, ibique nomine suo expendendam; vel si non est pecuniaria, Fratribus ipsis tribuat per eosdem aliò mittendam, & dispensandam; (cum licentia tamen etiam Ministri, ut mox dicetur, hæc fient.) 25

Colligere est *tertiò*, quòd si pecunia deposita, seu oblata, vel etiam legata fuerit, ita & alia res utibilis legato relicta fuerit indifferenter, non pro aliqua necessitate, vel Conventu, aut Fratre particulari determinatè, & expresè; tunc licitè poterunt Prælati Ordinis (in suæ quisque tamen administrationis Sphæra tantùm) sine alia dantis, vel ejus substituti, aut hæredis, vel gravati licentia, seu consensu, illam diversis necessitatibus ejusdem Conventus, varijs etiã Conventibus, diversisve diversorũ Fratrũ necessitatibus applicare, & transmittere (servatis tamen requisitis cautionibus, quoad pecuniam) sive in commutationem, 26

mutationem, sive non. Dixi per parenthesim. *In sua quisque tamen administrationis Sphæra tantùm*; quia hujusmodi applicationem, vel transmissionem diversis Fratribus, vel Conventibus facere possunt Prælati, si Conventus illi, vel Fratres sibi sint, suæque curæ subjecti, & commissi; ut benè observavit Politius *in cap.4. Reg. num.*40. quia, sicut istis (scilicet Conventibus Fratribusvè sibi subjectis) providere tenentur, ita ut possint licitè, necessitate urgente, pecuniam procurare, vel ad legatam pecuniam ipsam, aliámve rem, habere recursum; sic etiam hæc ipsa indifferenter oblata, vel legata poterit indifferenter applicare, prout necessitates exegerint. Nam ità recipientes oblata, vel legata illa, verè recipiunt ea, vel de illis pro suis tantùm necessitatibus præsentibus, vel imminentibus; non ad superfluitatem, vel copiam.

27 Colligere est *quartò*, quòd sicut Minister non potest pecuniam, aliámve rem depositam, vel legatam pro aliquo determinatè Conventu, necessitate, vel Fratre particulari, alteri Conventui, necessitati, vel Fratri applicare, vel transmittere sine licentia, saltem probabiliter præsumpta, dantis, vel ejus substituti, aut hæredis, vel gravati, ad vitandum scandalum: ita ut non possit absoluta auctoritate sua Minister ipse (ubi semel licentiam concesserit, quam negare poterat, & iterum revocare potest) per talis Conventus Guardianum pro alio Conventu, vel alia necessitate suæ Provinciæ; vel per talem Fratrem pro necessitatibus alterius Fratris, aut Communitatis etiam ejusdem Conventus, illam eleemosynam sibi assignari facere sine expressa licentia prædicta; nisi fortè ejusdem eleemosynæ residuum aliquod sit, quod expletis necessitatibus jus determinati Conventus, vel Fratris particularis, superfuerit; nam tunc, ubi de opposita voluntate, vel intentione dantis, aut Testatoris non constiterit, cum primariæ ejusdem intentioni fuerit satisfactum, faciliùs, probabiliúsque præsumptio haberi poterit de illius consensu in hujusmodi applicationem, seu transmissionem residui: Sicut, inquam, hæc Minister non potest sine licentia prædicta; ita minùs poterit Guardianus uniùs Conventus pecunias, vel res legatas, vel à vivente concessas, aut donatas pro eodem Conventu, etiamsi indifferenter sive pro Missis, sive merè liberaliter, ad alium Guardianum, seu Fratrem suæ curæ non commissum transmittere, sive in commutationem alterius rei, sive non; nec pro illis expendi facere, nisi de licentia Provincialis, aut Custodis amborum; concurrente consensu dantium, substitutorúmve, aut hæredum, vel gravatorum, ut *suprà*. Quinimmò neque unus Provincialis alteri poterit Provinciali tales eleemosynas, vel earum partem transmittere, vel pro illo expendi facere, nisi de licentia Generalis, vel Superioris utriusque saltem probabiliter præsumpta; quæ est in ijs, quæ fieri consueverunt, superioribus scientibus, & non contradicentibus, libenter scilicet permittentibus. Ubi adverte, quòd non omnis superiorum scientium tolerantia præsumi licitè potest tacita licentia. Si enim de contraria voluntate eorum præsumeretur (quòd plerúmque supponere videntur; qui clam furtimvè operantur) scilicet, quòd ipsi Prælati, si id permittunt indignè tamen tolerant, & ægrè ferunt, ad evitandam subditorum proterviam, & non prohibent, vel impediunt ne aliud sequatur Majus inconveniens; tunc talis tolerantia non est pro licentia censenda. Ideò dixi: *Superioribus scientibus, & non contradicentibus, libenter scilicet permittentibus.* Vide Politium *in cap.4. Reg. numero* 40. *& cap.6. numero* 26.

Atque hæc, quoad illum administrationis actum, quem exercere possunt Fratrum Minorum Prælati ex concessione *Nicolai*, quantùm ad commutationem bonorum mobilium, quibus utuntur Fratres, cùm extra, tùm intra Ordinem; dicta sufficiant. Quod verò attinet ad alium administrationis actum ex eadem concessione Fratribus permissum; qui est dare, seu donare, vel largiri, & etiam recipere, intra, vel extra Ordinem, quique est communior Fratribus particularibus; ex peculiari instituto prosequendum duxi, ideóque expendendum *in §. sequente*. 28

Unum tamen hìc *in calce hujus §.* superest advertendum, quod in proposito venditionis, juxta allatum *Nicolai* textum, per Syndicos, seu Procuratores faciendæ articulo de rebus mobilibus, in Fratrum usu, adeóque in Ecclesiæ domiciio existentibus; tradit Politius *in cap. 6. Reg. num.* 30. dicens: Res autem per Syndicum vendenda, etsi per Nicolaum III. *in dicta Decretali, Exijt:* nonnisi mobilis esse possit: ex Martino tamen IV. & Leone X. etiam immobilia ad Ecclesiam ipsam spectantia per Syndicum vendi poterunt. Quibus verbis videtur *Politius* intelligere, vel intelligendum exhibere, quòd etiam immobilia, quibus ex necessitate utuntur, possint Fratres per Syndicos vendere ex concessionibus illis *Martini, & Leonis.* Quod tamen cavendum est, non esse verum. Nam concessiones illæ Martiniana, & Leonina, sunt ad vendendas res cùm mobiles, tùm immobiles quidem, quæ Fratribus legato relinquuntur, & in eorum usum transire in propria substantia non possunt. Cum tamen, salva Regulæ, & Mendicitatis puritate, nunquã Romana Ecclesia ex parte Fratrum specialiter se habens acquirat dominium ullius rei donatæ, 29

vel legatæ Fratribus ipsis, nisi cùm actu ea fuerit eorum usibus addicta, & conversa, si convertenda sit in aliam; & ideò hujusmodi conversiones, seu venditiones per hæredes ipsos, vel Executores testamentariós faciendas esse sine interventione Fratrum, & sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiasticarum, aliàs tradidimus. Quare Concessiones illæ sunt dispensativæ rigoris Minoricæ mendicitatis; ut patet. Cæterùm verò bona immobilia, quibus utuntur, adhuc minùs possunt alienare Fratres Minores, quàm cæteri Regulares; ut tradit benè Lantusca *alibi cit. V. Alienatio, num.*1. ex Roderico *qq. Regular. tom.*1. *quæst.*17. *art.*3. ubi etiam *num* 2. asserit, posse Fratres Minores per Syndicum alienare oblationes Imaginibus Sanctorum factas, (præter vota aurea, & argentea magni valoris) quæ non excedant valorem viginti ducatorum: afferque Naldum, Gavantum, & Dianam *part.*4.*tract.*4. *Miscell.resol.*235. Atqui hoc est, ut & primum, Regulæ puritatis relaxativum, seu dispensativum.

---

§. VII.

De eo administrationis actu, qui est, Dare, seu Donare, vel largiri, & etiam Recipere: quomodo scilicet Fratribus Minoribus liceat eum exercere, intra, vel extra Ordinem.

SEGMENTI PRIMI SVMMARIVM.

1 *Minores nihil donare possunt, nequidem in eleemosynam, nisi urgente necessitate, sive intra, sive extra Ordinem, de rebus sibi concessis absque consensu concedentium, & Superioris licentia,* & num.seqq.

2 *Licentia an requiratur ad donandum Fratri ejusdem Conventus, vel ad recipiendum, commodandum, vel permutandum.*

3 *Dominium rerum simpliciter Minoribus donatarum, transit ad Sedem Apostolicam.*

4 *Res mobiles & nullius pretij, pietatis intuitu, vel alia causa honesta, Minores donare possunt.*

5 *Res immobiles, pecunia, & alia id genus paupertati Minoricæ non convenientes, ipsis donari non possunt.*

6 *Res, quæ à Minoribus donari possunt, non debent esse magni valoris juxta determinationem Ministrorum.*

7 *Rei vilioris donatio à Minore facienda, debet fieri pietatis intuitu, & ex honesta causa, ne proprietatis reatum incurrat.*

8 *Rerum à Minoribus donandarum utilitatem quales Prælati determinare debeant, & facere copiam donandi,* & n.9.

10 *Minores donare possunt partus ingenij sine licentia, tum intra, tum extra Ordinem:* & num.seqq. *ubi declaratur.*

11 *Religiosus transiens ad alium Ordinem potest omnia scripta sua, & partus ingenij proprij secum deferre; contra Navarrum, & alios.*

12 *Religiosus transiens ad aliam Ordinem potest secum deferre vestes, quæ subsunt dispositioni Prælati Religionis, ad quam transit.*

13 *Religiosus an sine licentia possit dare sæculari Opus aliquod manuscriptum typis excudendum.*

14 *Religiosus an possit operari ex proprio labore & industria in gratiam sæcularis materiam operis præbentis.*

Et quid de rebus merè spiritualibus, ut sunt Missarum suffragia & alia id genus, ibid.

In Religione Minorum præcepta Superiorum an & quando obligent sub mortali, ibid.

Religiosus scribens & recipiens literas absque licentia Prælati magis peccat contra Obedientiam, quàm contra Paupertatem.

15 *Religiosus dispensans sine licentia Superioris in notabili quantitate ea quæ sunt ad proprios usus, vel Conventûs; peccat mortaliter.*

In votorum transgressione datur parvitas materiæ, ibid.

An & quomodo Religiosus aliquid petere & recipere possit, animo donandi alteri extra Ordinem, etiam intuitu pietatis, ibid.

QVod ad præsens attinet, certum est, Fratres Minores non solùm in particulari, & 1
seorsim, sed etiam collectim, & totum eorum Ordinem in communi, ob omnimodam temporalium bonorum expropriationem, quam tam in communi, quàm in particulari profitentur, nil penitùs alteri dare, donare, seu largiri posse, ne quidem in eleemosynam, (nisi fortè ille, qui indiget, sit in extrema necessitate, ut observat D. Bonaventura *in* 4. *sent. dist.*15. *articul.*2. *quæst.*1. *in corp.*) vel ad aliam quamcumque causam piam, de rebus, quæ ad ipsorum usum concessæ sunt, sive intra, sive extra Ordinem, sine licentia dominorum earumdem rerum. Hócque patet ex dictis ferè ab initio *hujus Articuli, per singulos paragraphos,* & alibi.

Quare omninò reijciendus est Caramuel *in* 2
*Reg. D. Benedict. disp.*59. *num.*883. (quem meritò refellendum monet etiam Coronius *tom.* 1. *Controvers. celeb. lib.*4. *contr.*6. *cap.*3. *num.*113.) docens, non esse necessariam ex vi voti Paupertatis licentiam in subdito ad donandum Fratri ejusdem Conventus, ab eové accipiendum,

dum; ad mutuandum, item commodandum, & permutandum, etiam cum sæcularibus: quia (inquit) in ijs nun est proprietas, quæ sola est contra votum paupertatis: unde, si fiant absque licentia, peccari solùm posse contra obedientiam putat. At verè esset proprietas, saltem affectata, & imitativa, (ut ait *Cotonius*) quæ intervenit, quoties Religiosus aliquid agit, quod absque vera proprietate, vel dominio, vel saltem ex facultate, & concessione ejus, qui habet proprietatem, & dominium, agere non potest: hujusmodi autem est Pontifex respectu Fratrum Minorum, quoad res eorum usui jam addictas; qui proindè hanc facultatem largiendi cùm intra, tùm extra Ordinem nun concedit Fratribus subditis, nisi obtentâ suorum Superiorum licentiâ, ut statim dicemus, ex *Nicolao III.*

3 Cum igitur rerum, quæ ad Fratrum usum conceduntur, dominium, & proprietas penès Apostolicam Sedem sit, nisi illud sibi reservaverint hi, qui eas, Fratribus concesserunt; hinc clarum est, non posse Fratres ipsos neque in communi, neque in particulari quicquam de illis alteri, sive intra, sive extra Ordinem, dare, donare, seu largiri sine licentia Papæ, vel aliorum hujusmodi dominorum. Quapropter Nicolaus III. *in d. cap. Exijt: eo §. Quia verò: vers. De vilibus autem*: ut & in hoc Fratrum conscientijs, cùm Superiorum, tùm subditorum, omninò provisum foret, quoad ea, quibus tam Ordo, quàm Fratres utuntur, quæque, in Ecclesiæ dominio existunt; ita concessit: *De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus liceat ex præsenti nostra concessione Fratribus, (pietatis seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa) obtentâ super hoc priùs Superiorum suorum licentiâ, juxta quod inter Fratres in Generali, vel in Provincialibus Capitulis, tam de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus, & earum valore, quàm præfata licentia scilicet à quibus, & qualiter sit habenda, extiterit ordinatum; intra, & extra Ordinem alijs elargiri.* Hæc Nicolaus.

4 Hanc verò *Nicolai* declarationem, & concessionem confirmavit Leo X. eámque ampliando concessit, quòd non solùm Generalis, & Provinciales in Capitulis suis, sed etiam ipsi, ac eorum Commissarij extra Capitula arbitrari possint, quæ res debeant viles, & parvi valoris reputari, ad hoc, ut res hujusmodi possint dari intra, & extra Ordinem, & suis subditis ad dandum, & recipiendum licentiam concedere, prout eis, secundùm Deum videbitur expedire. Quam *Leonis* ampliationem referunt noster à Politio *in cap.6. Reg. num.16.* & ex ipso etiam Crousers *ad idem cap. Reg. lect. parænet. 4. §. Tandem:* & habetur *in Comp. Privil. V. Donare:* ubi etiam noster *à Sorbo*. Atque hi sunt Canones circa hoc: ex quibus sequentia omnia citra difficultatem inferuntur.

5 *Primum*, quòd nullo modo possunt à Fratribus Minoribus donari res immobiles, vel inter immobilia cõputatæ, sicut nec pecunia, vel alia hujusmodi, quæ ab ipsis recipi, & in usum assumi non possunt; quæq; proindè Pontifex nunquã in suũ dominiũ pro ipsis Fratribus recipit.

6 *Secundùm*, quòd res per Fratres donanda, debet esse vilis, vel parùm valens, juxta determinationem Ministrorum Generalis, vel Provincialium in suis Capitulis, vel extra illa; quod etiam ad Custodum, & prædictorum Commissariorum arbitrium determinandum extenditur. (Quæ autem res censendæ sint viles, & parùm valentes, dicetur *infrà*.) Cum enim Fratres Minores altissimam paupertatem profiteantur, clarum est, quòd, ut licitè aliquid elargiri sive intra, sive extra Ordinem possint, id tale esse debet, quod professoribus tantæ paupertatis elargiri non disconveniat; Non enim omnibus omnia convenire perhibentur. Quare, si indecens existimatur, potentes, & divites exigua conferre munera, multò magis dedecens censendum est, pauperes mendicos, summam paupertatem profitentes in muneribus dandis certare velle cum divitibus, seu optimatibus, & abundantibus in sæculo, taliáque & tanta erogare, qualia, & quanta vix licet, aut decet ipsos recipere.

7 *Tertium*; quòd res hujusmodi elargiantur Fratres *pietatis seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa.* Quare supposita etiam vilitate, parvóque rei donandæ valore, adhuc necesse est, ut res ipsa talis sit, quòd deceat illam dari à professoribus vitæ Religiosæ: non enim quælibet, esto vilia, & parum valentia, munuscula Religiosos donare decet, sed illa, quæ pietatem, seu devotionem, vel aliam honestam, & rationabilem causam, motivumvè præseferunt. Quapropter cavere valdè debent, & abstinere Fratres à munusculis vanis sæcularem, vel carnalem magis, quàm religiosum animum, affectúmque præferentibus, magísque assentatores, & lascivos procos decentibus, quàm homines Deo dicatos, votóque Castitatis adstrictos. Cavere etiam debent, ne munuscula cæteroqui vilia, vel parum valentia; ad pietatem, & devotionem suaptè natura ordinata, ex minùs honesta causa, vel motivo cuiquam donent, si volunt à reatu impietatis, sed & proprietatis esse immunes. Dixi, *sed & proprietatis*: quia posito etiam, quòd talia munuscula de ijs rebus sint, quæ in Ecclesiæ dominio existunt; adhuc in his non cõcedit Põtifex facultatẽ Fratribus dandi etiã de licentia Superiorum; & ideò qui dat propriã auctoritate, & perperam vel usurpatã, vel obtentã dat, & proprietatis culpã incurrit. Quòd si de rebus in Ecclesiæ,

Dominio non existentibus munuscula ipsa fuerint, sed ab alijs concedentibus habita, cum licentia donandi; adhuc illa nec Pontifice, nec Superiore consentiente, & recipiuntur, & donantur: Superior enim, esto consenserit, non consensit, nec dedit, nec dare potuit licentiam, nisi juxta concessionem licentiæ dandæ sibi à Pontifice factam; & ideò Frater illa donans, vel sine licentia, vel cum licentia nullius valoris donat, & proprietatis vitium incurrit? Sicut incurrit etiam qui re superflua utitur, etiamsi palliato necessitatis colore licentiam obtinuerit illâ utendi. Unde benè ajebat *Hugo de Dina* relatus à P. Joanne de Fano *in suo brevi discursu circa votum Minoricæ paupertatis, §. Frater Hugo*: Quòd omnia, quæ in Regula expressè non conceduntur, requirunt necessitatem, & dispensationem, seu licentiam: alterum si desit, causat proprietatem. Nam si desit necessitas, etiamsi adsit licentia, ea nulla est, & perindè ac non impetrata: si autem adsit quidem necessitas, desit verò licentia, non est id in dubium revocandum.

8 *Quartum*; quòd Guardiani; nisi à Capitulis, vel Prælatis majoribus, Generali scilicet, vel Provinciali, aut Custode, vel horum Commissarijs facultatem habeant, vel ex consuetudine id ipsis permissum sit, non possunt aut arbitrari de rerum donandarum vilitate, vel parvo valore, aut dare Fratribus sibi subditis (sicut nec possunt per seipsos elargiri) facultatem ad largitionem prædictam. Quare apud nos Capuccinos, quoad hoc, habetur pro Guardianis, (*Constit. cap. 6.*) & privatis Fratribus hujusmodi determinatio, vel statutum: *E perche niente possediamo in questo mondo, à niun Frate si lecito dare cosa alcuna à secolari senza licenza de' loro Guardiani; i quali non possono ancor essi dispensare, ne ad altri dare licenza, se non di cose minime, e vili, senza licenza de' loro Padre Provinciali.* Quod sanè, licet expressè loquatur de dispensatione, seu largitione extra Ordinem, intelligendum tamen est etiam de ea intra Ordinem; alioqui nec possent Guardiani dare suis subditis licentiam ad res minimas, & viles dandas intra Ordinem; cùm in eodem statuto talis eis facultas non concedatur. Cùm igitur hoc statutum (ut ex communi Ordinis praxi, & consuetudine, quæ optima legum interpres est, perhibetur) servetur à privatis Fratribus respectu suorum Guardianorum, quoad dandum etiam intra Ordinem; consequens est, quòd ita servandum sit etiam à Guardianis respectu Superiorum Majorum, Provincialium scilicet, vel Custodum. Atque ex eodem statuto clarè colligitur, plus aliquid posse Generalem, Provinciales, & Custodes concedere subditis elargiendum, sicut & per seipsos elargiri, quàm possint Guardiani: omnes tamen intra limites rerum vilium, & parum valentium, juxta ipsorum judicium sive in Capitulis, sive seorsim faciendum; ut patet ex declarationibus allatis *Nicolai III.* & *Leonis X.* Et ita docet etiam Cotonius *Controv. eeleb. lib. 4. contr. 6. c. 3. num. 88.* cum Pellizzario *tract. 4. cap. secundo num. 439.*

Quintum denique est; quòd largitio non fiat aut à privatis Fratribus, aut à Guardianis ultra Capituli Generalis in allato Constitutionum statuto concessionem ijsdem factam; absque licentia suorum respectivè Superiorum. Inquit enim aperte Nicolaus: *Obtentâ super hoc priùs superiorum suorum licentiâ, juxta quod inter Fratres in Generali, vel in Provincialibus Capitulis extiterit ordinatum.* Ordinatum autem apud nos Capuccinos exrat, ne Guardiani sine licentia Patrum Provincialium alijs dispensent, vel dispensandi facultatem dent, nisi res minimas, & viles. Quod tamen tùm ad ipsam licentiam Superiorum habendam; tùm ad rerum donandarum vilitatem, parvumque valorem attinet; Quænam scilicet licentia Superioris excuset subditum à proprietatis reatu: Et, quæ res viles, minimæ, vel parvi valoris censendæ sint; infra ampliùs elucidabitur, *§. sequente.* 9

Interim, quod dictum est, non licite Fratribus quicquam alijs donare sine suorum Superiorum licentia, sive intra, sive extra Ordinem; sciant Fratres ipsi, non intelligi de donatione illarum rerum, quæ sunt partus intellectus; quia hæ non sunt res Monasterij, aut Ecclesiæ; & ideò possunt hujusmodi res à Fratribus absque etiam Superiorum licentia licitè donari alijs cùm intra, tùm extra Ordinem, ut declaravit Clemens VIII. & tradit Gregorius noster à Marafalia *tract. 2. de casibus reservatis, pag. mihi 330.* 10

Quapropter in hac parte non assentior (nisi in casu prout dicam mox *infrà num. 13.*) opinioni Navarri *lib. 3. cons. in 2. edit. tit. de Regularibus, consil. 55. num. 9. & 10.* quem allegant, & sequuntur Rodericus *tom. 2. qq. Regul. quæst. 79. a. 2. in fine*, & Sanchez *in Decal. lib. 7. cap. 32. num. 13.* docentis, Religiosum transeuntem ad alium Ordinem non posse secum deferre scripta à se elaborata, tanquam partus proprij ingenij, nisi essent inutilia primæ Religioni, vel nisi crederet, non fore ingratam Superiori delationem; reliqua verò non nisi relictis copijs, vel originalibus, quibus efficeretur, delationem non esse Monasterio noxiam. Non, inquam, assentior huic sententiæ; quamvis enim delatio hujusmodi rerum sit Monasterio noxia, aut Prælato gravis; non tamen infert illis aut damnum, aut gravamen injustum; cum non sint res Monasterij, aut Ecclesiæ, aut in quas Prælatus ille habeat jus ratione voti paupertatis. 11

tis. Et certè (ait *Card. de Lugo*, hanc eandem sententiam respuens, *tom. 1. de just. & jure, disp. 3. sect. 11. num. 230.*) usus omnium hoc habet, ut omnia sua scripta, & partus ingenij proprij secum deferant, qui ad alium Ordinem transeunt: ad quod saltem est tacitus Prælatorum consensus, qui eo ipso, quòd abeundi licentiam concedunt, permittunt hujusmodi scripta deferri, quæ sunt maximè cum persona connexa, magis, quàm vestes, ad quas etiam est tacita licentia: quia quæ quisque sibi scribit, sunt quasi subsidia propriæ memoriæ, seu lucubrationes, & meditationes in charta expressæ, ad quas secum deferendas nec ipsi quidem Religiosi, quando ex uno loco ad alium mutantur, vel ab una provincia ad aliam, licentiam unquam petunt: Sicut neque ad Breviarium, aut vestes; quia hæc omnia videntur unum facere cum persona, quæ mutatur. Ità benè *de Lugo cit.* imprubans etiam, tanquam ineptum, remedium illud quod apponit *Navarrus*, & cum ipso Rodericus, & Sanchez relinquendi scilicet originalia, vel copias, ad hoc, ut delatio non sit Monasterio noxia. Nam; si Professus ille (inquit *de Lugo*) habet in promptu tomum aliquem edendum in lucem à se elaboratum, magnæ æstimationis, & deferat secum originale, vel copiam, eo ipso copia, vel originale, quod in primo conventu remanet, amittit suum pretium: si enim unicum esset, posset cum lucro à primo Conventu edi, quod non fiet, si Auctor secum aliquam copiam, vel originale defert: Hactenùs ille: Sicque sententia illa *Navarri*, & aliorum omninò explosa manet, præsertim per Declarationem Clementis VIII. de qua Marasalia *loc. cit.* testatur.

12 Quod tamen dicitur à de Lugo *cit.* de vestibus &c. non ideo procedit, quòd Religiosus transiens possit illas secum deferre, tanquam proprias, & suo juri stantes, eóque titulo quo partus proprij ingenij; sed ex tacita, seu implicita licentia Sedis Apostolicæ & Prælati primæ Religionis concedentium facultatem, & licentiam transeundi: ut enim benè *Navarrus citat.* neque ipsas vestes secum deferre posset Religiosus transiens, nisi quòd Sedes Apostolica faciendo facultates transeundi per se, vel per suos Sacros Canones, vel legitimam licentiam Superiorum tacitè videtur concedere ut illas deferat; cùm concesso uno, concedantur omnia, sine quibus id fieri nequit, juxta *quasdam leges*, per quas id tenet Aretinus: & non potest commodè transire, neque transire nudus. Cæterùm enim vestes, quas secum defert Religiosus transiens subsunt dispositioni Prælati illius Religionis, ad quam transit; unde cùm in ea emissurus est professionem Religiosus hujusmodi, vestes illæ, quibus indutus accessit, distribuuntur à Prælato, non à Professuro; (sicut fit per illos, qui ex sæculo veniunt:) prout statuitur etiam *in nostris Const. cap. 2.*

Quòd si quæras, an juxta doctrinam superiorem possit etiam Religiosus dare sæculari sine licentia aliquod suum opus manuscriptum, ut illud typis secularis imprimat, vel imprimi curet expensis suis, & libri impressi ipsius sint? 13
Respondeo affirmativè: & ratio utique est eadem: quia nimirùm nihil agit contra Paupertatis votum: nullius enim rei temporalis, quæ voto paupertatis subsit, dominium in alium transfert: & ita sentiunt Illustrissimus, & doctissimus Joannes Caramuel *in Commentarijs in Regul. D. Benedicti, disp. 59. resol 3. num. 831.* sed & *in commentarijs in Regul S. Francisci, cap. 6. num. 1987.* & Diana *p 7 tract. 11. resol. 16.* Quod expresè docuit etiam Joannes Valerius *in differ. utriusque fori, v munera differ 1. num. 106. in fine.* ubi ait: Quòd potest Religiosus tradere libros Typographo, ut sumptibus ejus imprimantur; ut quotidiè fit: quia vix est, Domus Religionis, quæ velit id suis sumptibus, & laboribus facere, nesciens, an liber futurus sit acceptus: quo casu non potest ulla Domus prætendere partem ex lucro per dictum Typographum capto. Ratio est; quia omne tale lucrum consurgit ex negotiatione imprimentis, & non ex libris (seu manuscriptis) qui de se non sunt fructiferi. Ita *Valerius*, qui tamen *in v. Regularis, differ. 8. num. 2* docet, quòd si Religio vellet suis expensis typis mandare libros, tunc non poterit Religiosus sua scripta alteri imprimenda tradere, sine licentia Prælati. Atque in hoc casu egomet consentirem opinioni *Navarri*, & *Sanchez supra cit.* quòd scilicet nec posset Religiosus transiens ad aliam Religionem secum deferre hujusmodi scripta, si qua paraverit. Hic tamen casus contingere nequit in Religione Minorum, ubi Regula in sui puritate servatur; cum huic non liceat neque in communi neque in particulari libros suis sumptibus imprimi facere ad negotiationem & lucrum; sed eo dumtaxat modo, quo dicemus *infrà art. 3. §. 11. num. 8.* hocque valde à Fratribus Minoribus observandum duco.

Et quod dictum est de partu ingenij, idem dic de mero usu membrorum, & operibus artis; ut cùm v.g. quis operatur quid in gratiam, & nomine alterius extra Ordinem, ipso faciendi operis materiam præbente, & nil de rebus Monasterij, vel per Religiosum operantem quæsitis insumendo. Undè, si Religiosus opus magni valoris faciat in gratiam alterius, illius sumptibus, illísque illud donet absque licentia, non peccat contra Paupertatem: quia paupertas non respicit usum membrorum, & opera: & res illa non est Monasterij; ut docent Caramuel *in Reg. D. Benedicti, disput. 59. num. 859.* (id tamen negans de Religioso converso; quod 14

egomet valdè probabile cenſeo, cum Religioſus Conventus, ſeu laicus peculiari titulo, & obligatione, ex tacita intentione Religionis eum recipientis ad manualia exercitia, & opera præſtanda membrorum uſum, & opera Religioni ipſi obſtrinxerit, & dicaverit) Diana *p.1. tract.1.reſ.6.* ex Valero, *v.munera, num.76.* & Cotonius *cit. num.*104. ſubdens tamen *n.* 105. quòd opus factum abſque intentione, & cautelis prædictis, non poteſt à Religioſo dari ſine licentia, etiamſi nil inſumpſiſſet de rebus Monaſterij, ſed à ſe ipſo extrà quæſitis: hócque malè permitti teſtatur à *Caramuele cit.* nec reſpui à Diana *p.7.tract.11.reſ.17.* nam opus artis acquiritur artifici, & Monachus acquirit Monaſterio. Non ſufficit tamen, quòd Religioſus tale opus faciat ea intentione, (ut putat Cotonius *cit. num.* 106.) etiamſi ipſe quærat extra Monaſterium materiam, & per ſe illam acceptet; ſtatim enim fit Monaſterij: ſed requiritur etiam ut ille, in cujus gratiam operatur, præbeat materiam, vel alius pro illo. Undè nec ſufficit, quòd benè exigit de Lugo *diſp.3.de juſt. ſect.8. num* 149. opus ſcilicet fieri non ſola intentione donandi; ſed etiam petitione donatarij præcedente; ut nempè poſſit dici, Religioſum operari, tanquam inſtrumentum illius, & ejus numine. Sed fortè ſubintellexit *de Lugo*, præbendam eſſe à donatario ipſo materiam: ideóque, illum immeritò refutat *Cotonius cit.* Hócque propter eandem rationem dicendum eſt etiam de rebus, quæ ſunt merè ſpirituales; ut ſuffragia Miſſarum, orationum, meritorum &c. ſic benè Cotonius *cit.num.*107. cum Diana *p.1. tr.6.reſol.9.* ait, non acquiri licentiam in celebrando aliquot Miſſas, ſibi permiſſas pro altero, gratis, quamvis ille accipiat eleemoſynam, vel aliud temporale emolumentum (niſi in prædictis omnibus, & alijs hujuſmodi obſtet ſpecialis Superiorum prohibitio, quæ certè cogeret: nam per votum Obedientiæ Fratrum, Prælati præcipientes jus etiam habent in voluntates & opera eorum, ut commune eſt apud Doctores: tunc autem peccaret Frater tranſgrediens non contra Paupertatem, ſed contra Obedientiam. Vbi tamen adverte, quòd in Minoritana Religione, ex antiqua conſuetudine, pręcepta Superiorũ (excipe verba ipſius Regulæ præceptiva, & prohibitiva; ex ſpeciali interpretatione mentis, & intentionis Seraphici Patris per Clementem V. *in Clement. Exivi: §.cum autem.* & ex communi conſenſu Expoſitorum, & Doctorum, Sanchez, *infrà cit.* & Navarr. *in Manual. cap.23. num.52.*) nunquam obligant ſub mortali, niſi quando dicunt, *Præcipio:* vel *Injungo*, aut *Prohibeo per ſanctam obedientiam*, vel ſimilia verba. Ita *Polititus* noſter cum Hugone de Dyna *in cap.10. Reg. num.55. & 56.* Sicque etiam in alijs Religionibus, quoad hoc, ſtandum eſt conſuetudini: & ubi de ea non conſtat, attendenda eſt materiæ gravitas, & neceſſitas; ut tradunt Sanchez *in Decalog. lib.6. cap quarto num.39.* & Diana *p.3.tract.6.reſolut.74.* cum alijs. Vide, quæ dicuntur *infrà caſu 2. §.3.num.12.& ſeqq.*

Atque ex dictis collige, Religioſum, qui litteras ſcribit, mittit, & recipit, abſque licentia Prælati, non tam peccare contra votum Paupertatis quàm contra Obedientiam, quatenùs eſt illi prohibitum. Charta enim ipſa litterarum præcisè, ſeorſim, & ſingillatim ſumpta non reputatur aliquid pretio æſtimabile; niſi fortè notabilis ejus quantitas, etiam paulisper ex incorrecta voluntate, in his inſumatur; vel niſi in charta cæteroquì nullius pretij exarati eſſent characteres aurati, vel effictæ picturæ pretio æſtimabiles, auro, vel coloribus ab ipſo Religioſo quæſitis. Vide Cardin. de Lugo *cit.num.*147. & Navarrum *in Comment.2.de Regul.num.*13. ubi rem hanc ex profeſſo ediſſerit, *ſuper cap.Non dicatis*:12.q.1. & abſolutè docet, eſſe contra votum Paupertatis hiſce verbis: *Quarto nota, quòd peccat Regularis accipiens, vel dans literas ab alio, ſine Superioris conſenſu, &c.* & hoc probari ait ex textu *d.cap. Non dicatis.* & videtur (inquit ille *ibid.* poſt pauca) peccare contra Votum Paupertatis &c. Idipſumque etiam tangit *Conſil. lib.5. conſ.33. n.3. & 4.* Atqui ab ipſo ego non diſſentio; neque enim abſolutè nego, Regularem prædictum peccare contra Votum Paupertatis; ut patet ex modo dicendi ſuprà poſito, ſi benè attendatur: eo ſiquidem ſignificare volo, poſſe per actum clandeſtinæ miſſionis, aut receptionis literarum, leviſſimè, aut ferè nihil lædi Paupertatis Votum ratione materiæ actui ipſi ſubſtratæ cæteroquì levis, aut nullius momenti, vel pretij; at graviùs lædi Votum Obedientiæ ratione violatæ legis prohibitivæ talis actus, qui utique apud nos Capuccinos prohibetur *in Conſtitut. cap.10.* relativè ad *Canonem dicti cap. non dicatis:* ac proindè cadit ſub prohibitione Canonica.

Cæterùm, ſi de alijs rebus ad communem Fratrum hujus, alteriuſvè Conventus, aut alicujus Fratris particularis uſum deſtinatis, aut etiam de ſibi ad proprios duntaxat uſus conceſſis, quis Fratrum ſine Superioris licentia diſpenſet, ſeu elargiatur in notabili quantitate, ſive intra, ſive extra Ordinem peccat mortaliter, & incidit in reſervatum; vel furti de rebus Monaſterij, vel proprietatis, adeóque peccat tùm contra juſtitiam, tùm contra Religionem, ideſt contra votum paupertatis, & contra reverentiam Deo debitam, cui ille ſe infidelem exhibet in promiſſis. Id, quod aliqui Doctores (ut Vivaldus, & Paſſarellus, quos refert, & reijcit Lezana *tom.1.ſum.cap.6.num.57.* D. etiam Antoninus, 15

ninus, & Gerson apud Sanchez *cit. cap.* 20. *n.* 1. quos & *Cotonius cit.* refert, & respuit) adeò exaggerant, ut nec materiam levem in hoc peccato admittant: tametsi audiendi noo sintiquia generale est, quòd etiam in votorum transgressione detur parvitas materiæ; (ita ut vouens neque ex propria voluntate, neque à Prælato præcipiente etiam in virtute S. Obedientiæ obligari possit sub mortali in materia levi, nisi adsint circumstantiæ aggravantes; cum talis voluntas sive in vovente, sive in Prælato sit rationi dissona; ut contra Fagundez *pra.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *num.* 15. & alios docet Cotonius *cit. lib.* 1. *controv.* 12. *cap.* 2. *num.* 15. cum Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 1. *numer.* 4. *& tom. primo de matrim. disput.* 9. *numer.* 6. & Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 24. *& p.* 5. *tract.* 5. *resol.* 50. apud quos plures alij) neque Paupertatis votum, etiam in Fratribus Minoribus, quoad hoc, aliquid speciale continet, ob eujus rationem excipi debeat à Regula communi. Videantur Navarrus *lib.* 3. *consil. titul. de Regularibus, cons.* 75. aliàs 3. *de statu Monachorum, num.* 18. Azorius *tom.* 1. *Institut. moral. lib. duodecimo cap. duodecimo, quæstio. sexta*, alios referens Saochez *lib. septimo in Decalog. cap. vigesimo, num. secundo.* Suarez *tom. tertio de Relig. lib. octavo cap. sexto numer. quarto*, Castro Palao *p.* 3. *sum. mor. tractat. decimosexto, disputat. tertia, p. vigesimo, num. primo,* Div. Antoninus *tertia p. tit. trigesimosexto paragrapho undecimo*, Sylvester *in sum. vers. Religio* 6. *quæst. septima* & iterum Navarrus *in cap. Non dicatis: tom. primo, quæst. prima, num. quadragesimoquarto*, Marasalia *cit. pag.* 329. & omnes Regulæ Expositores. Nam Frater ille, quantùm etiam ad res sibi in usum concessas, est simplex usuarius, & quidem de facto simplici; usuarius autem etiam propriè dictus, & de Jure, nequit de rebus tantùm ad usum proprium concessis in alios usus dispouere, aut eas alienare donando &c. quod à fortiori dicendum est de rebus ad Conventus, vel Fratris particularis usum destinatis. Quemadmodum etiam petere, vel recipere aliquid animo, & intentione alicui alteri etiam pietatis intuitu extra Ordinem donandi, actus proprietatis est, si propria auctoritate absque licentia ipsius dantis donetur: in hoe enim non sufficit licentia Prælati, eum res, quæ petitur, & reeipitur, ut extra Ordinem donetur, in Ecclesiæ dominium non transeat; & ideò eius dispensationis auctoritas ad Prælatum non pertinet, ut benè observat Politius ad *cap.* 6. *Regul. numer.* 26. & communiter Regulæ Minoricæ Expositores.

SEGMENTI SECUNDI
SUMMARIUM.

16 *Quantitas notabilis in donandis rebus Conventus, quæ dicatur, ad proprietatis reatum incurrendum?* & num. 17. *ubi variæ Doctorum sententiæ adducuntur.* & n. 21.

17 *Religiosus qui donat quantitates parvas ex habitu & incorrecta voluntate, etiam intra Ordinem, vel iniqua partialitate cui maluerit Fratrum res conventus dispensat, furti, & proprietatis reatu tenetur.* ibid.

Et Religiosus iniquam dispensationem recipiens, fit partieeps delicti. ibid.

Similiter de Prælato sciente & consentiente. ibid.

18 *In Proprietatis reatu contra votum Paupertatis quæ dicatur materia gravis, ex sententia Authoris.*

Quantitas notabilis & gravis quæ æstimetur in furto. ibid. & num. 19.

19 *Furti materia in se considerata diversas patitur latitudines & limitationes:* & numer. 20.

Furti materia gravis, vel levis, dijudicari debet ex triplici personarum statu, & circumstantijs, ad peccatum mortale. ibid.

Nummus argenteus quid sit? juxta variorum opiniones quæ referuntur. ibid.

21 *Religiosi in communi considerati, neque Magnatibus, neque etiam infimæ sortis hominibus comparantur, sed reputantur personæ communis fortunæ circa res ad ipsos pertinentes.*

Furti malitia in quo consistat? & qualiter differat à malitia proprietatis contra votum paupertatis religiosæ. ibid.

22 *In violatione voti, paupertatis, & Religionis, non semper violatur justitia erga proximum.* & num. 29.

23 *Reatus proprietatis contra votum paupertatis, differt à reatu furti à Religioso commissi: & uterque casus explicatur quando sit reservatus, nec ne, ex* Bulla Clementis VIII.

Religiosus surripiens conciones, vel alios partus ingenij ab alio, quale delictum committat. ibid.

24 *Religiosus surripiens aliquid notabile de rebus ad particularem usum alterius Fratris concessis, an incidat in casum furti reservatum per* Bullam Clem. VIII.

25 *Furti delictum inter Fratres Minores semper involuit reatum proprietatis, qui est casus reservatus.*

Explicatur Bulla Clementis VIII. *in hac materia ejusque Declaratio.*

Propriè

Proprietatis reatus si incurratur in recipiendo sponte oblata sine Superioris licentia, multo magis surripiendo sive à domesticis, sive ab externis. ibid.

26 *Voti paupertatis violatio gravis est, non solum quoties violatio justitiæ secundum se gravis est, sed etiam ex levi, & nulla violatione justitiæ, & ob solam proprietatem.*

27 *Voti erogandi in eleemosynam tres aut quatuor argenteos transgressio gravis est; licet furtum talis summæ possit non esse grave:* & num. 28.

28 *Voti paupertatis violati gravitas vel levitas desumi potest ex voti eleemosynæ transgressione gravi, vel levi.*

Voti paupertatis violatio non desumitur ex damno quod patitur Monasterium, sed ex detrimento virtutis. ibid.

Votum Paupertatis est basis Religiosi ædificij: & in quo propriè consistat. ibid.

29 *Iustitia erga proximum non semper violatur, sicut semper violatur quoad Deum per proprietatis crimen contra votum paupertatis: ut explicatur* ibid. & num. 30. & 31. cum seqq.

31 *Voti paupertatis violatio in quo propriè consistat.*

16 SI autem quæras, quænam eenseoda sit quantitas notabilis seu gravis, quænam verò levis, & parva, ut proprietatis peccatum grave, illudque reservatum, (apud oos Capuccinos saltem acceptatum) vel leve, & noo reservatum judicetur?

17 Respondeo, rem esse ob tantam seotentiarum varietatem valdè difficilem, certam in hac materia statuere Regulam. Aliqui e oim, ut Coriolanus noster *2. p. casu* 8. *versic. ut autem Religiosus*: Juniperus *de casib. reserv.* & alij materiam gravem eam arbitrantur, quæ sit valoris duorum argenteorum. Marasalia noster *citat. pag.* 327. referens, prædictam seotentiam coosentite se ait opioioni *Navarri*; ut scilicet ea quantitas notabilis in hac materia censeoda sit, quæ ascendit ad uoum numerum argenteum, vocatum ab Hispaois *Reale*, & io Sicilia *Tarenum*: citatque ille etiam Graffium *in pract. cas. reserv. lib.* 3. *c.* 7. *de furto, n.* 13. & consentit Corduba *in sum. de casib. q.* 109. *pu.* 2. Noster verò à Sorbo *in comp. Privil. v. Dare*, io Declaratione Bollæ *de largitione munerum*, teoet quantitatem duorum *Iuliorum* esse materiam sufficieotem ad culpam gravem. Ildefoosus de Meodoxa *in quodlibetis, quodlib.* 8. doos argenteos non esse gravem materiam ceoset. Nostri item Crousers Aotuerpiensis *ad cap.* 7. *reg. lect. paranet.* 14. & Gesualdus *p.* 1. *tract.* 27. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 10. usque ad tres Julios eam extendunt: & ita docet etiam Layman *lib.* 3. *de Inst. tr.* 3. *p.* 1. *cap.* 1. *q.* 1. Bassæus noster *in suis Floribus Theol. moralis, v. casus reservatus,* §. 4. materiam gravem appellat, quæ ad quatuor argenteos, vel *Reales* pertingit: & hanc judicat probabiliorem senteotiam Homoboous *de casib. reserv. p.* 3. *cap.* 3. Sorbum nostrum secutus, vult, quantitate duorum; aut trium *Iuliorum* lethalem culpam conflari, attento Religiosorum statu, qui paupertatem profitentur. Noster verò Caspensis, *de restit. disp.* 5. *sect.* 7. ad quioque etiam *Iulios* illam exteodit, oisi minor fuerit à Superiore assignata quantitas. Aliqui etiam dicuot, materiam dubiam io furto, an sit gravis, nec ne, esse absolutè gravem io casu proprietatis. Ita tenet Thomas à Jesu apud *Lezanam cit.* Plerique taodem animadvertentes, tot ferè in hac re seotentias esse, quot capita, eò deveniunt, ut id judicio, & arbitrio boni viri, ac prudeotis, pro temporum, locorum, Religiooum, personarum, aliarumque circumstantiarum differentia dijudicandum relioquant. Ita Miranda *in Manuali, tom.* 1. *q.* 28. *artic.* 17. *conc.* 2. *in princ. & fi.* At ferè omnes in esculentis quantitatem ampliant magis, quàm io reliquis; ut *Carpensis cit.* Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 41. & alij passim. Sicut etiam ferè omnes conseotiunt, quantitates parvas ex habitu, & iocorrecta voluntate furtim surreptas, & donatas, vel propria auctoritate distributas, etiam iotra Ordioem, contiouari, tandemque coalescere in materiam gravem. Quapropter Marasalia ooster *cit. pag.* 339. in casum reservatum furti de rebus Monasterij Officialem illum iocurrere ceoset, qui fideliter v. g. comestibilia oon dispeosat; sed illa vel sæcularibus, vel etiam cui maluerit Frattum ioiqua partialitate dispeosat; ut sunt froctus, & alia hujusmodi, sive esculenta, sive non. Nam tunc, ultra quòd peccat mortaliter, cùm ad ootabilem quantitatem pertingit, sive id unica vice fiat, sive pluribus ex habitu, & iocorrecta voluotate procedentibus, & iocurrit io casum furti, est etiam putridus proprietarius. Et ratio est convincens; quia defraudat Communitatem, & Commuoitas id quod habet, habet nomine Monasterij: ergò de fraudando Communitatem, defraudat pariter & Monasterium, & per consequeos furtum censetur de Monasterio, vel Cooventu, & est casus reservatus furti cum actu proprietatis exercitus. Ità ille. Sed hæc doctrina, quoad quantitatem rei modificanda est, ut iofra dicemus. Videatur tamen D. Booaventura *in p.* 1. *speculi disciplinæ, cap.* 4. Et quod dictum est de Officialibus, seu admioistratoribus Mooasterij, dicendum est etiam de ijs, qui ab illis accipiuot; suot enim furti participes, & (si Religiosi sint) etiam Voti paupertatis prævaricatores, ut ex D. Thoma 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. Navarro, Molina, & Sylvio tradit Bassæus noster *tom.* 2.

tom. 2. Horum: v. Paupertas Religiosa, num. 8. Immò dicendum est etiam de Prælatis, qui hujusmodi infideles dispensationes aut faciunt, aut fieri consentiunt, ut tradit idem Bassæus *cit. ex cap. Fraternitatem, de donat.* Sanchez, & Graffio, & *ibid. num.* 11. *vers. ex quibus:* ex Lopez, Roderico, & Barthol. à S. Fausto: ait enim *ibi*, quòd Religiosus, qui etiam de licentia Superioris utitur rebus Monasterij ita abundanter, ut reliqui Religiosi patiantur necessitatem, peccat; quia ita faciendo facit injuriam alijs, cum bona Monasterij pro indigentibus communia sint, & tantus potest esse excessus, ut peccet mortaliter contra votum Paupertatis, tam dispensans Superior, quàm dispensatus: quia ex officio tenetur Prælatus fideliter, & rationabiliter dispensare bona Monasterij; & non aliter, quàm Ordinis Regula, vel consuetudo, aut Superiorum Prælatorum voluntas ipsis permittit, Ita ille *utroque loc. cit.*

18 Ut igitur ex tanta sententiarum varietate communiorem, eámque probabiliorem amplectâmur, subscribo ei, quæ, ex relatis est *Bassæi* nostri: Quòd scilicet ea sit in materia proprietatis contra votum Paupertatis censenda materia gravis, quæ ad valorem pertingit trium circiter, vel quatuor argenteorum, seu *Realium*, vel *Iuliorum.* Hanc tenent Suarez *primo loco cit. num.* 9. & Castro Palao *item cit. num.* 3. estque ad Regulæ amussim, quam tradunt Azorius, & Sanchez *cit.* & communem testatur Castro Palao *cit. num.* 2. inquiens: Communis sententia affirmat, ex materia furti, (seclusis circumstantijs) hanc gravitatem, vel levitatem esse desumendam; itaut illa sit in materia proprietatis gravis materia, gravéque peccatum constituat, quæ ex se in materia furti gravis est, gravéque peccatum constituit; illa verò sit levis materia, & leve peccatum, quæ in materia furti levis est, nec culpam venialem excedit. Sic tradunt *Azorius, Navarrus, Sanchez relati.* Dixi, (sequitur ille) debere desumi banc gravitatem ex materia furti, secundùm se, & seclusis circumstantijs personæ à qua furaris. Nam certum est, ab homine paupere sæpè esse grave peccatum furti, si surripias argenteum unum, vel duos, ob damnum grave, quod indè patitur: è contra esset peccatum leve surripere à Rege, vel homine ditissimo duos, vel tres aureos, si solùm spectetur damnum, quod indè accepit. Nun igitur ex hac diversitate gravitas, vel levitas violationis voti paupertatis desumenda est, sed ex materia furti, secundùm se, & seclusis his circumstantijs: cujus gravitas, vel levitas desumenda est ex eo, quòd res suscepta graviter conducat ad humanas actiones, & hominum necessitates sublevandas; ut benè notavit Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 7. affirmans, infra aureum non esse censendam materiam graviter supradicto fini conducentem. Ità ille, cui consentit Vincentius Filliucius *tom.* 2. *p.* 2. *tract.* 31. *c.* 10. *n.* 239. ubi docet, quòd etiamsi summa unius aurei videri possit modica respectu divitum, & Regum, revera tamen non est, si divitis, vel Regis omnia munera, & onera spectentur ad ea enim sublevanda talis summa notabiliter juvare potest: citátque Petrum Navarrum *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 31. Lessiúmque *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 1. *num.* 29. apud quem *Sotus.*

Adhuc tamen materia furti, secundùm se, & seclusis circumstantijs; juxta prædictam Regulam considerata, diversas patitur latitudines, & limitationes; ut patet consideranti. Quantitas enim conducens ad prædictum finem, sublevandarum, scilicet hominum necessitatum, & actionum, alia profectò censenda est in divitibus, & Magnatibus; alia in mediocribus; alia in pauperibus, qui suis laboribus victitant: ita ut in primis talis censenda sit quantitas unius aurei; in secundis dimidij aurei, vel unius *Floreni*, hoc est sex *Iuliorum*; in tertijs duorum, vel trium *Iuliorum.* Hæc enim quantitas hujusmodi respectivè personis conducit ad ipsarum commoda habenda, & onera ferenda unius diei; ut benè tradunt Filliucius *cit. n.* 240. & Reginaldus *mox citandus.* 19

Atque hinc statim iterum oritur diversitas sententiarum in assignanda quantitate, seu materia gravi in furto, etiam absolutè, & secundùm se. Nam Lezana *supra cit.* cum Mendoza, & Rebello ait: In furto communiter, & regulariter loquendo, & seclusis circunstantijs personarum: duo *Iulij*, aut *Reales* Hispani putantur gravis materia, & minùs prædictis duobus *Iulijs*, seu *Realibus* materia levis: Et idem repetit *tom.* 3. *v. Furtum, num.* 3. Filliucius verò *cit. num.* 240. *in fine* ait: Qui tamen absolutè tres *Iulios* censeret esse notabilem quantitatem, respectu omnium, satis probabiliter existimandus esset opinari; & in praxi satis expedita sententia esset; eámque magna ex parte sequitur Metina, Toletus, Navarrus, & Lessius: Reginaldus autem *tom.* 2. *Praxis fori pœnitent. lib.* 23. *q.* 4. *num.* 18. *in princ.* ex Medina, & Petro à Navarra fatetur, non posse in re proposita, scilicet in judicando de quantitate, ex qua furtum est peccatum mortale, statui certam regulam, loquendo de furto, secundùm se, & sine ordine ad personam: quia furtum eatenùs est mortale, quatenùs grave damnum alteri infert: unde non potest intelligi, & dijudicari damnum ipsum furto allatum, quin intelligatur persona damnum passa, ejúsque dijudicetur conditio, saltem in genere; juxta triplicem personarum statum supra allatum ex *Filliucio.* Nam quantitatem, quam prædives pro nihilo habet, homo communis sortis magni facit, pro 20

suis

suis familiaribus usibus, & domesticis necessitatibus sublevandis: & iterum quam hic parvi æstimat, pauper magni facit. Unde in hoc non potest alia Regula generalis tradi, quàm quæ traditur ab eodem Reginaldo *ibid. num. eod. in fine.* hisce verbis. Adjudicandum autem, quamnam quisque quantitatem habeat pro magna; putarim considerandum esse id, quod ei pro sua conditione sufficeret ad hominem non infimæ sortis sustentandum per integrum diem: humano enim modo talis quantitas non solet modica reputari: Hæc ille; qui *num.* 19. in particulari determinans, sibi placere ait, qood visum est Petro à Navarra, alijs citatis, *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *num.* 39. nimirum talem quantitatem respectu divitum esse circiter unius nummi aurei, vel scuti Romani seu sexaginta assium, (sexaginta autem asses constituunt nummum argenteum unius unciæ: ut ex Prisciano docet Calepinus, *v. Denarius*, Cui concinit etiam Lyranus *in cap.* 26. *Matth.* ubi docet argenteum nummum valere decem nummos usuales, idem decem *Iulios Romanos*: ut interpretatur Mastrillus *de Passione Domini*, *p.* 2. *serm.* 5. tametsi secundùm *D. Ambrosium* apud Cornelium à Lapide *in d. locum Matth.* & secundum Rupertum *in eund. locum*, per argenteum nummum intelligatur *Iulius Romanus*, seu *Regalis Hispanicus*, qui pendit Drachmam unam argenti, paulò minùs, cum octo Drachmæ faciant decem *Iulios*: secundum Josephum verò, Hieronymum, & Agricolam apud *Mastrillum cit.* & alios apud *Cornelium item citat.* argenteus nummus idem sit, ac Siclus, vel stateres, seu *Florenus, Germanicus*, vel *Brabanticus*, cujus pondus est dimidium unciæ, quod quatuor drachmas reddit, quarum singulæ faciunt unum *Iulium Romanum*, paulò plus, cùm decem *Iulij* faciant octo Drachmas, quæ sunt pondus scuti, aureivè Romani: at secundùm Budæum, Suarez, Riberam, & alios apud eundem *Cornelium cit.* argenteus nummus pendat duas tantùm drachmas Atticas, sive duos *Iulios* aut duos *Regales* Hispanicos, paulò plus, quòd est dimidium *Florens*, Germanici, vel Brabantici: Vide Cornelium à Lapide *loc. cit.*) respectu verò personarum communium circiter viginti assium, (hoc est tertia pars nummi argentei unius unciæ) & demum respectu pauperum circiter septem assium, (viginti circiter solidorum, hoc est unius, ac dimidij *Iulij*, ut explicat Paulus Comitolus *lib* 4. *respons. mor q.* 23. *n.* 3.) sicque, respectu horum (nempe pauperum) benè habere locum perhibetur sententia Navarri *in sum. cap.* 17. *num.* 4. judicantis lethale furtum, quod est unius Drachmæ, ac dimidiæ, sive unius, ac dimidij *Iulij*, argentei, vel *Realis*: quam sententiam respectu horum non improbat D. Antoninus *in* 2. *p. sum. tit.* 1. *cap.* 15. §. 3. tametsi nimis strictam censeat *Comitolus cit.* sed immeritò; cum & ipse *ibidem num.* 5. hanc regulam tenendam concludat, furtum illud esse lethale, quamvis in re minima fiat, ex quo magnum aut detrimentum, aut incommodum capit, rei dominus; vel quod ab animo proficiscitur aut rem magnam surripiendi, aut simpliciter alteri nocendi; reliqua furta his contraria, esse levia. Ita ille.

Hisce tamen diversitatibus opinionum non obstantibus, à proposita sententia in dijudicanda materia gravi casus proprietatis non recedo. Ea enim media profectò est, nec nimis aut laxat, aut arctat Fratrum conscientias: eámque præter Doctores citatos tradit etiam Peyrinus *tom.* 2. *de Prælato, q.* 3. *cap.* 2. *n.* 52. alios referens: quin etiam valdè probabilem judicat Lezana *secundo loco cit. suprà*, tametsi paulò ipse strictiùs docens, ut retulimus cum Quaranta *in sum. v. casus reserv. num.* 9. & Mario Andria, ac Sorbo; quibus accedit Bonacina *in tractationib. varijs, disput.* 3. *pu.* 5. *num.* 5. *vers. Ego censeo* Eadem verò rationabilis, discretáque perhibetur, si consideremus Fratres, (ut decet) cùm de hoc casu agitur, tanquam surripientes, nec prædiviti, vel Magnati, nec infimo pauperi; sed personæ communi; respectu cujus, secundùm *Fillincium citat.* materia gravis est, cùm ad dimidium aurei, sive ad unum *Florenum*, hoc est ad sex *Iulios* pertingit; secundùm *Reginaldum* verò, cùm ad viginti circiter asses; qui etsi secundùm *Calepinum, & Priscianum*, duos tantùm conflent denarios, seu argenteos nummos, hujusmodi tamen duo argentei nummi sunt tertia pars unius unciæ, cui profectò vix æquipollet valor trium circiter, quatuorvè *Iuliorum*, seu *Realium*, quæ communiter à Doctoribus etiam *Argentei* appellatione nuncupantur. Quare cum neque ad totam illam quantitatem extendatur sententia nostra, non potest ipsa non rationabilis videri, nec censeri potest exorbitans. Illam autem magis arctare, nimis durum videtur, ob suppositam considerationem; ampliare verò, seu laxare, est plus æquo laxare habenas, & aperire viam ad liberiùs delinquendum, ansamque præbere ad neglectum voti Paupertatis, quô Fratres Minores se Deo obstrinxère: quòd sanè in hisce casibus valdè considerandum est; illud etiam semper præ oculis habendo, quod diversa est ratio dijudicandæ malitiæ furti, ac malitiæ proprietatis: nam malitia furti, qua tale est, desumitur ex damno, quod proximo infertur, attentis circumstantijs; at gravitas peccati proprietatis non indè præcisè desumitur, sed ex re ipsa, quæ invito superiore usurpatur, atque adeò ex sola voti paupertatis violatione: ut tradunt *Bonac. cit.* & Bassæus noster *tom.* 2. *Horum v. Paupertas Religiosa, num.* 3. 21

num. 3. verſ. ſummam ergò: cum communi Doctorum ſententia. Undè aliquando poterit eſſe peccatum mortale ratione furti, non autem ratione proprietatis; & è converſo; ut exemplis patet apud *Doctores citatos*.

22 Quare ad probandum, quòd non ſit ampliandа quantitas trium circiter, vel quatuor *argenteorum*, ſeu *Iuliorum*, vel *Realium* aſſignata; illud etiam notandum eſt, quòd in hujuſmodi caſibus non agitur tantùm de violatione juſtitiæ erga proximum, ſed ſimul, & præcipuè de violatione juſtitiæ erga Deum; nimirum de violatione voti Paupertatis, & Religionis, quod utique ſemper violatur, non autem ſemper violatur juſtitia erga proximum, idest per furti reatum, quotieſcúnque quis Fratrum de re aliqua temporali ſine Superioris licentia, ut præfertur, diſponit, donando, vel recipiendo: ut mox dicetur.

23 Alius eſt enim Caſus, in ordine *Clementinæ*, Quartus, reſervatus, vel reſervabilis, nempè Proprietas contra Votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale: alius *Octavus*, Furtum nimirum de rebus Monaſterij in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. Hique in eo præcipuè diſtinguuntur inter ſe, quòd *Quartus Caſus* reſervat' attentatam Religioſi proprietatem quorumcúnque bonorum temporalium, ſive Monaſterij, ſive alterius perſonæ ſæcularis. Nam, ſi Religioſus bona ſæcularia contra voluntatem ſuorum Dominorum uſurpaſſet donanda, ſive extra Ordinem, ſine dubio vitium proprietatis reſervatum committeret, & in *Quartum Caſum* incideret: ſed non in *Octavum*, cum ea proprietas non eſſet furtum de rebus Monaſterij: ſiquidem ea bona in Monaſterium, ſeu (apud Fratres Minores) in Eccleſiæ dominium non ſunt tranſlata. Quocirca, ut in *Octavum Caſum* incidat, debet ex rebus Monaſterij eſſe furtum, & proprietas. Neque ab hoc furto excuſatur Religioſus, tametſi bona uſurpata uſui alicujus Religioſi deſtinata ſint; quia ex hac deſtinatione non deſinunt illa bona eſſe Monaſterij, ſeu Eccleſiæ, ſemper enim Monaſterij, ſeu Eccleſiæ ſunt, dum conſumuntur, ſi uſu conſumptibilia ſint. Neque item excuſatur, tametſi bona non ſint alicujus Conventus determinati, qualia ſunt bona totius Provinciæ, & quæ ejus uſui deſtinata ſunt. Satis enim eſt, quòd ſint omnium Conventuum; nam eo ipſo ſunt & illius, & aliorum; ut benè notavit Suarez *tom. quarto, de Religionib. tractat. octavo, capit. decimooctavo, numer. undecimo*, & ex ipſo Ferdinandus de Caſtro Palao *ſum. moral. part. quarta, tractat. vigeſimotertio, diſput. un. punct. decimoquinto, numer. vigeſimoprimo.* Excuſaretur tamen à reſervato, etſi non à mortali, ſi id gravitas materiæ ferat, ſurripiens alteri Religioſo verbi gratia, ſcripta aliqua poſt Conciones, vel hujuſmodi partus intellectus ipſius, quippè quæ non ſunt bona Monaſterij, adeóque nec materia aut proprietatis, aut furti reſervati; ut diximus, *ſuprà*.

Et quamvis Diana *part. prima, tract. ſexto, reſolut. quadrageſimaquarta*, cum Petro de Ledeſma, *in addition. ad ſum. tom. ſecundo, capit. quarto, dub. duodecimo*, & Hieronymo de Cenedo *tractat. de Paupertat. Religion. dub. decimonono, num. vigeſimoprimo*, abſolutè neget, furtum reſervatum committi à Religioſo furante aliquid notabile de rebus particularibus ad particularem uſum alterius Religioſi conceſſis, &c. eam ex *Cenedo* rationem adducens; quia videlicèt res illa non eſt de rebus Monaſterij, ſeu Conventus, de quibus procedit reſervatio furti, ſecundùm *Bullam Clementis VIII*. 24

Nihilominus non ei aſſentior; quia ratio illa non ſubſiſtit. Verè enim res omnes, quæ ſunt ad uſum, non ſolùm communem omnium Religioſorum, ſed etiam ad particularem ſingulorum, ſunt res Monaſterij, ſeu Conventus, quoad dominium, & proprietatem; (ſi Monaſterium poſſidcat) ut fatetur etiam ipſe Cenedo; & ideò directè veniunt nomine rerum Monaſterij, (id, quod perperam negat ille) propriè, ſtrictéque loquendo, & civili modo (ut eſt communis Regula apud Juriſtas pro ſtatutorum, & Legum intellectu, in dubio) non impropriè, & abusivè, ſeu modo captioſo, & calumnioſo. Æquè enim res iſtæ omnes, velut res Monaſterij, ſeu Conventus, ſubjiciuntur liberæ diſpoſitioni Prælati. Neque eſt veriſimile, quòd in Decreto Clementis VIII. reſervetur furtum de ijs tantùm Monaſterij rebus, quæ ad nullius Religioſi uſum particularem conceſſæ ſunt; &, prout diſtinguitur à furto de rebus ad uſum particularis Religioſi conceſſis; benè autem prout diſtinguitur à furto de rebus exterorum, ut appoſitiſſimè inſinuat Layman *lib. quarto, tractat. quinto, capit. ſeptimo, numer. quarto, verſicul. Atque hæc fermè*: in materia *Comeſtibilium*. Quare iterum affirmo, quod dixi; adeóque mihi Coriolanus noſter, qui *in tractat. de Caſibus reſervat. part. ſecunda, caſ. octavo dubit. quinto, numer. decimotertio*, ex *Sorbo* item noſtro teſtatur ità declaraſſe, ipſummet Clementem VIII.

Nec juvat dicere, ad hoc, quod inſinuat Diana *ubi ſuprà*, nimirum de illa Declaratione, non conſtare authenticè. Sufficit enim mihi, quoad obligationem ſaltem cou- 25

ſcientiæ, quòd conſtet per teſtes fide dignos, cujuſmodi ſunt *Sorbus*, & *Coriolanus*. Addo, quòd datâ, & non conceſsâ prædicta ſententiâ, adhuc apud nos Capuccinos tale furtum eſſet reſervatum, quatenùs eſt peccatum proprietatis, quæ apud nos eſt reſervata, & ſemper in furto involuitur; ut patet ex dictis *ſuprà*: & quoad hoc, concordant *Ledeſma* ipſe, & Diana *citat. reſol.* 45. Neque iterum veriſimile eſt, quòd Pontifex Clemens ſub nomine peccati proprietatis contra votum Paupertatis, adeóque reſervati, apud nos intelligat ſolum actum diſſipandi, ſeu dandi ſine licentia Prælati, ad modum Domini, ut videtur admittere tanquam probabile, Ledeſma *ibi* apud Dianam *citatum*; atque adeò ſecundùm hoc fundamentum excuſari à peccato proprietatis reſervato furtum Religioſi, de quo hic *ſuprà* ſi in proprium duntaxat uſum rem illam furetur &c. Proprietas enim conſiſtit in contrectatione quacúnque rei temporalis ſine licentia Superioris. Quis verò magis quidquam ſibi appropriat, & ſine Superioris licentia contrectat, quàm qui furatur? Et quidem omne furtum in Religioſo eſt contra Votum; (ſcilicet Paupertatis,) & prout eſt mortale, vel veniale in ratione furti, ità in ratione ſacrilegij: ut optimè ait Leſſius *lib. 2. cap* 41. *dubit. 9. num.* 78. *verſic. ſeptimò non poteſt*. Præterea, ſi Religioſus non poteſt ſive ab externis, ſive à domeſticis quidquam accipere, ſeu acquirere, etiam ſpontè oblatum, ſine Superioris licentia, vel conſenſu, quin ſit reus violati Paupertatis voti, atque adeò proprietatis: ut tradunt Leſſius *cit. verſic. ſextò, non poteſt*: Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 6. verſicul. quintò violat*: & communiter Doctores ex *c. cum ad Monaſterium: de ſtatu Monachorum*, §. *Prohibemus: verſ. undè, ſi quicquam*: & ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 2. quidni à fortiori proprietatis reatum incurrat, ſi clanculùm per ſe auferat, vel furetur ſive à domeſticis, ſive ab externis? Pende, & eſto judex, an ſubſiſtant prædictæ opiniones contrariæ.

26 Ex his colligitur, quòd etſi veriſſimum ſit, violationem paupertatis gravem eſſe, quoties violatio juſtitiæ, ſecundùm ſe, gravis eſt, at cenſeo, quòd levi etiam, ſecundùm ſe, imò & nulla ſtante violatione juſtitiæ, violatio voti Paupertatis ob ſolam proprietatem gravis eſſe poſſit: major enim quantitas ad gravem violationem juſtitiæ per furti crimen, ut tale eſt ſimpliciter, videtur requiri, quam ad violationem Paupertatis per proprietatem: Nam violationis juſtitiæ, & furti gravitas deſumitur, ut vidimus, ex læſione proximo facta in bonis externis ad uſum vitæ neceſſarijs, quæ ſanè latiorem viam habet, quàm læſio Paupertatis, quæ deſumitur ex infidelitate, ſeu perfidiæ malitia, (ut loquitur Suarez *tom. primo, de Religion. lib. tertio, cap. tertio, numer. quinto*,) quæ in Deum præſtatur, non exequendo, ſeu non ſervandu promiſſa; quæ infidelitas, utpotè divini cultus omiſſio, ad ſui gravitatem minori materiâ contenta eſt: eò vel maximè, quòd non deſunt, qui dixerint, levitatem, ſeu paruitatem materiæ in violatione Voti non dari; ut diximus *ſuprà*. Ea tamen data, (ſive totalis, ſive partialis materia Voti ſit) ſecundùm veriorem ſententiam, coaleſcit in gravem, ſeu magnam, ſicut etiam levis materia furti, cùm ſæpiùs ex incorrecta voluntate in ea quis peccat; ut benè obſervat Valentia *tom. tertio, diſput. ſexta, quæſt. ſexta, p. quarta, verſicul. Ex hoc patet. Col. mihi* 1471. atque ex eodem, & alijs, Sanchez *lib. primo in Decalog. cap. quarto, numer. decimotertio, & ſeqq.*

Et confirmari poteſt ex voto erogandi in pauperes *tres*, vel *quatuor Argenteos, Iulios* vel *Reales*; cujus tranſgreſſio gravis eſſet cenſenda, & peccatum mortale, ob notabilem divini cultus diminutionem ex ea infidelitate; tametſi in materia furti, reſpectu communis perſonæ, à qua quis furetur, *tres*, vel *quatuor Argentei, Iulij, ſeu Reales*, levis, vel vix gravis materia reputentur. 27

Dicendum igitur eſt, ex voto eleemoſynæ, gravitatem, vel levitatem voti Paupertatis deſumendam eſſe, illámque eſſe materiam levem, vel gravem, cujus omiſſio in voto Eleemoſynæ, gravis, vel levis eſſet. Cum autem in voto Eleemoſynæ tres circiter, vel quatuor Argentei, *Iulij*, ſeu *Reales* cenſendi ſint materia gravis, eorum etiam quantitatis diſpoſitio, donando, vel recipiendo ſine Superioris licentia, in materia Paupertatis, gravis materia cenſenda erit. Et ità explicant hujus peccati gravitatem Suarez *tom. tertio, de Religio. lib. octavo, cap. ſexto, num. nono*, & Caſtro Palao *primo loco citat. numer. tertio*, favétque Cotonius citandus *numer. centeſimovigeſimoprimo*, cum Cardinal. de Lugo *diſput. tertia de Iuſt. & Iure, ſect. octava, numer. centeſimoſeptuageſimoſecundo*, Ubi prudenter advertit, (ut ait *Cotonius*) materiæ gravitatem in hac re non eſſe deſumendam præcisè ex damno, quòd patitur Monaſterium alioquin nunquam eſſet peccatum accipere ab alienis ſine licentia: ſed ex detrimento virtutis, & Voti Paupertatis, quæ eſt una ex baſibus Religioſi ædificij. Non tamen placet, quòd *ibi* ſubdit Cotonius, ſed & concludit *ibid.* Cardinalis ipſe, *verſicul. Fateor itaque* dicens: Illa autem (ſcilicet Paupertas) 28

Paupertas, eò minùs ostenditur, quò minùs res ab usu communi distrahitur. Non (inquam) placet; jam enim hujus propositionis ratio apertè desumitur præcisè ex damno, quod patitur Communitas, seu Monasterium. Undè nec placet, quod *ibidem* asserit *Cotonius*, majorem scilicet quantitatem requiri in donatione rei ad proprium usum designatæ, quàm in donatione rei ad Communitatis usum spectantis. Cum etiam illa inter Monasterij bona censentur, seu Ecclesiæ, sicuti si esset destinata ad usum alterius Religiosi, cui surripetur, ut donetur, vel ut retineatur, ut dictum est *suprà*. Neque item placet, extendere hanc quantitatem ad sex *Reales*, & ultra in aliquibus, ut admittit *Cotonius*. Minùs verò mihi probatur, quòd permitti à Roderico, & Sanchez, nec improbari à de Lugo *cit. n.* 176. (posse scilicet Religiosum dare absque licentia alteri Religioso ejusdem Conventus librum valoris quinque aureorum citra Mortale) refert *Cotonius* ipse, cæteroquì sapienter subdens, in hac re attendi etiam debere rigorem, & laxitatem Religionis: nam quantitas, quæ in laxiori censetur levis, in arctiori esse posset notabilis. Sanè autem in omni Religione cavendum censeo ab hac opinione.

29 Diximus paulò superiùs, non semper violari justitiam erga proximum, idest per furti reatum, sicut semper violatur justitia erga Deum, idest per proprietatis crimen contra votum Paupertatis, quotiescúnque quis Fratrum de re aliqua temporali sine Superioris licentia disponit, donando, vel recipiendo &c. Jam verò iterum idipsum dico; tametsi frequenter utráque Justitia violetur. Me explico. Quoties igitur res Monasterij, (sub quibus veniunt eæ etiam, quæ ad usum particularis Fratris concessæ sunt, ut patet ex dictis) vel à sæcularibus, alijsvè quibuscunque personis externis, etiam Religiosis, absolutè donatas Frater recipit, retinet, alterivè donat, intra, vel extra Ordinem, Superiore inconsulto, peccatum proprietatis, simulque furti committit; quia est invitum Monasterium, (seu ut aptiùs loquar) invitus est Pontifex, in cujus dominium res illæ translatæ sunt. At, si externa illa persona ita Fratri rem donatam concederet, ut nollet à se abdicare dominium illius, nec administrationem ad Prælatum transire; solùm peccatum Sacrilegij adversus Paupertatis votum committeret, illâ utendo; non tamen furti, & injustitiæ erga proximum, cum Dominus non sit invitus: & ità docent Corduba *in sum. quæst.* 109. Navarrus *lib.* 3. *de restitut. capit.* 4. *p.* 3. *dub. tertio, num.* 182. Sayrus *in Clavi Regia lib.* 9. *capit.* 16. *numer.* 21. Sanchez *lib. septimo, in Decalog. cap. decimonono, numer.* 55. *& cap.* 20. *numer.* 7. *& seq.* Lessius *de Iust. & Iure lib. secundo cap.* 41. *dub.* 9. *numer.* 80. Castro Palao *citat. num* 4.

Si verò ab externa persona furetur Frater aliquid non sibi retinendum, nec alteri particulari personæ, sive intrà, sivè extra Ordinem, largiendum, sed Monasterio, & Communitati Fratrum tradendum; vel etiam si aliena contra voluntatem Domini destruat; aut si ex voluntate Superioris surreptam ab externis rem retineret: posset quis fortè opinari, peccare illum è contra adversùs justitiam erga proximum; non tamen adversùs paupertatem Deo votam, ut affirmat Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 10. eique consentit Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib* 8. *cap.* 12. *numer. decimoquinto*, quia (inquiunt) in ijs actionibus nihil ille sibi usurpat; vel saltem, si usurpat, non id proprio, sed alieno nomine facit. 30

31 Atqui hæc opinio reijcienda est; dicendúmque peccare illum, & contra justitiam erga proximum, peccato furti, & contra justitiam erga Deum per violationem voti Paupertatis, adeóque peccato proprietaris reservato. Paupertatis enim violatio consistit in rei temporalis usu, & administratione absque licentia legitima Superioris: at rem alienam surripiens Frater ille, ut Monasterio tradat, cui tradere non potest, alienam rem usurpat, illaque utitur absque legitima Superioris licentia: ergo peccat contra votum Paupertatis, estque simul & turpis fur, & sacrilegus proprietarius. Neque illum excusat, quòd eam furatus fuerit, ut Monasterio traderet, quia ea traditio nulla est: sicut non illum excusat, si eam furatus esset, ut alteri extra Ordinem largiretur. Neque item eum liberat ab hac Paupertatis transgressione, quòd ex voluntate, & consensu Superioris furtum ipsum commiserit; quia ea Superioris voluntas, & consensus nullius est effectus, quinimmò ille quóque sic inique consentiens, ejusdem criminis reatum contrahit. Non enim Superior concedere potest suis subditis recipere, retinere, vel donare quæ ipse administrare nequit ex concessione Pontificis. Deindè destructio rei alienæ, invito Domino, etiam est contra Paupertatis votum: usurpat enim rem alienam non retinendam, sed consumendam: quo usu nihil magis proprium dominij excogitari potest. Violatio ergo Paupertatis in usu rei temporalis pretio æstimabilis, absque Superioris legitima licentia summatim consistit. Et ità sustinent Valentia *tom. tertio, disput. decima, quæstio. quarta punct. tertio, versicul. Patet enim:* Lessius *lib. secundo, capit. quadragesimoprimo, dub. nono, numer.* 79. Castro Palao *citat.* & alij. Et quidem, si res esset notabilis,

bilis, (inquit *Valentia*) adeò grave peccatum mortale id esset, ut qui in illo moriens deprehensus sit, iubeatur in sterquilinio cum re sua sepeliri; ut patet ex *cap. cum ad Monasterium*: & *alijs quibusdam, extra de statu Monachorum*. Et ita statuitur etiam *in nostris Constitutionibus, cap.6.* ut scilicet Ecclesiastica sepultura privetur. Hujusmodi autem usus contra Paupertatis votum contingere potest non solùm distributione, seu largitione sive intra, sive extra Ordinem, sed etiam acceptione, & retentione; de quibus latius Castro Palao *citat. punct. vigesimoprimò, & punct. vigesimosecundo, per totos.*

Segmenti Tertii Summarium.

32 *Religiosus quando possit aliquid ab externa persona accipere, & alteri sive intra, sive extra Ordinem tradere, absque transgressione voti, vel praecepti latè explicatur.* & num. 33.

33 *Religiosus licet non peccet contra proprietatem rei temporalis, peccare potest contra proprietatem voluntatis, si in re notabili agat inconsulto superiore.*

Voluntatis proprietas votum Obedientiae violat. ibid.

34 *Quantitas gravis in materia proprietatis, & furti, quoad res esu & potu consumptibiles, qualis dicatur.* & num. 35.

35 *Quanti valoris aestimanda sit comestibilium materia, à Religioso furtim consumptorum, censeatur gravis ad peccatum mortale.*

Quid si surripiat non ad proprium usum, & esum, sed ut aliis largiatur? num. 36.

Quid in famulis, & filijsfamil. remissivè ibid.

37 *Quantitas gravis in materia proprietatis contra votum paupertatis, an sit eadem quoad transgressionem Bulla Clem. VIII.* de largitione munerum, & num. seq.

Largitio seu donatio indirecta tribus modis fieri potest. ibid.

38 *Ut Religiosus incurrat penas Clementinae*, de largitione munerum, *requiritur materia subjecta poenis fori externi, & punibilis, & quaenam illa sit.* & num. 39.

39 *In Religione Minorum, proprietatis casus in foro exteriori punibilis decernitur cùm quantitas excedit valorem trium argenteorum, vel quantitatem à Superiore taxatam.*

32 Duo tamen adhuc sunt hic addenda. *Primum* est: quòd poterit aliquando Frater ille, de quo suprà loquebamur, rem ipsam sibi ab externa persona absolutâ donatione exhibitam alteri aliquo modo tradere, sive intra, sive extra Ordinem, Superiore inconsulto, absque ulla paupertatis, & à fortiori alterius cujuscunque praecepti violatione. Quod sic explico, distinguendo modum, quo ille rem ipsam ab exhibente accipit alteri tradendam. Si rem absolutè accipiat, & inconsulto Superiore alteri tradat, non solùm contra paupertatem, sed etiam contra iustitiam adversùs Ecclesiam, cui illa res suâ acceptatione est acquisita, peccat, juxta materiae quantitatem, graviter, vel leviter. At, si eam nolit Frater ille accipere, sed donanti manifestet, se ejus nomine; si placet, tali, vel tali personae, verbi gratia, consanguineo donaturum, non videtur justitiam, nec paupertatem violare: Non justitiam, adversus Ecclesiam; quia ei res illa non est acquisita, quippè quam Frater absolutè non accipit. Non justitiam, adversùs dominum, cum ex ipsius domini voluntate, immò ejusdem nomine traditio fiat: Non paupertatem, quia Frater ille nec donat, nec ex se quicquam tradit consanguineo suo, sed externa illa persona media ejusdem Fratris donationem praestat, Sanchez *lib. 6. de matrim. disput.4. num.7. & lib.7. in Decalog. cap.19. numer.74.* Suarez *tom.3. de Relig. lib.8. cap.15. numer.16.* & Castro Palao *citat. punct. 22. num.4.* & concordat Cotonius *controv. celebr. lib. 4. controv.6. cap.3. num.*108. cum Diana *p.1. tract.6. resol.29.* & Fagundez *part. 2. lib.8. cap.6. num.8.* ex casu in *l. 1. ff. de calumniatoribus*, ibi ad *v. Iusserit.* Hanc tamen doctrinam intellige de re, quae pecunia non sit, cujus vel hujuscemodi contrectatio, & traditio, etiamsi materialis tantùm sit, & dantis nomine exercita, Fratri Minori interdicta est, saltem propter scandalum. Caeterùm verò de quacunque alia re, pecuniâ exceptâ, verum habet doctrina praedicta; etiamsi persona illa donans non designaverit, quibus res ipsa concedenda sit, sed id Fratris arbitrio reliquerit; quia sola personarum electio ei competit, non rei distributio, seu largitio; quae propriè Domini, & à Domino est: personarum autem electio non est contra Paupertatem; ut benè Suarez *loc. citat.* At si persona illa externa rem illam Fratri praedicto tradat, usum illius non determinans, sed arbitrio illius relinquens, ut nomine ipsius in usum, quem ille elegerit, largiatur, seu applicetur; affirmat Suarez *citat.* peccaturum Fratrem illum contra Paupertatem, sic rem illam accipiendo absque voluntate Superioris; quia virtute accipit potestatem eam in sui commodum retinendi. Verùm sic peccaturum Fratrem illum non arbitror, nisi rem illam absolutè accipe-

acciperet, cui maluerit distribuendam, proprio nomine, & inconsulto Superiore, vel nisi illam in sui usum, inscio pariter Superiore, retineat, aut hujusmodi voluntatem deliberatam habuerit, cùm rem acceptavit: quia eo casu Frater ille, prædictis non concurrentibus, comparatione sui solùm habet eam rem in custodiam, cum potestate quidem retinendi eam etiam in sui commodum, sicut & dandi alijs nomine illius personæ externæ ità concedentis, at liber est Frater in acceptatione, ita ut acceptare illam possit non absolutè, sed vel alijs tradendam nomine dantis, absque alio Superioris sui consensu in sui verò commodum non retinendam, nisi, cùm placuerit, ex voluntate Superioris. Videantur Castro Palao, & Cotonius, & Diana *loc. citat.* Neque obstat prohibitio specialis *in clem. Exivi: paragrapho Proindè: in fin.* quoad exequendas per Fratres Minores ultimas voluntates. Nam in tali casu non est Frater ille Executor ullius ultimæ voluntatis, nec propriè distributio, vel dispensatio, seu administratio illius rei ei competit, sed tantùm personarum electio, quibus nomine, & auctoritate dantis, qui semper potest rem ipsam sibi revocare, res ipsa per ipsum tribuatur. Vide, quæ in hoc proposito dicuntur *infrà, casu 2. §. 3. num.* 11. Atque ex dictis patet, quòd si quis velit Religioso donare v.g. librum, & Religiosus ex industria, ob aliquem finem (putà ne jubeatur illum Communitati applicare, & tradere) renuat illum dono exhibitum, acceptare, sed dicat Domino exhibenti, ut retineat penes se libri dominium, & proprietatem, solùmque sibi concedat usum revocabilem, quotiescùnque ipse voluerit; deindè verò petat à Prælato licentiam ad accipiendum librum commodatum tantùm; talis Religiosus non aget contra Paupertatis votum, quia utitur jure suo, & nihil accipit, vel retinet sine licentia Prælati. Et ita docent Card. de Lugo *tom. 1. de Iust. & Iure disput. 3. sect. 8. num.* 148. & Sanchez *suprà cit. num.* 49. Hanc tamen doctrinam intellige, modò liber ille oblatus sit Religioso intuitu personæ ipsius, non intuitu Religionis; juxta tradita *artic.* 1. *paragrapho* 23. *numer.* 4. quæ vide.

33 Dixi non peccaturum Fratrem illum contra Votum paupertatis, si id agat, inconsulto Superiore: cæteroquì tamen requiri puto, maximè in re notabili, Superioris licentiam ad id agendum, non ut à peccato proprietatis rei temporalis, eóque reservato, liberetur; sed ne in proprietatem voluntatis incidat: cum nihil possit Monachus agere absque Abbatis licentia, vel mandato; ut citato *Federico*, docet Lambertinus *de Iure patronatus lib. 2. p. 1. q. 4. art. 7. num.* 1. apud Sanchez *lib. 6. in Decal. c.* 11. *num.* 34. Quare monuerim Fratrem illum, ne propria voluntate, independenter à Superiore illam rem dispensandam acciperet, nevè hujusmodi proprietatem voluntatis parvi penderet, utpotè non reservatam: quia nulla pejor proprietas voluntate, & libertate propria, cui Religiosus in sua professione renunciavit per Obedientiæ votum, Superioris potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo penitùs se subdens; ut ait D. Augustinus *in serm. 3. de comm. vita Cleric.* & habetur *in cap. Non dicatis:* 12. *q.* 1. quæque sola ardet in inferno; ut ait D. Bernardus *serm. 3. de Resurrectione.*

Alterum, quod hic addendum duco, est circa statutam quantitatem gravem in materia proprietatis, & furti, quoad res consumptibiles esu, potúque idest quoad esculenta, vel poculenta. In his enim ferè omnes Doctores majorem, quam quoad alia, quantitatem exigunt ad condemnandum de Mortali: tùm quia Superiores, seu Pontifex in hac parte non sunt æquè inviti; sed instar Patrum cum filijs se habent: tum quia eo usu Frater surripiens pavit alijs rebus, quæ à Superiore in ejus sustentationem erant concedendæ. Sic Suarez *cit. c.* 11. *n.* 41. Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 21. à n.* 31. Castro Palao *cit. pu. 21. n.* 1. Cotonius *cit. n.* 121. & alij communiter. 34

Quanti autem valoris æstimanda sit comestibilium materia, ut clandestinè à Fratre in usum assumpta, censeatur gravis, & peccatum mortale constituere, prudentis viri arbitrio definiendum docent Suarez, & Sanchez *loc. cit.* si enim Frater ille paulatim modica accipiat, etiamsi cum animo firmo perseverandi in ea iniqua acceptione; Sanchez *eo n.* 31. cui consentit Castro Palao *cit. n.* 2. ait, illum non peccaturum mortaliter, nisi forte Religioni gravis damnificatio fiat, Religiosique alij debita sustentatione fraudentur. At si simul hujusmodi comestibilia Frater ille surripiet, ut sic accepta occultè retineat, & paulatim consumat; crederem illum peccaturum mortaliter, si valorem unius aurei æquarent, vel excederent: gravem enim deformitatem continet hæc surreptio, & consumptio, meritóque Superior est invitus. Quod à fortiori procederet, si res surrepta pretiosa sit, neque ad communem usum, sed extraordinarium Fratrum, vel pro infirmis destinata esset: Sanchez *cit. n.* 33. & Castro Palao *cit.* Neque ab hoc peccato, proprietatis saltem, excusat quòd hujusmodi res clam in esum assumptæ, & consumptæ ab externis donatæ fuerint: quia adhuc earum usus est pretio æstimabilis, & contra Votum paupertatis, si clandestinus sit, idest absque Superioris consensu habeatur: tametsi adhuc latiùs extendi possit quantitas materiæ gravis in sic donatis, & acceptis, quam in usurpatis à Communitate cōventus; quia adhuc minùs involuntarius præsumi potest Prælatus. 35

Suarez *cit. n.* 41. Sanch. *cit.* & *c.* 19. *n.* 53. itemque Castro Palao *cit. n.* 4. & Lezana *tom.* 1. *sum. c.* 6. *num.* 58. alijs relatis.

36 Advertendum tamen valdè est, quòd hujusmodi major latitudo materiæ non admittitur ab allatis Doctoribus, neque ab alio quopiam, nisi cùm Frater, vel Religiosus alius ea surripit, vel clam in usum recepit ab externis, quoad esum, vel usum proprium: nam si ea surripiat à Conventu, vel à foris accipiat, ut præfertur, en fine, ut alijs largiatur, & tribuat, (nisi sint pauperes extrema necessitate laborantes) non dubito quantitatem in præcedentibus statutam, trium nempe circiter, vel quatuor Argenteorum, seu *Iuliorum* sufficere ad peccatum mortale constituendum, etiamsi paulatim pluribus viribus ea quantitas ex incorrecta voluntate confletur; ut benè notavit etiam Castro Palao *cit. n.* 2. cum Lessio *lib.* 2. *de Iust. c.* 12. *dub.* 8. *n.* 48. ubi loquitur de famulis, & filijsfamilias; & Sanchez *d. cap.* 21. *n.* 11. quia in hujusmodi casibus non potest ità præsumi minùs involuntarius Prælatus, sicut cùm ea clam assumuntur in proprium usum, vel esum.

37 Porrò dubitari potest, an materia, quæ dono data à Fratre, sive intra, sive extra Ordinem sine facultate Superioris, censetur gravis in ordine ad violationem voti Paupertatis; eadem censenda sit gravis in ordine ad transgressionem, & ad incurrendas pœnas Bullæ Clementis VIII. *de largitione munerum*, qua nimirum Religiosi prohibentur, quovis modo donare; idest tàm directè, quàm indirectè: & de qua latè disserunt noster *à Sorbo*, Lezana *in sum. tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 54. *&* 55. *& tom.* 3. *v. Dare, seu Donare, quoad Regulares, num.* 5. Rodericus Junior *in compend. resol.* 53. *num.* 3. Cotonius *sup. cit. cap.* 4. *per totum*, & alij, præsertim benè Filliucius *tom.* 2. *p.* 2. *tract.* 34. *cap.* 3. *à n.* 59. *usque in finem*; ubi *num.* 62. donationem indirectam explicans confirmat ea, quæ nos quóque mox *suprà* tradidimus. Ait enim: indirecta autem donatio esse potest tribus modis: *Primò*, quia fiat per alium: nnde, si quis Religiosus diceret consanguineis suis, vel amico, ut quod vellent sibi donare, donent tali suo nomine; id esset donare indirectè; secùs esset, si non suo nomine, sed nomine consanguinei, vel amici donatio fieret; tunc enim esset quidem auferre aliquid Religioni, vel Pontifici, cui acquisita esset res per donationem futuram, sed quia adhuc donata non erat, (non enim rem illam absolutè acceptavit in tali casu Religiosus, ut notavimus *suprà*) nec jus acquisitum, ideò non esset contra Constitutionem prohibentem largiri munera de bonis Monasterij; ut patet ex dictis *suprà* ex Castro Palao, Cotonio, & alijs. *Secundò*, quia remittatur aliquid debitum Religioso, & consequenter Religioni: ut si consanguineus, vel alius deberet aliquam pecuniæ summam, & ipse eam remitteret, & condonaret, esset enim donatio indirecta, (hocque posset contingere suo modo etiam in Fratre Minore, etiamsi nihil ei in particulari, nec Religioni in communi possit esse debitum civiliter.) *Tertiò*, si Religiosus commodaret aliquid alteri animo illud ampliùs non repetendi, id esset donare indirectè.

Ad propositum igitur dubium est responsio affirmativa nostri à Sorbo, & aliorum apud Bonacinam *cit. n.* 6. apud Filliucium, & alios. Advertit tamen Filliucius *cit. n.* 65. hocque verius existimat, quòd nempè ad incurrendas pœnas prædictæ *Clementinæ* Constitutionis, requiratur materia subjecta pœnis fori externi, & punibilis in judicio: quæ proculdubio (inquit) major est eâ, quæ satis est ad culpam mortalem contra Paupertatem. Hanc autem docet non esse punibilem, nisi excedat valorem duorum, vel trium aureorum, seu scutorum Romanorum, de quibus *supra, num.* 16. Videatur ille *ibi, & num.* 67. *&* 70. & Cotonius *cit.* qui *n.* 133. ait, *Clementinam illam* non fuisse quidem universim usu receptam non solùm in Gallia, Hispania, & Belgio, ut testatur Caramuel *cit. disput.* 58. sed neque in Italia, ut testatur Megala *cons.* 33. *num.* 17. apud Dianam *p.* 1. *tr.* 6. *resol.* 1. addit tamen *n.* 134. Urbanum VIII. *an.* 1640. per suam *Bullam* eam innovasse, irritando, damnandóque omnem prætensum non usum; mandasséque quotannis mense Januario publicè legi, una cùm Declarationibus, quas ipse super illam edidit. An verò hæc ipsa *Urbani* innovatio recepta sit, fatetur Cotonius *numer.* 136. se nescire: asserit quidem, per hanc fuisse illam *Clementis* reductam ad terminos ferè Juris communis: tandémque *n.* 140. concludit materiam duorum aureorum non sufficere ad incurrendas pœnas in ea statutas: & ità declarasse *Clementem* ipsum: ut testatur Diana *cit. res.* 5. fortè quia hæc quantitas in Jure censetur modica. Atqui Homobonus *p.* 2. *tr.* 11. *cap.* 1. *q.* 1. *in res. & cap.* 6. *q.* 10. *in* 1. *res.* ex Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 3. augmentum sumens, majorem quidem quantitatem requiri docet ad incurrendam censuram, vel pœnam fori exterioris, quàm ad mortale; videtur tamen velle, quòd duorum aureorum valor sit sufficiens. Ego verò ex circunstantijs in particularibus casibus judicandum censeo. 38

In nostra tamen Religione, juxta peculiarem à nostris Patribus statutum procedendi modum in criminum Judicijs, proprietatis casus in foro exteriori punibilis ille decernitur, etsi rei quantitas excedit valorem trium Argenteorum, sive *Iuliorum*; ut ibi habetur *c.* 1. *n.* 47. Bonac. autem *supra cit.* probabilius putat, quantitatem punibilē in foro exteriori eam sufficienter 39

ter esse, quæ à legitimo Superiore taxata fuerit; allegatque Sorbum, & Filliucium testantes de mente Pontificis, quoad hoc. Atque per hoc magis roboratur sententia nostra superiùs tradita de quantitate ipsa dijudicanda in foro interiori. Et hæc satis pro dicendis *in præsenti paragrapho.*

---

§. VIII.

Quænam censendæ sint res viles, vel parvi valoris, & minimæ, de Superiorum licentia à Fratribus Minoribus donabiles? Et quænam licentia Superioris excuset subditum à Proprietatis reatu.

SEGMENTI PRIMI SUMMARIUM.

1 *Res parvi valoris quæ devotionis & pietatis intuitu, vel pro alia honesta causa à Fratribus Minoribus donari possunt, quales censeantur? & de licentia Superioris ad hoc obtinenda*, & n. 3.

2 *Res Ecclesiæ regulariter alienari non possunt.*
Res Ecclesiæ exigui valoris à Prælatis ex causa justa & rationabili alienari possunt, ib.
Clementis VIII. constitutio de largit. muner. *non constituit novum jus*, ibid. & n. 11.

3 *Munuscula Religiosorum de licentia Superiorum, cujus valoris esse possint*, & n 4.

4 *Munuscula differunt à Muneribus ratione rei minoris, vel majoris valoris.*

5 *Guardiani Minorum possunt dispensare in munusculis subditorum usque ad quantitatem duorum aureorum.*
Munuscula Religiosorum cum Superiorum licentia recipiunt plus & minus pro diversitate Religionum, & pro diverso statu Religiosorum ejusdem Ordinis, ibid.
In muneribus majoris valoris requiritur licentia vel Provincialis, vel etiam Generalis, ibid.

6 *In Munusculis dispensandis varia circumstantia attendi debent: & ab eorum frequentiori licentia cavendum. Authoris sententia in hac materia*, ibid. & n. 7.

7 *Licentia largiendi valorem duorum aureorum pietatis intuitu inter Capuccinos vix bis in anno concedi potest, attento statu eorum paupertatis*, & n. 8.
Munusculorum Religiosorum ratio diversa est pro diversitate Religionum & circumstantiarum, nec una certa Regula pro omnibus stabiliri potest, ibid.
Munuscula levia quæ censeantur ut Clementinam de largit. muner. *non offendant*, ibid.
Quantitas duorum aureorum in Iure dicitur modica, ibid.

8 *Prælati inferiores Ordinis Capuccinorum bis ad summum, sed & vix quidem in anno donare quantitatem duorum aureorum, vel donandi licentiam dare possunt*, & n. 9.
Munuscula Capuccinorum sunt valoris trium aut quatuor Iuliorum tantùm, secundùm aliquos, ibid.
Et an plures quantitates modicæ coalescant in gravem sicut plura furta levia in grave. ibid.

9 *Licentia largiendi bis in anno ad valorem duorum aureorum non videtur importare ex coalescentia quantitatem notabilem, neque ex frequentia vitium.*
Bis factum à quibusdam dicitur frequenter factum, ibid.
Bis una die, aut ter tribus diebus, inducunt frequentiam, ibid. in fin.

10 *Prælati majores majorem quoque quantitatem donare, vel donandi licentiam dare possunt. Quod declaratur*, ibid.

11 *Clementina* de largit. muner. *est restitutiva & confirmativa juris antiqui: & an sit usu recepta.*
Clementinæ de largit. muner. *finis est ne paupertas Regularis enervetur*, ibid.

12 *Prælatus inferior donans, absque Superioris licentia & gravi causa, aut facultatem subditis concedens donandi ultra quàm debeat, an peccet contra votum Paupertatis*, & n. 13. cum aliis seqq.

13 *Prælatus largiendo excedens modum notabiliter, sive donans munus duplo majus legitimo sine licentia Superioris, peccat mortaliter: venialiter autem si excessus non sit notabilis.*

14 *Munusculorum Religiosorum non ex artificio sed ex materia, valor æstimandus est.*
Excipitur labor Fratris Conversi seu laici, ibid.
Vel nisi opus illud jam esset acquisitum Ecclesiæ vel Conventui, ibid.

Propter illud, quòd à Nicolao III. Statuitur *in eo §. Quia verò:* ubi Fratribus Minoribus concedit, pictatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa, aliquid intra, & extra Ordinem largiri; tam quoad vilitatem scilicet, & parvum valorem rei donandæ, quàm quoad licentiam ad hoc à Superioribus obtinendam, juxta quod in Ordine statutum fuerit: & propter statutum peculiare in hac materia apud nos Capuccinos, quo (ut vidimus *suprà*) prohibentur Guardiani sine licentia PP. Provincialium dispensare, vel dispensandi facultatem dare, nisi res minimas, & viles; & quidem cùm intra, tùm extra Ordinem, 1

ut *suprà* item ostendimus; operæ pretium est enucleatiùs exponere, quænam censendæ sint res, vel parum valentes, de quibus loquitur *Nicolai* textus, & quænam minimæ & viles, de quibus procedit textus Constitutionum nostratum *eo cap.6.* itémque quænam licentia Superioris immunem servet Religiosum subditum à proprietatis reatu. Quod igitur ad primum attinet.

2 Certum est, quòd omnes etiam Ecclesiæ Prælati, vel Beneficiarij donare non possunt de rebus Ecclesiæ, nisi modica, exiguavè, aut parvi valoris; ut communiter tradunt Canonistæ *in cap. Cæterùm: de donation.* Abbas *consf.31. & 45. lib.1.* Innocentius *in cap. Fraternitatem: de donat.* Ostiensis *in cap. Si quis sanè: de pec. Cleric.* Glossa *in cap. præsenti: de offic. Ordin.* Quærentes autem Doctores, quænam in his censenda sit res exigua, aut parvi valoris, communiter respondent, arbitrio boni viri standum esse, habita ratione Ecclesiæ, si tenuis conditionis sit, aut abundantis; attenta etiam qualitate temporum, locorum, & rerum; ut post Glossam *in cap. terrulas: 12. quæst.2.* Abbatem *cap.1. num.8. de restit. in integrum,* Canosilum *in repet. Paulinæ, Ambitiosæ: num.46.* Redoanum *de spolijs Ecclesf.q.10.* Quarantam *in Sum. Bullar. V. Alienatio, num.41.* & Leonium *in Thesauro fori Ecclesf. cap.15. part.1. n.7.* docet Filliucius *tom.3. tract.44. cap.4. num.4.* ubi etiam ex Leonio ipso *cit.* & Abbate *in d. cap. Cæterùm: num.4.* benè monet, spectandam esse hac in re consuetudinem Synodalem, ut nimirum exigui momenti res habeantur, quæ tales ibi fuerint constitutæ. Et *num.6. in fine.* Filliucius ipse *ibidem* docet, exiguitatem, & modicitatem rei Ecclesiasticæ alienandæ tam esse æstimandam quoad se ipsam, & pretium quod valet, quàm ad fructum quem præbet. Ex hoc autem colligitur, quàm rationabilis sit limitatio illa Nicolai III. sed & Clementis VIII. *in Constitutione, de largitione munerum*; ubi solùm permittit Regularibus donationes leviorum munusculorum de esculentis, vel poculentis, de rebus ad devotionem, vel Religionem pertinentibus, concurrente Superiorum licentia: sunt enim bona Ecclesiæ. Atque hinc patet, quod tradit Diana *part.1. in tract. de Paupert. Relig. resol.2.* cum pluribus alijs Doctoribus; Clementem scilicet VIII. per suam illam Constitutionem non condidisse novum Ius: unde quidquid ante illam licebat, & donari poterat, & nunc licet, & donari potest. Hócque præcipuè verum ipsemet puto, quoad Fratres Minores, propter dispositionem *cap. Exijt.*

3 In hujusmodi igitur munusculis de Superiorum licentia faciendis, quamvis admittenda sit quantitas major illâ, quam sufficere statuimus ad transgressionem culpæ mortalis, si absque licentia fiant, ea tamen quantitas, cùm adhibita Superiorum licentiâ munuscula ipsa fiunt, reputari adhuc debet inter res viles, parum valentes, & leviores, seu minimas. Taxatio autem rerum hujusmodi quaotitatis pertinet ad Superiores; ut declarasse etiam Clementem ipsum VIII. refertur à Sorbo nostro *in declaratione illius Bullæ.* Communiter verò ex praxi Religionum, quæ sunt in viridi observantia valor duorum aureorum non censetur excedere valorem rei minimæ; ut testatur Filliucius *tom.3. cit. num.65. vers. Si verò:* Et concordat Jason *super tit. de Actionibus, §. superest: numero 69.* ubi ait: Res vilis dicitur, quando est infrà duos aureos. Videatur Barbosa *de Appellat. verb. Iuris signif. Appellat. 215. num.4.* CotoOius *controu. eccleb. lib.4. controu.6. cap.3. num.88.* & *cap.4. num.140.* & Azorius *lib.12. cap.12. q.4.* Diana *p.1. tract.6. res.5.*

Non desunt tamen, qui putant rerum leviorum, & minimarum, esculentarum etiam & poculentarum quantitatem, non debere excedere eam quæ sufficeret ad constituendum furtum mortiferum. Debet enim (inquiunt) esse talis, ut sit levis, aut levior dici possit. Item ut conveniat illi nomen *Munusculi.* At si excederet quantitatem furti mortiferi, jam esset gravis, & indueret nomen *Muneris*, hoc ipso, quòd ejus quantitas gravis est. Atque hujus sententiæ est noster à Marasalia *alibi cit.* qui res minimas judicat eas, quæ non excedunt valorem trium, quatuor, aut quinque Iuliorum: nam ultra talem summam habenda (inquit ille) esset concessio à Capitulo. Sicque secundùm istum, Guardiaoi nostri Ordinis Capuccinorum, quibus in Constitutionibus pro rebus tantùm minimis, & vilibus dispensandis, & ad dispensandum concedendis facultas tribuitur, non possent ultra prædictam summam, trium scilicet, quatuor, vel quinque Iuliorum concedere suis subditis, sicut nec ipsi largiri. 4

Verùm, cùm verius sit, (ut ait Filliucius *cit. num.67. illius cap.3.*) debere esse quantitatem sufficientem ad furtum punibile in judicio, & foro exteriori; quo pacto, nisi excedat duos, vel tres aureos, non est punibilis, ut vidimus *suprà, § præcedente, in fin.* ideò standum videtur priori sententiæ, quæ est secundùm communem æstimationem, & praxim Religionum in viridi observantia existentium; quòd scilicet valor duorum aureorum, scutorumvè Romanorum, de quibus *suprà, hic, §.7. num.20.* non excedat valorem rei minimæ; ac per consequens, quòd usque ad hanc quantitatem extendatur Guardianorum nostrorum facultas, quoad dispensandum, & dispensandi licentiam suis subditis concedendam. Minimè autem hanc quantitatem ad trium aureorum valorem concederem extendendam apud nos Capuccinos 5

cinos; (quidquid sit apud alios) cùm hac in re attendi debeat rigor, vel laxitas Religionis: nam quantitas, quæ in laxiori censetur levis, in arctiori potest esse notabilis; ut appositissimè observat Cotonius *cit. num.* 121. & colligitur ex ijs, quæ docet Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 22. *num.* 17. quem vide id optimè indicantem ex *cap. Exijt*: §. *Insuper nec utensilia*: & ex *Clement. Exivi*: §. *Præterea*: non solum attento diverso statu Religionum, quoad majorem, vel minorem rigorem, sed etiam attenta diversitate status Religiosorum intra eandem Religionem. Quod enim *ibi* docet Sanchez de rebus ad Religiosorum usum concedendis, intelligi adamussim debet etiam de quantitate rerum ijsdem ad donandum concessarum. Vide etiam Bassæum nostrum *tom.* 2. *V. Paupertas Religiosa, num.* 11. *vers. sed petet & seq.* Quòd si de re donanda, (sive intra, sive extra Ordinem) vel dispensanda, majoris valoris agatur; requiri procul dubio censeo judicium, atque licentiam Ministrorum Generalis, vel Provincialium, seu Custodum, (ut cocedit Leo X. & clarè innuunt Constitutiones ipsæ nostræ *loco cit.*) habita ratione personarum donantis, & donatarij, & consuetudinis Religionis. Sic enim majorem etiam quantitatem statui posse, & donandam concedi à Superioribus in Congregationibus, vel Capitulis, juxta *Constitutionē Clementis VIII.* affirmat Filliucius *cit. cap.* 3. *num.* 66. apud quem plura vide, si lubet, ad illam *Clementinam* spectantia.

6 Cavendum tamen monuerim à frequentia largitionum hujusmodi, sive per Prælatos inferiores, sive per subditos de eorum licentia factarum. Nam Doctores de quantitate rei agentes, quam Prælatus vel donare ipse, vel donandam Religiosis sibi subditis permittere ex honesto titulo potest; (præscindendo à Bulla Clementis VIII. *de largitione munerum*) alij eam limitant ad duos, vel tres aureos pro singulis mensibus; ut Azorius *suprà cit.* Alij ad decem, vel quindecim singulis annis: Alij (& melius, ut placet Cotonio *cit. sup. num. illo* 88.) id determinandum relinquunt arbitrio viri prudentis, spectatis circumstantijs personarum, & temporum, opum Monasterij, causâ item dandi, & consuetudine: ut Fagundez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 7. *num.* 2. cum Sanchez, Suarez, Molina, & alijs multis, quos sequitur Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 39. qui descendens ad particularia, Superiori Monasterij habentis ducatorum viginti millia in redditibus permittit cum *Panormitano* donare viginti, aut triginta aureos ter in anno, dummodò non adsit taxa Superiorum Majorum, vel per hoc aliquid detrahatur de necessitatibus Religiosorum. Posséque hanc quantitatem donare per partes, & totam simul, vel donandam permittere subditis suis.

Ex quibus colligo, quàm parcè incedere in his debeamus nos Capuccini, qui nil habemus in redditibus. Quare quantitatem prædictam duorum aureorum bis ad summum, sed & vix quidem, in anno donari, vel donandam concedi posse à nostri Ordinis Guardianis, vel alijs hujusmodi Superioribus minoribus, consideratis considerandis, ipse censuerim, salvo saniori doctiorum, & Superiorum judicio. Sic enim & quantitas in *Iure* censetur levis, & modica, ut dictum est *suprà*: & usus non est frequens; juxta doctrinam Navarri *comm.* 4. *de Regul. num.* 61. Roderici *qq. Reg. tom.* 1. *quæst.* 45. *num.* 4. & aliorum. 7

Dixi quasi anceps: *Vix quidem bis in anno concedi posse apud nos Capuccinos largiendum valorem duorum aureorum.* Verè enim, si facta hypothesi, id ad praxim reduco, vix acquiesco. Quippe cùm, si concedo posse Guardianum, vel alium Superiorem localem singulis Fratribus sibi subditis licentiam dare donandi ad valorem quatuor aureorum in singulos annos, (esto id fiat pietatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa; ut vult Nicolaus III. *in cap. Exijt*: §. *Si verò*: *eo versic. De vilibus autem*:) vereor, ne adhuc quantitas ista censeri possit nimia, & exorbitans, attento statu Paupertatis, & Mendicitatis nostræ. Si enim sint in Conventu quindecim, vel viginti, aut viginti quinque Fratres, possent hi profectò collectim donare in singulos annos ad valorem sexaginta, vel octoginta, aut centum aureorum; ut patet ratiocinanti; sanè autem tantam summam, seu quantitatem donare vix mihi videtur decere paupertatem nostram, statúmque omnimodæ mendicitatis, ubi nullæ opes, seu reditus Monasterij, nullam singulorum Fratrum peculium, sed omnia eleemosynaliter habentur. Ea propter hac in re ampliorem regulam dilaudarem. Nonnisi ergo, securior dixerim, quòd omninò opus sit prudenti judicio, attentis (ut diximus *suprà*) rigore, vel laxitate cujusque Religionis, & alijs circumstantijs; nec posse pro omnibus certam regulam, seu quantitatem definiri, & præfigi; ut optimè, (id probabilius, verisque affirmans) post Ludovicum Molinam, Azorium, & Sanchez, Bonacina *tom. mihi primo in tractat. varijs disp.* 3. *punct.* 6. *propos.* 2. *num.* 8. Id quod placuit etiam Cotonio *sup. cit.* & Angelo Mariæ Verricello *in suis quæstion. moral. & legal. tract.* 8. *quæst.* 52. *n.* 13. atque ideò ipsemet amplector, quoad regulam generalem tradendam, ubi taxa non habetur, vel regula particularis præscripta. At cùm Bonacina *cit.* & Verricellus *tract.* 3. *quæst.* 30. *num.* 11. & alij apud ipsos servandam omninò 8

omninò moneant taxam cujusque Religionis, aut Prælati, si illa adsit, minorem etiam quantitatem limitant; cúmque apud nos præscindendo etiam à *Clementina constitutione prædicta*, adsit ex *d. cap. Exijt: loco cit.* & ex Constitutionibus nostris *loco suprà relato*, taxa de rebus dumtaxat vilibus; vel parum valentibus, seu minimis, à pronunciata sententia, seu regula tradita non recedo. Eò vel maximè, quòd Verricellus *mox cit.* novissimè ex professo cum *Bonacina* docet, peccare contra Constitutionem Clementis VIII. *de largit. munerum*, Prælatum Regularem, seu Abbatissam, quæ sine gravi causâ concedit licentiam donandi unum, aut plura munuscula, sive eidem, sive diversis personis, ut intra mensem excedant quantitatem duorum aureorum, & intra annum quatuor aureos. Immò idem docet *Verricellus* ipse, præscindendo etiam à *Constitut. prædicta*, ex Iure communi, & adducit textum Nicolai III. *in d. cap. Exijt*: Vide illum *ibid quæst.* 31. *num.* 2. Leviora autem Munuscula (inquit ille *ibi n.* 2.) esse, quæ quantitatem duorum aureorum non excedunt, declaravit idem Clemens VIII. P. Claudio Aquavivæ Præposito Generali Societatis Jesu, ac docent expressè Molfesius *in Sum. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 20. *num.* 86. Bonacina *cit. punct.* 1. *num* 9. *& punct.* 5. *num.* 6. Scortia *in Bull. Pont. Epist.* 158. *theorem.* 369. Homobonus *in Exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 30. *quæst.* 123. Joannes Valerus *in Different. utriusque fori, V. Munera, n.* 65. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 34. *num.* 65. & Diana *part.* 1. *tract.* 6. *resol.* 5. contra alios ducentes, eam quantitatem esse contra Constitutionem *Clementis VIII.* quæ si daretur sine licentia, sufficeret ad peccatum mortale furti; ut voluerunt Bartholomæus à S. Fausto *in thes. Religios. lib.* 8. *quæst.* 218.) & Paulinus Berti *in explicat. hujus Bullæ, de largit. muner. in decem casibus positis, post* 2. *par. princip.* Sed ita etiam voluisse videtur noster à Maralalia, contra quem, & alios hujusmodi modò differimus. Vide etiam Verricellum *cit. tract.* 8. *quæst.* 52. *num.* 2. *& loco sup. cit. quæst.* 31. *num.* 2. Munusculum porrò valoris duorum aureorum esse leve, neque contra Constitutionem *Clem. VIII.* adeóque nec contra Canonem Nicolai III. *in d. cap. Exijt*: inde maximè suadetur; quia in *Iure* (ut vidimus *suprà num.* 3. *hic*, cum Jasone) hæc quantitas dicitur modica, & valor rei vilis: *l. si oleum*: cum *l. seq. ff. de dolo*: ubi Glossa; & Felinus *in cap. Interfecistis: de homicidio*: & communiter Juristæ, & Canonistæ.

8 Concludo ergo iterum cùm Verricello *ea quæst.* 30 *num.* 10. *& ea quæst.* 31. *num.* 1. *&* 2. vix ad Summum, posse Prælatum inferiorem, apud nos Fratres Minores (attentis *d. cap. Exijt*: & Constitutionibus nostris, & præscindendo à Constitutione Clementis VIII. *de largit. munerum Regularibus interdicta*) pietatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa largiri, largiendíque licentiam subditis suis concedere unum, vel plura munuscula, sive eidem, sive diversis personis, modò intra annum, non excedant valorem quatuor aureorum. Quod est dicere: Bis ad summum, sed & vix quidem, in anno donari, vel donandam concedi posse à nostri Ordinis Prælatis inferioribus quantitatem duorum aureorum, pietatis, vel devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa, ut dictum est *suprà*.

Ad id tamen asserendum non ea ducor ratione, qua *Verricellus*. Ille enim ducitur, quia si prædicta munuscula, valoris scilicet duorum aureorum, frequenter fiant, coalescunt in unum. Unde *ea quæst.* 52. *num.* 3. ait: Hæc autem munuscula non debent frequenter elargiri; nam nisi intercedat intervallum unius anni, coalescunt in unum. Hæc ille; qui hanc rationem latiùs explicat *ea quæst.* 30. *num.* 9. *&* 10. ex paritate (quam supponit) modi, quo, secundùm Doctores, coalescunt in unum grave plura furta levia.

Sed ratio illa non convincit: *Primò* enim existimo cum de Lugo *tom.* 1. *de Iust. & Iure disp.* 3. *sect.* 8. *num.* 181. raro contingere in Religioso, qui non ex industria, modica accipit, aut dat sine Superioris licentia, cum animo (saltem virtualiter tali, hoc est ex incorrecta voluntate) perveniendi ad aliquid magnum, quòd perveniatur propter multa modica ad peccatum grave contra votum Paupertatis. Quantò ergo minùs coalescent largitiones modicæ cum licentia Superiorum factæ? *Secundò*, dispar est ratio inter furta modica, (posito, & non ita de facili concesso, quòd coalescant) & largitiones de licentia Superiorum factas: illa enim semper illicitè fiunt, istæ autem licitè; unde facilè concedi potest, quòd illa, nisi per pœnitentiam identidem deleantur, coalescant, & ad culpam gravem perveniant; non sic de istis, in quibus seorsim sumptis nulla prorsùs est culpa, aut furti, aut proprietatis; ut supponimus ex eo, quòd ritè fiant de Superiorum licentia. Præterea dispar etiam est ratio inter peccatum furti, & peccatum proprietatis; ut patet ex dictis *in §. præcedente, num.* 21. *& seqq.* unde, etsi coalescere concedamus in unum grave plura modica furta, non sic concedendum est coalescere in unum grave plura peccata levia proprietatis simpliciter, seu præcisè contra votum Paupertatis, quemadmodum nec coalescunt, communiter loquendo, plura hujusmodi peccata contra alias Virtutes, ut egregiè *de Lugo cit.*

Ducor ergo in pronunciatam sententiam, 9 attentâ

attentâ potissimùm circumstantiâ status Paupertatis nostræ quæ nos in summa omnium mendicitate constituit. Quare iterum anceps vix concedo, quòd bis ad summum in anno prædictam quantitatem duorum aureorum, seu scutorum Romanorum donare per se queant, donandámque concedere subditis suis Prælati inferiores nostri Ordinis. Dixi autem, *Bis ad Summum:* nam etsi, secundùm Bonacinam *tom. mihi 1. in tract. de Clausura quæst. 3. part. 2. num. 4.* Navarrum, Rodericum *suprà* citatos, & alios, si bis tantùm, duabus scilicet largitionibus quantitas illa integra donetur, non importet aut ex coalescentia quantitatem notabilem, aut ex frequentia vitium; non desunt tamen, qui frequentiam judicent etiam ex duabus dumtaxat vicibus; ut Gloss. *in cap. Monasteria: V. Frequentare: de vita, & honest. Cleric.* cum *alijs concordantijs:* Sed & Rochus de Curte *in cap. fin. de Consuet. col. 57. in fin.* censet, quòd bis factum dicatur frequenter factum, & ter factum dicatur sæpissimè factum. Ita ille *ibi* plura allegans. At si, secundùm alios apud *Bonacinam cit.* judicium frequentiæ relinquamus viro prudenti, attentis circumstantijs, quis prudenter non judicet, attentâ circumstantiâ status paupertatis nostræ, frequêtiam actus damnabilem, si saltem plùs, quàm bis, in anno prædicta quantitas, sive duabus tantùm, sive pluribus largitionibus à Prælatis inferioribus aut per seipsos donetur, aut donanda subditis concedatur? Nam, si Superiori Monasterij possidentis in communi, habentísque Ducatorum viginti millia in redditibus permittit Pellizzarius *suprà cit.* cum *Panormitano* donare per se, vel donandum concedere subditis suis quantitatem viginti, vel triginta aureorum ter in anno; modò non sit alia taxa, ut vidimus *suprà;* (ubi adverte, quòd *Pellizzarius* non explicat, quòd prædicta quantitas possit concedi à Superiore illo subditis suis seorsim sumptis, & singillatim; unde rationabiliter accipi posset, quòd sensus ejus sit de quantitate illa concedenda subditis collectim sumptis) quid ergo dicendum erit de Superiore Conventus Capuccinorum, aut aliorum Fratrum Minorum nihil omninò habentis in redditibus, adeóque in summa mendicitate constituti? Certè ipse vereor, ne quantitas prædicta, attentâ circumstantiâ status nostræ Paupertatis, nimia adhuc censeri ab aliquo possit. Quare adhuc anceps vix ausim illam bis in anno concedere, desiderans omninò in hoc puncto Superiorum majorum judicium, ad quod me remitto. Nisi fortè, & facilè dixerim judicium istud haberi, aut colligi posse ex sententia Patrum nostrorum in *Statutis particularibus* pro modo procedendi in criminibus, *cap. 1. num 47.* ut recensuimus *in §. præcedente, n. 39.* & Patris à Sorbo *ibidem* relati, qui fuit nostri Ordinis Minister Generalis; quòd scilicet res minimæ ritè donabiles in Ordine nostro à Prælatis inferioribus, vel ab ipsorum subditis de eorum licentia, illæ dicendæ sint, quæ non excedunt valorem trium *Iuliorum,* seu quæ non sufficiunt ad mortale peccatum contra Paupertatis votum, adeóque, ad crimen punibile in foro externo; ad quod judicandum eâdem regulâ utitur *Sorbus cit.* aut etiam quinque *Iuliorum* ad summum, secundùm Marafaliam *cit. hic, suprà, n. 4.* Quapropter sententiam meam hanc, sicut & alias, Superiorum meorum judicio, Sapientiorúmque legentium omninò subjectam volo. Quòd si ex his satis constare videatur taxatio Superiorum nostrorum circa valorem hujusmodi rerum minimarum vilium, seu parum valentium, trium scilicet dumtaxat, quatuorvè *Iuliorum,* certè huic taxæ standum omninò esset; ut docent omnes Doctores, sed & decernit Nicolaus III. *in d. cap. Exijt: loco cit.* & declaravit Clemens ipse VIII. quoad suam Constitutionem; ut refert *Sorbus:* Tunc autem libens concesserim donandam hujusmodi quantitatem quater etiam in anno; cùm adhuc, secundùm communem sententiam Bonacinæ *suprà cit.* & aliorum, per quatuor vices in anno, seu per semel, singulis tribus mensibus non inducatur frequentia actus; secùs autem si bis una die, aut ter tribus diebus, aut quater in eadem hebdomada, aut semel singulis hebdomadis, vel mensibus; ut loquitur *Bonacina* in simili, de frequentia scilicet accessus ad Monasteria Sanctimonialium.

Dixi: *Prælatum inferiorem posse prædictam* 10 *quantitatem donare per se,* &c. loquor enim hîc de largitionibus, quas Prælati minores facere possunt nomine proprio, & ut privatæ personæ; non de expensis, sumptibusvè, aut largitionibus, quas facere possunt nomine Conventus, seu ut agunt ex officio, v.g. in hospitalitate, in restauratione Conventus, & hujusmodi, de quibus *infrà:* Ob idque non nego, posse Prælatos Majores, ut Generalis, Provinciales, vel Custodes, largitionem aliquam, præsertim ob gravem causam, aut etiam donationem remuneratoriam facere (putà alicui, qui singulare aliquod beneficium præstiterit Religioni, vel particulari Religioso) ultra etiam valorem dictæ quantitatis, secundùm utrámque sententiam, proportione tamen servata meriti illius, & beneficij accepti, atque intra limites status paupertatis nostræ, ad arbitrium boni viri, atque adeò ipsorummet Ministrorum, vel Custodum; ut tradidimus *suprà, num. 5. hic,* & docet *Verricellus* cum communi omnium Doctorum sententia, allegans Lopez; Valerum, Dianam, Scortiam, Sorbum, Paulinum Berti, Hieronymum Cenedo, Bartholomæum à S. Fausto,

S. Fausto, Bonacinam, Joannem de la Cruz, Filliucium, Abbatem, Molinam, & Layman. Vide illum *ea quæst.*30. *num.*15. *& quæst.*31. An verò apud nos Capuccinos locum habere possit doctrina, quam ex D.Thoma 2.2.*quæst.*106. *art.*6. cum Navarro, Sanchez, Corduba, Valero, Cenedo, Diana, Scortia, Fausto, & Berti, tradit idem Verricellus *primo loco cit. num.*16. quod scilicet donare possint Prælati, saltem majores, vel donandum concedere, gratitudinis causâ, ultra merita beneficij accepti, ad arbitrium boni viri; modò non fiat excessus plùs quàm in quarta parte; ut si merita sunt v.g. ut quatuor; vel ut duodecim, fiat retributio, ut quinque vel ut sexdecim: vix ego consenserim: neque enim decere arbitror altissimæ paupertatis professores (loquendo saltem de largitionibus hujusmodi faciendis extra Ordinem) æmulari sæculares, & divites benefactores, amicosvè spirituales in muneribus; cum sufficiant ad gratitudinem ostendendam, humilia, eáque nos magis decentia munuscula, ex hortalitijs v.g. vel ad devotionem spectantia. Eò vel maximè, quòd retributio, quam à nobis benefactores nostri præstolantur, ea est, ut frequenter, ferventérque pro ipsis oremus ad Deum; prout *infrà* dicemus *Art.*3. § 17. *n.*18. Et prætere a Urbanus VIII. *in Bulla*, qua confirmavit Constitutionem Clementis VIII. *de largitione munerum*: declaravit quidem; munera à Religiosis utriusque sexus de licentia Superiorum tribui posse ex causa gratitudinis; at simul & semel cautum voluit, quòd modestè, ac discretè fiant. Atque adeò, quamvis, ut ait *D.Thomas cit.* gratitudinis lex postulet, semper plus reddi, quàm sit acceptum; & maximè deceat Religiosos esse gratos, ut ait *Verricellus cit.* hoc tamen semper intelligendum est discretè, secundùm statum, & professionem paupertatis cujusque Religionis: ex hoc enim fit, ut quod in Religione diviti, & possidente in communi decens est, in alia pauperiori non liceat; prout *suprà* observavimus cum *Cotonio*, & alijs. Quid ergo in omnium pauperrima, & nihil omninò habente tam in communi, quàm in particulari cujusmodi est nostra Capuccinorum Religio? Iudicent Prælati ipsi.

11 Dixi etiam: *Præscindendo à Constitutione Clementis VIII.* &c. quia Constitutio illa, sicut & ejus confirmativa, & declaratoria per Vrbanum VIII. edita (præsertim quoad nos Fratres Minores) est tantùm restitutiva Iuris antiqui, & communis, neque aliquod Ius nouum invehit, præter pœnas, quas addit; ut diximus *suprà*, & benè advertit etiam Verricellus *ea quæst.*30. *num.*11. *& ea quæst.*31. *num.* 3. cum Joanne de la Cruz, Joanne Valero, Paulino Berti, & Diana, quos allegat. Immò Verricellus ipse *ea quæst.*30. *num.*19. *&* 20. *& tract.*8. *q.*52. *num.*8. *&* 9. latè sustinet, cum Peyrino, Gratiano, Megalio, Homobono, Victorello, & alijs, quos ille allegat, & Diana *part.* 1 *tract.*6. *resol.*1. eam etiam in Italia non esse usu receptam: neque referre, quòd fuerit confirmata ab Urbano VIII. quia sufficit, quòd deinde non fuerit observata. At, quidquid sit de hoc, nihil refert; quia in quantùm respicit eum finem, ne scilicet Paupertas regularis enervetur per munerum largitionem præsertim quoad exteros nihil juvat contra illam contrarius usus, vel quòd non sit usu recepta: nam quoad hoc, continet observantiam voti Paupertatis, quæ est de Iure divino; undè contrarius usus in hac parte est potiùs corruptela; juxta text. *in cap. fin. de consuetudine.* Finem autem potissimum hujus *Clementinæ*, eum esse, ne munerum largitione paupertas Regularis enervetur, docuerunt Azorius, Faustus, Homobonus, Filliucius, Paulinus Berti, & Sorbus, quos allegat, & sequitur Verricellus *quæst.*30. *cit. num.*18. *& quæst.*31 *num.*5. Sed hic est finis etiam, quod ad præsens attinet, Iuris antiqui & communis, & præcipuè peculiaris nostri *in d.cap. Exyt*: & in *Constitutionibus.* Unde nihil officit, etiamsi in præsenti præscindamus à Clementina Constitutione prædicta.

12 Sed quæres: Peccabítne contra Votum, Statúmque Paupertatis Prælatus inferior, qui absque Prælati superioris facultate, & gravi causa non urgente, donet, aut donandam intra annum concedat subditis suis quantitatem excedentem valorem, qui juxta utramque regulam *suprà* traditam conceditur in anno.

13 Respondeo, peccaturum illum mortaliter, si unica vice ita donet munus duplò majus, quàm sit donum valoris rei minimæ; sive hic valor dicatur esse duorum aureorum, secundùm unam regulam; sive trium, vel quatuor *Iuliorum* secundùm aliam. Et ratio est; quia sic videtur ille graviter adversari paupertati. Ita Verricellus *cit. quæst.*31. *num.*6. At si pluribus donatiunculis duplò majorem quantitatem donet intra annum, quàm quæ permissa est pro toto anno, juxta prædictas respectivè regulas; putà si intra annum donet ad summam octo aureorum, quod est quater in anno valorem duorum aureorum, secundùm unam regulam; aut ad summam viginti quatuor, vel triginta duo *Iuliorum*, quod est octies in anno valorem trium, vel quatuor Iuliorum, secundùm aliam regulam: probabile putat *Verricellus cit.* quòd non peccet ille mortaliter, sed tantùm venialiter. Atqui (apud nos saltem) ego, mortaliter illum peccaturum puto, præsertim sequendo regulam duorum aureorum. Videtur enim graviter offendi status paupertatis. Quòd si verò excessus prædictus, sive in unica vice, & donationes sive intra annum in pluribus donationibus,

non

non sit notabilis, tunc concedo non peccaturum Prælatum prædictum mortaliter, sed tantùm venialiter.

14 Adverte tamen, prædicta munuscula non esse æstimanda ex pretio, vel valore laboris, artis, aut industriæ ipsorùmmet Religiosorum, ubi illa ab ipsis fuerint elaborata; sed ex valore dumtaxat, pretióque materię adhibitæ, vel substractæ; Unde non peccabit, ut *suprà*, Prælatus concedens licentiam subdito donandi ex causa devotionis, vel alia rationabili munus ab ipsomet elaboratum, vel artefactum, valoris v. g. trium, aut quatuor aureorum, vel etiam ultra; attento tamen, & æstimato labore, & industria; at parvi valoris, æstimato sumptu materiæ substratæ. Ratio est; quia pretium, seu æstimatio illius laboris, & industriæ non cadit sub Paupertatis votum: unde absque infractione voti Paupertatis, potest Religiosus & sibi præstitum ab alio hujusmodi obsequium acceptare, & alteri illud ipsum præstare, etiam sine Superioris licentia, præscindendo à speciali prohibitione, quæ si adsit servanda est, inducitque, si violetur, non voti Paupertatis, sed Obedientię 'ęsionem; ut alibi docuimus, nempè §. *præcedente*, *n.* 14. (ubi tamen hanc doctrinam valdè probabiliter negari notavimus à *Caramuel* de Religioso Converso, vel Laico.) Et ita advertit Verricellus *cit. n.* 7. cum Bonacina *in tractat. var. disp.* 3. *punct.* 1. *n.* 5. Scortia *in Bullu Pontif epist.* 158. *theor.* 396. Joanne Valero *in differ. utriusque fori, V. Munera, num.* 66. Joan. Caramuel *in Reg. S. Benedicti, disp.* 59. *resol.* 8. *n.* 859. Diana *p.* 1. *tract* 6. *resol* 6. & *p.* 7. *tract.* 11. *resol.* 17. & Card. de Lugo *disp.* 3. *sect.* 8. *n.* 149. *tom.* 1. *de just. & jure.* Hocque ego verum puto, non solùm si opus illud donandum, antequam fiat, assumatur à Religioso illo faciendum ex primaria intentione ad petitionem talis, vel talis amici, vel devoti, aut benefactoris, ut vult *de Lugo*; verùm etiam si non sit factum ad ejus petitionem, sed cum simplici intentione Religiosi de licentia *ut suprà v.* donandi illud tali personæ; ut volunt Verricellus *cit.* & Caramuel; & patet ex dictis §. *praced. n.* 14. modò tamen res illa non fuerit semel applicata, & acquisita Conventui, ut benè monet *Verricellus*: nam Prælatus potest quidem in acquirendis præjudicare Monasterio; non sic in jam acquisitis, absque gravi causa. Atque hæc satis, quoad primam tituli partem: jam verò ad alteram progrediamur, circa quam.

SEGMENTI SECUNDI

SUMMARIUM.

15 *Religiosi ut munuscula sua donare possint, an debeant priùs obtinuisse licentiam à Superiore*, & num. seq.

16 *Licentia Superioris an debeat præcedere largitionem munusculorum à Religiosis erogandorum, an vero sufficiat ex post facto supervenientes*, & num. 17. *ubi cum distinctione resolvitur.*

Ratihabitio licentia explicita comparatur. ib.

18 *Licentiam à Guardiano alysve Superioribus semper requirere debent subditi ad res etiam minimas largiendas.*

Guardiani ipsimet ad res majoris valoris tam intra quàm extra Ordinem donandas, debent Provincialē vel Custodē consulere, ib.

Quod si tempus & rei necessitas non patiantur moram, tunc ratihabitio rationabiliter & sine dolo præsumpta excusat.

19 *Ratihabitio præsumi nec debet, nec potest, in donationibus merè prophanis factis à Religiosis, qui ideo sunt proprietarii rei, & donatary tenentur ad restitutionem.*

20 *Licentia Superioris Religioso subdito concessa ad donandum, non semper illum excusat à proprietatis reatu:* & n. 21. cum alijs seqq.

22 *Licentia Superioris Religioso concessa ad donandum, debet esse voluntaria, non aliquo metu, vel dolo extorta.*

Et quid de precibus importunis? ibid.

Quid de petitione & impetratione obreptitia aut subreptitia, ibid.

23 *Licentia Superioris Religioso concessa ad donandum debet esse justa: nempe obtentu à vero & legitimo Superiore: & ad honestum finem, ut declaratur*, ibid.

24 *Licentia Superioris expressa vel saltem tacita vel præsumpta seu implicita à Religioso habenda est ad excludendum proprietatis reatum in aliqua re largienda vel recipienda.*

Et quando licentia tacita seu præsumpta sufficiat, latè explicatur, ib. & n. 25. cum seqq.

26 *Licentia præsumpta qua dicatur.*

Ad licentiam præsumptam non sufficit Prælatum non esse invitum, sed requiritur aliqua voluntas positiva formaliter aut virtualiter quod gestum est approbans, ibid.

27 *Licentia præsumpta non excusat à veniali quando Superior adiri potest, sed præ verecundia, aliòve humano respectu non consulitur.*

Licentia præsumpta quando excuset ab omni culpa: & quādo non excuset etiā à gravi. ib.

28 *Quæ gesta sunt ex licentia præsumpta fideliter post factum ad Superiorē referenda sunt.*

Usus rei alienæ inscio domino, sed non invito, non facit furtum, quando prudenter præsumitur domini consensus, ipsique quod factum est denuntiatur, ibid.

Minor aliquid à Fratre Minore recipere potest ex præsumpta licentia & voluntate sui Prælati, modo quamprimùm fieri potest, ipsi denuntietur, ibid.

29 *Licentia tacita, & præsumpta, in quo differant. Qui operatur ex licentia Superioris tacita & implicita, non tenetur ipsi manifestare quod egit: secùs si tantùm ex præsumpta*, ibid.

15 PEndenda in primis sunt verba illa Nicolai III. *in eo §. Quia verò:* ubi donandi aliqua facultatem concedens Fratribus Minoribus, post rerum ipsarum donandarum qualitates præscriptas, inquit: *Obtentâ super hoc priùs Superiorum suorum licentiâ:* Ex his enim videtur, quòd necessariò ante actum donandi quidpiam, debeant Fratres obtinuisse à Superioribus suis licentiam. Quapropter.

16 Dubitari potest *primò*; An hujusmodi licentia sufficiat, si ex post facto interveniat: cùm scilicet ante factum non potest commodè adiri, consulíque Superior.

17 Respondeo distinguendo: vel enim Frater donans, id facit cum animo ex post petendi licentiam, certioremque reddendi Superiorem, adeóque sine dolo, & ex ratihabitione Superioris ritè, & prudenter supposita; vel non: Si non; perperam agit, ut proprietarius; unde etiamsi deinde pœnitentiâ ductus petat, & Superiori indicet id, quod egit, non satisfacit, nec excusatur à proprietatis reatu jam contracto à principio actus dolosi: Si cum animo petendi, eò quòd verè tempus, & rei necessitas Superiorem commodè adiri, consulíque non permittant; censeo sufficere ex post facto obtentam; quia nimirum Frater ille in tali casu sine dolo operatus est ab initio actus, & bona, prudentique fide ratihabitionem supposuit Superioris sui. Et ita colligo ex simili apud Ludovicum Gomesium, *de Actionibus, §. Pœnales: num, 9. & 38.* ubi ad probandam suam sententiam, ait: Clarum est; quòd Ius patronatus non acquiritur, nisi Diœcesano consentiente, ut tradit Abbas *in cap. Cura: in fin. de Iure patron.* post Cardin. *in 5. not.* & tenet Rota *in decis. 17. in tit. de prabend. in antiq.* Et illa licentia, vel consensus debet intervenire in ipso actu; ut concludit Calderinus *in cons. fin. substit. de Iure patron.* cum *similibus*, ut per Felinum *in cap. Ex parte: lib. 2. col. 1. de rescriptis.* Et tamen si ille consensus, vel licentia non intervenisset à principio, sed ex post facto, sufficit; ut est textus *in d. cap. Cura:* quem *ibi* ad hoc ponderat Abbas *in ult. notabili:* & idem firmat Abbas *in consil. 89. incip. Iesu Christi: in 1. col. in 2. volum.* Et hanc dicit esse communem opinionem, Cardin. *in consil. 6. incip. An valeat præsentatio:* cum *infinitis similibus:* ut per Rochum de Curte *in tract. de Iure patron. in versic. Pro eo, quòd de Diœcesani consensu: in 4. col.* quam doctrinam Moderni *in tract. de Beneficio, in 6. quæst. 1. part. princip. in 4. & 5. col. cum seq.* secundùm impressionem parvam, *in versic. Idem Rochus:* Ita Gomesius. Fateor tamen, quòd cùm licentia prædicta, de qua loquimur, sit essentialiter requisita ad licitè donandum; nisi adsit in ipso actu, vel saltem habeat tunc locum ratihabitio, (quæ in re est licentia rationabiliter præsumpta, & cùm retrotrahatur, licentiæ explicitæ comparatur, & confirmat ea, quæ ab initio subsecuta sunt; ut est textus *in l. fin. C. ad Senat. Consult. Macedon. & l. antepenult. C. de donat. inter virum, & uxor.* ubi Gloss. cum *alijs concordantijs*) non omninò sine dolo, adeóque illicitè fieri censerem. Vide *infrà, n. 29.*

Quare pro licentia largiendi res minimas, & 18
viles, seu leviores, tenentur subditi ordinarij semper consulere Guardianos suos, vel alios Superiores præsentes, & immediatas Guardianorum vices gerentes; pro licentia verò largiendi, vel dispensandi ob quamcúmque rationabilem causam, tam intra, quàm extra Ordinem, res majoris, quam minimarum, viliumque, valoris, tenentur etiam Guardiani, nedum Fratres subditi, (ut indicant Constitutiones nostræ *cit. cap. 6.*) semper consulere Provincialem suum, vel Custodem, aliumvè hujusmodi Superiorem majorem, si tempus, & rei necessitas ferant. Quòd si Superiores prædicti majores, vel minores respectivè absint, nec tempus, reíque necessitas verè patiantur, ut vel coram, vel per epistolam illi consulantur, possunt tum Fratres subditi privati respectu Guardianorum, vel Provincialium, tùm Guardiani ipsi respectu Provincialium, vel Custodum recurrere ad eorum, vel Pontificis ratihabitionem de præsenti, ex prudenti, & justa, non dolosa, præsumptione eorum voluntatis, & licentiæ, cum animo ex post facto manifestandi ipsis, quod sub tali ratihabitione actum est: itaut nunquam elargiantur, sive dispensent quicquam, ut Domini, sed ut Ministri, vel filij familias, scilicet domini Papæ, qui specialis Pater est, & Dominus Fratrum Minorum, & illis largiri, seu donare concedit, ut suprà.

Ex quo fit, ut in donationibus merè profa- 19
nis, idest non ad pietatem, vel devotionem, neque ullo justo titulo debitis, & à fortiori in turpibus, vel pravæ intentionis, nunquam possit præsumi talis voluntas, & ratihabitio Superiorum: ideóque & iniquæ sunt, & invalidæ, itaut & Frater (quisquis ille sit) sic donans, crimine proprietatis sit reus; & is, cui donat, teneatur ad restitutionem; ut benè Corduba *in Sum. q. 109.* Petrus de Navarra *in lib. 3. de restit. cap. 1. n. 35.* & est argumentum *in cap. Fraternitatem: de donat.* & expressè habetur *in Constit. Clementis VIII. de largitione munerum Religiosæ Congregat. §. Quòd si:* quam profectò à Religionibus, quæ profitentur Observantiam, & pro observantibus reputantur, usu receptam

testatur

testatur Filliucius *eo cap.* 3. *num.* 80. ideóque frequentes (inquit) interrogationes ab ijs fieri de quantitate, & valore rerum, quæ donari possunt; an inciderint in pœnas; & hujusmodi. Ex sæcularibus etiam, tam Prælati, quàm Laici timoratæ conscientiæ scrupulis agitantur, cùm aliquod munusculum à Religiosis accipiunt. Colligitur id etiam in particulari, quoad Fratres Minores, ex expressa voluntate Nicolai III. in concessione allata *ex eo* §. *Quia vero:* qua nimirum Fratribus ipsis concedens aliqua donare de Superiorum licentia, donari ea vult nonnisi pietatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa. In hujusmodi autem donationibus habentibus rationabilem causam particulares circumstantiæ considerandæ sunt à Prælatis, nempè consuetudo, & rei quantitas, ad judicandum, an sibi liceat tùm donare per se, tùm concedere Fratribus sibi subditis licentiam donandi: *cap. Ceterùm: de donat.* & Navarrus *in Comment.* 2. *de Regular. num.* 26. *&* *Comment.* 3. *num.* 27. apud Bonacinam nostrum *in Summula qq. Regul. V. Prælatus Regularis: num. mihi* 398. Hinc.

20 Quæri potest *secundò*; An quælibet Superioris licentia excuset Fratrem subditum à proprietatis reatu?

21 Respondeo, non omnem omninò Superioris licentiam, etiamsi aliquando petitam, & ab eo obtentam; sed tantummodò voluntariam, & justam, sive tacita ea sit, sive expressa, excusare subditum à proprietatis reatu. Hujusmodi enim tantùm licentiâ positâ, non operatur subditus, nomine proprio, sed alieno, scilicet Superioris, vel Pontificis.

22 Primò igitur debet esse licentia voluntaria, absque ullo metu, coactione, dolo, vel fraude extorta, quia hæc reddunt actum simpliciter involuntarium. Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 19. *num.* 16. 17. *&* 18. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 14. Castro Palao *Sum. mor. part.* 3. *tract.* 16. *disp.* 3. *punct.* 23. *num.* 1. & Cotonius *cit. cap.* 3. *num.* 92. *&* *lib.* 1. *Contr.* 3. ubi de dispensatione. Voluntariè autem concessa non censetur, si precibus valdè importunis Superior eam concedat, quando reverà involuntariè, & ut ab importunitate se eximat, ille consentit, aliter omninò repugnaturus: tunc enim non est licentia, sed violentia; ut optimè ait D. Bernardus *in lib. de Consideratione ad Eugenium.* Et preces importunæ, quoties sunt causæ concessionis, efficiunt mixtum involuntarium, & conditionalem nulitionem. Secùs tamen, quando importunè rogatus, postea libentissimè consentit: Sanchez *cit. num.* 16. se ipsum citans *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 10. *num.* 4. & Perez. Similiter nec sufficienter voluntaria censetur licentia, quam metu aliquo, etiamsi tantummodò levi, Superior concedit, ut cùm timore majoris inconvenientis, aut verecundiâ ductus non audet contradicere, sed tacet, & permittit contra propriam voluntatem: hæc enim non est licentia, sed permissio ex quadam coactione, ad vitandas verbi gratiâ magnas murmurationes, & querelas, quas subditus velut injuriâ affectus funderet, Superiore non permittente: Sanchez *cit. num.* 17. *&* 18. cum Carthusiano *lib.* 1. *de profess. Monastica, art.* 11. Corduba *in Sum. quæst.* 54. Petro de Navarra *lib.* 3. *de rest. cap.* 1. *in nova edit. part.* 3. *dub.* 1. *n.* 161. Manuele *tom.* 3. *qq. reg. quæst.* 29. *art.* 12. *coroll.* 2. Lessio *de Iust. & Iure lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 25. Ad dolum denique, vel fraudem reducitur, si subditus in petenda à Superiore licentia, ea taceat, quibus declaratis, scit ex praxi aliorum, vel credit, Superiorem non concessurum licentiam; vel ea falsò, fictéque exprimat, & repræsentet, ob quæ licentia ipsa concedatur, quæ rationibus, & motivis illis non adductis, non concederetur: Suarez, & Sanchez *locis allegatis.* Secùs tamen esset, si ea taceat, vel falsò exprimat, quibus tacitis, vel expressis, adhuc per se solet licentia concedi, tametsi difficiliùs concedatur: ea enim tacita, vel expressa non sunt in tali causa concessionis: Suarez, & Castro Palao *citatis locis.*

Debet secundò licentia esse justa; hoc est 23
concessa absque ulla injustitia. Itaut primò sit à verò, & legitimo Superiore, vel tali communiter reputato, qui illius concedendæ facultatem habeat. Ubi autem plures sunt Superiores subordinati, sufficit, si ab aliquo eorum licentia obtineatur, Castro Palao *cit. num.* 11. cum alijs, quos allegat. Quod tamen ipse intelligendum duxerim de pluribus Superioribus habentibus hic, & nunc, jurisdictionem in actu exercito, & non impeditam per præsentiam Majoris, cui sunt subordinati. *Secundò*, quòd sit legitima in causa, & opere; ne scilicet v. g. concedatur ad surripienda aliena, etiamsi ad bonum finem; ne concedatur ad usus turpes, vanos, & superfluos. Cum enim licentia illa de Iure nulla sit, non excusat à lethalis proprietatis reatu, ubi materia adfuerit gravis. Quin & Prælatus ita concedens peccat mortaliter. Excusabit tamen à pœnis proprietatis in foro externo; quippè quæ statutæ sunt contra Religiosos sibi quippiam appropriantes absque omni Superioris licentia: sicque conciliari potest sententia aliquorum, qui dicunt, non esse necessariam licentiam justam ad vitandam proprietatis culpam, vel reatum: ita ut hæc sententia concedatur vera quoad reatum in foro externo, non autem in foro interno. Videantur Sanchez citatus *à num.* 19. *usque ad* 25. & Castro Palao *cit. num.* 2. 3. 4. *&* 5. Manuel *cit.* & alij apud istos latè allegatos, præcipuè apud Sanchez *numero* 21. & apud Cotonium *cit. c.* 3. *n.* 91. *&* 92. Et

quod dicitur de justitia licentiæ Superioris erga subditos, idem dicendum est etiam de ipso Superiore erga se; ita ut licentiam, quam justè non potest concedere subditis, nec sibimet concedere possit; quia non potest pro se ipso ampliorem, quàm pro subditis usurpare jurisdictionem, vel facultatem, Castro Palao *citat. num.*4. Præterea licentia etiam nulla censenda est, etiamsi concessa pro usu licito expresso, sed postea per subditum mutato in illicitum: non enim intendit consentire tunc ampliùs Pontifex, aut Superior; ut patet ex dictis *supra*, juxta expressam Pontificis Nicolai intentionem in concessione largiendi, *eo paragrapho, Quia verò, &c.*

24 Debet denique hujusmodi licentia, voluntaria, & justa haberi vel expressa, vel tacita seu implicita, vel præsumpta. Quocúnque enim ex his modis habeatur sufficit ad excludendum proprietatis vitium. Nam sic non operatur subditus proprio nomine, & independenter à Superiore, sed dependenter ab ejus voluntate, cui suam vult; intenditque subjectam operationem. Et quidem hujusmodi licentiam tacitam, vel præsumptam sufficere ad excludendam proprietatem, quando Superior commodè adiri non potest, & urget occasio, moralisvè necessitas aliquid largiendi, vel recipiendi; certum est ex benigna interpretatione Voti paupertatis, quod præsumi non debet extensum ad expressam licētiam moraliter impossibilem. Hócque etiam intelligitur in strictioribus Religionibus in quibus (ut observat Sanchez *cit. n.*4.) ratione paupertatis strictè observandæ præceptum est Superiorum in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne liceat recipere, aut largiri, vel dispensare aliquid sine expressa licentia; ut docent Ludovicus Lopez *p.*1. *Instruct. moral. cap.*156.*vers penult.* & *lib.*2. *de contract. cap.*40. *col. penult.* & Manuel *tom.* 2. *sum. cap.*31. *n.*7. ajentes, quòd cùm etiam præcepta debeant esse rationi consona, sic id quóque præceptum accipiendum est; ut scilicet in necessitate urgente aliquid largiendi, vel recipiendi, si non esset recursus ad Superiorem longè distantem, sufficiat licentia tacita, seu probabiliter præsumpta, ut mox *infrà* explicabitur. Suarez *cit. n.*3. & Castro Palao *cit. n.*6 Sanchez, & alij. Illud etiam certum existimo; quòd nimirùm aliquãdo licentia tacita sufficiens habeatur, licet Superior commodè adiri possit. Hæc autem tunc est, quando virtualiter, seu implicitè continetur in alia expressa; ut si v.g. Superior concedat subdito licentiam aliqua recipiendi, quæ ad id suaptè naturâ ordinata sunt, ut alijs dispensentur seu donentur; eo enim ipso, quòd Superior concedit licentiam recipiendi, nec prohibet recepta alijs dare, censetur concessisse, quòd dentur. Sic in simili Suarez *cit. num.* 7. Atque hujusmodi sunt imagunculæ Sanctorum, libelli aliqui devoti, parvulæ sanctorum Reliquiæ, vel thecæ, quibus Reliquiæ ipsæ continentur, Agni Dei, vascula liquoris, Mannæ &c. Coronæ, Rosaria, numismata benedicta, & his similia munuscula, ad devotionem, & Religionem pertinentia: si tamen essent magni pretij, non possent dici munuscula, adeóque nec liceret ea donare juxta *cap. Exyt:* & Bullam Clementis VIII. *de largit. munerum*, Bonacinam *tom. mihi* 1. *in Tractat. var. disp.*3. *de largit. muner. pu.*1. *proposit.*2. *num.*9. Layman *lib* 4. *tract.*5. *cap.*7. *num.*4. *versic. Hoc modo.* Sanchez *lib.*7. *in Decalog. cap.*19. *num.*70. & Cardin. de Lugo *tom.*1. *de just. & jure disp.*3. *sect.*8. *n.*162. Itemque, si consuetudine introductum sit, ut aliqua dentur absque expressa Superioris licentia, & Superior consuetudinem non revocet, nec contradicat, cùm possit, ea omnia censetur approbare: sic Suarez *cit.* & Sanchez *cit. num.*7. quem sequitur Coronius *citat. capit.*3. *num.*93. & 94. Itemque idem est, si Superiore conscio, nec prohibente, cùm facilè, posset, aliquid Frater donat, vel recipit: quia in ea dissimulatione virtualiter continetur quædam approbativa voluntas: *cap. error: & cap. Consentire:* 83. *dist.* Secùs esset, si difficulter impedire posset, eò quòd timet, Domum, seu Conventum perturbandum fore querelis, & murmurationibus subditi; quia eo casu, ea dissimulatio, vel taciturnitas, non est censenda consensus, seu licentiæ concessio, sed facti quædam pura permissio, ob majus inconveniens non incurrendum; quæ proindè subditum à proprietate non excusat; ut diximus *suprà*. Sic Castro Palao *citat. num. septimo* cum Navarro *comm secundo de Regular. num.*22. Mendoza *in suis quodlib. quodl.*8. *conclus. septima*, Manuele *tom.*3. *qq. Regul quæst.*29 *artic.*11. Sanchez *numer.*12. & Suarez *cit. n.*8. & cum his *Coronius cit.*

At ne quis fortè sub colore præsumptæ Superioris licentiæ, temerè, adeóque culpabiliter eam usurpet, summæ operæ pretium erit, qualiter vera dicatur licentia præsumpta, (tacita enim jam satis explicata est exemplis) quæ à proprietatis reatu excusat, Paulò exactius explicare. Vt enim meritò advertit Cardinal. de Lugo *disput. tertia, de Iustitia & Iure, sect. septima*, Si sententia dicentium, sufficere licentiam præsumptam, quam Prælatus quidem actu non concedit, sed concederet si peteretur; accipiatur ut verba sonant; votum Paupertatis Religiosæ evaderet observantia de solo titulo: Licentia enim omnis rationabilis præsumi potest concedenda. 25

Dico igitur, quòd tunc ritè dicitur præsumpta licentia Superioris, quando tempus, reivè necessitas ex una parte ita urgent, ut non possit tunc commode consuli Superior; 26

ex

ex alia verò parte moraliter pro certo habetur, idest probabiliter creditur, ejus ratihabitionem, vel consensum, quasi de præsenti, adesse; idest quando de præsenti est actus in voluntate, saltem virtuali, aut habituali ipsius Superioris, quo nimirum consentiat, id, vel illud à subdito dari, vel recipi, aliudvè fieri. Quemadmodum, ut vinculum, seu obligatio Legis, per epijciam, seu æquitatem cessare prudenter præsumatur, requiritur, quòd ex virtuali, seu habituali voluntate Legislatoris de æquo, & bono, ejus mens ea præsumatur esse in casu occurrente, quòd, attentis circumstantijs, non obliget ad expectandam ab ipso dispensationem; cavendo omninò à fraudulenta verborum legis interpretatione; ut benè Sanchez *cit. num.*14 & Miranda *in Manuale, tom.*2. *quæst.*25. *art.*23. Hujusmodi autem ratihabitio, seu voluntas, vel consensio, quasi actualis, & de præsenti deducta ex virtuali, seu habituali, tunc ritè, & probabiliter præsumitur, creditúrque adesse, quando experientiâ compertum, exploratúmque est, solitum esse Superiorem talem licentiam libenter concedere petenti. Dixi: *Idest probabiliter creditur*, &c. Quia probabilis cognitio, quæ ex justa credendi, seu opinandi causa procedit, ad tutè operandum in rebus moralibus satis est, reputatúrque certitudo moralis; de qua utique se locutos explicant Doctores, qui ad hoc requiri affirmant cognitionem certam, scilicet moraliter; cùm tamen alij communiter dicant sufficere cognitionem probabilem, quæ cùm reputetur (si tamen, ut par est, verè probabilis sit) certitudo moralis; patet quomodo Doctores omnes, etsi diversimodè locuti, in eandem reapse conciliari possint sententiam. Videantur Sanchez *cit num.*13. Castro Palao *cit. num.*8. Suarez *cit. num.*11. alios referentes; De Lugo etiam *suprà cit.* Diana *part.*1. *tract.*6. *Ref.*13. *& part.*6. *tract.*6. *Ref.*58. & Cotonius *suprà cit. cap.*3. Ubi *num.*97. *&* 98. ait; non satis esse, Prælatum non esse invitum, hoc est non habere voluntatem contrariam, etiam quoad rem; sed oportere, ut habeat aliquam voluntatem positivam, qua actum illum formaliter, aut virtualiter approbet. In quo discrimen est inter obedientiam, & paupertatem: nam illa respicit præceptum, & voluntatem positivam Prælati; hæc reijcit Ius illius, & Monasterij; & illa non violatur, nisi violetur præceptum; hæc violatur quandocúmque aliquid fit inconcesso jure, seu facultate. Censetur autem (ait ille *num.*99.) adesse virtualis, vel habitualis voluntas Prælati, quando is formaliter vult aliquid necessariò antecedens eum actum, vel cum illo realiter identificatum, vel solitus est velle, &c. Nec satis est (concludit *num.*100.) notitia ejus utcumque probabilis, ut ducet *Diana cit.* & alij communiter; sed requiritur probabiliter, & moraliter certa; ut bene Petrus de Ledesma *tom* 2. *tract.*8. *cap.*21. *diff.*7. & Molina *tom.*2. *de Iust. disput.*276. *propè fin.* juxta ea, quæ universaliter docet ipsemet Cotonius, *de opinione sequenda, lib.*1. *contron.*5. Quamvis autem Franciscus Bardi *disceptat.*6. *de Conscientia dubia, cap.*3. §. 10. relicta sententia eorum, qui moralem certitudinem requirunt; recipiat, & tradat, tanquam probabiliorem, eorum sententiam, qui judicio probabili contenti sunt; juxta rationem de electione probabili: cum tamen judicium probabile, quando verè est tale, (quod ab omnibus omninò Doctoribus supponi existimo) reputetur certitudo moralis sufficiens ad tutè operandum in moralibus; ut observatum est mox *suprà*; consequens est, quòd & Bardi ipse, & Cotonius, & Ledesma, & Diana, & alij, tametsi aliter, plus minúsvè expresè, loquantur, in re tamen non dissentiant à nobis, nec inter se, nec nos ab ipsis. Videatur ille etiam §. 11. ubi disertè aperit notas ritè præsumptam Superioris voluntatem inferentes; quas utique & nos tradimus §. *seq. n.*21.

27 Valdè tamen advertendum est, quòd in usu hujusmodi probabiliter præsumptæ licentiæ, quoad dandum, dispensandum, vel recipiendum, aliudvè faciendum, ferè semper peccatum saltem veniale committitur, cùm scilicet potest quidem commodè adiri Superior, vel per epistolam consuli, tempore, & rei agendæ urgentia ita ferentibus; sed præ verecundia, aliovè humano respectu non aditur, nec alio modo consulitur. Ratio est; quia communiter Superiores, præsertim in Religionibus, quæ sunt in viridi observantia, cùm commodè adiri possunt, vel per epistolam consuli, ægrè, invitéque ferunt hujusmodi clandestinam, & furtivam usurpationem, seu interpretationem suæ ipsorum licentiæ, quoad dandum, vel recipiendum, vel aliud faciendum, de quo præsertim non sit consuetudo approbata ab ipsis; utpotè observantiæ Religiosæ, & paupertatis, vel obedientiæ puritati satis adversam: mallentque licentiam peti; tametsi non contradicant actui principali. Cùm igitur hæc invita Superiorum voluntas supponatur solùm esse respectu modi clandestini, & furtivi, non respectu actus dandi, dispensandi, vel recipiendi, aut cujuslibet alterius actus; ideò nisi etiam quoad hoc credantur notabiliter inviti, sed aliquantulum tantùm, culpam venialem non excedet omissio petendi licentiam, usúsque licentiæ cæteroqui probabiliter, ritéque præsumptæ, ut præfertur: carebitque etiam omni culpa, si nec quoad modum credantur, vel minimum inviti: sicut è contra poterit non

carere culpa gravi, si graviter, & notabiliter ægrè ferentes, & inviti credantur. Sic colligo ex Sanchez *cit.num.*15. & Castro Palao *cit.n.*9. apud quem Navarrus etiam,& Suarez referuntur. Immò, si dubium sit,nec sufficienter probabilis licentia supponatur, quoad actum principalem, nullatenùs excusaretur à proprietatis reatu Frater donans; jam enim hæc esset improbabilis, & temeraria præsumptio; tùm quia in dubio minimè licitum est operari;tum etiam quia in dubio præsumitur, Superiores esse invitos: Sic Sanchez *cit.num.*13.alijs relatis; *arg. l. qui vas: §. quòd si: vers. Vetare: ff. de furtis.* Qui præterea *ibid. n.*8. difficultatem excitans, an qui usus est præsumptâ Superioris licentiâ in acceptione, vel largitione, seu dispensatione alicujus rei, teneatur ex vi voti Paupertatis, referre postea Superiori, quod dispositum cum tali licentia? Cum hac distinctione respondet: Quando tota (inquiens)præsumendæ licentiæ ratio fuit, non posse commodè tunc adiri Superiorem, nec res accepta, vel data, est consumpta, sed adhuc potest Superior emendare, aut revocare, si ea est alienata: tenetur subditus, ne violet votum Paupertatis, id referre Superiori: secùs, quando jam nequit à Superiore emendari, aut revocari. Primam partem probat ille; quia licentia est solùm probabiliter præsumpta in hoc casu pro tempore, quo Superior adiri, consulique nequit: Ergo eo tempore transacto, retinebitur ea res absque licentia, & erit usus illius, tanquam propriæ. Posteriorem verò partem sic ostendit: quia jam subditus non retinet rem illam, nec eâ utitur, tanquam propriâ, & cum Superior nullum jam in ea imperium habeat, nulla est manifestandi obligatio. Hæc ille:addens,quòd in priori casu intelligendus est D.Bonaventura *part.*1.*speculi disciplinæ, cap.*4. *in fine*, ubi hæc ait: Potest fidelis servus, & prudens nonnulla pro loco, & tempore facere de tacito, vel probabiliter præsumpto Superiorum assensu, ad ipsum (scilicet Superiorem) denique finaliter (mendosam hîc puto editionem, & pro *Finaliter*, legendum *fideliter*: siquidem, *Denique*, & *Finaliter*, idem sonant)acta quæque per usum hujusmodi relaturus.

28 Verùm,cum D.Bonaventura neque in verbis ejus allatis, neque *ibi in contextu* ullam indicet distinctionem, non mihi probatur distinctio, quam adhibet *Sanchez.* Sive enim Superior adiri non possit, sive possit, & non adeatur præ verecundia,vel alio humano respectu,sive res accepta, vel data, consumpta sit, sive non; adhuc acta quæque (ut ait S. Doctor) per hujusmodi probabiliter præsumptum Superioris assensum, sunt à subdito si verè fidelis Dei servus, & prudens ille sit,& haberi velit;prout supponitur à Sancto Doctore) fideliter referenda post factum:quia esto,quòd res accepta, vel data consumpta sit,adeòq; subditus,aliúsve externus illam non retineat, & Superior ipse nullum jam in ea imperium habeat; adhuc tamen poterit emẽdare aliquid,admonendo v.g. subditum de aliquo pro alia vice.Præterquàm quòd communis ratio sententiæ docentium,licentiam probabiliter præsumptam, & præ verecundia,aliovè humano respectu non petitam ante factum,sufficere ad excusandum subditũ à proprietaris culpa; ea est; quia (inquit Castro Palao *cit.n.*8.) ad hunc effectum sufficit, quòd voluntati Superioris saltem futuræ nixus operè ris:ergo hi quoque supponunt,quòd ex post facto saltem petenda sit,& habenda Superioris voluntas;manifestando ei fideliter quidquid ex præsumpta ejus licentia actum est; ut air S.Bonaventura. Ita etiam sibi velle indicant Doctores,qui(ut ait Sanch. *cit.n.*13.) dicunt esse proprietarium Religiosum, qui donat aliquid,nisi ponat spem in ratihabitione Prælati;quia de ratihabitione de futuro loquũtur:Hi autem sunt D.Thom.*in* 4.*sent dist.*15.*q.*2.*art.*5.*quæstiunc.*4. *in corp.*Rosella *in Sum.V.Eleemosyna, n.*1. Tolet. *in Sum.in fin.ubi de pecc.mort. c.*28.*in fin.* Quomodo enim haberi poterit,vel sperari ratihabitio Prælati de futuro,nisi ex post facto subditus ei fideliter referat acta quæque ex hujusmodi præsumpta licentia; ut docet S. Bonaventura? Certè,si subditus sic saltem manifestare ex post facto Prælato suo, quod egit, scienter omittit, non leve indicium est doli,& temerè,stultéque præsumptæ licentiæ,adeóque sine ulla excusatione à proprietatis reatu. Videantur Coroninus *cit.n.*101. 102. *&* 103. & Diana *part.*1. *tract.*6. *resol.*41. *&* 42. *&* *part.*11 *tract.*1. *res.*19. Quid, quòd id etiam non obscurè indicant Doctores agentes de furto, qui, juxta *l. Inter omnes: §. rectè: ff. de furtis,* (quam etiam affert Sanchez *cit.* & Castro Palao *eo num.*8.) dicunt non esse furti reum, accipientem alienum absque domini licentia ante factum, quando prudenter credit, dominum petitâ licentiâ, concessurum, seu permissurum? Certè si hujusmodi accipiens sine dolo agit, indicabit id ex post facto ipsi domino rei acceptæ, ut ratum habeat, quod ille confidenter egit. Immò Joannes Oinotomus *super Instit. lib.*4. *tit.* 1. *§. Placuit: num.*1. refert optimam cautelam ex Joan.Fab. *ibid,* quòd scilicet hujusmodi accipiens, vel utens aliena re, inscio domino, accersitis testibus protestetur de sua voluntate, & animo. Qua de re latiùs per Bartolum *in d.l.inter omnes:*& Scribentes *in d.§.Placuit:* Quartò ergo magis supponendum est,quòd ex post facto indicaturus sit id quod egit ipsi domino? Non urget igitur responsio illa, & doctrina *Sanchezij,* ut à sententia D. Bonaventuræ candidè intellecta recedamus in praxi.Eo vel maximè,quòd

(ut

(ut benè observat, resolvens juxta superiùs tradita, Cotonius *cit. num.* 94. & 95.) in Religionibus observantibus, in quibus viget usus licentiarum specialium, dubitatur, An sufficiat licentia præsumpta, seu conditionalis, quam Prælatus quidem actu non concedit; sed concederet, si peteretur? Sequor ego sententiam D. Bonaventuræ *citat.* quæ est etiam expressa Bartholomæi de Pisis *lib.* 1. *Conformitatum, fructu, & conformit.* 9. *p.* 2. *in exposit. cap.* 6. *Reg.* (*pag. mihi* 123. *col.* 2.) ajentis, cum Hugone, posse quidem Fratrem Minorem à Fratre aliquid recipere, præsumendo de licentia, seu voluntate Prælati; si tamen statim, si fieri potest, Prælato denuncietur, vel præsentetur. Et quod dicitur, de recipiendo, dicendum est etiam de dando; nam eadem est ratio. Ita ille.

29 Atque hinc minùs assentior eidem Sanchezio *cit. num.* 9. ajenti: quòd, si ratio præsumendæ licentiæ non fuit difficultas illius petendæ, non tenetur Religiosus hic postea certiorem Superiorem facere; quia si id ante factam dispositionem, ubi major ratio urgebat, licuit, saltem absque culpa mortali, inconsulto Superiore facere, eo facilè adiri potente, id à fortiori licebit postea. Ità ille: cui, inquam, minùs assentior, nisi pro licentia præsumpta, intelligat licentiam tacitam *suprà* explicatam. Quando enim operatur subditus ex licentia tacita, vel implicita, & subintellecta, concedo, quòd non teneatur ex post facto manifestare Prælato, quod egit: At quando ex licentia præsumpta, (quæ profectò differt à tacita, ut ex dictis patet & tradit Bardi *supra cit.* §. 11. *num.* 2. licèt ab Auctoribus non rarò confundatur; ut ipse Bardi observat. *ibid.* sive ea fuerit præsumpta ob difficultatem adeundi, consulendique Superioris, sive ob verecundiam, aliúmvè humanum respectum, (sine dolo tamen, & sine dubio practico, an Superior fuisset concessurus) semper ex post facto æquum est, quòd Superior certior reddatur, & ejus ratihabitio habeatur, sub cujus spe, & probabili præsumptione actum estiut dictum est *suprà*. Id quod sanè Sanchez ipse *ibidem* præstandum à subdito affirmat, ad vitandam saltem culpam venialem, quando agitur de aliqua re ab ipso acceptà, & in usum retinenda. Ait enim: Cæterùm existimo, quando acceptio fuit venialis ratione modi clandestinè accipiendi, (juxta dicta *suprà*) fore similiter retentionem, videlicèt non manifestando Superiori, quia eadem est ratio utriusque, & sicut Superior in acceptione fuit invitus, quoad modum, ità quóque in retentione evenit. Hæc ille. Ipse tamen existimarim, (salvo meliori judicio) à culpa etiam veniali immunem esse subditum in casu legitimo præsumendæ Superioris licentiæ, quoties illam ritè præsumit cum proposito manifestandi ex post facto omnia fideliter eidem Superiori, & actu manifestat. Hócque mihi suadet suis verbis allatis D. Bonaventura inquiens posse ita agere fidelem servum, & prudentem. Neque enim opinari possum, quòd Seraphicus Doctor id agendum permiserit nisi tutâ omnino conscientia à fideli (ut ipse ait) servo fieri posset. Profectò autem hæc Seraphici Doctoris sententia ità animum Francisci Bardi *cit.* §. 12. ubi quæstionem hanc, ex professo, quatuor Conclusionibus solvit cum Cardin. de Lugo *tom.* 1. *de Iust. & Iure disput.* 3. *sect.* 7. *num.* 128. & juxta allatam Sanchez, aliorúmque doctrinam; ita, inquam animum ejus affecit, ut volens aliâ viâ, quàm *Sanchez*, (de Lugo illam præterit, & dissimulat nescio qua de causa) evadere illius vim, & auctoritatis robur, fateri coactus sit *num.* 14. Seraphicum Doctorem vel loqui, spectando perfectionem Paupertatis, & Religiosæ disciplinæ; vel ad vitandam culpam aliquam, quamvis levem, non aperiendo factum Superiori. Vides ergò, quòd Doctor iste agnovit aliquam culpam, saltem levem in non aperiendo factum Superiori; contra sententiam *Seraphici*. Immo neque ipse de Lugo illam negat, sed potiùs illam supponit, fortè etiam non levem; dum asserit, non oportere post factum (sive bona, sive etiam mala fide egerit subditus) manifestare quidquam Superiori, quando res contrectata, dando, vel recipiendo; iam consumpta est, (secùs cùm manet integra) nisi fortè in Confessione (en culpam suppositam) ad obtinendam absolutionem, quam Prælatus alteri nollet committere; vel ad hoc, ut condonet obligationem restituendi, si quæ est. Ita ille. Cum igitur quod cum aliqua culpa, etsi levi, aut fit, aut omittitur; non benè, nec tutè, neclicitè fieri, aut omitti dicendum sit; sanior, ac tutior perhibetur esse, & manet apud me sententia *Seraphici*, à qua proindè recedendum non consulo: quis quid dicat.

SEGMENTI TERTII SUMMARIUM.

 danda,

danda, vel recipienda, aut alio modo contrectanda.

Epijcia, & Interpretatio, an & quomodo differant. ibid.

Epijcia largè & strictè accipi potest. ibid.

Epijcia locum habet in omni lege positiva, divina & humana, & in votis Religiosorum, latè sumpta pro interpretatione & declaratione legis. ibid.

Epijcia strictè sumpta quando locum habeat, nec nè? varijs modis exponitur. ibid.

33 *Epijcia strictè sumpta an admittatur in voto Paupertatis; sicut licentia præsumpta seu interpretatio & ratihabitio.*

Epijcia in uno casu locum habere potest in voto Paupertatis absque reatu, modo licentia debita petita fuerit & injustè negata. ibid.

34 *Licentia præsumpta, & Epijcia, parcè utendum.*

35 *Religiosus qui non habet licentiam accipiendi an possit aliquid accipere ab alio qui habet licentiam dandi, & è contra? an verò licentia utrinque requiratur.* & num. 36.

Votum est obligatio simpliciter personalis, ipsum voventem solùm afficiens. ibid.

36 *Licentia superioris in dando regulariter duplex requiritur nempe in dante, & in recipiente.*

Licentia dandi aliquando extenditur ex tacita & implicita mente Superioris ad licentiam recipiendi inter subditos.

30 QVapropter nonnisi in hoc sensu admitto sententiam *Victoriæ* asserentis, posse Religiosum, seclusa speciali prohibitione circa hoc, recipere aliquid sine Prælati licentia, dum tamen habeat animum petendi licentiam, quando expenderit illud. Quam sententiam probabilem putat Joan de la Cruz, quem refert Diana *p.tr. tract.6. resol.42.* tametsi ille contrarium sentiat, illique consentire videatur ipse Diana; undè & modum subdit, quo id fieri à Religioso possit sine fractione voti Paupertatis dicens: Sed, quia res accepta (scilicet absolute) acquiritur statim Conventui, eò quòd absolutè data sit, & recepta à Religioso, & ideò dum absque licentia retinetur, id efficitur invito domino: propterea in tali casu dictus Religiosus potest (ut benè observat Sanchez in *sum. tom.2. lib.7. cap.19. num.51.* & post illum Barthol. à S. Fausto *in Thesauro Religios. lib.8. quæst.109. num.2.*) sine fractione Paupertatis efficere, ut Dominium illius rei, & administratio remaneat apud dantem, & ipse Religiosus, nomine illius depositam habeat, non eâ utens, donec licentiam à Superiore petat; & ita sine ullo scrupulo poterit eam quamcunque detinere; quia sic Religiosus nec dominium, nec usum, nec administrationem illius rei habebit: ergò non peccabit contra votum Paupertatis. Hæc ille: idipsum confirmans *resol. 43. seq.* ubi etiam cum Sanchez *cit. num.50.* concedit, non esse contra Paupertatis votum, si Religiosus ab aliquò absque Superioris licentia petat, ut deponat pecunias, vel quippiam aliud apud aliquem, non habens voluntatem acquirendi dominium, possessionem, aut administrationem, aut usum in res depositas: sed totum id maneat apud deponentem cum libera revocandi depositi facultate, & solùm habeat voluntatem habendi opportunè res illas; ex quibus, cum indiguerit, accipiat de Superioris licentia, & non aliter accepturus; & nullum jus acquirat, donec Superior det licentiam accipiendi: Et idem est dicendum, si Religiosus eas res in depositum apud se servet, eodem prorsùs modo, quo erant apud amicum; quia re ipsa non aliter eas habet, quàm apud externum depositarium. Et hoc non pugnat cum Paupertatis voto. Ita *Sanchez*: quem postea tacito nomine sequitur Barthol. à S. Fausto *cit. quæst.115.* Concordátque etiam Card. de Lugo *tom.1. de just. & jure disp.3. sect.8. num. 150. & 151.* ubi cum Sanchez docet, id omninò concedendum esse, quòd scilicèt Religiosus possit ante licentiam habitam petere aliquid ab amico, non animo acceptandi, nec recipiendi illud absque licentia: tunc enim solùm exploratur animus amici, ne frustrà licentia priùs petatur; & postea amicus rogatus dare nolit. Ita ille: qui adhuc clariùs ad primum propositum ait: Credo tamen, communem modum acceptandi, seu recipiendi in tali casu esse solùm conditionatum; hoc est acceptandi, *ibid. num.161.* de dando sine licentia, cum conditione tamen illius petendæ; modò res, quæ datur, non exponatur periculo pereundi. Sanè ergo modi isti de rigore non sunt contra votum Paupertatis, tametsi negare nemo possit, eos esse contra illius perfectionem, & posse esse contra aliquod particulare statutum, ut optimè monet *Sanchez*, & cum ipso *de Lugo* citati: undè nec illos in praxi laudo. Vide etiam Bassæum: *tom.2. vers. Paupertas Religiosa, num.14.* At loquendo de receptione absoluta, cum intentione tamen petendæ licentiæ, addit Diana *cart. sol.42. in fin.* quòd si talis Religiosus absolutè recipiat v.g. illam pecuniam, sed ad breve tempus retineat; ut quia expectatur novus Prælatus, vel scribat statim Generali, vel Provinciali pro licentia, peccabit tantùm venialiter: tamen Card. de Lugo *paulò sup. cit.* plus scrupuli in hoc esse ait, si posset facilè Superior adiri pro licentia. Ipse verò putarim, quòd si in tali casu hujusmodi Religiosus id faciat ex licentia, & ratihabitione Prælati ritè, & rationabiliter præsumpta, cum animo petendi habendique ex post facto expressam, seu indicandi, &c.

nec

nec venialiter peccabit ut patet ex dictis *hic suprà num.17.* & ex sententia *Seraphici* mox *suprà* allata. Atque hæc sunt valdè notanda, quia multùm practicabilia; ut concludit idem Diana *ea resol.42.* An autem hæc doctrina admittenda sit apud Fratres Minores, præsertim apud nos Capuccinos, puto quòd sic, modò res illa, quæ petitur, ut deponatur, non sit provisio in futurum, sed tantùm pro præsenti, vel imminente necessitate; nec adsit specialis prohibitio petendi: (tametsi id potiùs prohibitionis attendi debeat in petitione absoluta, quàm in conditionata, &c.) neque item res illa (si à Religioso recipiatur, ut *suprà*.) sit pecunia, à cujus receptione per omnem modum nos abstinere debemus, ex regulæ præcepto formali. Vide Bassæum nostrum *tom.2.v.Paupertas Religiosa, num.14.* Et hæc satis de licentia præsumpta.

31 Unum addo, quod ad secundam tituli *hujus paragraphi* partem attinet. Sunt aliqui asserentes, ad vitandum proprietatis reatum non requiri licentiam, sive expressam, sive tacitam, sive præsumptam; sed sufficere debitam. Sic docuit Mendoza *in quodlibetis, quodlib.9. in fi.* Et ejus ratio est; quia voto Paupertatis non se obligavit Religiosus ad Paupertatem irrationabilem. Verùm, cùm semper præsumi possit, Superiorem operaturum secundùm regulas rectæ rationis, & charitatis, in hac re in primis dicendum est, licentiam præsumi prudenter posse, quoties dignoscitur debita. Undè quæstio tunc solùm oriri potest, cùm Superior rogatus expresse licentiam negat, quam debebat concedere: quod tamen non est facile judicandum de Superiore, qui pluribus rationibus moveri potest, subdito occultis, nec necessariò ei indicandis, quæ negatam licentiam cohonestent. Concesso tamen gratis, Superiorem imprudenter, & præter Religionis consuetudinem licentiam subdito negare; non ob id infertur, posse subditum adversùs Paupertatis votum operari; sicuti non infertur, voto castitatis obstrictum ducere uxorem posse, dispensatione sibi à Pontifice negata, gratis etiam dato, quòd irrationabiliter, & præter consuetum morem dispensatio negetur. Dicendum igitur est, dupliciter licentiam deberi posse: vel ex debito se tenente ex parte Prælati tantùm; vel ex debito se tenente ex parte subditi: Si primò tantùm modo sit debita, & negetur; non excusatur à voti transgressione subditus, si contra ipsum agat. At si licentia subdito sit debita, eò quòd à Religione, juxta morem receptum, jus quoddam habet subditus ad rem, quam petit; putat Castro Palao *cit. num.9.* esse sufficientem, ne votum violet; quia (inquit) esto, Superior licentiam neget, à Religione jure ipso conceditur. Quare, si Prælatus tibi negaret necessaria ad victum, & vestitum, juxta morem receptum Religionis; insuperque negaret facultatem ab externis accipiendi; illa negatio nullius considerationis esset, utpotè iniqua, & contra jus à Religione tibi concessũ. Alias Prælatus posset te obligare ad paupertatem strictiorem promissâ. Ita Castro Palao *cit.* sed adhuc meliùs Franciscus Bardi; prout mox *infrà*. Non tamen tibi licebit, citra peccatum mortale, in re gravi adversùs Paupertatis votum, ante petitam licentiam, etiamsi debitam ex parte tui, accipere hujusmodi res tuo usui, vel victui necessarias in Conventu, vel extra; ut docent Petrus de Navarra *supra cit. dub.3. num.180. in fin.* & Sayrus *in Clau. Reg. lib.9 cap.16. num.20.* ut patet ex verbis *Castro Palao*. Id quod ipsemet verum puto, præsertim in Religionibus strictioris observantiæ, in quibus, etiamsi compertum exploratumque sit, solitos esse Superiores libenter licentiam concedere; certum tamen etiam est, nolle ipsos, quin, & quandóque in virtute Obedientiæ prohibere, ne id à subditis suis fiat sine expressa licentia; (nisi fortè occurrat casus, in quo locum habeat licentia præsumpta; & tunc manifestare sufficiet ex post facto Superiori quod actum est: ut volunt Ludovicus Lopez *in Instruct. sup. cit. col.2. concl.1.* & Rodericus *in sum. item cit. num. 4.* Quo modo apud nos Capuccinos in Conventibus Civitatum ferè ubique est prohibitum in virtute S. Obedientiæ, ne quis Fratrum in ipsis Civitatibus, vel earum suburbijs quærat, aut spontè oblatum quidquam retineat, vel aliò ferat, aut mittat sine expressa licentia Superioris illius loci.

Quod si quæras, an in materia, Paupertatis 32
voto subjecta, danda, vel recipienda, aut alio modo contrectanda, locum possit habere Epijcia. Pro responsione notandum est, generalem, seu simplicem legis interpretationem diversam esse ab Epijcia strictè, & propriè sumptam; licet vocari possit large, & minùs propriè Epijcia; unde & à Doctoribus sæpe confunduntur. Strictè tamen, propriéque loquendo, *Interpretatio*, prout est membrum contradistinctum sub interpretatione latissimè sumpta, sejungitur ab Epijcia; ut benè advertunt Cajetanus *in 2. 2. art.1.* & Suarez *de legibus lib.6. cap.6. num.2.* & cum ipsis Franciscus Bardi *discept. 6. de Conscientia dubia, cap.3. §.1. num.5.* Discrimen autem in hoc consistit, quòd Interpretatio universaliter, & simpliciter sumpta solùm versatur circa verba legis, seu præcepti, quando sunt obscura, vel dubia, & dubium emergit, an habeant hunc, vel illum sensum; an habeant locum in hoc, vel illo casu, secundùm sui speciem, & in tali tempore, & in his personis &c. Epijcia verò supponit omnia prædicta, nempè talem determinatum sensum, & casum, secundùm sui speciem; quemadmodum etiam & personas, absolutè loquendo, comprehendi sub lege, sed

hic,

hic, & nunc, ob aliquam extrinsecam circumstantiam, prudenter, & sine fraude judicat, subditum esse excusandum à lege servanda; seu legis vinculum, & obligationem respectu illius hic, & nunc cessare; prout tetigimus suprà, *in hoc ipso* §. *num*. 26. Vide plura apud *Bardi citat.* qui rem hanc illustrat exemplis. Hoc posito; si loquamur de Epijcia largè, & minùs propriè sumpta, quatenùs confunditur cum generali, & simplici Interpretatione, (sive Interpretatio sit authentica à Superioribus, vel Legislatoribus; sive doctrinalis à Docturibus, ut privatis personis) nulla est difficultas, quòd sicut usus sic sumptæ Epijciæ habet locum in omni lege pusitiva humana, tam Pontificia, quàm Cæsarea, vel etiam Municipali; ita etiam illum habere potest in Votis, & Legibus Religiosorum propriis, atque eorum Regulis, & Superiorum præceptis; immò & in ipsa lege, & præceptis Naturalibus, & Divinis tam Decalogi, quàm Evangelij. Hócque ostendunt tam variæ, quæ sæpè tùm authenticè à Superioribus, & Legislatoribus, tùm doctrinaliter à Doctoribus, & Expositoribus emanant Explicationes, & Declarationes, tùm circa Leges, & Canones, tùm circa ipsa Religiosorum Vota, Regulas, & præcepta prædicta; nempè quo pacto intelligi debeant; juxta Legislatorum, vel Fundatorum mentem, & proprium Institutum: & quoad reliqua, idem ostendit Bardi *cit*. §. 6. *num*. 8. *&* §. 7. *num*. 2. Et patet, quia passim Doctores exponunt sensum, quem habent præcepta divina, tam Decalogi, quàm Evangelij. At loquendo de Epijcia strictè, & propriè sumpta, diversimodè sentiunt Doctores. Pro præsenti assentior Bardi *cit*. qui *in d*. §. 6. *n*. 9. illam negat habere locum in lege Naturali, etiam scripta. Eo verò §. 7. *num*. 4 *& seqq*. illam admittit, & sustinet in Lege divina, quoad præcepta scilicet, quæ sunt de Jure duntaxat pusitivo divino; non dari in lege Evangelica alia præcepta divina distincta à naturalibus, nisi in ordine ad administrationem, & receptionem Sacramentorum, ut patet cunsideranti. Sicque etiam illam admittit §. 8. *per totum*, in Legibus, & Votis Religiosorum, discurrens per singula Vota. Et quod attinet ad Castitatis votum, ne suamet ipsius conclusio piorum auribus sit offensiva, quasi ex ipsa inferri possit, possibilem esse casum, in quo licitus sit Religioso actus virtuti Castitatis contrarius, cui est inseparabiliter unita malitia; ideò ad omnem de medio tollendam ambiguitatem, & sinistram intelligentiam, se explicat, & protestatur, sensum suum esse, de votu Castitatis præcisè, non de materia talis Voti, quæ est Castitas ipsa, ut sic: ita ut sensus ejus sit, posse dari casum, in quo quis habens votum Castitatis, peccet quidem lethaliter contra virtutem Castitatis, at non sacrilegè contra Votum, ut Votum; quippe quod in tali casu, v.g. cum tanto detrimento, (de quo puuit exemplum) secundùm æquitatem, & Epijciam, non censetur obligare: licet adhuc teneat obligatio Virtutis Castitatis. Videatur ille.

Quod verò attinet ad votum Paupertatis, 33
num. 10. expressè ducet, quòd quamvis in illo admittenda sit interpretatio, & ratihabitio, seu præsumpta licentia, de qua hactenus *suprà*: rarò tamen admittenda est Epijcia strictè sumpta; quamvis aliqui illam cum ratihabitione confundant; ut Fagundez *in* 7. *precept. Decalog. lib*. 7. *cap*. 5. *num*. 20. & Pellizzarius *de Monial. cap*. 4. *sect*. 1. *num*. 69. *&* 70. Ratio autem hujus sententiæ (quæ est tertia pars tertiæ illius Conclusionis *Bardi*) est; quia pertarò emergere potest casus. Hâncque ille explicat hisce verbis: Tertia deniquè pars, si attento animo consideretur, satis clarè, ni fallor, elucescit, & ex eo deducitur; quia unicus duntaxat mihi diù cogitanti se offert casus, in quo usus Epijciæ aliquo modo habetur, qui tamen non ita facilè obvius in praxi habetur, & præsertim inter benè instructas Religiones; sic enim declaratur: Sit Religiosus graviter indigens necessarijs ad victum, vestitum, vel ad ægritudinem aliquam depellendam, & ipse suam indigentiam Prælato aperiat, qui tamen aut ex iniquitate, aut ex incredulitate quadam (addo ego, vel ex quadam naturali auctoritate, & rigore) nequeat Religioso propriam testanti egestatem fidem præstare: in his autem circumstantijs poterit Religiosus ille, etiam Superiore invito, ex bonis Monasterij sibi providere, quantum satis erit, ut illi necessitati subveniat; & si Monasterium nequeat subministrare, ab extraneis sibi necessaria subditus egens inquirere poterit, vel titulo gratuitæ donationis, vel eleemosynæ, absque eo, quòd Voto Paupertatis deroget; illud interpretando non obligare in hoc casu singulari: quæ quidem Interpretatio ab Epijcia procedit. Ita ille: probans *num*. 11. *in fin*. auctoritate Roderici *in sum*. *p*. 2. *cap*. 33. *concl*. 11. Sanchez *lib*. 7. *in Decalog*. *cap*. 19. *num*. 54. Bonacinæ *de restitut. disput*. 2. *quæst*. 10. *pu*. 3. *num*. 3. Castro Palao *cit*. Lezanæ, *p*. 1. *cap*. 6. *num*. 30. Pellizzarij *in Manual. regul. tom*. 1. *tract*. 4. *cap*. 2. *sect*. 5. *num*. 42. & *de Monial. cap*. 4. *sect*. 1. *num*. 39. & aliorum; probans, inquam, auctoritate horum Doctorum, id esse tali Religioso in tali casu licitum, ritéque illum uti illis bonis, rebusve temporalibus in talibus circumstantijs, etiam contra voluntatem Prælati. *Num*. verò 13. *vers. Ex his igitur*: mentionem faciens illius Juris, quod in tali casu agnoscit Castro Palao, *ut suprà*, concessum à Religione hujusmodi Religioso &c. Quidquid sit, inquit, de tali Jure, de quo nolo disputare, neque illi ita facilè assentiri possum ob varias rationes, sufficit nobis ab-

his

his Auctoribus (sunt autem Castro ipse Palao, & Suarez *tom.3.de Relig.lib.8.cap.11.à num.19. usque ad 24.*) casum præsentem fuisse exceptum. Videatur ille; probans deindè *num.* 13. etiam aliud membrum ibi assumptum, nempè illum usum cohonestari per recursum ad Epijciam: & solvens objecta. Ego dixerim. Religiosum illum in tali casu uti non Jure aliquo sibi à Religione concesso; (ut ait Castro Palao) sed Jure naturali, cui non renunciat per votum Paupertatis; posséque illo tunc ritè uti, modò priùs aperuerit Prælato suam indigentiam, petierítque sibi necessaria, aut licentiam &c. ut tantum vult etiam *Castro Palao cit.* Nam tunc optimè locum habet Epijcia, (vel etiam licentia debita, etsi negata) juxta illud vulgatum in Jure: *Necessitas non habet legem*; ut est tex. *in cap.sicut non alij*, ubi Gloss. *de Consecrat. dist.1.* & est regula Juris Canonici *in cap. Quod non est licitum:extra,de reg.Iur.* ubi Gloss. *cum multis concordantijs ex utroque Iure.* Perrarò tamen casus iste contingет in Religione benè instituta, ut ait *Bardi*, in qua Prælati, vel Superiores observent, quæ ad hoc propositum tradimus & nos *§. seq. num.6. & seqq.* cum alijs Doctoribus; quæ omninò videnda sunt, & observatione digna.

34 Atque ex his patet, quàm cautè. & parcè utendum est licentiâ præsumpta vel etiam Epijcia, & adhuc parciùs istâ, quàm illâ; non solùm per privatos subditos respectu Guardianorum; sed etiam per Guardianos ipsos respectu Provincialium, quoad res, minimarum, & vilium valorem excedentes, quas ipsi tum suis subditis dispensandas concedere, tùm per se dispensare, seu largiri, intra, vel extra Ordinem, largitione quacúnque sive merè liberali, & gratuita, sive etiam antidorali, absque Provincialium suorum licentia, expressè prohibentur, ut vidimus *suprà.*

35 Denique si quis hic quærat, An Religiosus, qui non habet licentiam accipiendi, possit accipere aliquid ab alio Religioso, qui habet licentiam dandi; & è contrà? An qui non habet licentiam dandi, possit dare alteri, qui habet licentiam accipiendi? An verò requiratur licentia utrinque, hinc ad dandum, illinc ad recipiendum? Respondeo cum Card. de Lugo *tom.1.de Iust.& Iure disp.3. sect.* 8. *num.*162. *& seqq.* & cum Sanchez *in Decalog. lib.7. cap.* 19. *num.*70. *& seqq.* Vel prædicti actus dandi, & recipiendi fiunt inter Religiosos ejusdem Ordinis, vel diversi: Et iterum, si fiunt inter Religiosos ejusdem Ordinis, vel fiunt cum licentia ex alterutra duntaxat parte, ut *suprà*, obtenta à superiori Prælato, putà à Provinciali, vel Generali; vel à Prælato inferiori singularis Conventus: si fiant inter Religiosos diversi Ordinis, proculdubio requiritur licentia utrinque cùm uterque dans scilicet, & accipiens, indigeat licentiâ sui respectivè Prælati; itaut si quis hujusmodi Religiosorum habens licentiam dandi det alteri non habenti ullam licentiam accipiendi, peccat, cooperans peccato illius contra ipsius votum Paupertatis; non tamen peccato contra Paupertatem; ut voluit Sanchez *cit.num.*71. sed peccato scandali; ut benè de Lugo *cit. n.*162. refutans, quoad hoc, ad hominem, ipsum Sanchez, etiam *in disp.16.de Pænitentia, sect.4.paulò post initium*: Votum enim meum Paupertatis (inquit de Lugo) solùm me obligat, ut ego sim pauper, non ut procurem, quòd alij sint pauperes: sicut etiam concedit Sanchez, habentem votum Castitatis non peccare contra suum votum, quando est causa, quòd aliquis cum alia fornicetur; quia meum votum solùm me obligat, ut ego sim castus, non ut alij sint casti. Quæ ratio procedit, etiamsi alij habeant Votum Castitatis. Si verò fiant prædicti actus inter Religiosos ejusdem Ordinis, Sanchez *cit. n.*72. adhuc requiri putat utrinque licentiam, tùm in dante scilicet, tum in accipiente: nisi ex conjecturis probabiliter colligatur, Superiorem, concedendo v. g. uni licentiam dandi, intellexisse concedere etiam alijs suis subditis licentiam accipiendi, & è converso. Quo casu, si hujusmodi licentia dandi fuerit uni concessa cum prædicta intentione à Generali, poterunt ab illo accipere omnes omninò ejusdem Ordinis Religiosi: si à Provinciali, subditi tantùm illius Provinciæ, si à Guardiano, vel Superiore singularis Conventus, illi duntaxat talis Conventus. Prædictam autem Prælatorum concedentium intentionem probabiliter colligi docet idem Doctor *ibid num.*70. ex conditione, & qualitate rerum quæ dantur, & recipiuntur. Nam si ea sit rerum qualitas, & conditio, ut ex ipsa manifestum sit, res illas ad hoc ordinari, quòd alijs sive intra, sive extra Ordinem distribuantur, ut sunt Scuricæ, Rosaria, Coronæ, Imagunculæ, Agni Dei, numismata benedicta, & hujusmodi, sine scrupulo censeri potest, quòd Superior concedens uni Religioso licentiam accipiendi, & habendi illas, tacitè etiam, seu implicitè in ipsarum rerum qualitate, & conditione concedat eidem licentiam ad distribuendum, & alijs sibi subditis ad recipiendum; cum omninò approbare censeatur illarum rerum distributionem futuram, dando, & accipiendo; atque ideò in hoc casu accipiens ab illo Religioso non indiget (si subditus sit concedentis licentiam primam habendi &c.) peculiari licentiâ ad accipiendum, quinimmò neque ad distribuendum iterum per se alijs; nisi ad perfectionem observantiæ, & meritum; ad quod proindè in primis hortor meos in Domino Fratres.

Alij, quos suppresso nomine insinuat etiam de Lugo *citat. n.*163. sed & Sanchez *ibid. n.*72. 36

universali

universaliter hujus exceptionis doctrinam ad quascúnque res dandas, & accipiendas extendunt; itaut Religiosus, qui licentiam habet dandi possit omnibus subditis ejusdem Prælati dare, nec hi indigeant nova licentia ad accipiendum: & è converso, qui licentiam habet accipiendi, posset ab alijs subditis ejusdem Prælati accipere, nec hi nova licentia ad ei dandum indigeant. Verùm hæc regula nimis lata videtur *Card. de Lugo*, & reijcitur etiam à *Sanchez*. Quia (inquit de Lugo) ea posita, posset magnum detrimentum pati Paupertas Religiosa. Si enim unus solus Religiosus in toto Conventu habet licentiam dandi, & accipiendi, (idem dic in tota Provincia; immò & in toto Ordine, si licentiam habeat ille à Provinciali vel Generali, hoc sufficeret, ut per illius manus singuli alij non habentes licentiam possent alijs omnibus dare quæcunque vellent, absque nova Prælati licentia; ut ostendit ille, facta hypothesi. Finge enim, (inquit) me habere talem licentiam dandi, & accipiendi; tu vis alteri aliquid dare; das illud mihi, ad quod non indiges licentia; significas simul desiderium tuum, cui, ut ego satisfaciam, licet absque obligatione justitiæ, quia verè rem illam mihi dedisti, do rursùs illam alteri, cui tu dare volebas, qui etiam licentia non indiget, ut à me accipiat. Hoc autem redundaret, ut constat, in maximum detrimentum Paupertatis, cum tolleretur necessitas recurrendi ad Superiores pro aliqua licentia; siquidem id ferè esset uni soli talem licentiam dare, ac æquivalenter dare illi facultatem approbandi donationes omnes, quas singuli singulis facere vellent. Non est ergò præsumendum, quòd Prælatus, qui ex munere suo hæc inconvenientia præcavere debet, habeat talem intentionem cum præjudicio adeò gravi disciplinæ Regularis. Hæc ille: qui proindè concludit *num.* 164. duo esse in hoc puncto certa: *Primum* est, quòd cùm, stando in rigore Juris, requiratur duplex, eáque diversa licentia, altera in dante, altera in accipiente; & quidem una separabilis ab alia, cum possit Superior velle concedere uni, quòd det; & alteri negare rationabiliter, quòd accipiat; contingere potest, quòd Prælatus det licentiam subdito, ut det vel alijs non subditis suis, vel etiam suis subditis, qui tamen licentiam habuerint accipiendi. Et hoc certum est primò. *Secundum* iterum certum est, quod Prælatus potest, dum eam licentiam dandi, vel accipiendi, uni subdito suo concedit, velle consequenter, tacitè, vel implicitè dare licentiam, auferréque impedimentum alijs omnibus suis subditis, ut sine alia petitione licentiæ expressæ possint ab illo accipere, vel illi dare. Ad utrúmque enim horum potest se extendere intentio Prælati, sicut & se extendit ejus potestas. Atque adeò tota difficultas iterum reducitur ad factum: ut jam scilicet ex prædictis intentionibus censeantur de facto habere regulariter Prælati. Quapropter, ex sententia P. Mutij Vitelleschi suæ Societatis Generalis à seipso hac de re specialiter consulti, resolvit de Lugo *num.* 165. eam esse Superiorum mentem, ut datâ subdito licentia dandi, vel accipiendi, possint alij ejusdem Prælati subditi ab eo accipere, vel ei dare; dum tamen nihil in fraudem fiat, sed bona fide procedatur. Quare qui indirectè, ut dictum est *supra* in hypothesi facta, vellet dona sua mediante illo, ad alios transmittere, non intelligeretur in generali illa intentione Superioris comprehensus, quæ ad veram, ac sinceram solam acceptionem, & donationem terminatur, non ad fucatam, & apparentem, quæ re vera ad alios ex donantis, & accipientis intentione dirigitur. Atque hoc ipsum tanti Patris responsum, ab Eminentissimo Doctore acceptatum, egomet pro conclusione hujus quæsiti amplector, & trado. Cum tamen nemo meliùs Prælatorum uniuscujusque Religionis, mentem, & intentionem hac in parte interpretari possit, quàm ipsimet Superiores; ideò meorum me interpretationi remitto, & subjicio. Et hæc pro præsenti Paragrapho.

---

§. IX.

Appendix peculiaris pro Guardianis, quoad utramque partem tituli præcedentis Paragraphi.

Segmenti Primi

Summarium.

1 *Guardiani Minorum, non secùs ac simplices Religiosi superflua habere non possunt.*
Superfluum quoad Religiosos in communi quid censeatur. Quidvè respectu Minorum. ibid.

2 *Guardiani non possunt facere sumptus notabiles sine licentia Provincialium.*
Et quid sumptuum appellatione contineatur. ibid.

3 *Guardianorum facultas in quo consistat, vel ad quod extendatur in sumptibus faciendis.* & num. seq.

4 *Guardiani Minorum pro modulo paupertatis Minoricæ plures vel pauciores eleemosynas facere possunt de rebus Conventus, pro majori, vel minori necessitate occurrente: præsertim in hospitalitate exercenda.*
Hospitalitas Religiosis singulariter commendatur. ibid.
Hospitalitas ergà seculares ditiores qui petunt admitti ad convivendum in Refectorio communi, qua ratione exerceri debeat. ib.

5 *Guardia*

5 *Guardiani possunt impedire, ad conservandum bonum Religionis nomen, ne qui teneantur ad certas eleemosynas erogandas, præsertim ex testamento, compellantur ad illas præstandas a Iudice in foro.*

6 *Guardiani debent potiùs inclinare ad liberalitatem quàm ad parsimoniam & rigorem, intra limites status & professionis.* & num. 7.

Parsimonia nimia & defectus necessariorum facilè inducit relaxationem & inobservantiam professionis Regularis, & multa inconvenientia. ibid.

Prælatus Regularis graviter peccat qui necessaria subditis non ministrat dum potest. ib.

Prælatus Regularis graviter peccat qui recipit plures Religiosos quàm ex redditibus vel eleemosynis sustentari possint commodè. & num. 9. ad fin.

7 *Guardiani & alij Prælati Regulares faciles se præbere debent erga subditos petentes necessaria & licita; non tamen superflua.*

8 *Necessaria, vel Superflua quæ censeri possint in Religiosis.* & num. 9.

9 *Necessarium dicitur sine quo res consistere non potest, vel absolute, vel secundum quid.*

Superfluum censetur quod pensatis omnibus circumstantiis Religionis, personæ, loci temporis, Officij, &c. neque ad decentiam status Religiosi, neque ad vitam necessarium est. ibid.

Superfluum, vel necessarium aut conveniens dignosci potest ex varys circumstantijs quæ remittuntur prudenti Superioris judicio. ibid.

Religiosorum numerus non debet excedere facultatem redituum, itaut commodè possint sustentari. & num. 6.

Et verbum, Commodè, *quomodo intelligendum explicatur.* ibid.

Aliud est commodè sustentari, aliud sine penuria ibid.

10 *Guardiani debent se gerere tanquam prudentes œconomi, & patresfamilias in sustentatione Fratrum, & conservatione Conventus: neque sumptuosi, neque sordidi.*

Prælatus Regularis debet esse discretus & providus ex naturali industria. ibid.

Religiosi subditi res Conventus, quibus utuntur, dissipare & malè perdere non debent; non solum per dolum malum, sed etiam per culpam quæ dolo æquiparatur. ibid. n. 11. vers. Nonò.

1 EX ijs, quæ dicta sunt, ex nostrarum præsertim Constitutionum textu, patet, quòd quamvis Guardiani plus libertatis videantur in hac materia (dandi scilicet, & accipiendi) habere, quàm subditi: quippè qui regulariter non indigent alterius licentiâ ad donandum, & accipiendum; atamen nil plus possunt, quàm subdit. Sicut enim non possunt dare licentiam subditis ad danda, vel recipienda, seu habenda superflua, etiamsi cæteroqui non excedant valorem rei minimæ, seu vilis, & parùm valentis in se, ita nec possunt ipsi, per se, hujusmodi dare, vel recipere, seu habere in usum. Quæ autem dicantur superflua in hac materia, non potest una regula generalis tradi: pendet enim ex judicio prudentis, attentis circumstantijs personarum, officij, loci, temporis, consuetudinis, & similium, præcipuè verò status, & professionis Paupertatis cujusque Religionis; ut patet ex c. *Exyt: §. Insuper nec utensilia: de verb. signif. in 6.* & nos alibi tradidimus, sed & *hic infrà* tradenius ex Bassæo nostro *n. 9.* magis in particulari loquitur Basilius Legionensis Augustinianus (ut refert Card. du Lugo *tom. 1. de Iust. & Iure. disp. 3. sect. 8. in append. n. 183.* in *quæstion. quodlibeticis, disp. 9. scholastica*, ubi dicit, (loquitur autem de Religiosis in communi) sumptus superfluos esse, si Religiosus habeat multa ex auro, argento, vel gemmis elaborata, ornamenta valdè curiosa ad lectum, vel ad apparatum, scrinia pretiosa, & similia, quæ magis pertinent ad sæculares divites, quàm ad Religiosos pauperes. Hoc tamen totum (subjungit de Lugo *cit.*) judicandum est ex circumstantijs, ut dixi, & ex usu, nam in aliquibus Religionibus quædam erunt contra Paupertatem, quæ in alijs non sint. Et quidem in nostra Societate, ego non liberarem à peccato gravi contra paupertatem eum, qui haberet stragula, vel ornamenta serica ad lectum, vel qui haberet triginta indusia linea ad usum privatum; hæc enim, & similia non decent, sed graviter dedecent paupertatis statum, quem nostra Societas profitetur. Hæc ille. Videetiam Bartholomæum à S. Fausto *in Thesauro Religiosorum lib. 8. q. 98.* & Angelum Mariam Verricellum *in suis qq. legal. & moral. tr. 3. q. 29. n. 2.* & alios ab his relatos. Quid igitur dicendum? Quæ regula pro his tradenda apud nos Fratres Minores, qui altissimum omnium profitemur Paupertatis statum? Certè apud nos multa esse poterunt lædentia Paupertatis nostræ statum, quæ statum Paupertatis cujuscunque alterius Religionis non lædant. Hócque procedit, non quoad illa duntaxat, in quibus ex Regula usus arctus, exilisque nobis præscribitur; ut tradidimus *Art 1. §. 16.* verùm etiam quoad illa, quorum usus, discretus, & moderatus licet. Aptissimam ergo ad hoc amussim Fratribus Minoribus tradit ter Seraphicus Doctor meus S. Bonaventura, *in c. 6. Reg.* ubi obiter (ex eo scilicet, quòd Fratres Minores tãtùm habent usum rerum simplicem facti, quærens, an possint talem usum habere quarumcunque, & quantarumcun

runcunque rerum? Pro negativa parte responsionem insinuans, Regulam tradit hisce verbis: Respondeo ad quæstionem, quòd cum Fratres sint professores altissimæ Paupertatis, oportet quòd omnia, quæ in eorum usum veniunt, habeant, ut est possibile, paupertatem, vilitatem, & asperitatem, quæ tria paupertatem altissimam naturaliter consequuntur &c. & post pauca *ibid.* subdit: Non ergò competit viris pauperibus habere magnas areas, vel sumptuosa ædificia, aut quæcunque similia: non vasa ornata, non vinaria, aut promptuaria instructa & instaurata; sed ut omnia, quantùm patitur fragilitas, ad paupertatis strictissimam regulam reducantur. Hæc ille. Cui tamen Regulæ semper adhibendam censeo discretionem, & moderationem illam Nicolaj III. *mox suprà citat.* attentis scilicet personarum qualitate; temporum varietate, locorum conditione, & nonnullis alijs circumstantijs. Vide, quæ dicuntur *hic infrà, num.6. & seqq.*

2 Quod autem dictum est de rebus in privatum singulorum Fratrum, etiam Guardianorum, usum assumendis, idem omninò dicendum censeo de rebus quacunque ex causa (ut suppono) rationabili, pia, aut necessaria, juxta regulam prudentiæ erogandis, dispensandis, vel largiendis quibuscunque personis sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus: quæ omnia apud Doctores, & in Bullis summorum Pontificum hac de re editis veniunt nomine sumptuum. Si enim sumptus hujusmodi, ultra Regulas prædictas, tam districtè prohibentur Religiosis omnibus, etiam Prælatis, bona, redditúsque in communi habentibus, ex vi professionis Paupertatis, & loquendo de jure communi, præscindendóque à Constitutione Clementis VIII. *de largitione munerum*: & à particularibus singularum Religionum Statutis; quantò districtiùs censendi sunt prohibiti nobis Fratribus Minoribus, qui nihil omninò tàm in communi, quàm in particulari possidemus? Sanè autem Clementina Constitutio prædicta comprehendit etiam Regulares, redditus, & bona immobilia in communi non possidentes, dum sumptus non nisi ad summam valoris rei minimæ, & vilis, de licentia Superiorum Regularibus admittit. Quinimmò nobis Fratribus Minoribus idem omninò rigor præscribitur per Nicolaum III. *in cap. Exyt: §. Quia verò: vers. de vilibus autem*: & per Constitutiones nostras *cap. 6.* Ex quo colligitur, neque ipsos Guardianos posse facere sumptus notabilis valoris, etiamsi ex rationabili causa, ut præfertur, sine licentia suorum Provincialium; præscindendo etiam ab omni recursu ad pecuniam, pro quo semper, vel pro summa valoris rei minimæ, requiritur licentia prædicta, saltem ritè præsumpta, ut statuitur *in nostris Constitutionibus, cap.4.*

Loquendo de hujusmodi rerum temporalium erogationibus, sumptibúsve non excedentibus summam valoris rei minimæ, & vilis, & citra recursum ad pecuniam, quos Guardiani ad prudentiæ amussim, facere possunt ipsi, & concedere subditis suis faciendos, v.g. in restauratione Conventus, vel rerum ejusdem, putà supellectilis Altarium, Sacristiæ: in hospitalitate, & hujusmodi; regula generalis esse posset, ut ille sumptus dicatur, ad amussim prudentię, tunc à Guardianis fieri, vel concedi faciendus, quòd si Pontifex, ut Pater specialis Fratrum Minorū se habens, penes quem est dominium rerum, quæ in eorundem usum sunt, ad esset, vel sciret, prudenter vellet, hic & nunc, sumptum hujusmodi facere. Guardiani enim, & Superiores Conventuum substituuntur per Prælatos majores à Pontifice, tanquam à domino, (ut patet ex *d.c. Exijt: eo §. Quia verò:*) loco sui ipsius, ut id faciant, quoad hæc, & faciendum concedant subditis suis, quod ipse faceret, & faciendum concederet, si juxta Regulas prudentiæ, ut Pater specialis se gerens Fratrum Minorum, attentóque ipsorum statu, & professione speciali Paupertatis, vellet operari: Substituuntur autem, juxta præscriptum, & declarationem Capitulorum Generalis, vel Provincialium: & quidem apud nos (ut dictum est supra ex *Constitutionibus*) Capitulum Generale præscribit, & declarat, quòd Guardiani dispensare non possint, aut dispensandi licentiam concedere subditis suis, nisi ad summam valoris rei minimæ, & vilis, seu parum valentis. Præterea debet in his considerari, quid sit juxta voluntatem formalem, vel interpretativam Benefactorum, seu dantium Eleemosynas, (quæ nobis sunt loco redituum, & annuorum fructuum, ex patrimonio altissimæ Paupertatis provenientium) qui certo certius illas largiuntur ad Religionem conservandam, & fovendam. Quapropter ad eos fines poterunt eleemosynæ ipsæ (sicut & reditus, vel proventus apud alios Religiosos) prudenter expendi, & non tantummodò ad alimenta, & sustentationem Religiosorum pertinet enim etiam ad conservandam, & fovendam Communitatem, quòd conservetur cum debito decore, honore, & existimatione, ad quod oportet aliquando erogare, & sumptus facere in rebus spectantibus ad ornatum, & splendorem, præsertim Ecclesiæ, & cultus Dei; ad hospitalitatem in pauperes, vel devotos, & benefactores, Fratrumvé consanguineos, aut affines, vel amicos exercendam; ad conciliandam, vel fovendam benevolentiam sæcularium, seu externorum; & hujusmodi; dummodò hæc omnia non excedant terminos professionis, & status Paupertatis, nostræ

nostræ; ut dictum est. Atque hanc regulam suadet mihi ratio, & prætereà suggerit Cardin. de Lugo *citat. numer.* 185. quem vide, si lubet.

4 Ex his colligo *primò*, posse Guardianos, pro modulo Paupertatis nostræ, de rebus Conventus facere eleemosynas, plures, vel pauciores, pro majori, vel minori necessitatum occurrentia; & petentes, vel advenientes pauperes hospitari, præsertim Religiosos, & Dei cultui sacros; atque hoc non solùm de rebus, quæ supersunt alimento Fratrum, sed etiam de necessarijs; immò contingere posset, quòd juxta regulas prudentiæ posset Guardianus dare pauperibus omnes, aut ferè omnes eleemosynas pro suis Fratribus alendis comparatas, & alias ad id mendicare, etiamsi cum aliquo incommodo id fieri oporteret: nam attenta perfectione Religiosi status, & obligatione dandi boni exempli, proximique in hac materia ædificandi, quam nos Religiosi habemus; tota hæc liberalitas non excederet terminos prudentiæ Religiosæ. Unde ad hoc in nostris Constitutionibus *cap. sexto*, ita Sancitum est. *S'è anco determinato, che ne' nostri Luoghi sia (potendosi) una picciola stanzetta, col camino, per ricevere, quando bisognasse, alcun povero peregrino, e forastiero, come ricerca la carità, e secondo, che comporta la nostra povertà; massime persone Religiose, Dedicate al servigio divino.* Immo & Clemens VIII. *in sua Constitution. prædicta*, idipsum cautum, & declaratum voluit; ut habetur *ibi, paragrapho* 7. hisce verbis: *Declarantes tamen per hæc laudabilem, & Apostolicam doctrinam, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem, præsertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmo, si quis reditus ad id, vel ex fundatione, vel ex Instituti statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium hujusmodi locorum, aut ex Testatorum, vel Donantium voluntatibus, sive aliàs applicati, aut donati sunt, eos omninò (ut docet integrè in usus pios hospitalitatis hujusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasterijs, seu locis desertis, & ab sæcularium ædibus longiùs remotis; sub: tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur. Si quos verè ditiores occasione transitus, sive aliàs ex devotionis, aut necessitatis causa eò divertere contigerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque, & ferculis communibus, nequaquam à cæteris distinctis, contentos esse. Verùm omninò ipsi Regulares in hospitibus hujusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas, & paupertas Religiosa prorsùs eluceat.* Hæc ibi Pontifex ille, qui idipsum concedit etiam Religiosis subditis de suorum Superiorum consensu, & licentia, hisce verbis: quæ *paragrapho sexto, ibi*, post distinctam prohibitionem, excipiendo subjungit; videlicet: *Nisi re ipsa pro divino cultu, & veris Christi pauperum indigentijs, servato in hoc Charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum, sublevandis, aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Provinciale non prohibitis, vel taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus, sumptus hujusmodi fiant.* Hactenùs Clemens *ibi*. Ubi nota, quòd, quoad admittendos sæculares ditiores in Refectorio communi ad convivendum cum Fratribus Religiosis, non præcipit; sed ait: *Sanè deceret &c.* relinquens in suo robore Statuta, & laudabiles consuetudines cujuscúmque Religionis, cujusmodi apud nos Capuccinos est particulare Statutum, quòd cautè admittantur; ut patet *in Constitution. capit tertio*, illis verbis: *Stano cauti à non lasciare mangiare alcun Secolare in Refettorio cò Frati, eccetto quando non si potesse evitare senza scandalo, e grave ammiratione; & all'hora secondo il solito si legga alla mensa s'osservino le debite cerimonie, e si contentino di trattargli modestamente, secondo lo stato nostro.* Ita ibi: de cætero in hujusmodi ditiorum hospitalitate observat Bonac. *tom. mihi primo in Tractation. variar. disput. tertia, de largition. mun. punct. primo, prop. secunda, numero duodecimo*, quòd hæc servanda sunt: *Primò*, ut hospitalitas erga ipsos exerceatur occasione transitus, seu dum hospites eò divertunt causa devotionis, aut necessitatis. An verò liceat Regularibus hujusmodi personas extra hos casus dedita opera invitare, negat *Bonacina* ipse; quamquam (ut ait) hoc non videatur usu valdè receptum. *Secundò*, ut omninò servetur frugalitas, & paupertas Religiosa: tum quia Charitas Religiosa non est temperantiæ, & Religiosæ paupertati contraria; tùm quia sic decernitur *in Bulla*; & apud nos etiam *in Constitutionibus* ut patet. Videatur *Bonacin. citat.* Possunt etiam Guardiani (licet subditi de eorum licentia) ex aliis honestis titulis, & causis, donationes aliquas facere ex rebus communibus (rerum tamen minimarum, & vilium, seu parum valentium, sive ex gratitudine, v.g. Benefactoribus; sive ad conservandum, vel conciliandum affectum, & devotionem sæcularium extraneorum erga Religionem; nunquam tamen ad liberalitatis, & munificentiæ ostentationem, vel ob suum privatum respectum, (hocque est valdè notandum) & multò minùs ad suos consanguineos, vel affines locupletandos. Hócque conceditur Religiosis omnibus utriusque sexus attenta etiam Constitutione prædicta Clementis VIII. juxta illius Declaratoriam ab

Urbano VIII. editam 16. *Octobris* 1640. ubi §.1. sic legitur: *Declaravit, & declarat, munera à Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, & Conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus: modestè tamen, & discretè, & dummodò id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia &c.* Hæc ibi: Hujusmodi autem licentia sufficiens erit, si ore tenùs fuerit obtenta, (ut declaravit idem Urbanus) licèt *in Clementina Constitut.* requiratur obtenta in scriptis. Atque hæc, ut patet, procedunt non solùm de Jure communi Paupertatis Religiosæ, sed etiam attentis tùm Bulla Clementis VIII. prædicta, (ubi eam usu receptam voluerimus cum Filliucio *sup. citat.* in Religionibus observantibus) tùm Jure speciali Fratrum Minorum in Canone Nicolai III. *eo cap. Exiit*: tùm etiam peculiaribus statutis nostræ Congregationis, quibus donatiunculæ faciendæ à Religiosis sive intra, sive extra Ordinem, tam quoad quantitatem, quàm quoad causam, vel motivum limitantur, ut præfertur. Videantur Cardin. de Lugo *citat.* Molina, Navarrus Medina & Sanchez, quos ille allegat.

5 Colligo *secundo*, posse Guardianos (quando expedire noverint, ad conservandum bonum Religionis nomen, quòd sanè præferri debet cuilibet temporali commodo, vel utilitati, quantumvis licitæ) impedire, ne in foro conveniantur ab aliquo (ut quandoque contingit) sive Judice Ecclesiastico, vel sæculari, sive alio ex populo, ex officio pietatis, & nobili agente (juxta declarationem Nicolai III. *in cap. Exiit: paragrapho, Ad hæc, quia Fratribus:*) illi, qui obligatione aliqua naturali, præsertim ex testamento, tenentur ad certas eleemosynas nobis erogandas. Et in hoc puncto magis inclinare debent ad ostendendas se omni Jure, & prætensione, ac cupiditate rerum temporalium expoliatos, quàm de illis, vel minimùm sollicitos. Et quamvis non possint aut renunciationem, (propriè loquendo) aut remissionem in toto, vel in parte, aut transactionem facere de hujusmodi eleemosynis, cæteroquì sibi debitis, & licitis consultissimè tamen agent, si ad vitandum scandalum protestentur gravatis, se hujusmodi eleemosynas non curare, imò si illas expressè respuant, & refutent, sinendo; quòd gravati ipsi consulant conscientiis suis, recurrendo ad Judices competentes pro reductione, vel absolutione &c. Melius est enim esurire & penuriam pati cum bona existimatione, quàm sine hac satiari, & abundare. Sed vide omninò quæ diximus *supra in præsenti articul. paragrapho tertio, numer. quinto & per totum, & paragrapho, quarto, numero trigesimotertio, & per totum*, de remissione eleemosynarum à morientibus relictarum. Et ita in simili docet de Lugo *citat. numero centesimo octuagesimoseptimo*, ubi docet, posse Prælatum Regularem (Religionis scilicet possidentis in communi) causâ vitandi lites transactionem facere, vel etiam cedere aliquando Jure aliquo, quod habeat Conventus, (supposita debita facultate in ijs, in quibus ea requiritur de Jure Canonico) ad conservandam bonam existimationem, & nomen Religionis. Vide illum.

Colligo *tertiò*, cum de Lugo *citat. num. centesimo octuagesimo octavo*, (cujus & loquar non sensu tantùm, sed ferè omninò etiam verbis) in ijs, quæ spectant ad victum, & vestitum subditorum retentâ semper decentia, & obligatione Paupertatis nostræ, & intra limites status, & professionis Minoricæ, magis etiam debere, & posse Guardianos, & Superiores inclinare ad liberalitatem, & conniventiam, vel condescendentiam, quàm ad parsimoniam, & rigorem: cùm verissimum sit, ut ait de Lugo *citat.* quem sequitur etiam Verricellus *supra citat. numer. primò*, illud D. Bernardi pronunciatum: (quod tamen cum grano salis, prudenterque accipiendum est) *Vbi non est abundantia non est observantia.* Et quidem negari non potest, maximum esse inobservantiæ, & relaxationis periculum, si Communitas non provideat abundanter subditis, intra limites paupertatis cujusque Religionis: singuli enim statim attendunt ad providendum sibi, & sub specie necessitatis incipit natura nostra quærere etiam commoditates, & superfluitates, subrepitque proinde proprietas pessima, atque innumera inconvenientia, abusúsque inveshuntur, prout rerum magistra experientia docet. Quapropter multò melius est alere competenter, & sufficienter paucos Religiosos, quàm multos minùs sufficienter: quia illi pauci conservabunt disciplinam, & observantiam Regularem, quam plures alij omninò evertetent. Atque in hunc sensum arbitror accipiendam esse voluntatem, & mentem Seraphici Patris nostri Francisci, de quo legitur quòd volebat, paucos Fratres habitare in singulis Conventibus, seu locis; quia videbatur ei difficile, quòd Paupertas benè observaretur, ubi esset multitudo Fratrum: id quod asseruit etiam P. Bradolinus; ut testatur P. Joannes à Fano *in suo brevi discursu supra votum altissimæ Paupertatis.* Húcque etiam, spectant Decreta Summorum Pontificum Clementis VIII. Urbani VIII. & aliorum, necnon Sac. Concil. Tridentin. *session. vigesimaquinta, de Regular. & Monial. cap. tertio,* quibus 6

quibus praecipitur, ut in singulis Monasterijs, & Domibus Regularium, tam virorum, quàm Mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm Religiosorum numerus, constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possint sustentari. Urbanus enim VIII. in Bulla, quae incipit: *Cùm sæpè contingat*: confirmans Decreta S. Congregationis Concilij *de Celebratione Missarum*, affirmat, mala ferè omnia, quae Regularem, disciplinam evertunt, ac praecipuè nimiam facilitatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant reditus, & eleemosynae consuetae cujusque Monasterij. Et ratio est; quia cùm non possint commodè ex Conventuum reditibus, vel consuetis eleemosynis competenter, & sufficienter tot Religiosi sustentari; & nihilominùs teneantur Praelati, & Superiores, ex vi etiam ordinationis Clementis VIII. 25. *Junij* 1599. *pro reformatione Regularium, num.* 8. curare, ut ex communi massa Conventus ita singulis Religiosis provideatur, quòd non solùm nihil superfluè cuipiam admittatur; sed etiam nihil, quod sit necessarium, alicui denegetur, aliquando contingat, necesse est, aliquid cuipiam, quod sibi necessarium petit, denegari. Ex quo fit, ut ipse per se ipsum id sibi, etiam sine licentia, provideat quocunque modo; & quidem tutâ conscientiâ agere se reputans, propter ea, quae ad hoc tradunt Doctores, & praecipuè Rodericus *tom.* 3. *qq. Regular. q.* 29. *art.* 10. *vers. Advertere tamen debent*: cum Petro de Navarra, (sed & nos tradidimus *hic §. praecedente, num.* 31. cum Castro Palao, *& num.* 33. cum Francisco Bardi; immò ex Jure ipso Canonico; ut *ibi in fine*, quod recole.) Ex quibus (inquit ipse) infertur, quid Praelatis Regularibus agere incumbat circa subditorum provisiones. Si enim in ipsorum necessitatibus succurrendis miseros se exhibeant, ea miseria in ipsorum damnum, & detrimentum convertetur; subditi enim pauperes, deficiente victu; & vestitu, (quid verò, inquam ego, si deficiant necessaria tempore infirmitatis?) ad surripiendas res suae Communitatis provocabuntur, & loco minimae quantitatis ipsis secundùm Regularia instituta dispensandae, magnam aliquam quantitatem furabuntur, suis necessitatibus aliquando non debitè & ordinatè succurendo, quo fiet, ut penuria, & parcitas Praelatorum, ad aliquid lucrandum, fit occasio ad perdendum, & ipsi Monasterio majus damnum inferendum. Haec Rodericus *citat.* quem vide etiam *tom. secundo quaest.* 73. *artic. tertio.* Atque hinc Bassaeus noster *tom.* 2. *Florum*: *vers. Paupertas Religiosa*, *numer.* 13. docet primò peccare mortaliter Praelatum Regularem, qui necessaria subditis non ministrat, cùm commodè praebere potest: quia sic peculijs, & provisionibus particularibus, seu privatis causam praebet. Et secundùm D. Antoninum, Sylvestrum, Sanchez, Lessium, & Valentiam, quos ille allegat, & alios, non sunt in tuto statu Praelati, qui non adhibent diligentiam debitam, ut in communi vita transigatur, quando id commodè, & sine magno scandalo fieri potest. Similiterque peccare mortaliter subditos peculijs, & provisionibus praedictis causam dantes, resistendo vitae communi, vel graviter murmurando, & magnas querelas fundendo, cùm caeteroqui necessaria illis sufficienter ministrantur, secundùm statum suae ipsorum Paupertatis, & professionis. Ad hocque facere potest, quod habetur in Sacra Scriptura *Numer. cap. undecimo*, de murmuratione filiorum Israël in deserto petentium carnes ad vescendum &c. & quòd ibi ad rem nostram optimè disserit Nicolaus de Lyra, quem vide. Docet *secundò* Bassaeus *citat.* peccare etiam mortaliter contra Votum Paupertatis Praelatum Regularem, qui recipit plures Religiosos, quàm reditibus, vel eleemosynis commodè sustentari possint. Facit enim contra praeceptum Tridentini *supra* relatum; & hoc in re gravi, & valdè necessaria ad conservandum Status Religiosi bonum progressum. Ita ille cum Barthol. à S. Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *quaest. trigesima secunda & 151.*

7 Quare iterum concludo cum *de Lugo*, Praelatos magis debere, & posse inclinare, ut dictum est, ad liberalitatem, quàm ad rigorem, attentâ semper decentia, & obligatione paupertatis nostrae, in concedendo subditis, ijsque providendo non solùm necessaria ad victum, & vestitum, praesertim verò pro infirmitatibus curandis, aut levandis; sed etiam quoad alia, v. g. ad dandum, vel accipiendum aliquid intra, vel extra Ordinem, vel aliud quidpiam faciendum; itaut nunquam negent eis licentiam, aut substrahant provisionem, nisi petitio subditi manifestè appareat exorbitans, aut aliàs rationabili ex causa non exaudienda. Et tunc poterit argui charitativè subditus de exorbitantia, & superfluitate, & ratio etiam quandóque ei reddi negandi, ut corrigatur, & inordinatum affectum temperet, & quiescat. Quod si non quiescat, & murmuret; ipse viderit.

8 Sed quaeres, quid dici, vel censeri debeat necessarium, quid verè superfluum Religiosis, etiam apud nos Capuccinos? Quaesitum sanè difficile. Nihilominùs,

9 Respondeo cum Bassaeo *cit. num.* 11. *vers. sed petes*: Necessarium dici non solùm, quòd ab-

solutè est necessarium, ita ut sine illo res nullo modo possit consistere; quod & dicitur necessarium *simpliciter*: sed & illud dicitur necessarium, sine quo res non potest decenter,& congruenter conservari; quod à Philosophis dicitur necessarium *secundùm quid*. Superfluum dicitur, quod pensatis omnibus circumstantijs Religionis, personæ, loci, temporis, officij, &c. neque ad vitam, neque ad decentiam status Religiosorum est necessarium. Unde, quod in una Religione judicatur moderatus usus, in altera ut superfluus meritò reijcitur: & quod in eadem Religione, vel Monasterio uni Religioso, vel aliquo tempore est necessarium, vel decens; alteri Religioso, vel alio tempore, censetur superfluum: & quod uni, & eodem tempore, verbi gratiâ infirmitatis, est opportunum, & decens, atque adeò necessarium *secundùm quid*, tempore sanitatis recuperatæ erit inconveniens,& dedecens, adeóque superfluum. Recole proindè regulam generalem, ad hoc *hic suprà num.*1. traditam ex D. Bonaventura pro Fratribus Minoribus. Et ex his facilè colliges, quod dicetur *infrà Art.*3. *§.*11.*num.*7. de pitantia carnium, & piscium, ex sententia, & Decreto Patrum nostræ Congregationis, quòd scilicet illa non sit inter res necessarias computanda, &c. Recole & dicta *loco cit.* Illud tamen ad animi,conscientiæque tranquillitatem scito,quòd in his censendis, quoad superfluitatem, vel convenientiam, potest Religiosus tutâ conscientiâ stare arbitrio, seu judicio prudentis Superioris, nisi de excessu arbitrij manifestè constiterit, habita nempè ratione personæ, & aliarum circumstantiarum, ut *suprà*; præcipuè verò Regulæ, & status Paupertatis, quam professus est, ut optimè tradit Bassæus *cit. vers. Porrò*: cum Barthol. à S.Fausto *cit.quæst.*98. Cæterùm (ait ille) magna abusio est, ut in loco Paupertatis, ubi divites penuriam incurrunt, pauperes superfluitatem quærant; in loco afflictionis, & pœnitentiæ, ubi delicati mortificantur, homines rusticani res delicatas affectent. Vide illum ingemiscentem cum *D. Bernardo* super abusibus circa hoc.

Et ne fortè, quod dictum est *suprà* ex *Concil. Trid.* alijsque Summorum Pontificum Decretis, quòd scilicet ille dumtaxat Religiosorum numerus in singulis Monasterijs constituatur, qui commodè possint ex reditibus, vel consuetis eleemosynis sustentari, &c. ansam cuipiam præbeat, perperam opinandi, quòd Religiosi sustentandi, seu alendi sint commodè, idest cum omnibus suis commoditatibus, & delitijs: Advertendum est, quòd illud adverbium, *Commodè*, adijcitur verbo *Possint*, non autem verbo, *Sustentari*: non enim dicitur; *Qui ex reditibus, &c. possint, sustentari commodè*: Sed dicitur; *Qui commodè possint sustentari*. Unde ly, *Commodè*, in dictis Canonibus non refertur ad Religiosos, vel ad eorum sustentationem commodam; sed ad Prælatos, vel OEconomos, seu Procuratores, aut etiam Quæstuarios Monasteriorum; ita ut sensus sit, quòd hi commodè possint (idest sine suo ipsorum incommodo, vel Monasterij, aut etiam Benefactorum sæcularium, apud quos ostiatim victus emendicatur) tot Religiosos sustentare, & alere, prout decet statum, & professionem ipsorum, non autem quòd Religiosi ipsi commodè, opiparè, & delicatè cum suis commoditatibus alantur. Nec verisimile est, quòd alia fuerit mens Patrum Concilij, & Summorum Pontificum *in illis Decretis*. Nusquam enim in Sacris Canonibus, in quibus de sustentatione Ministris Ecclesiæ, vel Religiosis viris, aut Mulieribus constituenda agitur, repetitur, quòd illa requiratur commoda, abundans, sive opulenta; sed tantummodò sufficiens, decens, & congrua; ut *in Clementina* 1. *§. sanè: de jure patron. & in cap. cùm adeò: de Rescriptis*, ubi Gloss. cum *multis concordantijs*. Vel etiam talis, ut absque penuria se tegere, vel sustentare dicantur; quemadmodum loquitur textus *in cap.* 1. *de Institutionibus: & in cap.periculoso: §.Sanè: de statu Regular.in*.6.ubi Gloss. ad *V.Absque penuria*: notat pulchrè, quod non dixit, *Commodè*: quia posset esse, quòd non possent commodè, & tamen possent absque penuria. Affertque exemplum de Canonico Bononiensi; qui de centum Florenis non posset commodè sustentari; & tamen de viginti quinque sustentaretur absque penuria. Penuria enim secundùm derivatores, (concludit *ibi* Gloss.) habet in se egestatem, indigentiam, & defectum necessariorum. Plus ergò valdè dicit, *Sustentari commodè*, quàm *sustentari sine penuria*, honestè, vel decenter, & sufficienter. Concordat Felinus *in cap. postulasti: col.*3. *vers. Item in principio: sub num.*1. *de Rescriptis*: itémque Abbas *in d. cap. periculoso*: qui etiam allegat Card. *in d. Clement.*1. *de Iure patron.* exponentem illum textum de sustentatione sufficienti & congrua, ut intelligatur de sustentatione congrua in victu, non de tali, per quam non periret fame. Quare in unaquaque Religione Religiosi alendi, & sustentandi sunt congruè; & sufficienter, & absque penuria; prout decet statum Paupertatis, quam singulæ Religiones profitentur: quod benè advertant necesse est Fratres Minores, quibus ex Regula obligatio incumbit tenendi in plerisque usum arctum, & penuriosum; prout latè disseruimus *suprà*, *Art.*1.*§.*14.

Denique non debent Guardiani excogitare omnes artes, & modos excusandi, seu vitandi sumptus, 10

sumptus, præsertim quoad conservationem Conventus, & Fratrum sustentationem; sed cum ingenua quadam solertia, debent ita modum observare, ut neque vel ob negligentiam, & incuriam, vel ob curiositatem fiant sumptus, qui potuissent facilè vitari; neque etiam ita huic rei debent attendere, ut tota eorum cura, & scopus videatur in hoc uno positus, ne sumptus fiant: sed sint sicut prudentes OEconomi, vel Patresfamilias, qui nec nimiam parsimoniam, nec prodigalitatem affectent. Advertant tamen, multa esse quæ apud sæculares, & Nobiles, sed & apud aliquos alios Religiosos redolent avaritiam, quæ apud pauperrimos Religiosos, cujusmodi nos sumus, laudantur, quasi effectus altissimæ paupertatis, propter diversam valdè statuum professionem. Oportet autem summoperè hunc Paupertatis spiritum in subditis fovere, ut quò hi liberaliores Guardianos, & Prælatos suos experiuntur in se ipsos, & magis attentos, ac sollicitos erga eorum necessitates, eò parciùs subditi rebus temporalibus utantur, & quasi coactè; (ut aiunt Constitutiones nostræ *cap.*4.) & majorem curam de illis rebus habeant, quæ in communem usum sunt; prout verus pauper res similes in sua familia servare, & custodire procuraret. Quod attendant velim tùm Guardiani, (si qui sunt) qui sub specie zeli Paupertatis nihil in Conventibus, quibus præsunt, restaurandum curant, nil providendum, vel modis licitis; cùm tamen secundùm Nicolaum III. *in cap. Exyt: §. Nec quisquam*: ita nos committamus divinæ providentiæ per professionem altissimæ Paupertatis, ut viam providentiæ humanæ contemnere non debeamus: quin & S. Bonaventura *infra cit. n.*39. vult, Prælatum optimum esse discretum, & providum ex naturali industria. Tùm etiam subditi, qui res Conventus, quibus utuntur, ut Habitum, libros, chartam, oleum, ligna, & alia hujusmodi, damnabili incuria pessundant; non attendentes, quòd ex vi voti Paupertatis tenentur præstare eam diligentiam in prædictis rebus conservandis, quam Usuarius, qui precariò utitur: undè tenentur de culpa lata: hanc enim tenetur vitare omnis, qui aliquid precariò accepit: *l. quæsitum est: §. eum quoque: ff. de Precario.* Atque ideò, si res prædictæ ipsorum negligentiâ pereant, vel deteriores fiant, aut citiùs consumantur, peccant ipsi contra Iustitiam, & consequenter contra obligationem Voti. Quod confirmatur; quia si dolo illas destruerent, vel deteriores redderent, aut pessum ire sinerent, peccarent procul dubio contra Votum; ergo etiam, si ex culpa lata: nam hæc ad eandem speciem pertinent, & culpa lata dolo æquiparatur; ut benè Lessius *lib.*2. *de Iust. & Iure, cap.*41. *dubit.*9. *n.*78. *vers. decimò*: addens, quòd si res concessa sit etiam ad ipsius Religiosi usum, & commodum particulare, videtur etiam teneri de culpa levi, sicut in commodato, quod in utilitatem commodantis, & commodatarij præbetur, juxta *l. in rebus: versic. Hoc itaque ff. Commodati: & cap. unic de Commodato.* Tametsi (inquit) non videatur hoc ita severè in Religione interpretandum. Videantur etiam hac de re Layman *lib.*4. *tract.*5. *cap.*7. *num.*6. Sanchez *in Decal. lib.*7. *cap.*19. *n.*115. omninò verò Card. de Lugo *tom.*1. *de just. & jure disput* 3. *sect.*8. *n.*169. Bonacina *tom. mihi primo disp.*3. *punct.*6. *prop.*2. *num.*34. *in Tract. varijs*, & Bassæus noster *cit. num.*5. Zelus ergo Paupertatis requiritur utrimque, cùm scilicet in Guardianis, tùm in subditis; & quidem secundùm scientiam. Hactenùs prima pars hujus Appendicis.

SEGMENTI SECUNDI

SUMMARIUM.

11 *Religiosus ex voto Paupertatis nihil proprium habere potest, neque uti vel possidere absque licentia sui Superioris.*

Religiosus debet semper esse paratus dimittere omnia quæ habet, ad nutum Superioris, ibid.

Neque dare vel alienare sine licentia, ibid.

Quæstuarij, & alij Officiales, non ex partialitate & proprio affectu, sed ad mentem Superioris dispensare & distribuere debent sibi commissa, ibid.

Religiosus nihil debet abscondere, ibid.

Neque mutuo, vel commodato accipere sine licentia superioris, ibid.

Neque quicquam acceptare sive à domesticis, sive ab externis, ibid.

Neque sibi usurpare propria authoritate res Conventus, ibid.

Neque negligere aut corrumpere quæ sibi ad usum conceduntur, sed diligenter conservare, ibid.

Neque retinere superflua contra decentiam sui status, ibid.

Neque aliquid dare, etiam cum licentia, nisi ex causa pietatis, vel alia honesta, ibid.

12 *Licentia præsumpta an sufficiat per se ad excusandum Religiosum à Proprietatis reatu? latè differtur*, & n. 13. & n. 20. cum alijs seqq.

13 *Licentia præsumpta seu interpretativa non excusat Religiosum dantem vel accipientem quando Superior commodè adiri & consuli potest contra Verricellum*, & num. seq. *ubi ejus rationes referuntur.*

14 *Disciplina Regularis in quo consistat.*

Superior an semper censeatur invitus & quoad modum & quoad substantiam si subdi-

tus aliquid det vel accipiat non petita licentia, ibid. & num. præced. & num. 16. & seqq.

15 *Ad tuendam Regularem disciplinam non expedit cumulare præcepta, & censuras quibus subditorum animæ illaqueentur.*

Licentiæ à Religioso petendæ necessitas procedit non ex novo præcepto Superioris, sed ex voto subditi.

16 *Prælatus an debeat tractare Religiosum subditum tanquam filium quoad paupertatem:* & num. 17. cum alijs seqq. *remissivè.*

20 *Consensus præsumptus Superioris an liberet Religiosum subditum à vitio proprietatis, quando facilè Superior adiri potest, vel res differri.*

21 *Licentia præsumpta Superioris ex quibus principijs & argumentis ritè & probabiliter eliciatur*, & n. 23.

22 *Ad Licentiam præsumptam Superioris requiritur judicium quod Prælatus hic & nunc nullo modo sit invitus saltem quoad substantiam actus.*

23 *Licentia præsumpta Regula certa ex varijs circumstantijs petenda est.*

11 ALiud, quod in hac ipsa Appendice resticare intendimus, est de licentia ritè præsumpta, seu interpretativa, eáque sufficiente ad excusandum subditum Religiosum à proprietatis reatu, quem sanè incurrit, quoties absque ulla Superioris licentia, vel expressa scilicet; vel tacita, seu implicita; vel interpretativa, seu præsumpta, usurpat, accipit, retinet, occultat, absumit, permutat, alteri donat, vel quocúmque modo alienat, aut contrectat rem aliquam temporalem pretio æstimabilem, sive ejus usum: & quidem reatus iste erit gravis, si in materia gravi; levis, si in materia levi; ut communiter docent Doctores, quos latè allegant, & sequuntur Layman *cit. num.* 4. Card. de Lugo *cit. sect.* 7. *num.* 123. Ballæus noster *cit. n.* 2. & alij passim. Ex voto enim Paupertatis, (ut omnia sigillatim breviter perstringam cujus violatio infert contrarium, quod est Proprietas, non potest *primò* Religiosus velle quidquam temporale, & pretio æstimabile habere, uti, possidere tanquam proprium; idest affectu retinendi jure suo, seu independenter à Superiore. Non potest *secundò* non esse paratus resignare omnia, quæ ad usum habet, omni momento, quo Superior jusserit; cum nonnisi dependenter ab ipsius voluntate, & placito possit quidquam retinere, quin sit proprietarius. Non potest *Tertiò* aliquid dare, vel quoquo modo alienare, nisi cum aliqua Superioris licentia, ut *suprà*. Non potest. *Quartò*, si sit Dispensator in Religione aliquarum rerum, ut Coquus, Quæstuarius, vel qui Refectorij communis curam gerit, aut hujusmodi Conventuum Officiales, seu administratores, eas distribuere pro suo arbitratu, sed solùm ex præcepto, & mente Superioris, à quo ei tale officium commissum fuit: ita ut sit transgressor voti Paupertatis, si rem quamcúmque sive domestico, sive extraneo largiatur, distribuat, aut expendat aliter, quàm Superioris voluntas, aut Ordinis Regula, vel rationabilis, & approbata à Superioribus consuetudo postulat. Et consequenter qui ab hujusmodi administratoribus, seu Officialibus Conventus aliquid, ultrà quàm eis licitum est, accipit, vel ad dandum etiam inducit, furti particeps fit; &, si Religiosus sit, saltem qui accipit, etiam Voti prævaricator. Atque in hoc, & contra Iustitiam peccare possunt etiam ipsi Prælati, vel Superiores, si videlicet bona Conventus, vel eleemosynas communes expendant, vel donent, aut dispensent, vel dispensari jubeant intra, vel extra Ordinem aliter, quàm ejusdem sui Ordinis Regula, vel Constitutiones, aut justa Consuetudo, aut Superiorum Prælatorum voluntas, Iustitiáque, & Charitas benè ordinata ipsis permittit; cùm & ipsi sint administratores tantùm, non domini rerum communium. Non potest *Quintò* quidquam abscondere, (sive clanculum illud receperit, sive etiam cum Superioris licentia) ut illud liberæ Superioris dispositioni subducat: unde nec licet ei murmurare, aut querelis impedire, tanquam injuriâ affectus, dum ei quidquam, aliàs etiam concessum, à Prælato adimitur. Non potest *Sextò*, mutuô, vel commodatô quidquam ex ijs, quæ ad usum ipsi permissa sunt, (& multò minùs ex ijs, quæ usui communi sunt destinata) dare alteri, præsertim extraneo, absque aliqua Superioris licentia, ut *suprà*; quæ tamen tacita, seu generalis, saltem ad breve tempus, & præsertim inter Religiosos, censetur adesse pro rebus parvis, & crebrò occurrentibus; ut sunt libri, & hujusmodi utibilia. Non potest. *Septimò*, sive ab externis, sive à domesticis quidquam sibi datum, vel donatum, aut exhibitum accipere, vel acceptare sine aliqua, ut præfertur, Superioris licentia: sicut enim non potest quidpiam retinere sine illius placito, vel consensu, ita nec accipere, vel acceptare, seu acquirere. Non potest *Octavò*, ex rebus quæ in Conventu sunt, sive ad usum communem destinatæ, sive ad usum particularis Religiosi concessæ, quidquam sibi usurpare, (sive sint esculenta, vel poculenta; sive libri, sive alia utensilia;) sine aliqua Superioris licentia, ut *suprà*. Non potest *Nonò*, non præstare eam diligentiam in rebus, quibus de licentia, ut *suprà*, utitur, conservandis, quam usuarius, qui precariò utitur, præstare tenetur: unde peccat contra votum Paupertatis, si res prædictas (ut

sunt

sunt vestes, libri, charta, oleum, & similia,)per negligentiam seu culpam latam, quæ dolo æquiparatur, amittat, destruat, dissipet, pessundet; ut dictum est *suprà hic, num. præcedente.* Non potest *Decimò*, habere superflua, saltem quæ Religiosam sui status mediocritatem, ac decentiam notabiliter excedant; quia nec Superior id ei concedere potest; cùm sit per Canones prohibitum omnibus Religiosis, præcipuè verò nobis Fratribus Minoribus ex vi status, & professionis altissimæ paupertatis, quam vovimus. Non potest *ultimò*, res sibi à Superiore, cæteroqui ad donandum, vel expendendum concessas, donare, aut dispensare, nisi ex motivo pietatis, vel devotionis, aliovè rationabili, & honesto; hocque præsertim dicendum est apud nos Fratres Minores propter Declarationem Nicolai III. *in cap. Exyt:* suprà allatam §. 7. *num.* 3 & 7. Et de hisce omnibus videri possunt Lessius *cit. num.* 78. Layman *cit. n.* 4. & *seqq.* Card. de Lugo *cit. sect.* 8. *per totam*, Bassæus noster *cit.* Diana *part.* 1. *tract.* 6. *per totum*, & alij ab his relati.

12 Quod igitur, quoad licentiam præsumptam, seu interpretativam, eámque sufficientem ad excusandum subditum Religiosum à proprietatis reatu in rerum temporalium contrectationibus, quas hic mox *suprà* edisseruimus, refricandum occurrit, illud est, quod tradidimus §. *præcedente, num.* 25. cum *Card. de Lugo*; quòd nimirum, si sententia dicentium, sufficere licentiam præsumptam, quam Prælatus quidem actu non concedit, sed concederet, si peteretur; accipiatur prout verba sonant, everteretur certè, & dissolueretur Religiosa disciplina, ac votum Paupertatis esset observantia de solo titulo. Hócque optimè probat de Lugo, *ubi suprà cit. num.* 124. hisce verbis. Pauca enim Religiosis occurrunt, ad quæ, si petant facultatem à Prælato, non credant probabiliter concessurum. Si ergo hæc licentia conditionata sufficeret, nunquam petenda esset licentia: nam vel creditur concedenda, vel non creditur; si non creditur, stultè petitur quod negandum scitur; si verò creditur concedenda, jam hæc ipsa credulitas sufficit, per se, absque alia licentiæ petitione. Adde, licèt Prælatus immediatus credatur licentiam negaturus, sæpè tamen posse probabiliter credi, quòd si à Prælato mediato peteretur, v. g. à Provinciali, vel Generali, illam concederet. Immò, licet ij negarent, Pontifex tamen summus, vel ejus Nuncius, aut Legatus concederet: quare, cùm ij omnes sint legitimi Prælati, sufficeret conditionata licentia, quæ ab aliquo ex ijs omnibus præsumeretur, ut posset subditus absque alia licentia dare, accipere, & expendere; atque ideò Regularis observantia circa Paupertatem ferè omninò corrueret. Ita *de Lugo*, qui proindè sententiam hanc, & doctrinam meritò explicatam, & limitatam fuisse ait à Sanchez, quem & nos secuti sumus, *ubi suprà*. Et quamvis *de Lugo* dicat, regulariter Prælatos in ijs Religionibus, in quibus Religiosa paupertas strictè observatur, esse invitos, quoad substantiam, & quoad illam etiam retinere totum jus suum, ratione displicentiæ modi clandestini, non petitâ licentiâ: attamen non negat, aliquando posse ritè præsumi, esse eos invitos, quoad modum tantùm; & quidem aliquando, nec etiam quoad modum. Vide illum.

Contra Card. de Lugo ex professo disserit Angelus Maria Verricellus *in suis qq. Moral. & legal. tract.* 3. *quæst.* 26. illum etiam sugillans, tanquam singularem, & nimis scrupulosè in hac materia locutum. Sed omninò gratis, atque immeritò impugnatur Eminentissimus Cardinalis: etenim sententiam suam ita explicat, ut à communis doctrinæ terminis non recedat. 13
Quinimmò impugnandus cuipiam videri posset Verricellus ipse *in sua Conclusione*, qua asserit: Regulariter loquendo, non peccare mortaliter, sed venialiter tantùm, Religiosum accipientem, aut dantem aliquid sine licentia expressa, quam rogatus Superior concessisset, etiamsi facilè peti posset, & non petatur. Ita ille: affirmans hanc esse communem sententiam Doctorum; citátque Sanchez, Suarez, Rodericum, Mirandam, Lessium, Fagundez, Hieronymum Flammam, Bartholomeum à S. Fausto, Mendozam, Navarrum, Graffium, Peyrinum, & Dianam; cum tamen hi omnes quoad hanc sententiam asserendam, vel si supponant aliquam difficultatem adeundi Superiorem, saltem ex infirmitate subditi provenientem; ut putà erubescentiam, vel aliquem alium humanum respectum; vel moderentur doctrinam suam, juxta doctrinam *Sanchez*: quod & præstat *de Lugo*, sed & Bonacina *suprà cit. punct.* 6. *prop.* 1. *num.* 12. Unde non rectè loquitur ipse potiùs *Verricellus*, dum ait: ergo non rectè Lugo nititur interpretari hanc communem doctrinam in casu, quo Superior adiri nequit: Doctores enim loquuntur apertè, quando Superior facilè adiri potest; neque excipiunt Religiones, in quibus adest stricta Voti paupertatis observantia. Non rectè inquam, loquitur; quia expressè Diana *part.* 1. *tract.* 6. *resol.* 31. & Rodericus cum Cajetano limitant hanc opinionem ad res tantùm leviores, in quibus parvitas ipsa materiæ excusat à mortali. Cæterùm sententiam illam, tàm generalem & latam, ut à *Verricello* pronunciatur, apud neminem adhuc Doctorem inveni, plurium, quos legi, & ferè omnium illorum, quos illecitat. Mehercle autem, si apud aliquem extitisset, illam produxisset Diana, qui benigniores quasque resolutiones, si quæ fuerint à Doctoribus

ctoribus latæ, adinvenit, & protulit, ut ipse fatetur *in Epistola ad Lectorem, in fronte illius primæ partis Resolutionum suarum.* Cum igitur *Verricelli* sententia, ut jacet extrinseca jam probabilitate destitui videatur, meritò ipse potiùs impugnandus videri cuipiam posset. Verùm, cum ipsemet *ibid. quæst seq.* ita restringat assertionem suam, ut se reducat ad temperamentum commune, nec in re videatur plus asserere quàm *de Lugo*, nil aliud ipse de illa dixerim, quàm, quòd cautè legenda sit, eíque adhibenda doctrina, quam tradit ille *quæst. seq.* atque adeò, quòd tutiùs loquitur in sua assertione *de Lugo*, quàm *Verricellus*.

14 Jam verò videamus principia intrinseca, quibus conatur *Verricellus* sententiam illam probabilem demonstrare. Probat *primò* sic: Tota ratio *de Lugo* est, quia tenetur Superiori ex officio tueri Regularem paupertatis observantiam, sed ad hanc tuendam non est conveniens medium graviter prohibere quamcúmque acceptionem sine expressa licentia, ita ut sit omninò invitus; ergo deinde hoc ipsum argumentum confirmat dicens: Nam media à Religionum regulis instituta ad conservandam observantiam, non sunt præcepta, aut censuræ aut alia animas illaqueantia; sed vigilantia Superiorum, & severitas in puniendo transgressores pœnis externis: tum quia Religiones observantes ab inobservantibus non distinguuntur, quia illæ habent ad tuendam Regularem disciplinam præcepta, aut censuras, aut alia hujusmodi, quæ ad culpam obligant; sed quia in illis vigilant Superiores, & minimas inobservantias severè puniunt; non sic in istis: tùm quia si Superior ad aliquam observantiam tuendam vellet generaliter obligare sub præcepto obedientiæ, hic utique malè ageret, & contra Religionis Constitutionem: ergo etiam malè agit, si ad tuendam observantiam non accipiendi aliquid sine licentia, vellet graviter obligare, declarando se semper invitum omninò, & quoad substantiam; nam hoc æquivalet præcepto Obedientiæ. Favet quoque prædictis Tridentinum *sess. 25 de reformat. c. 3.* ubi præcipit Iudicibus, ut quandocúmque executio realis, aut personalis fieri potest, abstineant se à censuris, & interdicto: ergo Prælati Ecclesiastici debent quam minimùm possunt obligare ad culpam, sed per externas pœnas, ac vigilantiam, custodire disciplinam: tùm quia disciplina Regularis primariò respicit bonum Communitatis; vota autem, quibus Religiosus subjicitur Prælato, facta sunt primariò ob bonum particulare animæ voventis: ergo Pastor vigilans pro custodia votorum, debet primariò attendere ad bonum particulare animæ voventis, & secundariò ad observantiam: sed est contra bonum particulare animæ voventis, cum passim obligare sub peccato mortali; prout obligat, quando est omninò, & quoad substantiam, invitus; ergo denique si doctrina *Emanuelis Lugo* esset vera, quòd præsumatur Prælatus, ratione modi illiciti, invitus etiam quoad substantiam, ne labatur disciplina Regularis, sequeretur, quòd contra omnes Doctores semper peccarent mortaliter Religiosi, accipiendo, aut dando sine expressa licentia, cum peti posset: & in rarissimo, aut nullo casu excusarentur à mortali: nam vel peccant, vel non peccant taliter accipientes: si non peccant ergo Prælatus non curaret peti licentiam contra suppositum; suppono enim esse Religionem observantem, ac proinde vigilare Prælatum, ut petatur licentia: si peccant, ergo semper mortaliter. Probo; quia ex doctrina *Lugo* semper tenetur Prælatus tueri observantiam, hoc medio, nempè omninò, & quoad substantiam prohibendo acceptiones sine expressa licentia; ergo semper Religiosus peccaret mortaliter, quando acciperet sine expressa licentia

Respondeo, totum hoc *Verricelli* argumentum, supponere falsum, & facere transitum. 15
Laudo quidem doctrinam, quòd non sit medium conveniens ad tuendam Regularem observantiam (regulariter saltem loquendo) cumulare præcepta, censuras, &c. quibus animæ subditorum illaqueentur, ut benè advertit etiam Bassæus noster *tom. 2. Florum: V. Prælatus num. 12.* cum *Trident. cit.* Sed hoc non fit à Prælato, quando simpliciter ob non ritè præsumptam licentiam, & in materia gravi, peccat mortaliter Religiosus dando, vel accipiendo, aut quidpiam aliud faciendo contra Votum paupertatis: tunc enim Prælatus solùm retinet jus suum, quod ei competit ex Voto paupertatis, quo se illi, liberè obligavit in sua professione Religiosus: & de cætero nullam ei novam obligationem, aut præceptum imponit; ut supponit argumentum *Verricelli*. Neque tenetur Prælatus, (immò nec potest) ad eximendos subditos à mortali, habere regulariter intentionem cedendi juri prædicto, præsertim in materia gravi. Alioquin frustra daretur reservatio casuum proprietatis, & furti de rebus Monasterij in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. Quare, si Religiosus mortaliter peccat, sibi imputet, non Prælato. Denique doctrina *Lugo* non negat, posse aliquando ritè præsumi licentiam, quæ excuset à mortali, immò & à veniali; ut patet legenti: unde secundùm illam benè intellectam non sequitur, quòd semper Religiosus, dando, vel accipiendo aliquid sine expressa licentia, peccet mortaliter; ut perperam infert *Verricellus*.

Addit *Verricellus* in confirmationem prædicti argumenti, quòd Religiosus subditus, quoad Paupertatem, tractandus est à Prælato instar 16
Filij;

Filij: allegátque *Rebellum*, & *Fagundez*. Sed in filijs, quando Pater rogatus concessurus fuisset licentiam, semper præsumitur invitus, quoad modum tantùm, non quoad substantiam; ergo etiam Prælatus Regularis respectu Religiosi præsumitur invitus, quoad modum tantùm; non quoad substantiam.

17 Respondeo, hanc regulam non esse in universum veram; ut benè ostendit de Lugo *cit. sect.8 num.*172. adducendo rationes patentissimas disparitatis; & concludens Religiosum debere considerari non ut omninò extraneum, sed ut partem illius Communitatis: cùm igitur non valeat paritas, nec valet argumentum ab illa deductum.

18 Ad illam verò confirmationem, quam *Verricellus* subjungit ad hominem contra *de Lugo* non est necessaria responsio nostra. Respondere fortè de Lugo, si viveret.

19 Cæterùm videantur Doctores ipsi *de Lugo*, & *Verricellus*: & Viri docti sint Iudices. Ego interim neminem condemno; sed tantùm illud comperrum volo, quòd *de Lugo* nec solùs, nec scrupulosè (ut ait *Verricellus*) ita locutus est, sed cautè cum *Sanchez*, & alijs communiter: Et quòd *Verricellus*, licet primo aspectu videatur in sua conclusione nimis laxus, attamen *in sequenti quæstione* se restringit ad terminos aliorum Doctorum; atque adeò ejus doctrina per totam inspicienda est, ne quis hallucinetur, & erret.

20 Clariùs itaque, secundùm benigniorem sententiam, se explicuit in hoc puncto Bassæus noster *cit num.* 1. *vers. Petes* 3. Quærit enim ibi, an consensus præsumptus Superioris liberet Regulares à vitio proprietatis, etiamsi Superior adiri facilè possit, vel res differri? Et respondet, quòd quamvis longè melius, & securius sit operari in hac materia cum expressa Superioris licentia; sufficit tamen licentia tacita, seu probabiliter præsumpta, etiam in casu, quo posset licentia postulari; sed ob aliquem humanum respectum, vel pudorem, aut aliquam difficultatem adeundi Superiorem, non postulatur: quia quando rationabiliter præsumitur Superiorem non esse invitum, sed velle, etsi expressus illius consensus non habeatur, tamen non dicitur res fieri absque ejus licentia. Ita ille, cum D. Thoma 2.2. *quæst.*32 *art.*8. *ad* 1. & Tamburino *de Iure Abbatum, tom.*2. *disp.*22. *quæst* 8. & alijs ab isto citatis. Noster verò *Crousers* Antuerpiensis, quem *Bassæus* dicit esse contrarium, *ad c.*7 *reg. lect. paranet.*14. *vers. dices: pag. mihi* 613. impugnat opinionem de licentia conditionata, absolutè & sine ulla explicatione prolatam, quam & impugnant *de Lugo*, & *Sanchez*. Unde non est contra nos, cùm cæteroqui admittat licentiam ritè, & probabiliter, & bona fide (ut ille ait) præsumptam, quam concedunt etiam *de Lugo*, & *Sanchez*.

Quòd si quæras, ex quibusnam argumentis, principijs, vel circumstantijs possit dici ritè, & probabiliter præsumpta licentia Superioris? 21
Respondeo cum *Bassæo cit. Diana. Roderico, de Lugo*, & alijs communiter, *Primò*, ex consuetudine, & usu Religionis, in qua Religiosi timoratæ conscientiæ soliti sunt in casibus occurrentibus præsumere consensum approbativum Superioris. *Secundò*, ex qualitate Superioris, si v.g. sit dulcis, & solitus condescendere libenter subditis, nec reprehendere, cùm facilè possit; quòd hujusmodi licentiæ præsumantur: secùs, si sit rigidus & austerus, &c. *Tertiò*, ex qualitate subditi, ut si Superiori sit valdè dilectus, vel vir gravis, & optimis moribus exornatus, meritisque in Ordine pollens. *Quartò*, ex rebus, si sint leviores, & penè nullius momenti. *Quintò*, ex facto ipso, ut si talis acceptio, vel dispensatio in commodum, & utilitatem cedat Conventûs, seu Communitatis. Denique adverte, cum Bartholomeo à S. Fausto *supra cit. quæst.*164. & cum Bassæo *cit.* quòd secundùm varias Religionum consuetudines, & varios Prælatorum mores, majora, vel minora haberi à Religiosis possunt motiva, seu argumenta ad hujusmodi licentiam præsumendam. Quapropter contingere potest, quòd in una Religione sit proprietatis vitium, quod in alia excusatur: immò inter Monasteria ejusdem Religionis, quod in uno ritè fiet ex præsumpta licentia, in alio non licebit; nonnisi ob diversas consuetudines, Prælatorum conditiones, majorem, vel minorem suis subditis licentiam concedentium, &c. Ob cujus rei ignorantiam multi passim hallucinantur, & perperam utuntur Doctorum opinionibus, volentes ex consuetudinibus aliarum Religionum, vel Conventuum regulam universalem statuere, putantes id sibi in sua Religione, vel Conventu esse licitum, quod in alia Religione, vel Conventu ex licentia tacita permittitur; non animadvertentes, quòd quamvis Paupertatis votum apud omnes Religiosos sit idem, ratio tamen præsumendæ licentiæ non est eadem in omni Religione, vel Conventu; ut patet ex dictis. Vide ergo, quàm cautè incedendum; & quàm tuta doctrina *Card. de Lugo*, & à nobis superiùs tradita.

Requiritur ergo probabile saltem judicium, vel cognitio, quòd Prælatus hic, & nunc, non sit ullo modo invitus, aut saltem non quoad substantiam, ad hoc ut possit Religiosus licitè operari cum licentia præsumpta; ut tradit Verricellus ipse *cit. quæst.*27. cum Sanchez, & Diana, & alijs, quos isti allegant: quod & docet Card. de Lugo *cit. num.*123. ubi concedit tunc adesse licentiam Superioris ritè præsumptam, & sufficientem ad licitè operandum, quando 22

quando Religiosus: probabiliter judicat, Prælatum non ægrè laturum, quòd ipse dederit, vel acceperit talem rem. Alij volunt, non licere operari sine morali consuetudine, seu indubitanter præsumpto beneplacito Superioris; ut Molina, & Ledesma, quos citant Diana, & Verricellus *ubi suprà*. Ego tamen censeo, quoad omnes idipsum sibi velint: Nam certitudo moralis, & judicium probabile, sunt idem: Ly autem, *Indubitate*, seu *Indubitanter*, nil aliud significat, quam seclusa dubitatione. Nam subditus dubitans, an Prælatus hic, & nunc, sit invitus neene, sit concessurus necne, mortaliter peccat agendo; quia exponit se periculo frangendi Votum paupertatis: ita *Verricellus*, & alij communiter, juxta regulam generalem omnium Conscientiæ Moderatorum, quòd scilicet cum conscientia dubia non licet operari: multò ergo minùs operari licebit, quando ex circumstantijs meritò præsumi potiùs potest invitus omninò Superior, quàm consentiens. Vide dicta *in §. præcedente, n.26. & 27.*

23 Denique contra *Verricelli* assertionem allatam sic argumentor ex Roderico *tom.3. qq. regul. quæst.29. art.11.* Si advertendum est, (ut ait Rodericus) non esse regulam undequaque certam, quam tradit Gilson *Alphab.* 34. quòd tunc dicitur subditus facere aliquid sine licentia Prælati, quando probabiliter credit, quòd si Prælatus sciret se hoc facere, ægrè ferret. Si hæc, inquam, non semper est vera, (ut ait Rodericus) nec undequáque & regulariter certa: ergo è contra neque est regula undequaque certa, nec semper seu regulariter vera, quòd tunc dicatur subditus facere aliquid cum licentia Prælati ritè præsumpta, quando (ut *Verricellus* ait) accipit, aut dat aliquid sine licentia expressa, quam rogatus Superior concessisset, etiamsi facilè peti posset, & non petatur. Hæc enim regula vera dumtaxat est in aliquibus casibus, & circumstantijs, & quidem in ipsa regula tradenda necessariò exprimendis, ne detur occasio erroris, inter quas ab omnibus omninò Doctoribus, quos ipse vidi, requiritur in primis illa, quòd probabiliter, vel moraliter, certò præsumatur Superioris consensus ex argumentis *suprà* assignatis; & illa etiam, quòd adsit aliqua difficultas vel adeundi Prælatum, v. g. non præsentem, vel occupatum, vel etiam petendi, v.g. ob ruborem aliquem, vel alium humanum respectum. Debet igitur ita omninò intelligi assertio illa *Verricelli*, ut tutè adhibeatur.

SEGMENTI TERTII SVMMARIVM.

PRo coronide peculiaris hujusce Appendicis, quæ pro Guardianis, & Prælatis potissimùm adjecta est; & propter id, quod mox *suprà* tetigimus ex *de Lugo*, & *Verricello*, de Prælatorum obligatione tuendæ, & conservandæ Regularis disciplinæ, & observantiæ; & quidem tanquam per media magis propria, (secundùm *Verricellum* per solertissimam vigilantiam, & rigidam severitatem, puniendo graviter, vel minimas inobservantias subditorum) operæ pretium erit aliqua hic subnectere de obligatione prædicta, ad Prælatorum ipsorum conscientias non tantùm erudiendas, sed pacificandas. 24

Quàm gravis igitur incumbat Prælatis obligatio tuendæ Regularis disciplinæ, & observātiæ ex eo maxime patet, quod communiter tradunt Doctores de eo, qui est causa peccati venialis in proximo; quærentes scilicet, an peccet mortaliter? Docent enim, quòd quamvis, regulariter loquendo, non peccet mortaliter; (ut Card. de Lugo *tom.1. de just. & jure disp.9. sect.2. n.18.* cum *Sanch.* contra *Vasquez*, quos ille citat) aliquando tamen potest contingere, quòd peccet mortaliter: & *Primò*, dant exemplum; ut si quis (saltem per vim, vel fraudem) inducat hominem 25

minem perfectum, & sanctum in aliqua peccata venialia; ut benè Lugo *cit. n.* 20. Unde concludit: Caveat ergo, qui Iuvenes pueros, & integrę vitæ, trahunt dolosè ad colloquia vana, & impura, quæ licet aliquando sint solùm mala venialiter; hoc tamen ipsum est grave nocumentum, quod illis in eo statu, & vitæ puritate infertur. Atque ex hoc obiter collige, quàm cautè conversandum in Religione cum Novitijs, seu Iunioribus recenter Professis; & quàm sanctè *in nostris Constitutionibus, cap.* 2. statutum sit, quòd nemo cum ipsis prolixè loquatur, nisi P. Guardianus, & Magister ipsorum; nec quisquam intret in eorum Cellas, neque ipsi in Cellas aliorum sine expressa licentia, & speciali, &c. Quia nimirum, si hi ad laxitates, vel aliquas inobservantias sui ipsorum status semel trahantur, (etiamsi illæ non excedant, nec fortè attingant in se culpam venialem) infertur illis grave nocumentū in eo statu vitæ; præsertim verò apud nos Capuccinos. Qua de re egregiè agit P. Didacus Murilius *in Scala spirituali, p.* 1. *lib.* 1. *c.* 13. Quemadmodum etiam grave illis damnum infertur, si de illis quis obloquatur, etiamsi aliquando de re, cæteroqui in alio Religioso provecto, levi, vel nullius momenti: quia tunc talis detractio est gravis respectu illius. *Secundò*, dant exemplum in Prælato Regulari, qui aliquando potest graviter peccare, negligendo culpas veniales in subditis, immò & inobservantiam circa Constitutiones, quæ ex se non obligant subditos ad ullum peccatum, etiam veniale, quia (ut ait Lugo *cit. n.* 21.) in hac ipsa negligentia Prælatus deest graviter obligationi, qua ex munere suo tenetur consulere potissimùm bono spirituali, & profectui subditorum, & observantiæ Regulari, quæ per ejusmodi defectus toleratos maximè labefactatur. Multò enim magis, & graviùs obligatur ex munere suo Prælatus Regularis ad procurāda bona spiritualia, quàm temporalia sui Ordinis, & Conventus. Quare, si ob ejus culpam Communitas patiatur grave detrimentum in spiritualibus, non poterit ipse à peccato gravi excusari per se loquendo, & poterit contingere, quòd subditi solùm venialiter peccent, & Prælatus peccet graviter in ijs defectibus permittendis. Qua de re videri potest *de Lugo cit.* & Aloysius Turrianus *de Fide, Spe, & Charitate disp.* 86. *dub.* 2. *in fine.*

26 Videri etiam potest Emmanuel Rodericus *qq. Regular. tom.* 3. *q.* 34. *ab art.* 5. *usque ad* 10. ubi denique docet, Prælatos, & Superiores Religionum teneri coërcere præ cæteris Iuvenes, eosque cum peculiari rigore educare. Si enim (inquit) Iuvenes suaviter ab his pertractantur, ultra quòd favoribus Majorum inflati redduntur, postmodùm ineunte ætate Prælati effecti Novitios, & Iuvenes lacte laxationis, & libertatis enutriunt, & observantia Regularis exinanitur. Ita ille, hoc documento apertissimè affirmans, quòd sicut ex hac juniorum Religiosorū custodia, cohibitione, coërcitione, ac rigorosa educatione, ut par est, præstita non tantùm faustè condita à vetustioribus Patribus disciplina firmatur, verùm etiam ubi aliquando collabi cœperit instauratur, & instaurata munitur, ità è converso ex eadem neglecta, tam faustè conditæ, quàm reparatæ disciplinæ firmitudo, vel instauratio corruat necesse est. Equidem autem juxta inculcata sæpiùs monita Spiritus Sancti in sacris literis, hæc ille docet, *Prov.* nempe *c.* 13. *Qui parcit virgæ odit filium suum; qui autem diligit illum instanter erudit.* Et *Eccles. c.* 7. *Filij tibi sunt? Erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* Et *c.* 30. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo,* &c. *Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet præceps. Lacta illum & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Ne corrideas illi; ne doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, & ne respicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans est; ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Atque hinc Reverendissimus etiam Pater Minister Generalis noster Stephanus à Cæsena, in præsentiarum regens, quanti id est momenti pro nostri Status conservatione perpendens, hanc juniorum Fratrum educationem, & disciplinam Patribus Guardianis, & Superioribus universis Congregationis nostræ solertissimè curandam tanto zelo mandavit, obtestato vel sanguine Jesu Christi; ut patet ex Ordinationibus Generalibus ab ipso editis in Capitulo Generali *anno* 1671. Sanè autem P. Bonetius Combasson Minorita Conventualis in sua vera, & dilucida explicatione præsentis status totius Seraphicæ Fr. Minorum Religionis, hanc Iuvenum Instructionem in rigore disciplinæ, & humiliationis, appellare non dubitat primum fundamentum, unde floret Capuccinorum Religio, & tuetur. Quod utinam diutiùs verificetur, & per Dei misericordiā jugiter perseveret.

Quæ cum ita sint, & non in nostra dumtaxat Congregatione, sed & in omni alia Religione, & temporali Republica, optima Iuventutis institutio primum sit inter alia munimina, quæ Congregationem ipsam nostram, sed & alios omnes cùm Religiones, tùm Respublicas subsistere faciunt, & quotidiè magis, magisque firmant, stabiliunt, atque conservant; en quanti sit momenti, quòd Guardiani in suo quisque familiari gubernio, ac Provinciales in Visitatio- 27

 nibus,

nibus,&c. id muneris sibi incumbentis sedulò satagant adimplere;cum prudentia scilicet, sanctóque zelo Iuniores ipsos in omni mortificationis,ac virtutum genere exercendo, præsertim verò recenter Professos accuratissimè custodiendo, humiliando, subjectos, ac demissos tenendo, nemini parcendo, blandiendo nulli, cunctos seriò, suavitérq; corripiendo, arguendo,ne à studio disciplinæ Religiosæ, quam per annum probationis didicêre,defer veant, nevè aliquo licentiæ genere relaxentur:id quod insensibiliter evenit, & subrepit,nisi sollicitè, solertissiméque caveatur. Porrò huic communi Religionis boni motivo accedit & duplex ratio diuturnæ hujusmodi Iuniorum humiliationis, subjectionis, ac demissionis curandæ; ex parte scilicet ipsorummet uniuscujusque privati profectus se tenens.

28 Prima est; quia Virtutum consequutio, & Seraphicæ perfectionis adeptio arduum opus est,nec unius,aut alterius anni,sed plurium immò verò totius vitæ; quarum origo, & fundamentum humilitas est: & quemadmodum in ædificatione domus priùs de fundamento,quã de cæteris partibus cogitamus; priùs illud substernimus,& postea parietes in altum erigimus; &(ut ait D.Augustinus *serm.*10.*de verbis Domini*) quantum quisque vult, & disponit superimponere molem ædificij, quantò erit majus ædificium,tantò altiùs fodit fundamentum: ita prorsùs in vitæ spiritualis fabrica (eodem Sancto Doctore teste) principiô de humilitate curandum est, & de ejus adeptione cogitandum, ut moles ædificij spiritualis secura consistat. Cogitas (inquit ille) magnam fabricam construere celsitudinis? (Perfectionis scilicet, & Sanctitatis,quæ est Evãgelica Turris à Religioso ædificanda) de fundamento priùs cogita humilitatis. Qualibet enim fabrica, quamvis sublimis, & ampla sit, si firmum non habeat fundamentum, citò dilabitur in ruinam: sic est & constructio spiritualis; qualibet bona quis habeat,si veræ humilitatis fundamentum non habuerit, in Religione firmiter stare non poterit. Altera, eáque notabilis diuturnæ hujusmodi Iuniorum Religiosorum exercitationis ratio inest: Ut nempe detur illis tempus opportunum vitia in sæculo contracta omninò convellendi, & usque ad fundamentum exinaniendi: assueverunt enim in sæculo, & amorem temporalium altiùs conceperunt, (saltem qui natu majores,vel paulò provectiore ætate ad statum Religiosum è sæculo ascendunt) secum ferunt noxios vitiorum habitus,judicij, ac voluntatis, seu amoris proprij,diuturnam consuetudinem, ac propensiones malas,aliáque similia vitia, & Religiosæ perfectionis impedimenta;quæ licèt fuerint adhuc vitæ spiritualis studio per annum probationis compressa,& quoad ramos eorum, ideft quoad pessimos lethales actus, evulsa,non tamen radicitùs extirpata: quare radix in præcordijs latens, vel (ut clariùs loquamur) vitia ipsa mentibus insidentia, quacúmque oblata occasione, suppullulant;eodem prorsùs modo, quo herbæ, quarum summitatem tantùm abrasimus,& radices non extirpavimus, iterum foras erumpere, & excrescere necesse erit. Quocirca opus est illis affectionem omnem veteris hominis, & amorem proprium, ac malos sæculi mores à se ipsis amputare, & usque ad radicem consumere, si velint pro illis virtutes perfectas gignere, ac secum, cumque his, quibus cum viuunt, pacem habere. Ut autem id fiat,acriter, & diù pugnandum est adversùs vitia, nec alijs curis, studijsvè incumbendum primoribus suæ conversionis annis; cum hoc negotium adeò sit magni momenti, & tantæ difficultatis,ut ad plures annos totum hominem requirat.Extirpatis tandem vitiorum radicibus, id profectò consequuntur, non ut nunquam tententur, (Siquidem tentatio est vita hominis super terram; ut affirmat patientissimus Job *cap.*7. juxta Septuaginta Interpretum translationem:) sed ut rariùs, & mitiùs tententur. Id etiam, Deo dante, obtinent, ut, licèt pravus quandoque motus insurgat, illos tamen non trahat, non liget, non capiat, nec levi vulnere feriat, ac proinde aptiores efficiantur inter occasiones inculpatè versari; & ad publica Ordinis, & ad Charitatis officia sanctè gerenda securiùs deinceps applicentur.

E contrario infeliciter causa recenter Professorum ageretur, si statim post Professionem emissam, & à Magistri, seu Novitiatus disciplina recessum; varijs mortificationibus, humilibúsque officijs non exercerentur; cùm omnibus promiscuè tùm domesticis, vel advenis Religiosis, quàm sæcularibus, intra, vel extra Claustra communicare, & fabulari sinerentur, liberéque, ac pro libito vivere permitterentur. Cum enim uno, aut altero anno cæptam Religiosæ perfectionis fabricam non absolvant, parum spei de perficienda Evangelica Turre præberêt,si opus imperfectum non eniterentur absolvere, ad idque à Guardianis diuturna exercitatione prædicta, sanctísque cohortationibus non promoverentur. Præludia siquidem sunt, quæ in anni Novitiatus cursu Iuniores ipsi Religiosi exercent: Status verò Professorum serium, grave, grandéque opus est. Ob idque entendum est, ut quæ Novitij præluserunt, jam Professi perficiant: nihil enim ejusmodi recenter Professis pejus efficit, quàm quoddam licentiæ, ac remissionis genus, una cum Professione, quasi lolium cum tritico, suborium. Inanno quippe Probationis, judicij timore cohibiti, nihil audebant, ne fortè expellerentur; emissa verò Professione, nonnulli 29

nulli parum mites, aut tepiditate victi, ab status securitate licenter agendi & ad sensus propensione enerviter vivendi ansam arripiunt; quasi ad altiorem perfectionem inde non aspirare deberent. En, quantæ molis sit, quantæque consequentiæ pro Regulari disciplina vel tuenda, vel instauranda, optima Iuniorum Religiosorum educatio! Hoc igitur in primis attendant Prælati omnes, tam Majores scilicet in delectu Iuvenum Ordinis Habitum postulantium, quàm Minores; & primò quidem Magistri Novitiorum per annum Probationis, ne vel rectæ intentionis prætextu nimis illis indulgeant, & ipsorum probationi, exercitationique parcant; deinde verò recentes Professorum Guardiani, vel alij Superiores, quorum curæ, & disciplinæ ijdem committuntur, & commendantur. Attendant, inquam, quòd hujusmodi Iuvenes, quia minùs in pugna spirituali exercitati, tanquam novella germina, vel tenellæ arbusculæ, virtutes nondum firmis habent radicibus infixas, facilè possunt mundanarum tentationum flatibus non agitari modò, & confringi, sed etiam extirpari; spiritum nempe compunctionis, devotionis, orationis, & timoris Domini (si quem conceperant) paulisper, insensibilitérque amittentes, disciplinam omnem tandem pessundant, quin & audaciam sæculi resumentes, rixosi fiunt, & pacem de medio tollunt, spiritualia exercitia fugiunt, immò & simpliciorum animos avertunt, & ad laxè vivendum inducunt, & nonnunquam optimam Matrem Religionem, quæ lacte sanctæ disciplinæ, bonorumque exemplorum ipsos aluit, publicis scandalis proscindunt, lacerant, deserunt.

30 Atque hi sunt fructus recens hujusmodi Professæ Iuventutis negligentiùs institutæ, & malè custoditæ; neque ulla pestis communi non nostræ tantùm, sed & omnium Religionum bono exitiosior. Universæ siquidem Respublicæ, sanctissimis quantumvis Legibus armatæ, hac parùm accurata Juniorum disciplina interire solent: (ut benè, latéque prosequitur Murillius *cit. à cap.* 1.) quod enim semel hauserint, ad senectutem usque servant; Proverbium enim est: (ait Salumon *Proverb. cap.* 22.) *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Unde nec temerè sperandum est, quòd vitæ licentia, quasi fuctu lactis concepta, & annorum excursu in callos obdurata, increpationum, vel exercitationum severitate sit coërcenda: rem quippe hanc difficiliorem multò, quàm scelestorum hominum sæcularium resipiscentiam Patres gravissimi censuêre. Quin &, Apostolo teste *in Epist. ad Hebr. cap.* 6. *vers.* 4. *Impossibile est, eos, qui sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* De Junioribus ergo Professis accuratissimè custodiendis solliciti in primis sint omnium Religionum Prælati, si Religiones suas in vera disciplina tueri, & conservare desiderant. Certè etenim nemo nescit, ex idoneis ad gubernandum Superioribus Regularis disciplinæ conservationem pendere; eam verò dilabi ex mala, & negligenti gubernatione. Atqui illud etiam compertum est, quòd optimis è vetustioribus Patribus aut senio confectis, aut morte correptis, Iuvenes sufficiendi sunt suo tempore ad officia, & gubernia ipsius Religionis. Quomodo ergo isti succedent Religionis zelo accensi, ac tanquam in pietatis quadam fornace, & paupertatis camino excocti, mortificationisque in primis, atque orationis studio extriti, & exculti, itaut in semetipsis, & in subditis fortiter simul, & suaviter vigorem disciplinæ retinere queant, & curent; si piè, si devotè, si religiosè, si in humiliatione, & mortificatione, si denique in rigore disciplinæ edocti, educati, custoditi, probati, exercitati ipsi non fuerint? Quomodo alijs proponent, quod ipsi non hauserunt? aut quomodo alios doceant, quæ ipsi non didicerunt? Agite ergo hoc negotium, Prælati. Vosque Juniores Fratres mei in Domino dilectissimi, audite Regium Psaltem monentem: *Apprehendite disciplinam; ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Atque hæc, quæso, de re tanti momenti paulò longiùs præ zelo protracta, æqui, bonique fiant. Iam verò prosequamur propositum de Prælatorum obligatione Regularis disciplinæ tuendæ subjectum.

Segmenti Quarti Summarium.

31 *Prælatus Regularis moralem debet adhibere diligentiam in præcavendis damnis spiritualibus animarum sibi commissarum.*

Circa regimen Prælatorum Regularium gravis, & levis culpa intervenire potest: quod declaratur. ibid. *varijs modis.*

32 *Prælati Regulares possunt visitare cellulas subditorum ex obligatione procuranda Regularis observantiæ.*

33 *Prælati Regulares singulari cum discretione procedere debent in remedijs spiritualibus adhibendis.* ibid.

Prælatus non exercens actum juris sibi competentis, jus illud non amittit per non usum. ibid.

Consuetudo non inducitur ex actu negativo, seu non usu.ibid.

Consuetudo & Præscriptio quomodo differant.ibid.

34 *Prælatus an & quando possit & debeat dissimulare, & omittere vel differre correctionem.*

35 *Prælatus Regularis quantùm potest promovere debet subditos ad perfectionem sui status.*

Relaxatio disciplinæ Regularis ex quibus inducatur. ibid.

Novitates etiam sub specie majoris perfectionis non sunt inducendæ. ibid.

36 *Prælatus Regularis cavere debet ne seipsum, nec suum regiminis modum reddat odiosum.*

In disciplina Regulari vinum justitiæ oleo misericordiæ temperandum. ibid.

Prælati debent habere spiritum severitatis & pietatis. ibid.

Prælaturæ solatium, Oratio mentalis. ibid.

37 *Prælatus Regularis quos defectus & culpas publicè in Refectorio vel Capitulo corrigere debeat, nec nè.*

Prælatus in reprehensionibus caveat à verbis contumeliosis & injuriosis. ibid.

Prælatus Regularis in reprehendendo non debet uti notitia quam habet ex Sacramentali confessione. ibid.

Nulli Religioso licet denuntiare delictum sibi declaratū in Confessione Sacramentali. ib.

Quid si ipsi dictum sit causa consily petendi, vel remedij. ibid.

Quid de complice? ibid.

38 *Prælatus in disciplina Regulari exercenda semper ducatur recta intentione, non quærendo quæsua sunt, sed quæ IESV CHRISTI.*

Potissima Prælati obligatio est ne quicquam faciat ex inordinato passionum affectu ib

39 *Prælati boni & digni idea exponitur ex S. Bonaventura.*

31 DEbet ergò Prælatus Regularis vigilare, & adhibere non quidem metaphysicam, sed moralem diligentiam in ijs damnis præcavendis. Quando autem negligentia circa hoc pervenire censeri possit ad culpam gravem in Prælato, non potest una regula in particulari definiri: pendet enim ex multis circumstantijs gravitas, vel levitas detrimenti spiritualis, quod Communitati contingere potest. Certum quippe est, posse in hac materia, sicut & in alijs, dari culpam levem in Prælato ex levitate, & parvitate materiæ: v.g. gravis esset materia, si ob Prælati negligentiam culpabilē Constitutio aliqua magni ponderis abiret in desuetudinem, qualis esset apud nos Capuccinos Constitutio mox *suprà* allata de Novitijs, & Constitutio de observantia Silentij, & hujusmodi: quia hæ Constitutiones, & earum observantia ad magnum Religionis ornamentum, & profectum pertinere perhibentur. Parvitas verò materiæ esset, si hæc ita non frequenter, sed aliquando duntaxat fierent, & à Prælato præterirentur; vel fortasse circa Constitutionem aliquam, quæ non tam ad bonum spirituale, quàm ad gubernationem temporalē ordinatur; v.g. quòd Tonsura fiat singulis quibusque vicenis diebus, vel singulis mensibus, vel hujusmodi: Quare quando ejusmodi Constitutionum violatio non afferret notabile detrimentum in Ordine ad finē illarum; prout communiter non videtur afferre, negligentia circa earum observantiam tuendam, puniendo delinquentes contra illas, non facilè judicanda esset in Prælato culpa gravis. Quod item de peccatis venialibus subditorum dicendum videtur: si enim ex eorum permissione grave detrimentū spirituale Religioso suboriretur, esset gravis obligatio in Prælato procurandi eorum correctionem; v. g. si in nostra Religione introduceretur usus jurandi, etiamsi cum veritate, vel dicēdi verba obscœna, vel irreligiosa &c. censendum hoc esset grave detrimentum spirituale Ordinis; quia talis usus multùm dedecet perfectionem Religiosam. Et idem esset de usu ludendi chartis, vel sumendi Tabacum (ut aiunt, in fumo; & alijs hujusmodi, si in nostra Congregatione introducerentur, quod Deus avertat. Atque hinc patet, quàm diligens cura habenda sit à Prælatis circa corrigendos præsertim Juvenes Religiosos de levibus etiam defectibus, quippe quibus per eorum permissionem grave detrimentum regulariter suboriri consuevisse patet experientia.

Atque ex hac obligatione curandæ Regularis observantiæ fas, jùsque oritur ijsdem Prælatis cellulas subditorum suorum visitandi, cùm benè ipsis visum fuerit, cognoscendi nimirum causa, num Constitutiones, & Regulæ benè observentur, nec neᵽundè injustè subditi quærerentur quòd Superior noster v.g. Cellulas ipsas eo fine inviseret; ut benè Joan. Sanciùs *in Selectis, disp.* 50.*n.*19. Torres *de Iust. disp.*4.*dub.*3.*n.*16. & *tom. de Fide, disp.*89.*dub.*5. Lorca 2.2.*disput.*45.*n.*11.*&* 12. Bannez 2.2.*q.*33. *ar.*3. *dub.*2. *concl.*3. Sicuti Episcopi, & alij Prælati Regulares, quibus incumbit Episcopalis facultas, possunt ad examen vocare suos subditos jam aliàs approbatos ad aliquod Officium, sive per se, sive per alios Prædecessores; quamvis nulla præcedat infamia imperitiæ prædictorum approbatorum; ut fusè idem Sanciùs *cit. num.* 11. & *disp.*48.*n* 24. Quo etiam modo dum accipimus ignotum hominem in ædes nostras, vel cum ipso iter agimus, ita licet nobis cavere rebus nostris, ac si dubia nobis esset ejus probitas; nullo tamen modo illum habemus, seu habere licet pro improbo de facto; sed solùm possibile esse, improbum, vel furem eum esse, qui nobis nocere 32

nocere possit, judicamus. Qua iterum ratione Prælati, seu Superiores ob indicia quædam dubia, vel suspicionem, objurgant subditos, pœnitentias imponunt, aliqua remedia illis corrigentes adhibent, tanquam si ipsos malos putent, quamvis illos malos esse de facto non arbitrentur, sed illorum intentionem excusent.

33 Cavere tamen debent in hujusmodi casibus Prælati ipsi, ne vel modum excedant, vel illos alijs suspectos reddant, vel de illorum virtute diffidere videantur: ut optimè animadvertit Sancius *cit.* ex Lessio *lib.2. de Iust. & Iure cap.29. dub.4. num.42.* Et pro his dictis vide eundem Sancium *cit. num.19.* D. Thomam *2.2. quæst.60. art.4 ad 3.* & ibi Cajetanum, Lessium *cit.* Valentiam *tom 3. disp.5. quæst.4. punct.4.* Margaritam Confessorum *fol.20.* Ut enim hi cum alijs benè advertunt, quando agitur de vitando damno, vel de adhibendo remedio, suspiciones, & dubia sunt in deteriorem partem accipienda; non quidem judicando v.g. illum mihi approximantem esse improbum, &c. vel habendum, pro tali; sed judicando, ita exteriùs cavendum esse, mihique ac illi ipsi simul consulendum, ac si dubia esset approximantis illius probitas. Vide etiam mox *infrà* dicenda *num.36.* Neque ex eo, quòd plerique Superiores vix, aut nunquam (excepto Provinciali in Visitationibus) prædictum juris sibi competentis actum, invisendi scilicet Cellulas suorum subditorum, non exerceant, censendum est, jus ipsum illis aut demptum, aut diminutum esse: quia per non usum Prælati non exercentis in suos subditos actum aliquem sibi competentem, nunquam consertur jus præscriptionis, aut consuetudinis subditis ipsis, quo recusare valeant se se eidem actui subijcere, cùm eidem Prælato, vel Superiori, aut ejus successori collibuerit. Ita Sancius *cit. disp.50. n.14.* Et ratio est; quia ex actu negativo, seu ex non usu non inducitur consuetudo. Hæc enim est communis actuum repetitio: *cap. consuetudo: dist.1. cap. ita nos: 25. quæst.2.* ita ut (ut benè advertit Arboled. *Pract. Sacram. de Euch. not.13. fol.321.* §. Digo, que no importa, &c. *apud Sancium cit. disp.26. n.16.*) consuetudo, ut vim consuetudinis habeat, quæ allegari possit, non ex negatione actionis desumenda sit, sed ex positivo actu. Nisi fortè non usus, seu actus negativus habeat tacitum actum contra dispositionem Iuris: ut v.g. non deferendo tonsuram, &c. Abbas *in cap. Ioannes: n.9. de Clericis conjugatis.* Porrò, non usum non posse inducere consuetudinem, docet Vasquez *1.2. tom.2. disp.177. cap.6. n.54.* cum Burgen. *in Leg.1. Tauri n.164.* benè advertens, Consuetudinem introduci non posse ex non usu, quando scilicet casus non occurrit. Garsias *tom.2. de Beneficijs.* Nam cum consuetudo introducatur moribus, utentium, hoc est Usu, per non usum, qui nihil est, introduci non potest: cúmque consuetudo legitimè debeat esse introducta, ut legem abrogare valeat, cõsequitur, per non usum nullam Legem abrogari posse. Neque item Ius præscriptionis subditi acquirere possunt ex non usu, quòd scilicet Prælati, vel Superiores actum sibi competẽtem circa ipsos non exerceant. Nam, ut optimè admonet Vasquez *cit. n.8.* Consuetudo, & Præscriptio solùm differunt, sicut Commune, & Speciale: quatenùs scilicet omnis Præscriptio est Consuetudo, non autem è contra: Præscriptio enim, est Consuetudo quædam ex usu orta super rem aliquam certam; ut circa locum aliquem determinatum, vel circa personam determinatam, vel circa utrúmque simul: Consuetudo circa facta hominum solùm versatur. Unde si per non usum comparari nequit Consuetudo, eadem itidem ratione neque Præscriptio, quæ idem est cum Consuetudine, & tantùm discriminatur, sicut superiùs, & inferius. Vide Auctores citatos.

Secunda regula generalis in hoc puncto esse 34 potest, Prælatum non teneri ad correctionem subditorum, quando correctio non speretur futura multum utilis; immò aliquando utilius erit juxta regulas prudentiæ dissimulare, ne vilescat, & contemnatur correctio, & auctoritas Prælatis, sicq; graviori culpa subditus irretiatur. Item nec obligatur Prǽlatus ad statim corrigendum, sed potest, & frequenter debet reservare correctionem ad meliorem opportunitatem, qua major speretur utilitas. Prælatos autem Superiores, Generales, vel Provinciales, regulariter expedit non corrigere per se ipsos (excepto actu Visitationis) sed per immediatos respectivè, & per media communia, & generalia, admonendo v. g. & mandando, seu committendo Prælatis inferioribus, mittendo probos, & prudentes Visitatores, vel Commissarios; & super omnia excitando subditos (quod & ad inferiores Prælatos attinet) ad perfectionem Religiosam; multò enim plus confert cura de profectu interno subditorum, quàm de externa disciplina; *quia si internus spiritus deesit in subditis, frustra multiplicantur ordinationes, & præcepta, immò & flagella seu punitiones*: quæ tamen, cùm opus est, secundum Deum non sunt omittenda. Videatur Emanuel Rodericus *tom.2. qq. Regul. quæst.73. art.4.* Murillius *sup. cit. cap.14.* & D. Gregorius *part.2. Pastoralis, cap.10.*

Tertia regula esse potest, Prælatum Regula- 35 rem debere quidem promovere subditos ad eam perfectionem, quam status, & conditio sui Ordinis postulat; ita ut Communitas ob ejus negligentiam non cadat à suo fervore, & fine sibi proprio; quod vulgò dicitur, *Relaxari aliquem Ordinem Religiosum*: v.g. si introducatur

notabilis negligentia circa res spirituales; si subditi nimium addicantur rebus, negotijsve temporalibus, & sæcularibus, si prævaleat ambitio; si unusquisque quærat quæ sua sunt, bonum autem Communitatis contemnat; si deserantur ministeria ad proximorum salutem, ad quam Religio illa ordinatur, secundùm professionem, & consuetudinem ipsius; si subditi otio se dedant, illúdque procurent, & labores fugiant, præsertim qui ad manualia Ordinis ministeria Conventuum ex suo ipsorum statu specialiter obligati sunt; ut sunt Religiosi laici vel Conversi; & alia hujusmodi quæ Religionem reddunt minùs utilem, & verè relaxatam: undè & Seraphicus P. N. B. Franciscus morti proximus (ut testantur Constitutiones nostræ *cap. 1. in princ.*) prædixit, nihil adeò obfuturum putæ observantiæ Regulæ, quàm multitudinem Fratrum inutilium, & sensualium. Vide etiam ad hoc *Epistolam* Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ *ad ministros Provinciales, & Custodes de reformandis Fratribus sui Ordinis*, quæ habetur *tom. 1. opusc. pag. mihi* 486. Hæc igitur, & similia debet Prælatus impedire, si moraliter possit: sicut enim Gubernator Civitatis tenetur procurare quietem politicam, & pacem Civium, qui est finis gubernationis politicæ; ita Prælatus Religiosus tenetur procurare studium perfectionis, qui est finis Congregationis, & gubernij Religiosi. Quòd si relaxationem jam in Ordinem invectam deprehenderit, nec sit spes reformationis inducendæ, tenetur saltem procurare ne relaxatio ulteriùs progrediatur, & crescat. Non tamen tenetur promovere subditos ad aliud perfectionis genus, quod sit præter institutum sui Ordinis; v.g. ad majores pœnitentias, ad augendum tempus Orationis (intellige tamen quoad praxim Communitatis, in qua cavendum maximè est à novitatibus, etiam sub specie majoris perfectionis; non quoad praxim privatam singulorum Religiosorum, pro viribus uniuscujusque) ad frequentiora jejunia, ad asperiores, & sublimiores mortificationes; sed solùm ad restituendum, vel conservandum statum sui Ordinis, & spiritum sui Instituti. Hanc enim tantummodò reformationem præsertim quoad ea, quæ ad tria substantialia vota spectare perhibentur, optavit, & commendavit Prælatis Regularibus Conc. Trid. *sess. 25. c. 1. de Regularibus, & Monial.* sed & Clemens VIII. *in suis decretis pro reformatione Regularium, sub dato 25. Iunij* 1599. Vide Card. de Lugo *cit. n. 24* & Rodericum *tom. 2. qq. Regul. q. 73. art. 2. & seqq.*

36 Quarta regula sit, eaque ab ijs apprimè notanda, qui ferventiori sunt zelo, Prælatum Regularem ita debere attendere correctionem, & reformationem spiritualem suorum subditorum, ut non incidat in contrarium extremum, & reddat odiosam disciplinam, & correctionem, adeóque seipsum omnibus exosum. Ut enim appositissimè admonet Murillius *cit. cap. 14.* ex D. Gregorio *in Pastor p. 2. cap. 6.* Qui ad alios regendos sunt destinati, illud in primis curare debent, ut subditis ipsis grati evadant, & accepti, atque apud eosdem bonam opinionem, & auctoritatem acquirant; non tamen eo fine, ut amentur præcisè, sed ut illos per amoris, & bonæ opinionis dulcedinem ad Deum, & ad affectum erga disciplinam fortiter, suavitérque trahant: quod est dicere, non ut ipsi per se amentur, & existimentur, sed ut subditos suos lucrentur Deo. Undè non debet Prælatus omnia, & singula examinare, inquirere, punire; sed juxta *Sosipatri* dictum, parvi quidem & vulgares defectus dissimulandi, ut plurimùm: qui verò jam ingravescere animadvertuntur, his cura secundùm leges, & statuta Religionis adhibeatur, miscendo tamen lenitatem misericordiæ cum severitate justitiæ; & rigorem seu vinum justitiæ, cum oleo misericordiæ; faciendóque ex utróque temperamentum quoddam, ut neque multa, seu nimia asperitate exulcerentur subditi, nec nimia benignitate solvantur. Cæterùm licèt in utróque extremo periculum esse possit, credo tamen cum de Lugo *cit. n. 25.* & Murillio *cit.* majus, & frequentius periculum Prælatis imminere ex nimia conniventia, & mansuetudine: patientia enim irrationalis (ait D. Chrysostomus, quē refert Murillius *cit.*) vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solùm malos, sed etiam bonos ad peccandum allicit; atque adeò certius, & gravius nocumentum Religioni ex hoc capite imminet, eo quòd minùs reparabile sit, quàm quod oritur ex alio extremo, scilicet ex nimio zelo, & rigore justitiæ, qui nullum defectum præterit impunitum. Relaxatio enim semel introducta difficillimè expelli potest; immò idipsum est, ut plurimùm, moraliter impossibile. Undè S. Bonaventura *serm. 23. de luminaribus Ecclesiæ, propè fin.* ait, quod Prælati debent habere spiritum severitatis, & pietatis, ut Moyses, qui eum esset mitissimus confregit tabulas: è contra Heli, qui quia fuit remissus, mortuus est, & filij ejus. Undè plus nocet (concludit Seraphicus) Prælatus misericors, & abijciens rigorem Disciplinæ, quàm Prælatus rigidus, sine misericordia. Et ita intelligitur illud *Eccli. c. 24. Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier.* Hæc S. Doctor. Atque hùc spectat illud Spiritus Sancti monitum: (*Eccli: c. 7.*) *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Sanctus ergò, & discretus rigor utilior est, qui in corrigendo, & puniendo ità justitiæ vinum oleo misericordiæ noverit contemperare, ut Disciplina, & observantia

Regularis

Regnlaris non decidat, nec nlmio rigore excedatur: adeóque misericordia, & veritas sibi obvient, ut statuitur *in nostris Constitutionibus c.*10. Vide Murillium *cit.* & Bassæum nostrum *to.* 2. *Horum : v. Pralatus num.*17. qui *n.*18. subjungit: Proindè Prælaturæ munus durum valdè est; ut constat ex Conc. Trid. *sess.6 c.1. de reformat.* Ecclesiarum regimen (inquit) est onus Angelicis humeris formidandum: Vide apud illum pulcherrimam exclamationem sapientissimi cujusdam Prælati sub sarcina Prælaturæ gementis, & concludentis, hoc unum reperiri in tot Prælaturæ molestijs solatium, illudque bonis Prælaris simpliciter necessarium; mentalem scilicet Orationem. Hæc enim (inquit) pabulum est mentis, & corporis: nam corpus, & mens tot curis fatigara, nisi semel in die, ad minùs, ijs depositis, recreentur, quod in dicta fit Oratione, & non alibi, succumbat necesse est. Vide apud eundem Bassæum *ibi n.* 19. monita quædam scitu digna, & à Prælatis observanda, pro prudenti subditorum regimine.

Quod tamen ad publicas subditorum reprehensiones, seu correctiones à Prælaris faciendas attinet, (v.g. in Refectorio, vel Capitulo) illud hic subijcendum non censeo; quòd quamvis Prælati, seu Superiores possint, & debeant, juxta exigentiam, ut *suprà*, defectûs, seu culpas leves suorum subditorum (communes scilicet, & quæ in viris etiam perfectis, quandóque contingunt) ad se delatas, vel per se ipsos cognitas manifestare in publicis reprehensionibus, &
37 ordinarias pœnitentias imponere, dummodò alicujus momenti infamiam non inferant, & secretus delator consentiat; atque in his nec debeat, nec soleat servari à Prælatis ipsis ordo judicialis; ut omnes cnncedunt, affirmante de Lugo *tom.2. de Iust. & Iure disp.*37. *sect.*14. *n.*164. cum Suarez, Sanchez, & alijs apud istos citatis: Advertendum tamen est, quòd nomine culparum, seu defectuum levium non intelliguntur illi omnes, qui in se non sunt peccata mortalia: gravis enim censetur ad hunc finem, ita ut non possit in publicam reprehensionem deduci defectus omnis, qui, etsi in se non sit peccatum mortale, potest tamen suspicinnem peccati mnrtalis generare; ut benè advertit de Lugo *cit.* cum Suarez, & Soto; qui proindè strictiorem adhuc regulam cum eodem Suarez in hujusmodi reprehensionibus servandam tradit dicens: Nec posse in publicas reprehensiones produci nisi defectus leves, qui ab omnibus, vel ferè ab omnibus committi solent, quamvis ab aliquibus frequentiùs, quàm ab alijs committantur; non verò defectus necultos extraordinarios, qui licèt non sint peccata mortalia, nec ingerant suspicionem peccati mortalis, graves reputantur in Religioso, & solent impedire munera graviora, quia plurimùm minuunt existimationem personæ. Ita ille, quem vide. Et præterea in reprehensionibus hujusmodi cavere apprimè debent Prælati à verbis contumeliosis vel injuriosis, (ut appositissimè docet Murillius *suprà cit. c.* 15.) & ut ait exhortando Seraphic. Pater *in c.7. Reg.*) ne irascantur, & conturbentur propter peccatum alicujus; quia ita, & conturbatio in se, & in alijs impediunt charitatē; quod est, seu debet esse causa motiva in ipsis reprehensionibus faciendis. Cavere item quam diligentissimè debent Prælati ipsi, ne ad externam gubernationem, & curam suorum subditorum (sive cum paternè tantùm, & regulariter, seu extrajudicialiter procedunt, inquirendo, arguendo, obsecrando, increpando, penitentias salutares imponendo &c. sive cùm judicialiter &c.) eâ unquam utantur notitiâ, quam de illorum peccatis ex Sacramentali Confessione quoquo modo habuerunt, ita ut illa directè, vel indirectè indicentur. Ita enim exigit reverentia Sacramenti, necnon, & speciale Decretum Clementis VIII. *anno* 1594. 26. *Maij* hac de re editum. Id quod jam ante statutum fuerat in Societate Jesu per Parrem Claudium Aquavivam Præpositum Generalem, *anno scilicet* 1590. cum severè prohibuit, ne ullus unquam ex Societate contrariam Doctrinam publicè, aut privatim doceret, cavè uteretur; ut refert Card. de Lugo *disput.*23. *de Pænit. sect.*5. *n.*94. quem vide *ibidem per totam illam sectionem* egregiè differentem, An, & quomodo Prælatus, vel Superior possit uti scientia habita ex Confessione ad gubernationem subditorum. Hujusmodi autem notitia adeò inutilis est ad prædictam gubernatiouem, etiam quoad usum fori judicialis, ut si casu, vel industria ex tali notiria processus aliquis ortum habuerit, omnia ejus acta irrita, & invalida sint: &, licèt à principin Judex bona fide processerit, nesciens denunciatorem ex sola Confessione cognovisse crimen, quòd detulit; ubi tamen primùm id noverit, debet protinùs à processu cessare; ut benè de Lugo *cit. num.* 107. allegans *Covarruviam*, & *Sotum*, qui refert quendam punitum fuisse; quia ex tali notitia ad inquisitionem processit. Vide eundem de Lugo *tom.2. de Iust. disp.*38. *sect.*2. *n.*37. ubi docet, eos, quibus delictum dictum est in Confessione Sacramentali nunquam posse denunciate: quibus verò dictum est causa petendi consilij, vel remedij &c. regulariter non teneri. Atque hæc doctrina procedit etiam de complice; ita ut, si v.g. pœnitens manifestet, sive necessario, sive non complicem sui delicti, peccatum ipsum complicis manere etiam tunc debeat sub sigillo; ut secundùm veram, & communem sententiam tradit de Lugo *disp.*23. *de pænit. sect.*3. *n.*68. cum Suarez, Reginaldo, Maldero, Villalobo, & alijs pluribus, quos refert, & sequitur Diana 2. *tom. tr.*4.

de Sacram. resol. III. quem vide. Unde peccaret Prælatus contra sigillum, si v.g. ex notitia tantum Sacramentali, extra Confessionem subditum delinquentem, vel ejus complicem exprobret, aut ab officio amoveat, (sive alius noverit crimen, sive non) immò etiamsi severiorem tantummodò vultum ea de causa illi ostendat, aut minus gratè ei colloquatur &c. Vide plura hac de re apud *Doctores citatos*, Vasquez *de Pœnitentia quæst.* 93. *a.* 4. *dub.* 8. *à num.* 1. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 16. *per totam*, & alios ab his relatos.

38 Quinta denique regula sit, majus, & quasi radicale Prælati periculum oriri, ex defectu intentionis rectæ in suo regimine; quia nimirum officio utitur potissimùm ad se ipsum, suáque commoda procuranda (qua in re peccare illum mortaliter, docet P. Jo. Franciscus Raggius noster *de regim. Regul. p.* 1. *dub.* 4. *conclus.* 1. *num.* 31. hisce verbis: Prælatus, quicunque ille sit, sive Generalis, sive Provincialis, sive Guardianus, qui utitur subditorum personis, eorúmque actionibus, ac toto regimine principaliter pro sui conservatione, (ad hoc scilicet, ut in Prælatura assumpta conservetur, & ad proprium commodum) & minùs principaliter pro boni communis augmento, & subditorum utilitate; nequit excusari à lethali culpa. Ita ille.) Si enim subditorum vitia, & defectus dissimolat, ideò id facit, ne eos offendat, sibique adversarios reddat, & censores suæmet ipsius imperfectionis, & defectuum: ideò promovet, & fovet minùs dignum, relicto digniore; ideò permittit multa, quia dependet à multis ad propriam conservationem, seu manutentionem in officio, ad commoda, ad honores, vel quid simile. Si verò è contra corrigit, & punit; ideò facit, ut videatur observantiæ, & disciplinæ Zelator, & æstimationem, inanemque gloriam acquirat, vel etiam quandóque (quod peius est) ut vindicet offensam, quam sibi fieri concipit. Quare, si Prælatus recto, & sincero corde desiderat suo muneri satisfacere, nec in eo quærit, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, facilè vitabit prædicta pericula; quia optima regula est affectus Charitatis, & zelus interior circa bonum subditorum, & commune Religionis, proprio commodo postposito; & si opus fuerit, pro Regulari observantia vitam in periculo constituere, & justitiam semper Deumque O. M. præ oculis habere: hinc enim oritur pax Religionis, vel Conventus, tutamentum observantiæ, immunitas Communitatis, nutrimentum spirituale Religiosorum, silentium, & securitas in pulchritudine pacis. Quòd si aliquando erraverit ex imprudentia Prælatus sic affectus, & incedens, v.g. ad unum, vel ad alterum extremum declinando, scilicet ad nimiam benignitatem, vel ad nimium rigorem, non facile imputabitur ei error ad culpam mortalem, cùm sit homo, qui proindè difficilè potest omnia perfectè examinare, & ponderare: quin etiam, quoad subditos, sive dissimulando, vel condonando, aut condescendendo, sive corrigendo, vel puniendo, aut negando, omnia cooperabuntur ei in bonum, & à subditis ipsis æqui, boníque fient, ob meritum scilicet rectæ ipsius intentionis. Potissima ergò Prælati obligatio, & cura ea esse debet, ut sese immunem servet à passionibus amoris, odij, timoris, & respectus, seu affectus humani, quæ perturbant, & excæcant mentem nostram, & sunt radices, & causæ errorum ferè omnium qui in Prælatis contingere consueverunt. Ideò enim Theologi meritò dicunt, Justitiam esse virtutem ex genere suo excellentiorem alijs virtutibus moralibus, quæ hominem dirigunt in ordine ad se ipsum; quia nimirum Justitia dirigit nos ad alios, ad Deum scilicet, & ad proximum nostrum, ad quorum bonum majori cum difficultate ferimur, quàm ad bonum nostrum. Atque hæc ex de Lugo, Roderico, Bassæo, Murillio, & alijs gravissimis Doctoribus.

Cæterùm, dignique Prælati ideam paucis accipe à Seraph. Doctore D. Bonaventura *in opusc. Apolog. in eos, qui Ordini Minorum adversantur, quæst.* 5. *& seqq.* Ut scilicet sit in eo, *Primò* ætatis maturitas. *Secundò*, honesta admodùm personalitas. *Tertiò* vitæ irreprehensibilitas. *Quartò*, quòd non sit idiota in literarum scientia. *Quintò*, quòd sit discretus, & providus ex naturali industria. *Sextò*, quòd sit zelator Justitiæ, & Ordinis disciplinæ. *Septimò*, quòd sit tractabilis per mansuetudinis lenitatem. *Octavò*, quòd sit compassivus pietate fraterna. *Nonò*, quòd sit devotus, habens Orationis usum, & fiducialiter agens cum Deo, ex gustu internæ dulcedinis, & experiméto crebro exauditionis. *Decimò*, quòd semper in Officio esse se doleat; & tamen, cùm ad hoc compellitur, æquanimiter illud ferat, nec propter hoc, ut citiùs absolvatur ab Officio, negligentiùs in eo se gerat. *Undecimò*, quòd corporis imbecillitate à communis vitæ observantia non omninò impediatur. Vide eundem S. D. *in opuscul. de sex Alis Seraphim*, ubi devotè, æquè ac doctè, hanc eandem optimi Prælati Ideam amplius styli coloribus exornat. Vide etiam *in Chron. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. ubi & Seraphicus P. Franciscus hujusmodi Prælati imaginem præ oculis ponit. Et de his satis. 39

ARTICV

ARTICVLVS TERTIVS.

AN LEGATVM ANNVVM REI MOBILIS, etiam perpetuum, pro Fratribus Minoribus relictum, simpliciter gravando hæredem, ab ipsis tamen minimè acceptatum, hoc est non acquisitum civiliter; quemadmodum in præcedentibus Articulis explicatur; solvendum nihilominùs adhuc sit ab Hærede, vel Gravato; atque ita solvendum, ut hæres ipse, vel gravatus teneatur obligatione, non politica, vel civili, sed naturali, & in foro conscientiæ illud iisdem Fratribus Minoribus signatim præstare, juxta ordinationem Testatoris; atque An Fratres ipsi possint illud absque ulla suæ ipsorum specialis paupertatis, & status prævaricatione, accipere cum moderaminibus requisitis; nec nè.

§. I.

Dubitandi rationes, & notabilia quædam pro quæstionis resolutione præmittuntur.

SEGMENTI PRIMI SVMMARIVM.

1 *Legata annua Minoribus relicta an sint habenda pro non scriptis, itaut hæredibus ipsis, vel gravatis cedant, eáque tutâ conscientiâ retinere possint? iterùm ad examen revocatur*, num. 1. & sequentibus.

2 *Recensentur illi quibus de jure legata vel fideicommissa relinqui non licet.*

3 *Legata Minoribus relicta nihil aliud sunt quàm morientium eleemosynæ omni jure permissæ.*

4 *Causa pia gaudet privilegio minoris ætatis.*

5 *Fructus bonorum Hospitaliorum superflui ad alios pios usus sunt convertendi.*

Hospitaliorum administratores tenentur ad restitutionem fructuum omnium ab ipsis contra Hospitalium institutionem perceptorum. ibid.

Legata ad pias Causas, quantùm fieri potest, juxta testantium voluntatem & intentionem expendi debent. ibid.

6 *Legatum Civitati relictum ad spectaculum quod ibi celebrari non licet, hæredi non cedit, sed in alium usum licitum converti debet.*

Testatoris voluntas semper servanda. ibid.

7 *Legatum Religioso relictum sub conditione, vel modo illicito, valet, sed conditio vel modus habetur pro non scripto.*

8 *Legati dominium & proprietas Monacho acquiri non potest.*

Legati commoditas Monacho relicta sub conditione quod à Superiore ipsi auferri non possit, perinde est ac si proprietas fuisset illi legata. ibid.

Legatum quoad commoditatem Monacho relictum ità ut superior illi auferre non possit, valet, sed rejicitur modus illicitus. ibid.

Conditio impossibilis natura, vel jure legato adjecta vitiatur, & non vitia: dispositionem: quod secùs est in contractibus. ibid.

Legata relicta Ecclesiæ quæ non est capax dominy quomodo præstari debeant. ibid.

9 *Legatum Minoribus relictum cum expressione modi illiciti, validum est, rejecto modo, secundùm aliquos Doctores, quorum sententiam Author non admittit absolutè, sed cum declaratione.*

10 *Constitutio Nicolai III.* in cap. Exiit: §. Ad hæc quia: vers. A tali legato per omnem modum Fratres abstineant: *exponitur.*

Legatum annuum, vel simplex, Minoribus relictum, qua ratione sustineatur, & præstari debeat. ibid.

11 *Legata pia non subjacent Falcidiæ, neque constitutioni lucrativæ descriptionis.*

Causa pia favendum absque tamen injuria alterius. ibid.

12 *Legata pia ab omni caducitate immunia sunt.*

Legata

Legata pia etiam in testamento minùs solemni relicta valent.ibid.

Dispositiones ad pias Causas, modò non laborent defectu voluntatis, licet laborent defectu solemnitatis, sustinentur.ibid.

Et revocant priora testamenta etiam solemniter facta.ibid.

Legatum pium in dubio etiam præstari debet. ibid.

13 *Legata Minoribus relicta sunt dispositiones ad pias causas, & favorabiles.*

1 SVPERVACANEA forsan videri cuipiam posset præsentis Articuli examinatio; cùm jam in superioribus pluries indicata sit ejus solutio. Quia tamen haud levis momenti, controversiæque punctus hic est, nec per transennam ostendenda ejus veritas; ideò, ut promisimus semper, ex speciali instituto discutiendum illum assumimus.

2 Et quidem dubitandi ratio ex una parte ea est; quòd plerique cùm Theologi, tùm Juris utriúsque Consulti absolutè asserunt, Fratres Minores ità esse annuorum legatorum, ad propriam præsertim sustentationem, incapaces; ut legata ipsa babenda esse prædicent, tanquam irrita, & cassa, & pro non scriptis; adeóque hæredibus accrescentia; (ut alibi recensuimus,) perindè ac si facta fuissent personis, quibus legata, fideivè commissa fieri prohibetur in *Iure*: cujusmodi sunt (ut tradit Gloss.ordin. *Instit. de legatis.§. legari autem :* & ex ipsa Joannes Oinotomus *super Instit. lib. 2. tit. 7. de donat. cau. mort. num.* 11.) primò Deportati; ut *l.1. C. de hæredib. instituend. & quæ pers. inst. non possint*. Secundò, damnati in metallum, etiamsi post testamentum, vel legatum relictum, in metallum damnentur; ut est text. *in l. si in metallum : ff. de his, quæ pro non script. habentur*. Tertiò Hæretici; ut *l. Manichæos: C. de Hæreticis*. Quartò Apostatæ; ut *l. hi, qui sanctam: C. de Apostatis*. Quintò Filij eorum, qui crimen læsæ Majestatis commiserunt, *ut l. quis quis : §. filij, C. Ad legem Iuliam Majestatis*. Sextò, Collegium illicitum; ut *l. collegium: C. de hæredibus instituendis*. Septimò, mulier nubens infrà annum Luctus; ut *l.1. C. de secundis nuptiis:* (tametsi hoc hodie de Jure Canonico correctum sit, ex auctoritate Juris divini, *Extra: cap. penult. & fin. de secundis nuptijs*: de quò latiùs Doctores *in d. §. legari autem*.) Octavò. Nati ex incestuoso, & damnato coitu; ut *Authen. ex complexu: C. de incestis nuptijs.*

3 E regione verò, cum legata ipsa Fratribus Minoribus facta nil aliud sint, quàm morientium eleemosynæ, adeóque ad piam causam; neque jus ullum adduci possit Pontificium, aut Cæsareum prohibens, ne à morientibus hujusmodi eleemosynæ legato, fideivè commisso Fratribus Minoribus relinquantur; ut alibi ostensum est *art.* 1. & hic iterùm clariùs monstrabitur: ratio dubitandi colligitur.

Primò ex eo, quod omnis pia Causa habet 4
privilegium minoris ætatis (qua de re agunt Doctores *ff. de Minoribus 25. annis*, per *totum illum tit.*) ut tradit Emmanuel Costa Lusit. *In repet. in c. si pater: de testamentis: n 4. &* 10. argum. text, *l. orphanotrophos, in pr. C. de Episc. & Cleric.* & docent Joan. Andreæ, Ancharanus, & Dominicus *in c.1. de in integrum restit. in* 6. Abbas, & omnes *in c. Nulli, de reb. Eccles. non alien.* & Bald. *in l. quoties; col.1. ad fin. C. de fideicom.* facitque etiam text. *in Auth. de Eccles tit. §. Pro temporalibus, coll.9.* & in *Clem. quia contingit, §. ut autem: de Religios. Domib.* cum multis alijs, quæ allegat Andreas Tiraq. *in tract. de Priv. piæ causæ, in priv. 137. usque ad priv. 142.*

Colligitur *secundò*, & quidem fortiùs ex Con- 5
cil. Trid. *sess. 25. c. 8. in Decreto, de reformatione*; ubi statuitur, & mandatur per Sacram Synodũ: *Quòd si Hospitalia ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta Hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur; fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertatur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit, nisi aliter fortè, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum; quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet Episcopus, aut si id non possit, ipse, prout suprà utiliter provideat.* Ita Concilium, subdens præterea: *Et prædicti nihilominùs*, (idest qui Hospitalium hujusmodi administrationem habent, & hospitalitatis munus, juxta testantium, qui ita instituerunt voluntatem, re ipsa non obierint, seu obire cessaverint, adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, necessarijs) *etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quæ nulla eis remissione, aut compositione indulgeatur, in foro conscientiæ teneantur &c.* (& quòd de hujusmodi administratoribus dicitur, eadem ratione intelligendum est etiam de quibuscumque alijs Executoribus testamentarijs, aut ultimarum voluntatum, & hæredibus vel gravatis ad similia obligatis.) Ex his enim sacrosanctæ Synodus verbis, eam fuisse illorum Patrũ mentem, clarè colligitur, quòd Legata ad pias Causas, (cujusmodi certo certius sunt ea, quæ Fratribus Minoribus fiunt, quæcumque illa sint) quantùm fieri potest, juxta piam Testantium intentionem omninò impleantur, cum verò ad eorum institutionis amussim in usum præscriptum impleri nequeunt, in alium ei proximiorẽ usum de consilio Episcopi convertantur,

tur,

tur, neque unquam cuipiam vel in totum, vel in partem ad profanum usum accrescant, tutáque conscientia acquirantur.

6 Facit etiam, quod habetur expressum *in l. legatum: ff. de usu, & usufructu, per legatum, vel fideicommiss. relictis*: ubi in casu legati Civitati relicti, *ut ex reditibus quotannis in ea Civitate, memoria conservanda defuncti gratia, spectaculum celebretur, quod illic celebrare non licet*: Modestinus respondisse fertur: *Cum Testator spectaculum edi voluerit in Civitate, sed tale, quod ibi celebrare non licet; iniquum esse, hanc quantitatem, quam in spectaculum defunctus destinaverit, lucro hæredum cedere: igitur adhibitis hæredibus, & primoribus Civitatis, dispiciendum esse, in quam rem converti debeat fideicommissum, ut memoria Testatoris alio, & licito genere celebretur*. Ita ibi textus. Et ratio in promptu est; quia nimirùm defunctorum voluntatum adimplendatum studiosi esse debemus; ut affirmat Gloss. *in l. ita stipulatus: §. Sabinus ad v. defuncti voluntatem: ff. de verborum obligation.* Et ubi Testatoris voluntas, & sensus manifestè habentur, ea semper servanda sunt, nec admittitur interpretatio aliena; ut est text. *in l. si quis filium: C. de liberis præteritis, vel exhæred.* & facit text. *l. in conditionibus primum locum: ff. de conditionibus, & demonstrationibus: & l. cum virum: C. de fideicommiss. & l. cum proponeretur: ff. de leg. 2.* & text. notab. *in l. Publius: ff. de conditionibus, & demonstration.* cum aliis pluribus concordantiis, quæ cumulantur per Jasonem *in d. l. si quis filium.*

7 Atque hinc esse arbitror *primò* id, quod ex Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 17. n. 12.* benè docet Petrus Bellasius *in suo Promptuario Regulari, v. legatum, n. 4.* quòd si Testator legando expressè apposuerit conditionem legatario illicitam, & repugnantem statui, ac professioni ipsius: putà, si legans Monacho particulari apponat conditionem, & modum hujusmodi, ut scilicet jus, dominium, & proprietas legati pertineat tantùm ad Monachum; valet legatum, & conditio, ac modus iste habetur pro non scripto, seu non adjecto. Nam (inquit) conditio turpis adjecta legato, non vitiat, sed vitiatur.

8 Neque convincunt, quæ in contrarium scribit Castro Palao *p. 3. tract. 15. disp. 3. pu. 6. n. 1.* Concedo enim, quòd benè & ipse notat, in legato considerandum esse dominium, & commoditatem illius; & quidem dominium nullatenùs Monacho concedi posse commoditatem verò utique. At, si fiat legatum, cum hac conditione, ut dominium quidem apud Monasterium sit, commoditas vero ità sit apud Monachum, ut à Superiore auferri ei non possit; perindè mihi videtur turpis, & impossibilis hæc conditio, vel modus, (sed & ipse eam talem fatetur *n. 3.*) faciensque Monachum proprietarium, & dominum, (ut tradit Gabriel Vasquez *in opusc. de reditibus, c. 3. dub. 2. n. 12.*) ac si Testator apposuisset conditionem, quòd non solùm commoditas legati, sed etiam illius dominium ad Monachū pertineret. Quare vel in utróque casu vitiatur, & reijcitur conditio ipsa, vel modus, tanquam turpis, & impossibilis statui Religioso; vel in utroque vitiat, nullamque efficit dispositionem. Et tamen sustinet Ferdinandus *ibi*, quòd legatum sub secunda conditione factum valeat, & reijcienda sit illa conditio: Ergò idem dicere debuisset etiam de legato facto sub prima. Adhuc enim verè est conditio adjecta legato in testamento, non in aliquo contractu. Est autem communis doctrina, (ut ipsemet *Ferdinandus* fatetur ex *Gregorio Lopez*, & *Sanchez*, tradítque Vasquez *in opusculo de Testamentis, cap. 8. §. 2. dub. 6. n. 18.*, quòd scilicet conditiones, modivè impossibiles, sive de natura, sive de Jure, censeantur ut non appositi, nec legatum vitient, alios autem contractus cujuscunque conditionis vitient, (ut latè docet Antonius Gomez *t. 1. c. 12. n. 66. & 67.*) sive contractus sit stricti juris, sive bonæ fidei: & latiùs idem Gomez idipsum probat *tom. 2. suorum operum, c. 11.* Quare, licet sint alij contractus nulli, nihilominùs legatum non annullatur; ut habetur *in l. impossibilis: ff. de verbor. obligationibus, & §. si impossibilis: Institut. de inutilibus stipulat.* & idem docet Sylvester *in sum. v. legatum, 1. q. 4.* ut alibi vidimus *Art. 1. §. 26. n. 36. & seq.* Consentitque Vincent. Filliuc. *t. 3. de statu Clericorum tr. 44. de alienatione rerum Ecclesiast. c. 4. n. 32.* docens, quòd relicta Ecclesiæ, quæ non est capax retentionis dominij, possunt, & debent alienari, & vendi, ita ut æstimatio in utilitatem Ecclesiæ legatariæ convertatur eo modo, quo commodiùs poterit: etiamsi legatum factum fuerit cum conditione, ne alienetur: quo casu nullatenùs legatū hujusmodi hæredes recidet; ut ille ait, allegans Gloss. *in c. unic. §. confirmatos: de Religios. domib. in 6. ad v. Domum*: Abbatem, Felinum, Decium *in c. in præsentia: n. 271. de probat.* D. Antoninum *p. 3. tit. 12. c. 5.* Armillam *in sum. v. Alienatio, n. 29.* Socinum *reg. 110. n. 3.* qui id colligit ex *Trident.* & Quarantam *in summa Bullarij, v. Alienatio rerum Ecclesiæ, n. 41. v. sextò limita*: qui etiā videri potest *ib. n. 31. v. Decimosextò amplia.* Concordat & Marc. Ant. Peregr. *in tr. de Fideic. art. 11. n. 99.* dicens, late id probari à Jasone post Abbatē, Batt. Bald. Florian. Butr. Roman. & alios allegátque etiam Felin. & Beroum. Solùm animadvertit, quòd Mendicantes non sunt capaces hujusmodi æstimationis, ubi ejus quantitas esset magna; ut docet etiam *Felinus*. Videatur & Matthæus Gribaldus I. C. *lib. 1. de methodo, & ratione studendi, c. 4.* ubi inter alias regulas, vel Maximas à legum studiosis apprimè sciendas, hanc etiam tradit, videlicèt: ex impossibili conditione

ditione contractum vitiarit;sed non ultimam voluntatem:allegátque *l.non solum:ff.de actionibus & obligation.*junctâ *l.1.de conditionibus institutionum.*

9 Indè etiam arbitror *secundò* esse, quod docent aliqui apud Castro Palao, ut retulimus *Articul.* 1.*§.* 27. *vers. non igitur irritum:num.* 5. & apud Sanchez *in Decal.lib.7.cap.26.num.*18. dicentes, legatum Fratribus Minoribus relictum etiam cum expressione modi ipsis illiciti, validum esse non solùm in se,& respectu Causæ piæ in genere, sed etiam respectu ipsorum Fratrum, ita ut nullo modo possint illud tutâ conscientiâ sibi retinere hæredes, sed illius æstimationem Fratribus signanter debeant erogare: ijciendo videlicet modum illicitum, tanquam de Jure impossibilem, & convertendo illum in alium possibilem, cujusmodi est erogatio æstimationis ejus in Fratrum necessitates, cujus utique erogationis accipiendæ sunt ipsi capaces. Ita illi. Allegátque *Sanchez* pro hac sententia, *l. obtinuit : ff. de conditionibus,& demonstrat. & l. reprehendenda : C.de institutionibus, & substitutionibus : & l. legatum : ff.de usu, & usufructu per legatum,vel fideicom.relict.*D. Antoninum *p.*3.*tit.*16.*cap.*1.*§.*12.*not.*7.& Menochium *cons.*1014.*num.*29. *& seqq. vol.*11. Veruntamen ego non recedo à sententia *in superioribus* expressâ, quoad Fratrum obligationem, & capacitatem respectu hujusmodi legatorum. Neque tamen absolutè pronunciatæ huic sententiæ ægrè assentior. Videantur dicta *Art.*1.*loco cit. & Artic.* 2. & alibi. Fratres enim Minores meminerint necesse est quidem verborum Nicolai III. *eo §.Ad hæc quia:*ajentis: *A tali legato, & ejus receptione per omnem modum Fratres abstineant.*

10 At simul verba ipsa benè expendere decet: dum enim Pontifex ait: *A tali legato, &c.* sensus ejus literalis esse comperitur,mensque germana, exponere Fratribus obligationem ipsorum, abstinendi scilicet per omnem modum à tali legato, (annui videlicet ususfructus domus,agri, vel vineæ, censusvè constituti ad id legati) & ejus receptione. *Per omnem modum,* (inquiens) idest per receptionem etiam de facto simplici, omni omninò proprietate, vel dominio, aut jure seclusis: itemque per receptionem æstimationis illius, (ut diximus etiam de hæreditate *loc. inf. cit.* ex vi institutionis de ipsis specialiter factæ. Relinquens de cætero legatum ipsum, & testatoris ordinationem dispositioni Juris communis: ut aliàs diximus. Quapropter, si renuentibus Fratribus per expressam,ut docuimus, respuitionem annuos illos ususfructus, vel pensiones quoquomodo percipere, sublatâque idcircò ex parte hæredum omni omninò obligatione, etiam naturali erga Fratres præstandi ipsis signanter legatum hujusmodi; semel juxta *Iura allegata*, & prædictorum Doctorum sententiam, vendatur domus illa v.g.ager,vel vinea,censusvè fundatus, ut pretium in Fratrum necessitates (itâ hæredibus eligentibus, ut magis se conforment Testatoris menti) convertatur, jam Fratres,si hujusmodi subsidium recipiant cum cæteris moderaminibus requisitis,nullo modo recipiunt legatum illud, ut tale, seu ex institutione; sed conversum de annuo usufructu legato, adeóque omninò illicito, in unicum, adeóque licitum, impropriè dictum, seu purè per modum eleemosynæ spontaneæ,& gratuitæ, prout à moriente Testatore processit; conversum, inquam, ex piæ Testatoris voluntatis interpretatione in usum pauperum in communi, inter quos veniunt Fratres Minores, non ex institutione, sed ex æqua:& spontanea hæredum electione,ut alibi docuimus de æstimatione hæreditatis eroganda *Art.* 1. *§.* 30. *vers. Dixi Fratres minores:num.*10. Quòd si hæredes noluerint talem domum, agrum, vel vineam, aut censum vendere; puto, eos satis suæ conscientiæ facturos, si proprietate eorum sibi retenta,integros fructus fideliter erogent pauperibus pro anima Testatoris, ut alibi diximus, inter quos utique pauperes, piasvè Causas venire possunt,(& quidem primo loco, attenta Testatoris mente,) Fratres Minores, postquam legatum illud,ut tale sibi ipsis proveniens,recipere renuerint per expressam respuitionem; ut docuimus *Art.* 2. *§.* 2. Cæterùm allatæ D. Antonini, Menochij, aliorúmque sententiæ omnibus votis accedo, ita ut, sicut iniquum aiebat Modestinus *in d.l.legatum*, esse,legatum pro spectando Civitatis illicito, (non tamen in se inhonesto) lucro hæredum cedere: ita à fortiori iniquum ipse duco, legatam rem pro Christi pauperibus Fratribus Minoribus alendis, hæredum avaritiæ à quibusdam concedi: Quinimmò ijsdem hæredibus consultius duxerim,res illas immobiles ad usumfructum annuum, vel annuas pensiones habendas, ut præfertur, Fratribus legatas semel vendere, & pretium erogare, ut dictum est;quàm onus illud erogandi quotannis fructus sibi retinere perpetuum: id siquidem, si negligatur vel ab ipsis,vel ab eorum successoribus,trahet eos fortè in barathrum sempiternum: quod discrimen per unicam illam distractionem, & erogationem evadunt.

Colligitur *tertiò* dubitandi ratio ex ijs, quæ notat Gloss.*in cap.nos quidem:*& in *cap. tua nobis:de testamentis:*& habetur *in cap. in qualibet: §. sancimus:*23.*quæst.*8.ex Imperatore Iustiniano *in l.sancimus* : 2. *C. de sacrosanct. Eccles.* & ibi in *Gloss.* quòd piæ scilicet morientium eleemosynæ, seu res ad pias Causas quacúnque donatione sive inter vivos, sive mortis causa, 11

sive

ſive in ultimis voluntatibus deſtinatæ,ita fideliter,& ſine aliqua diminutione præſtandæ ſunt ab bæredibus,vel gravatis,ut etiam à lucrativorum inſcriptionibus(de quibus *in l. unic. C. de imponenda lucrativa deſcript.* & in *l.* 1. *& 2. C. quando, & quibus quarta pars debetur*: liberæ omninò ſint,& immunes. Neque unquam legatum ad pias Cauſas efficitur caducum;ut tradit Abbas *p.1. conſilior. conſ. 27. in princip.* Sed ſi impleri non pnteſt, vel non ſufficit ad uſum deſtinatum,debet per Superiorem,vocatis bæredibus,ad alium pium uſum converti ; ut in *cap.nos quidem:de Teſtamentis:*& ibi *not.*melius in *l.legatum:ff.de uſu,& uſufructu leg.*& ibi plenè per Bartolum : *in l. Pater : §.Tuſculanus : ff. de legatis:3 & in l legatum:ff.de adminiſtrat.rerum ad civit. pertin.* Joannes de Ligniano *in Clementina : Quia contingit : de Religioſ.domib. & in Clement.Exivi : de verborum ſignificat.* Et favor Ecclesiæ,Cauſæque piæ ſemper eſt præſtandus,quandiù alijs non fiat injuria ; (ut benè idem Abbas *cit.num.2.*) argum. *cap.ex tenore : de foro competen.& 17. quæſt.4. in fi.* Habet enim locum in iſtis caſibus (ait ille) illa Regula : Si non valet , quod ago , ut ago ; valeat , ut poteſt valere : *de deſponſat. impuber.cap.1.in 6.*

12 Adeò autem ab omni caducitate immunia ſunt legata prædicta , ut valida eriam ſint , & ſolvenda,vel ab hæredibus ab inteſtato ſuccedentibus : (qua de re Molina *diſputat.* 134. & Card.de Lugo *tom. 2. de Iuſt. & Iure diſput.24. ſect.9. num.* 237. & alij communiter :)etiamſi expreſſa fuerint per ultimas voluntates ſine Juris poſitivi ſolemnitatibus factas, (ut conſtat ex *cap. relatum. 1. de teſtamentis*: & ex *cap. cum eſſes : titul.eo.* & docent communiter Doctores , quos referunt , & ſequuntur Leſſius, Sancbez,Vaſquez , & alij apud de Lugo *citat. diſſ.22.ſect.9.num.265.*& Hermanum *lib.3.medullæ Theol.tract.5. cap.4 dub.2.de Teſtamentis.*) Hocque ſervandum eſſe perhibetur non ſolùm in foro Eccleſiaſtico,ſed etiam in ſæculari: ſiquidem Pontifex Alexander III. ita utrobique ſervandum præcepit , & potuit optimo jure præcipere , propter poteſtatem, quam habet ſummus Dominici Gregis Paſtor dirigendi etiam Principes temporales in ijs, quæ ad finem ſupernaturalem,& ad bonum animæ ſpectant ; eujuſmodi ſunt legata ad pias Cauſas. Proptereáque legata iſta ſunt valida , & ad ea ſolvenda obligantur , in conſcientia ſaltem , hæredes, vel Executores teſtamentarij, etiamſi facta fuerint in teſtamento , cui adfuerint duo tantùm,vel tres teſtes,ſive bi fuerint maſculi , ſive fœminæ : ut notat Sanchez *lib.4.conſil.cap.1.dub.ſeptimo numer. quarto* , & alij communiter : Quin neque exigitur eſſentialiter præſentia dictorum teſtium: ſufficit enim,quòd de voluntate teſtatoris, ſeu morientis clarè conſtet , ut benè de Lugo *citat. numer.* 266. allatis Molina , Leſſio , Covarruvia , Vaſquez, & alijs ſed nec Parochi præſentia ad hujuſmodi relictorum valorem requiritur : ut obſervat Leſſius apud eundem de Lugo : Undè ſi hæres , vel ab inteſtato ſuccedens , per ſchedulam, vel aliquam ſcripturam , quam certò novit eſſe defuncti ; vel quia eum audivit talem voluntatem exprimentem, ſciat ipſum ſtatuiſſe , quod res aliqua in pios uſus daretur pro anima ſua, licet teſtes non adfuerint , obligaretur nihilominùs in conſcientia ad id exequendum. At quid,inquam,ſi id ſciat per ſchedulam, vel ſcripturam, aut vivam vocem defuncti ? Addo , & ſine his ; ſi videlicèt per nutus tantùm , & abſque ulla ſolemnitate , defunctus , dum moreretur , voluntatem ſuam hæredi inſinuaverit , hicque eam ita perceperit , obligaretur item in conſcientia ad eam exequendam : ut cum Gloſſ. *in cap. ſi tibi : de teſtamentis :* Covarruvia , Antonio Gomez, & alijs docet Molina *tom.1.de juſt. & jure diſput.* 134. *paragrapho ex eodem fundamento* : & eſt textus bonus ad hoc *in l. & in epiſtola : C. de legatis.* Itémque valent,ſolvendáque omnino in foro ſaltem conſcientiæ ſunt ab hæredibus legata prædicta , etiamſi factum eſſet prius Teſtamentum ſolemne , & poſtea abſque ſolemnitate aliud fiat, in quo illa ſcribantur : ſufficit enim hoc ſecundum ad revocandum , & enervandum, ſeu corrigendum primum in ordine ad pias Cauſas: hocque verum eſt,etiamſi vel ipſum primum teſtamentum ad pias Cauſas conditum fuiſſet : ut cum Bartolo , Baldo, & alijs docent Sylveſter *in ſum. v. teſtamentum 1. quæſtione 7. numer. 7.* Sà *verſ. Teſtamentum, n.5.* Covarruvias, Paulus à Caſtro, & alij,quos affert,& ſequitur Bonacina *diſp.3. de contract. q.1 pu.3.n.16.* Et ratio eſt;quia cùm,ſecluſa omni civili ſolemnitate , validum ſit teſtamentum illud ſecundum , poteſt utique priùs conditum invalidare, & corrigere. Ac tandem valent legata pia , etiamſi in teſtamento , in quo ſcribuntur , nullus inſtituatur bæres : ideóque ſolvenda ſunt à quocunque , ad quem , tanquam ab inteſtato , devoluatur bæreditas. Ita Iulius Clarus , Covarruvias , & alij , quos referunt,& ſequuntur Molina *tom.1.citat.diſput: paragrapho Illud iuxta:*& Leſſius *cit.*apud eundem de Lugo,*ubi ſupra* , *n.*271. & alij, quos ipſemet retuli, & ſecutus ſum *Art.*1. §.29. Immò addo,quòd ſi fortè legatum ad piam cauſam inveniatur deletum in Teſtamento,& non conſtet de intentione Teſtatoris , An ſcilicet voluerit illud revocare , vel non revocare ; tenetur in eo caſu hæres illud ſolvere : quia in dubio , quando legatum eſt pium , vel factum miſerabilibus perſonis, Ius ipſum Cæſareum (ex ſententia Antonini Imperatoris,quam refert &

Gg ſequitur

sequitur Marcellus I. C. *in textu l.proximè : in fin.ff.de ijs, quæ in testamento delentur* :) præsumit, in favorem piæ Causæ, & miserabilium personarum, illud non fuisse cancellatum de mandato, seu voluntate Testatoris, sed fortuitò, & casualiter. Sic docet etiam Franciscus Bardi *disceptat. 6.de Conscient.dubia, cap.1.paragrapho* 17. affirmans, quòd ita determinant communiter Doctores *in d.l.Proximè* : & præsertim Bartolus *in l.si onus : C. de testamentis*: & alij, quos adducit Navar. *in praxi privil. 69.* Pro hisce autem omnibus in favorem ad pias Causas legatorum pronunciatis plura vide apud *Doctores citatos*, & apud Julium Clarum *lib.3.pract.civil.§.Testamentum, q.6.per totam*, & alibi. Vide etiam Privilegia morientium Jacobi Reiff è Soc. Jesu, *Privil.* 30. & Paulum Comitolum *lib.7.respons. moral.de Testamentis, & legatis,q.*8. & præ omnibus Andream Tiraquellum *de Privilegijs piæ Causæ* Addeque plura alia,quæ *in superioribus* sparsim diximus in hoc proposito.

13 Cum igitur hæc ita se habeant, adeóque sanctæ habeantur in utroque Jure piæ Morientium voluntates; cujusmodi certo certius sunt legata Fratribus Minoribus relicta;videtur ferenda affirmativa sententia pro resolutione cardinalis hujus Articuli quæstionis. Priusquam tamen eam pronunciemus.

SEGMENTI SECUNDI SUMMARIUM.

14 *Obligatio ex contractu duplex est, naturalis civilis.*

15 *Obligatio naturalis dupliciter consideratur: debito honestatis tantum, & ex vinculo legis naturalis*, & numero 16. & 17.

16 *Obligatio naturalis quæ oritur ex consensu, æquitate naturali nititur.*
Obligationis naturalis capaces sunt servi, & filijfam.respectu patris,& Fratres Minores. ibid.
*Obligatio naturalis non parit actionem in foro fori.*ibid.

17 *Obligatio naturalis ex gratitudine procedens tollitur animo sublato,nec ejus transgressio inducit peccatum.*

18 *Obligatio naturalis non repugnat Paupertati Minoricæ.*
Ius Gentium duplex est, primævum, & secundarium : & utrumque declaratur ibid.

19 *Minores per suam professionem non possunt renuntiare juri Gentium primævo, nec juri divino, nec juri agnationis & sanguinis.*
Princeps non potest auferre ea quæ sunt juris naturalis. ibid.
Defensio sui ipsius in necessitate est de jure naturali. ibid.

20 *Defensio sui ipsius manualis adversus vim illatam est juris naturalis, nec auferri potest.*
Defensio sui ipsius in judicio an sit de jure naturali, & utrum auferri possit, vel ei renuntiari? latè explicatur. ibid.& num. seqq.

21 *Iudex debet assignare reo terminum ad se defendendum in judicio criminali.* & num. 22.
Reus in judicio criminali non potest renuntiare defensionibus jure naturali sibi competentibus ibid.
Neque termino ad se defendendum à Iudice assignato. ibid.
*Aliud est renuntiare defensionibus in judicio aliud illis cedere, sive non se defendere de facto.*ibid.

22 *Prælatus Regularis etiam supremus debet assignare terminum reo ad se defendendum, etiam in notoriis,& confessis.*
*Copia processus communicanda est Reo, vel ejus procuratori, ut facultatem habeat se defendendi.*ibid.
*Et utrum edenda sint nomina testium unà cum depositionibus.*ibid.

23 *Obligatio naturalis tantum, an civilis ex aliquo contractu oriatur,qua ratione dignoscatur.*
*Obligatio nulla oritur ex actu à lege prohibito, & reprobato.*ibid.

24 *Obligatio naturalis oritur ex contractu quem lex non reprobat, sed pro eo observando nullam dat actionem in foro exteriore.*
Obligatio naturalis ligat in foro conscientiæ. ibid.

25 *Legata Minoribus relicta nulla lex humana reprobat.*

NOtandum est *primò*, dupliciter oriri posse ex contractu obligationem: (sunt autem & legata in genere Contractus,quibus videlicet hæredes,vel gravati acceptãtes videntur contrahere non solùm cum legatarijs,sed etiam cum testatoribus,ut alibi docuimus *Art.1.§.12.*) Altera est civilis;idest ad quam implendam datur actio in foro externo : Altera est naturalis; idest ad quam implendam,licèt non detur actio in foro causarum, obligat tamen in foro conscientiæ,& Dei:Ita notat ex *c.fin.de Consuetudine*,Sanchez *tom.1.de matr. disp.7. lib.1.n.*14. ex Bartolo, Ancharano, Abbate, Sylvestro, Angelo,Tabiena, Armilla,Covarruvia,Matienzo, Corduba,Ludov.Lop.& Molina *t. 1. de just.& jure,tract.2.disp.*214. *fol.*1398. Et pro hoc, & sequenti 14

sequentibus duobus notandis, videri etiam potest Rebellus *p.3.de obligat. Inst. lib.18. quaest.4. num.3.* & per *totam.*

15 Notandum *secundò*, duplicem quóque esse obligationem naturalem: Quædam est tantùm ex honestatis, & gratitudinis debito; quæ propriè obligatio non est, nec ejus transgressio peccatum inducit: Altera est, quæ oritur ex vinculo legis naturalis; & hæc obligat in foro conscientiæ, licet jus Civile non concedat actionem ut *suprà* dictum est, sic v.g. defraudans citra dimidium justi pretij tenetur naturaliter, non tamen civiliter, restituere damnum passo. Ità ex Covarr. *de pactis p.2.§.4.n.5.* Sanchez *cit. n.15.* sicut etiam ejusmodi obligatione tenetur resiliens à contractu innominato, & pacto nudo; ut tradit Rebellus *cit. lib.1.q.3.sect.3.n.19.20.& 21.* cum Felino, Covarruvia, & alijs.

16 Vel adhuc exactiùs eandem accipe duplicis obligationis naturalis explicationem, ex Decio *in Reg.84.§.is natura: ff. de reg. juris*, docente, quòd obligatio naturalis consideratur dupliciter. *Primò*, pro illa naturali, quæ oritur ex consensu, & ex illa æquitate naturali, quæ suadet, ut promissa serventur: ut in *l. primo in princip. digest. de constituta pecunia*, & ista vinculo æquitatis, quod inducit, eadem æquitate suadente, ipso jure dissolvitur, ut *l. Stichum: § naturali, ff. de solutionibus, & liberat.* Hæcque obligatio, cùm fundata sit in consensu naturali, etiam cum servis contrahitur; ut *l. naturaliter, & l. si id quod, ff. de condictione indeb. & l. hæres à debitore, §. servo suo Inst. de fidejussoribus*, & pari ratione inter patrem & filium oritur ista naturalis obligatio; ut *l. frater, a fratre*, vbi Gloss. & Bartol. *ff. de condictione, indebiti.* Quare pari ratione hæc etiam potest dari tam activa, quàm passiva in Fratribus Minoribus; quippè qui ex Paupertatis voto non abdicant à se jus naturale; ut docuimus *Art.1.§.13.num.13.* Atque hæc obligat in foro conscientiæ ad promissa servanda; sed non parit actionem in foro fori: Et ità tradit etiam Petrus Rebuffus *in repet. c. Postulastis: de Cler. excommu. n.317.* & alij communiter cum Bartolo *in extrav. Ad reprimendum, in v. denunciationem*, & habetur *in c.1. & 2. de pactis*, & alibi sæpè, teste etiam Navarro *consil. lib.3. de emptione, & venditione, consil.5. n.14.* Nec potest removeri etiam per Papam; ut benè observat Marcus Ant. Marescotus *in repet c. licet, de Constitutionib. n....* allegátque *l.1. ff. de pactis*: & reddit rationem; quia scilicet immutabilis est; ut *§. fin. Inst. de Iure naturali, gentium, & civili*, cum *alijs concordantijs.*

17 *Secundò*, obligatio naturalis consideratur pro illo naturali instinctu, ut benefacienti benefaciam; de quo loquitur tex. *in l. sed etsi lege, § consuluit, ff. de petition. hæred.* in *l. si non sortem, § libertus, ff. de condiction. indeb.* in *l. si non remunerandi, §. indè Papinianus, in fin.* & *Instit. de mandato*, & notatur per Gloss. *in d. §. consuluit, & in c.1. ad v. compellitur, 8. q.2.* Et ita non solùm inter extraneos, sed etiam inter conjunctos contrahitur: ut notat Angelus per illum textum *in Authent. de non eligendo secundò nuben. uxor. coll. 1.* Et de natura istius obligationis latiùs tradit Bartolus *in l. ex hoc iure, col.4. ff. de iust. & iure.* Et hæc obligatio tollitur, animo sublato; ut benè Decius *in reg.144. ff. de reg. Iuris, n.1.* Nec ejus transgressio peccatum inducit: neque item vel minimùm repugnat, sive activa, sive passiva sit, Professioni Fratrum Minorum. Vide etiam Jasonem *super titul. de Actionibus in princip. coll.2.* & in *d. l. ex hoc jure*: ubi post alios declarat bènè, quæ sit obligatio naturalis, *col.11. in fin. versic. in eadem Gloss.* ubi *in seq. col.* ponit decem & octo effectus obligationis antidoralis.

Neutra igitur prædictarum obligationum naturalium, cùm activè, tùm passivè sumpta, Paupertati altissimæ Fratrum Minorum repugnare perhibetur; ut alibi pluries docuimus, etiam cum à Politio nostro: quia utraque est de jure Gentium primævo, seu de Iure naturali tantùm, non autem de Iure Civili, aut Gentium secundario: huic enim, non illi omninò abrenunciant Fratres Minores per suæ ipsorum mendicitatis Professionem; ut diximus *Art.1. §.13. cit.* Sciendum etenim quoque est, quòd & Jus Gentium dupliciter consideratur; ut notat Decius *cit.* ex Bart. *in d. l. ex hoc iure, col.3.* Nam quoddam est Jus Gentium, quod fuit eo ipso, quod Gentes esse cœperunt, naturali tantùm ratione inductum, absque aliqua hominum constitutione; ut Fidem, & promissa servare, benefacienti benefacere, &c. Et istud dicitur Ius Gentium primævum, & propriè Jus naturale, & æquitas naturalis ex naturali instinctu: *c. Ius naturale: 1. dist. & §. 1. & § singulorum: Inst. de rerum divis. & acquir. ipsarum domin.* ubi expressè dicitur quod Ius naturale appellatur Ius Gentiũ: & intelligitur de illo Iure gentiũ primævus, de quo dicitur *in d. §. 1.* Quoddam verò est Ius Gentium secundarium, quo omnes Gentes utuntur, ex Constitutionibus earum, non secùndùm rationem naturalem tantùm, & semper, immò quandoque contra; atque ideò non potest dici propriè Ius naturale, ut sunt Bella, captivitates, servitutes, distinctiones dominiorum &c. Et de hoc Iure Gentium loquitur textus *in d. l. ex hoc iure*: & in *l. postliminium: ff. de captivis, & postlimin. reversi & redemptis ab host.* Et ista distinctio Iuris Gentium communiter approbatur à Doctoribus teste *Decio citato*: licet Aretinus conetur illam impugnare *in l. 1. in princ. ff. de acquiren. vel amitten. possess.* Et secundùm istam distinctionem declaratur textus *in l. 1. §. Ius naturale: & §. Ius Gentium: instit. de just. & jure*: ubi Ius naturale à Iure Gentium 18

(secundario scilicet) differre dicitur. Eodem modo declarari debet textus *in l. cum amplius: §. is natura: ff. de regul. iuris*: dum inquit: Is naturâ debet quem Iure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus: Idest, is naturaliter jure gentium obligatur,(ut ait *ibi* Gloss.) cujus fidem secuti sumus; idest ex nudo pacto. Et talis obligatio dicitur naturalis; nam de Jure Gentium primævo intelligitur, quod in effectu dicitur Ius naturale; ut *suprà* dictum est. Et concedeodum est, quòd illa naturalis obligatio, quæ habetur ex consensu, vel ex instinctu, seu dictamine naturæ; ut quod promissa serventur, & fides data; quod benefacienti benefaciamus, &c. sit de Jure gentium primævo, quod non parit actionem in foro, sed ad summum officium Iudicis; & ideò non repugnat Professioni paupertatis Fratrum Minorum, sive activa ea in ipsis sit, sive passiva. Secùs autem est de Iure Gentium secundario, quod distinguitur à Iure naturali, ut dictum est; & parit actionem politicam. Ita *Decius cit.* Glossa tamen intelligit textum *d. §. is naturâ: de reg. iur.* de obligatione civili, & naturali simul. At certè *Pauli* I.C. mentem in *illo textu* meliùs, videri meo, attigit *Decius*, quàm *Glossa*. Tradit quidem Glossa *ibi* regulam optimam, qua omnes omninò interpretationes super illum textum conciliari possint cum veritate. Verè enim is, cujus fidem secuti sumus, potest teneri & obligatione naturali tantùm, seu de Iure Gentium primævo, & obligatione civili tantùm, seu de Iure Gentium secundario, & obligatione civili, juncta naturali; secundùm diversam rationem, sub qua ejus fidem datam secuti sumus. Nam si secuti simus ejus fidem ex nudo pacto, tenetur obligatione naturali tantùm; ut *l. 1. ff. de pactis*; si per scripturam, teoetur civiliter tantùm; ut *Institution. de literarum obligationibus*; si ex contractu formali & politico, tenetur ferè semper obligatione civili, juncta naturali: ut *l. ex hoc iure: ff. de Instit. & Iure.* Ita Gloss. *cit.*

19 Porrò adeò longè, abest, quòd Fratres Minores per suam Professionem juri naturali, seu Gentium primævo renuncient, undè eis repugnet obligatio naturalis, tam activa, quàm passiva, ex ipso ortum habens; quòd immò nec ei renunciare possunt, sicut nec Iuri Divino, nec Iuri agnationis, & sanguinis; ut tradunt Decius super *l. si quis in conscribendo, C. de pactis, n. 25.* ex Abbate *in cap. si diligenti: de foro competen. col. 2.* Lezana *tom. 4. sum. v. Renunciatio inter Regulares, n. 2.* ex *l. jus sanguinis: ff. de pactis*; & Sylvester *in sum. v. Renunciatio, num. 4.* & alij summistæ, & Doctores commuoiter, absolutè docentes, neminem posse prædictis Iuribus renunciare quemadmodum, & à nemine tolli, vel auferri ea possunt, etiamsi Papa; ut dictum est *suprà* de obligatione naturali cum *Marescoto.* Undè Clemens V. *in Clementin. pastoralis: de sentent. & re iudic. paragrapho Cæterùm*: ubi Gloss. cum *multis concordantijs*, expressè declarat, non licere Imperatori tollere quæ Juris naturalis existunt; cujusmodi est defensio danda per Iudicem reo ante sententiam ferendam, sive ille eam petat, sive non; de qua *ibi* Pontifex loquitur in illo casu. Sicque nec ipsi Regi, Principivè supremo, ioauditum quempiam condemnare licet, aut contra publicum hostem patiter inauditum movere bellum; ut tradit Antonius Cotonius *controv. celeb. lib. 5. contr. 9. num. 43.*

Qua in re hallucinatus est Sylvester *in sum. v. Bellum 2. num. 15.* ubi quamvis, *n. præcedente* cum Alberico *in l. omnes: C. de Episcop. & Cleric.* & alijs noverit *allata Clementina* sententiam, quod scilicet defeosio tolli noo possit, cum sit de Iure naturali: attameo sic distinguendo concludit: Veritas autem est, quòd defensio manualis est de Iure naturali, & auferti non potest; & de ista loquitur *l. ut vim: ff. de just. & jure*: sed defensio danda per Iudicem reo petenti, vel non petenti, est de Jure gentium, vel civili, & consequenter per aliud Ius potest auferri: ita Sylvester affirmaos in hanc seotentiam consentire etiam Albericum. At profectò hallucinatus est, ut dixi: Nam *in d. l. ut vim*: dat Florentinus exemplum, sicut & Pomponius in *præcedente l. veluti*: alia duo dederat exempla eorum, quæ de Iure Gentium sunt; quod utique Ius Gentium *ibid.* immediatè ante explicatum fuerat ab Ulpiano *in l. 1. §. Ius Gentium*: ut patet legenti textus illos. Immò *in ipsa l. ut vim*, subjungitur: Nam Iure (scilicet fori, non poli; ut *ibi* explicat Glossa) hoc evenit. Cum tamen ibi sit sermo de Iure Gentium primævo, non de secundatio; ut haberur ex Ulpiaoi explicatione *in dict. textu*; qua nimirum hoc Ius Gentium à Iute naturali *in paragrapho Ius naturale: ibidem explicato*, in eo tantùm recedere, seu differre ait, quod solis hominibus inter se (natura tamen dictante) cummune sit: Ius autem illud, quod naturale appellat, sic eatenùs nominat, quatenùs omnibus omninò animalibus, etiam hominibus, naturæ instinctu commune est: sicque patet, quod utrumque naturali instinctu & ratione inductum est, seclusa etiam (quod ad homines attinet) quacunque constitutione; ut docuimus *suprà* cum Decio admonente de hac declaratione adhibenda *supra d. text. paragrapho Ius naturale: & §. Ius Gentium*: Quapropter, si volumus(ut decens est) defensionem manualem intelligere esse de Iure Gentium primævo, quod est Naturale; ita debemus intelligere esse etiam defensionem dandam per Iudicem reo: & idem de utraque dicendum est: ne dicam, quòd veriùs de secunda, quàm de

de prima pronunciari queat. Non eo tamen inficias, defensionem criminalem statutam etiam reisque competere de Jure Gentium secundario, vel Civili, & Canonico, ut latè Guazzinus ad saturitatem citans, *defens.29.c.4.n.1.* ita ut illis tolli non possit à Iudice, etiam potestatem habente procedendi sine solemnitate Iuris, ut tradit Farinacius *q.39. n. 15.* Guazzinus cum alijs *loco cit.n.8.* quòd si tollatur, seu non detur, etiam non petenti, irrita erit, inanisque sententia, & omnis actus judicialis; ut decernitur *in d.Clem. pastoralis : eo §.caterùm :* ubi Gloss. affert *alias concordantias.* Immò neque à Pontifice tolli possunt hujusmodi defensiones; ut docet Farin. *quast.125.n.72.* & Guazzin. *cit.n.2.*

21 Quoniam igitur hùc sermo noster evasit, non piget addere : Quòd si fortè reus quispiam, cujuscunque Professionis sit, aut status, Defensionibus criminalibus renunciet; sicuti Iudex, etiam privilegio procedendi sine solemnitate Iuris pollens, non potest acceptare talem renunciationē; (ut docent Gomezius, & Guazzinus *cit.n.3.* qui hoc optimum consilium Iudicibus præbent, ut scilicet semper assignent terminum reo ad se defendendum; & quamvis reus etiam huic termino renunciet, non admittant, sed patiantur terminum ipsum labi ut defensionem facere possit:) sic neque ipse reus potest illis renunciare; *arg.l non tantùm : ff.de appellat. & relationib.* ubi *Gloss.* & tradunt Gomezius, qui testatur de communi, & alij multi concordantes apud ipsum allegati, *tit. de delictis, cap.13.n.33.* Et si renunciaret, talis renunciatio, etiamsi iuramento vallata esset, non teneret; ut post plures alios testantur Farinacius *q.39.n.54.* Gomezius, Bajardus, & Guazzinus *defens.27.n.3.* Et hoc est ita verum, quòd scilicet reus non possit renunciare defensionibus introductis à Iure naturali, Civili, & Canonico, ut si renunciaret etiam eum hac clausula : Quia certò scit, nullam sibi superesse defensionem, seu excusationem &c. renunciatio non valeret, nec esset à Iudice acceptanda : ita Angelus, Bajardus, & Guazzinus *cit. n.4.* necnon Farinacius *cit. n. 57.* ubi concordantes inducit, & testatur hoc esse commune inter Doctores. Vbi adverte, quòd aliud est renunciare defensionibus, hoc est defensionum juri; aliud illis hîc, & nunc cedere, se de facto non defendendo; quod cuique licitum puto, imò valdè virtuosum, & meritorium, si ob Christi amorem fiat, ejúsque imitationem, etiam in casu falsæ accusationis: cùm tamen debeat Iudex eas exhibere; ut diximus cum Gomezio, & Guazzino.

22 Quare semper à Iudice ante ferendam sententiam, *primò* assignandum est reo, de necessitate, tempus, aut terminus competens, quo se defendere possit, indicia purgare &c. Quod si non fiat, absurdum est; ut ostendit Clarus *§. fin. q.48. in fine.* Quòd verò debeat id de necessitate fieri, docent plures apud Farinacium, ex quibus ipse *q.39.n.2.* concludit, hoc esse communiter receptum, & usu approbatum à Doctoribus. Et ita observandum esse à Iudice præsertim Regulari, quantumlibet supremo, erga reum, etiam quando ejus crimen est notorium, & liquidò, ac certò constat, reum ipsum nullam habere defensionem; vel ipse etiam fuerit confessus; tradit Lezana *tom.1. sum. cap. 27. num.13.* cum Suarez *tom.4. de Relig lib 10.c.12. num.31. & tom.3. v. Iudex, & Iudicium Regularium, n.17. ex l.illicitas : ff. de offic. Prator. & cap. Iudices : 3. q. 7.* Ut sic nimirum reus, etsi confessus, vel convictus, si quam habet excusationem, quæ ipsum à delicto, si non à toto, saltem à tanto excuset, eam afferre possit. *Secundò,* danda est reo (vel ejus Defensori, seu Procuratori, qui & à Iudice designandus est, præsertim si reus incarceratus est; nisi ipse per se voluerit suam prosequi defensionem : ut tradit Lezana *tom.1. sum. cap.27. num. 14.* cum Alderete *de discipl. Relig. lib.1. cap.11. num.15.* & est commune :) copia Processus, ac indiciorum, seu omnia testimonia, & probationes simul cum delicto, quod contra ipsum objicitur; ita ut exponantur & illa omnia capitula, de quibus fuerit inquirendum; ut facultatem habeat defendendi se ipsum; ut loquitur textus *in cap. qualiter, & quando:2. paragrapho debet : de accusationibus, inquisition. &c.* ex Innocentio III. *in Concil. Gener. Lateran cap.4. & 8.* & docent Lezana *cit. num. 12.* Suarez *tom.4. de Relig. lib.10. cap. 12.* Thomas de Iesu *de visitat. Regular. tract. 3. cap. 9.* Cbarterius Cœpola, qui testatur de communi; Bajardus, Bertazolus qui de magis communi est testis, & Guazzinus *defens.24. cap.1. n. 4.* Quod tantò magis observandum est, quando reus aliquam exceptionem proponit, aut protestatur de nullitate &c. Bossius *tit. de Denunciat. n. 6.* Clarus *§.fin.q.9.vers. Quaro*; & Guazzinus *cit.* Et hujusmodi copia semper est danda reo, vel ejus defensori, seu procuratori, etiamsi in minimo possint ei indicia præjudicare, vel nocere: Gabrielius, & Guazzinus *citat.cap.3.num.1.* Et hoc maximè debet observari, attenta nova Constitutione Pauli V. *in Rrubric. de Iudic. crimin.* in qua statuitur, ut copia Processus etiam non petentibus decernatur, & traditur. Quinimmo Innocentius III. *in d. c. Qualiter, & quando:* ait: *Et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, & à quo sit dictum appareat publicanda.* Quod tamen intelligendum est de nominibus testium dandis, vel sejunctis ab eorum dictis, & confusa simul, vel tantùm in causa gravissima, ex qua ipsi reo gravissimum damnum immineat; ut docent Lezana

*cit.n.*14. Rodericus *tom.2.qq.Reg.q.*16. *art.*1. & Thomas de Jesu *cit.n.*6. Nisi tamen Judex probabiliter timeat de gravi damno testibus eventuro, si eorum nomina revelet reo; tunc enim poterit ea occultare, vel defensori, seu procuratori rei fideli, & secreto tantùm revelare; ut docent Lezana *cit.* & Alderete *cit.c.*14.*n.*10. Cæterùm regulariter loquendo, testium nomina, etiamsi ea reus postulet, non sunt illi concedenda, ut benè Lezana *cit.n.*12.& 14.& ità cõmuniter habetur praxis in modo procedendi in causis Regularium, apud quos illa dare, sive denegare in Judicijs arbitrio positum videtur; ut ex Guttierrez *lib.*1.*pract.qq.q.*96.*n.*4.& Miranda *de ordine judic.q.*23.*art.*1. Bicto, & alijs apud citatos, tradit nouissimè Elisæus noster *in sua methodo crimin.rer.tr.*4.*q.*12.*n.*8. affirmans hoc multò magis, ex nostro procedendi modo *c.*2. *vers.in defensione*: ut non dentur nomina testium, ad evitanda odia &c. nisi petente reo in gravissima causa aliter Prælato videatur: & tunc ab eorum dictis separata dentur: Et ità per nos ordinariè datur reo summariè capitulorum copia ex dictis testium, & indicijs probatis extracta. Non desunt tamen Doctores, qui modicùs sustineant, nomina Actoris, & Testium, cum eorum depositionibus esse absolutè decernenda Reo, ut possit se defendere, excipiendo, opponendo &c. sunt autem hi signanter Ghislerius *de judic. cap.* 11. *n.*13.& *alibi*, sententiam hanc latè firmans juribus, rationibus, Doctorúmque auctoritatibus, nec non & vindicans à rationibus in contrarium adductis: item Joannes Segura Devalos *in suo directorio Iud.Ecclesf. fori p.*2.*c.*24.*per totum*: & alij, apud istos, quos vide, si lubet. At, quidquid sit de Doctorum sententijs circa hoc, vel etiam de Jure communi sive Cæsareo, sive Pontificio; cum hic punctus particularis non sit de Jure naturæ, standum censeo statutis peculiaribus (quoad Regulares) cujusque Religionis, Judicúmque arbitrijs, juxta prædicta. Atque hæc pauca hic obiter adjecta æqui, bonique fiant.

23 Notandum *tertiò*, quomodo cognosci possit, an ex aliquo contractu oriatur obligatio naturalis tantùm, an Civilis? Regula igitur hæc est: si lex reprobet contractum, ipsúmque prohibeat, ei resistens, neutra obligatio oritur. Ita Sanchez *disp.*7.*cit.n.*16.ex *l.non dubium*: §. *nullum enim: C de legibus, & constit. Princip. & edict.* ibi: Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum (ubi hinc indè contrahitur obligatio ut not.*ibi* Gloss. ex *l.labeo: ff. de verb.& rerum signific*) inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Et ratio regulæ est; (inquit Sanchez quia licet ex quolibet contractu ex se obligatio naturalis consurgat: Jus enim naturæ fidem in contractibus servandam Præscribit: at lex ob publicum bonum potest hanc obligationem impedire. Videtur autem id manifestè efficere, quando contractui resistit, ipsum omninò vitians, & cassans. Ita ille ex Gloss. *in l.cum lex: ff. de fidejussoribus, & mandatoribus*: Bartolo *ibi*, Jasone, Fortunio, Sylvestro, Angelo, Tabiena, Covarruvia *de pactis p.*2.§.4.*n.*6. Seraphino, Spino, Azevedo, & alijs. Tametsi nec defuerit Menchaca (ut idem Sanchez testatur) qui reprobaverit hanc regulam, dicens, quòd resistere legem contractui, non est sufficiens signum, quòd non oriatur obligatio naturalis. At Paulus Comitolus *lib.*3.*resp.moral.q.*4.à *n.*1. auctoritate legum, Canonum, & rationibus latè sustinet, ea, quæ prohibente lege committuntur, & geruntur, esse ipso jure nulla, non solùm in foro causarum, sed etiam in foro conscientiæ, & Dei. Et idipsum docet *eo lib.q.*41 *num.*10. & *q.*8.*n.*2.*v.Primum*: citatque se ipsum *in suis disputationibus de Contractibus in genere*: & in *q. de turpi stipulatione*, ubi ad hoc multas rationes, & multas, certásque leges, & sanctiones à se afferri testatur.

Si autem lex humana minimè contractui resistat, ipsum reprobans, irritansque sed nec assistat, denegans ei tantùm actionem in foro externo; tunc contractus hic destitutus quidem manet auxilio juris Civilis, attamen sub fomento juris naturalis. Quapropter sola ex eo naturalis obligatio, verum in foro conscientiæ debitum producens, consurget: Ita ex Bartolo *in l.*1.*n.*8. *ff. de novationib. & delegation.* & ex Covarruvia *cit.* concinitque Gloss. *in d.l. cum lex*: alias afferens concordantias. Itémque Leonardus Lessius *lib.*2.*de Iust. & Iure cap.* 19. *dubit.*3.*n.*18. Vide dicta *Art.*1.§.18.*vers. Neque dicant*: *n.*6. cum Gloss. *in Regul. Quæ contra Ius* 64. *de reg.Iuris, in* 6. allegante pro hac doctrina Gulielmum, Romanum, & alios. Atque hinc Gloss. *in l.*1.*vers. Impetrabit, C de fideicommissis*, appositissimè docet, alia esse legata contra legem, quibus ideò lex resistit; alia præter legem, quibus lex nec resistit, nec assistit. Vide illam *ibi*: & Angelum Mariam Verricellum *in suis qq. Moralib. & legalib. tract.* 3. *de obligat. Iust. q.*13.*n.*7. Et quamvis debitum naturaliter nòn dicatur in Jure propriè debitum, (ità & obligatio) sed abusivum; ut *l.fidejussor. obligari*: §.*Fidejussor ff. de fidejussorib.* hoc tamen non efficit, quominùs illud sit debitum, & talis obligatio liget in foro conscientiæ, & Dei. 24

25 Notandum *quartò*, nullam posse assignari legem humanam prohibentem, & reprobantem Testantium, morientiumque dispositiones, seu ordinationes donationum, eleemosynarumvè quarumcunque pro Fratribus Minoribus; ut docuimus *Art.*1.*loco cit.* & §.27.*v. Ad rationem*: *n.*3.& *seq.* Qua in re lapsus est, ut *ibi* ostendimus, Sanchez, labuntúrque quotquot illum sequuntur,

sequuntur, haud levi errore in præjudicium piæ Causæ piarúmque Morientium voluntatum; ut patet ex *locis citat.* & ex alibi sæpiùs dictis. Vide *in Appendice Pract. Casu* 1. §. 3. *à num.* 2. His prænotatis, venio ad resolutionem quæstionis: sed primùm varias, ut moris est, Doctorum opiniones circa illam recenseo, & expendo.

§. II.

Referuntur, eæque expenduntur, variæ circa propositam Cardinalem quæstionem opiniones Doctorum.

SEGMENTI PRIMI SVMMARIVM.

1 *Legata Minoribus relicta an & quomodo ab ipsis vel accipi, vel refutari debeant? variaDoctorum sententia referuntur,* & num. seqq.

Legatum annui reditus Minoribus relictum & ab ipsis tanquam incapacibus refutatum cum protestatione, an habeatur pro non scripto & cedat haredi, ibid. & n 4.

2 *Legatum Annuum Minoribus relictum debet erogari vel ipsis ut cateris pauperibus, vel alijs pijs Causis, ut satisfiat pia testatoris voluntati,* & n. 3.

3 *Hares gravatus annuo legato Minoribus solvendo, non obligatur politicè Fratribus ipsis, sed testatori ad illud solvendum juxta piam ejus voluntatem,* & n. 6.

4 *Legata pia omnino solvenda sunt: etiam in dubio.*

5 *Legatum annuum simplex Minores capere possunt per modum eleemosyna, non verò quando importat usumfructum.*

6 *Opinio eorum qui existimant legatum annuum Minoribus relictum haberi pro non scripto, & cedere haredis beneficio; errori proxima est, & reijcitur,* & num. seqq.

7 *Minores aquiparare deportatis alijsque personis turpibus & legibus invisis improbis & intestabilibus; comparatio odiosa est, nec legibus consona, nec veritati, nec rationi, nec pietati.*

8 *Legatum Minoribus relictum importans annuum reditum, nullum quidem est defectu actionis politica quam Fratres exercere prohibentur ex voto paupertatis Seraphica; remanet tamen sub fomento juris naturalis, cujus beneficio ipsi de facto simplici gaudere possunt.*

Hares tenetur solvere legata minus solemniter relicta, ex obligatione naturali.

Hareditas in testamento minus solemni relicta non debetur ad prophanam, secus ad piam causam.

Institutiones hareditaria, vel alia dispositiones morientium in favorem Minorum sustinenda omni meliori modo pro anima testatoris.

9 *Legatum simplex etiam annuum Minoribus relictum quomodo prastandum, ad exonerandam conscientiam gravatorum.*

10 *Legata Minoribus relicta non sunt absolutè irrita & nulla, neque habita pro non scriptis.*

Religiosi non sunt servi pœna; sed Dei, ibid.

Religiosi non patiuntur maximam nec mediam capitis diminutionem, ibid. & n. 11.

Religiosi sunt mortui mundo quoad aliquos effectus politicos, ibid. & n. 11.

11 *Capitis diminutio quid sit?*

Religiosi an patiantur minimam capitis diminutionem, ibid.

Religiosus status est institutus à Christo in nova lege, ibid

Religio est status libertatis, & non servitutis, ibid.

Religionis status est nobilis & honorificus, ibid.

Religionis nobilitas est prastantior nobilitate sanguinis, ibid.

Religiosus status antiquissimus & coævus Ecclesia Dei, ibid.

Religiosus status veteris Legis Scripta, vel Natura erat imperfectior consilijs Evangelicis à Christo institutis, ibid.

Religiosus status veteris Legis, sub nube tantum & figura fuerat institutus, ibid.

Religio Carmelitarum qualiter ab Elia propheta duxerit originem, ibid.

Concilium Tridentinum dispensavit cum omnibus Religiosis etiam Mendicantibus, exceptis Minoribus Capuccinis, & de Observantia, ut bona immobilia in communi possidere possint, ibid.

Religiosi an & qualiter succedere possint, & illis profitentibus Religionem succedi, ibid.

12 *Legatum alimentorum non amittitur per maximam vel minimam capitis diminutionem.*

Alimentorum nomine non solùm cibaria, sed & vestes & habitatio continentur, ibid.

13 *Alimenta à testatore servo proprio relicta, prastanda sunt.*

Legata Minoribus relicta, censentur ad alimenta, ibid.

De alimentis futuris transigi non potest sine authoritate Magistratus, ibid.

14 *Minores de quacumque quantitate sibi legata nihil possunt accipere ad thesaurizationem & provisionem sed solum ad alimenta seu necessitatem.*

Superfluum tamen non lucratur hæres, sed debet impendi ad pias causas, ibid
Et utrum Minores ex intervallo possint ad gravatum recurrere pro superveniente necessitate, ibid.

15 *Legatum annuum pro alimentis Fratrum Minorum valet, & debetur ex obligatione naturali, sed non politica & in causarum foro.*

16 Clementina, Exivi: §. proinde: versic. cúmque annui reditus, *in quibus legatis Minoribus relictis locum habeat.*

17 *Protestatio à Minoribus facta hæredi non liberat ipsum à præstanda eleemosyna à testatore injuncta omni meliori modo*, & n.18.

18 *Protestatio Minorum non potest liberare hæredem ab obligatione qua ipse tenetur erga testatorem per aditionem contracta.*

1 TRes igitur illæ mihi occurrunt. *Prima* est, quam attuli *in præcedente Articulo*, §.1. *in princ.* dicentium, teneri Fratres Minores protestari hæredi, vel Gravato, ut *ibi* dictum est, atque adeò hæredem ipsum, vel Gravatum esse postmodùm liberum ab omni obligatione. Ratio autem istorum est; quia (inquiunt) ita videtur declarata Regula Fratrum Minorum à Pontifice *in Clem. Exivi*: §. *Proindè*: *vers. Cùmque annui reditus*: Atque hi ita asserunt de annuis eleemosynis omninò gratis & absque ullo onere Missarum, &c. Fratribus Minoribus legato, fideivè commisso relictis: cum tamen limitent, ut dictum est *loco cit.* si ex sint cum onere prædicto. Præter illos hanc eandem sententiam (nulla limitatione adhibita) tenet etiam Joannes Franciscus Suarez *in suo Enchiridio lib.1.v.hæreditas, Legatum*, &c. dicens: Legatum annui reditus, factum Fratribus Minoribus, tanquam pro non scripto, potest hæres tutâ conscientiâ sibi retinere; cum hujusmodi Fratres sint incapaces: nisi relictum sit pro fabrica Ecclesiæ, candelis, &c. affertque Ancharanum *cons*.199. Navarrum *cons*.8. *&* 9. & Panormitanum *vol*.2. *cons*.63.

2 *Secunda* est aliorum asserentium, quòd cùm Fratres sint annuorum legatorum incapaces; (ut ipsi inquiunt asserentes) *ex Clem. Exivi: cit.* protestari tenentur hæredibus, vel gravatis, nulla eos penitùs obligatione teneri ad illa legata ijsdem signanter Fratribus præstanda: quódque post hujusmodi Fratrum protestationem remanent quidem hæredes, vel gravati absoluti ab omni omninò obligatione, etiam in foro conscientiæ, seu naturali, præstandi ejusmodi legata Fratribus ipsis; non tamen liberantur ab obligatione conscientiæ eadem erogandi alijs pauperibus, pijsvè Causis in communi. Unde postea, si tanquam cæteris pauperibus, dent aliquid de legatis ipsis etiam ijsdem Fratribus, poterunt hi licitè capere.

3 *Tertia* est, quàm refert etiam Card. de Lugo *tom.1. de Iust. & Iure disp.*3. *sect.*5. *num.*105. dicentium, quòd licèt Fratribus Minoribus nullum prorsùs jus acquiratur ex tali legato; hæres tamen, vel is, qui gravatus est ad tale legatum solvendum, obligatur, non quidem Fratribus, sed Testatori; contra quem peccaret, ejus jussa accepta non implendo. Isti autem probant à simili positionem suam, hoc modo: Sicuti, si ex Voto aliquis deberet dare eleemosynam singulis annis, vel mensibus Fratribus Minoribus, illi quidem nullum jus habent: vovens tamen deberet sub peccato eleemosynam promissam dare: ita poterit aliquis ex obligatione erga Testatorem debere dare Fratribus ijsdem aliquid annuum, licèt ipsi, aut Pontifex, seu quispiam alius ex parte ipsorum specialiter se habens nullum omninò jus Civile ad illud habeant. Ita isti, qui sunt Angelus *in Sum. v. Legatum* 1. *num.*5. Sylvester *in Sum. v. Legatum* 2. *quæst.*3. *dicto* 3. Tabiena *in Sum. V. Legatum* 1. *quæst.*4. *num* 5. Rodericus *tom.*2. *qq. Regular. quæst.*126. *art.*4. & etiam Lara, ut refert Sanchez *lib.*7. *in Decal. cap.*26. *num.*148. qui eam sententiam probabilem affirmat; quemadmodum & Suarez *tom.*3. *de Relig. lib.*8. *cap.*17. *n.*19. *&* 25. *& tom.*4. *tract.*10. *lib.*4. *cap.*9. *num.*9. & Pellizzarius *tom.*1. *Manual. tract.*4. *cap.*2. *sect.*2. *q.*14. §. *dices*: *& quæst.*39. §. *Utrum verò*. Post hos autem omnes hanc eandem sententiam veriorem pronunciat, & sequitur, prout etiam in simili pro domibus Professis Societatis suæ, Castro Palao *part.*3. *tract.*15. *disp.*3. *punct.*9. *numero* 12. *& punct.*10. *n.*5. quoad domos prædictas. Hæcque est (ut alibi retulimus) hujus Doctoris ratio. Nam, esto hæredi, vel principali legatario imponatur obligatio perpetua donandi Minoribus annuos reditus, hæc obligatio non est ex jure aliquo civili Minoribus acquisito, sed ex hæreditate relicta à testatore, & comparatione illius: sicuti, si tuo famulo donares divitias pauperibus distribuendas, famulus obligatus esset pauperibus donare, non ex jure aliquo, quod pauperes habuerint, sed ex tuo imperio, & dispositione. Unde cum Pontifex (scilicet *in Clem. Exivi: loco cit*) prohibet Minoribus annuos reditus: intelligi debet de redditibus, qui comparatione ipsorum, & ex jure ipsis competente (vel Pontifici, aut alteri ex parte ipsorum se habenti) sunt debiti, non de reditibus, qui comparatione Religiosorum Eleemosynæ sunt, & gratis donantur. Ita ille, & quidem omnium optimè, quos viderim è Scriptoribus Societatis; ut dixi etiam *Art.*1. §.27. *numero* 13. *usque ad* 18.

4 Verùm prima opinio omninò reijcienda est, etiam quoad illud, quod circa ejus limitatio-nem

nem de onere Missarum, vel aliorum suffragiorum implendo, in favorem cupiditatis hæredum, vel gravatorum, docet Sanchez; ut patet ex ejus refutatione tradita *Art. 2. §. 5. à num. 1.* & ex alibi dictis. Cum enim ad minùs simus in dubio de voluntate Testatoris, debet servari id, quod tutius est; scilicet, ut legata solvantur, præsertim pia, & quæ sunt pro anima Testatoris: quia in solutione nullum subest periculum; secùs in non solutione: ut optimè consulit Abbas *in cap. quia plerique: num. 42. de immunit. Eccles. & Cameter.*

5 Secunda verò sententia in eo tantùm fallitur; quòd non distinguit inter annua legata simplicia, & annua legata usumfructum annuum legatum importantia. Illam enim ego tantùm approbo, (non simplici tamen protestatione contentus, sed expressam respuitionem requirens) quoad legata secundi generis; non autem primi: ut de necessitate bujusmodi distinctionis constat ex dictis pro Conclusionibus positis *Art. 1. §. 23. 24. & 25.* & alibi *Art. 2. §. 2. & 3.*

6 Tertiam igitur amplector, quippe quæ, prout exprimitur à Castro Palao, & alijs, propriè procedit de annuis legatis simplicibus, ijsque ad alimenta; ut panis, vini, olei, & hujusmodi; juxta nostra principia, & conclusiones. Priusquàm tamen propria conclusione illam expo-nam, operæ pretium duco in expensione, ut refutatione primæ (quę mihi non à pietate tantùm, sed à ratione, & veritate toto cœlo distare videtur) aliquantulùm immorari, ut ejus improbabilitas (ne dicam error) hujusmodi gravatorum conscientiarum moderatoribus, vel Consultoribus propatula fiat.

7 Non ergo mihi (ut hinc exordiar) verisimile, aut rationi, pietative consonum videre potest, quòd, quia Fratres Minores pauperculi, Dei amore, & zelo, atque Evangelicæ Perfectionis sectandæ gratiâ, omne à se ipsis, tam in communi, quàm in particulari, Ius, Dominium, Proprietatem, politicámque actionem, seu prætensionem heroïca renunciatione abdicârunt, unde nihil tanquam civiliter certum, & sibi debitum accipere possunt, sed semper vivere tenentur de non suo politicè; immò & sine usu, etiam de facto simplici concesso, alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati à Iure, præter usum Ecclesiæ, & Conventus specialiter concessum pro necessaria habitatione ut alibi ostendimus *Art. 1. §. 13.* ideò inter turpes, Legibusque odiosas personas à Doctoribus sint computandi, eisque coęquandi: quin & deterioris conditionis habendi, quàm illæ; quæ cùm sint Legibus odiosæ, *l. fratres: C. de inoffic. testamen.* adeò inhabiles ab ipsis judicantur ad quascúnque institutiones, cùm universales, tum particulares; ut si quæ hujusmodi institutio de talibus personis fiat, hæc non solùm, velut à Legibus prohibita; ut in Gloss. *in cap. tanta v. repellendus: extra qui filij, sint legiti:* ex *Authent. licet patri: C. de natural. liber. & matrib. eorum: & ex quibus*, &c. & ex *cap. dicat aliquis: 32. quæst. 4.* & tradit Comitolus *lib. 7. respons. moral. quæst. 16. num. 6.* eorumdem beneficio non gaudeat; ut *Authent. ex complexu: C. de incertis, & inutil. nupt.* sed etiam ab Imperatorum, & à Pontificum Sanctionibus, necnon ex communi Doctorum utriusque Iuris sententia, in quam eunt & Theologi, ita respuatur, eique resistatur, ut penitùs irritetur, cassetur, ac pro non facta habeatur; proindéque, secundùm traditam *suprà* regulam, nec in foro ipso conscientiæ vim ullam habens; ut ex communi testatur Rubeus *in repetit. l. Titia: §. Imperator: num. 92 ff de legatis 2.* quem allegat, & sequitur Julius Clarus *lib. 3. Pract. Civil. §. Testamentum: quæst. 56. n. 6.* Vide etiam Ludovicum Molinam *tom. 1. de Iust. & Iure tract. 2. disp. 195. pag. mihi 774 §. Spurijs:* & Dianam *part. 5. tract. 3. resol. 112. §. Nota verò:* & in *Sum. v. Testator, num. 3.* & Concordantias in *Gloss.* ad Leges, & Canones citatos indicatas. Certè (iterum dico) id mihi nec veritati, nec rationi, nec pietati consonum videri potest, eò vel maximè, ne legantes merito, nevè Fratres ipsi pauperculi effectu, & subsidio (naturali scilicet, etsi non civili) institutionum hujusmodi fraudentur, neque hæredum cupiditas in piæ morientium causæ præjudicium nutriatur. Ad quas profectò rationes oculos (ut alibi vidimus) admovit Sanctissima declaratione Nicolaus III. *in cap. Exijt: eo §. Ad hæc, quia:* & *§. Ad majorem autem: vers. In eo verò casu.*

Veriùs ergo dixissent illius primæ sententiæ Doctores, quòd simplex annuum legatum, etiam perpetuum (quo de loquimur) Fratribus Minoribus relictum, (eorum Professione inspecta) cum nulla ei Lex humana resistere perhibeatur ipsum reprobans, irritans, & cassans; sed nec assistere favore actionis exteroqui in caussarum foro competentis, possit; nullum quidem est, & perindè ac irritum, & invalidum, quoad vim habendam in eodem foro; hoc est destitutum manet auxilio Iuris Civilis, cui Fratres, ejúsque omni favori, & actibus renunciârunt; attamen sub fomento viget Iuris naturalis, cujus integro beneficio Fratres ipsi de facto simplici gaudere possunt, absque ullo suæ ipsorum Professionis, & status præjudicio: ideóque validum est de Iure naturæ, atque ex eo obligatio naturalis verum in foro conscientiæ, & Dei debitum producens, consurgit in hærede quocúmque vel gravato; maximè ob Causam piam, quam cùm ex parte animæ testatoris, tùm ex parte Fratrum legatariorum certo certius includit. 8

includit. Quare secundùm regulam, quam *suprà* ex ipso Sanchez tradidimus, remanet quidem hæres, vel gravatus, aut quilibet alius executor in foro externo ab omni civili obligatione solutus erga Fratres; non tamen à naturali, qua utique in foro conscientiæ tenetur, legatum ipsum ijsdem signanter Fratribus præstare, (nisi ipsi illud aliquando pro superfluitate vitanda, vel provisione in futurum, &c. omninò respuant, ut tenentur:) juxta Testatoris dispositionem, commissionem, vel mandatum: quemadmodum etiam teneretur solvere quæcúmque alia legata personæ, aut causæ, etsi non piæ, non turpi tamen, facta in Testamento, aut alia ultima voluntate minùs solemni, & juris civilis auxilio destituta; ut docet Glossa *in l. 1. ff. de conditione indebiti*: & est communis opinio, ut testatur mihi Clarus *cit. num.* 2. plures alios referens; & *ibi in Addition.* Manfredus Goveanus *lit. C.* alios & ipse allegans. Vide etiam Lessium *lib. 2. de Iust. & Iure, c. 19. dubit. 8. num.* 21. Card. de Lugo *cit. num.* 161. & Comitolum *cit.* Nota tamen pro confirmatione dictorum, quoad hæreditatem Fratribus Minoribus relictam, *art. 1. §. 29. 30. & 31.* id, quod Clarus *cit. num.* 2. advertit, dicens: Cæterùm in hæreditate secùs est; illa enim si relicta sit in testamento minùs solemni, non debetur hæredi scripto, neque naturaliter: Quod tamen intellige de hæreditate ad profanam, non ad piam Causam; cujusmodi esset (nempe ad piam Causam) si relinqueretur Fratribus Minoribus, quibus quidem signanter, tanquam hæredibus scriptis, nec naturaliter deberetur, quia nimirùm illam respuerent, ut tenentur; juxta dicta *locis cit.* cùm cæteroqui alteri cuicúmque piæ Causæ, extra Fratres Minores, deberetur etiam civiliter, ob favorem piæ Causæ pro qua institutiones etiam in Testamento, vel ultima quacúmque voluntate minùs solemni de ea factæ omninò sustinentur; ut docuimus *locis cit.* Institutiones autem de Fratribus Minoribus factæ sive ad hæreditatem, sive ad legata, quæcúmque, (ipsis eas respuentibus, vel res legatas exhibitas, ob quamcúmque rationem) cùm alius non adest substitutus à testatore scriptus, sustinendæ sunt pro anima testatoris, ac si essent substituti pauperes, vel quia Causa in communi: ut aliàs sæpiùs ostensum est.

9 Verius ergo iterum dixissent Doctores illi cum Prospero Fagnano mox citando, (si qui tamen post ipsum scripsere) quòd si relinquatur Fratribus Minoribus legatum annuum, (quidquid illud sit) simpliciter gravando hæredem; (en distinctionem nostram jam ante, quam à nobis, à Fagnano ipso adhibitam:) cum bujusmodi dispositio nihil turpe contineat, aut modum Fratribus ipsis illicitum, ea debet ab hærede, vel gravato, aut alio executore impleri: & si non potest adimpleri de jure Fratribus, aut Pontifici, vel cuipiam alteri ex parte ipsorum se specialiter babenti acquisito, adimpleri debet de facto: & satis est: *argum. l. quidam cum filium: ff. de verbor. obligationib.* (vel etiam vendi potest tale legatum, & pretium converti in ædificia, vel alia necessaria; quia sub modo licito factum intelligi debet: ut est textus ad literam *in cap. Exyt: §. Ad hac, quia: de verb. signif. in 6.* & declaravit Sac. Congregatio Concilij, secuta opinionem Cardinalis *in Clement. Exivi: §. Proindè: n.* 11. Ita Fagnanus *in part. 1. tertij Decretal. de Testamentis: cap. nos quidem:* Neque Fratribus Minoribus interdictum est percipere simplex legatum, etiam annuum & perpetuum, de facto simplici, nisi sit eis relictum cum expressione modi illiciti; hoc est sub forma usufructus legati; ut alibi probatum est. Hócque secundum babetur quidem tamquam non scriptum pro ipsis signanter, non tamen ita babendum est pro pia Causa, vel pro pauperibus in communi; cùm Pontifex de bujusmodi legatis disponat in Statu Ecclesiastico; ut tradit Fagnanus *cit.* & quidem de bis absolutè, ut potè Fratribus ex eorum institutione omninò illicitis; de licitis verò, sub conditione, & in casu negligentiæ hæredum, vel gravatorum, ut *alibi* diximus, & *in sequentibus* ampliùs dicemus.

Quare nullum penitùs legatum Fratribus 10
Minoribus relictum, præsertim verò simplex, etiam annuum & perpetuum, babendum est absolutè pro irrito, casso, & nullo, adeóque pro non scripto, pertinentéque ad hæredes, vel gravatos, ijsque tutâ conscientiâ accrescente: pro ut frustrà contendunt Angelus de Perusio *cons. 324. Casus est: num.* 2. Navarrus *lib. 3. cons.* 8. *ex l. si in metallum: ff. de his, quæ pro non script. habentur:* & alij illius primæ sententiæ fectatores. Iura enim quæ ab ipsis pro sua sententia afferuntur loquuntur de personis vel turpibus, vel incapacibus, lege prohibente ob delictum eorum; adeóque de servis pœnæ, (non Dei) capitisque diminutionem patientibus; quales nequaquam censendi sunt Fratres Minores, qui non pœnæ, nec Cæsaris sed Dei, & Ecclesiæ servi sunt, nec capitis diminutionem, nisi fortè minimam, pati dicendi sunt; (quemadmodum & alij omnes Religiosi Professi in Religione approbata) nullatenùs maximam, aut mediam: retentis siquidem Civitate, & libertate, statum tantummodò mutant, amittendo Familiam, ut novissimè tradit Carolus Pellicciolus Bergomensis *super Instit. Civil. lib. 1. tit. 16. in §. Minima:* ex Bartolo, Baldo, Castrensi, & alijs *in Authent. Idem est: C. de bonis qua liberis:* Felino item, & alijs *in cap. in præsentia: de probationib.* & ex de Ponte *lib. 6. cons. 59.* Et ratio est (scilicet à posteriori) ex Baldo, & Saliceto *in authen.*

Authen. ingressi. & in authen. si qua mulier : C. de sacros. Eccles. apud Pelliciolum *cit.* quia Fratres Minores, sicut, & alij Religiosi ferunt testimonium in Judicio cum Superioris licentia, & dignitatem retinent : ergo nunc dicuntur pati maximam aut mediam capitis diminutionem, & consequenter nec propriè, & in toto rigore dicuntur mortui civiliter : quia ad hoc, ut quis propriè, & in toto rigore dicatur civiliter mortuus, necesse est, eum pati maximam, aut mediam capitis diminutionem, per quam scilicet amittitur civitas, & libertas, ut benè Pelliciolus *citat.* & Jason *in l. Gallus : paragrapho Et quid. si tantum : num* 10. *ff. de liber. & posthum.* tametsi qualiscunque illa mors civilis, quam patiuntur, in omnibus, & per omnia, quoad actus politicos, sit ejusdem effectus, sicut mors naturalis, & dicuntur idcircò mortui mundo, ut benè idem Jason *citat. num.* 15. & 16. cum Bartolo, & alijs communiter. Undè nec expectanda est mors naturalis ejus, qui profitetur Religionem, saltem minoricam (ut mox edisseram) ad hoc, ut disposita in ejus testamento possint executioni demandari, ut idem Jason. *citat.* & Parisius *in repetit. e. in præsentia : de probat. n.* 165. & alij communiter docent, & in praxi habetur.

11 Quinimmò, si velimus attendere definitionem, qua Capitis diminutionem explicant in genere Doctores, Pelliciolus *loc. citat.* & alij communiter, qua nimirum dicunt: Capitis diminutio est prioris status commutatio in deteriorem, libertatem, civitatem, & familiam adimens : dicere poterimus, valdè etiam impropriè minimam capitis diminutionem ad Fratres Minores, sicut & ad alios Religiosos, à Doctoribus extendi: Neque enim hi priorem statum in deteriorem mutasse dicendi sunt, sed potius in nobiliorem, meliorem, & perfectiorem; ut patet consideranti, nec necessariò rationibus ostendendum puto, cum dicere sufficiat, Religiosum statum esse institutum à Christo in nova lege, licet etiam in Lege Naturæ, & in Lege scripta præcesserit, sed imperfectior; ut tradit Antonius Cotonius *Controver. celebr. lib. 4. controv.* 1. *cap.* 2. *num.* 32. & 33. & de hoc argumento egregiè inter cæteros Card. Bellarminus *lib.* 2. *de Monach. à cap.* 5. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap. primo* & Platus *lib.* 2. *de bono stat. Religion. à capit.* 19. Sed præstat videre Franciscum Bordonum *t.* 5. *in tract. de Professione Regulari, cap.* 1. *de Religione ex Professione Regulari, quæsito,* 10. *num.* 70. & *sequentibus & quæsito undecimo, numer.* 89. & *tom.* 3. *variarum resolutionum p.* 2. *resolut.* 56. *quæsito* 9. *per totum*; in quibus respectivè locis exquisitè hæc duo ostendit : *Primum*, Religionem ex professione Regulari esse statum libertatis, & non servitutis. *Alterum* verè eandem Religionem esse statum honorificum, & nobilem, immò nobilissimum, illustrissimum, & honorificentissimum; & quidem nobilitate quandóque generis nobilitate verè acquisita, & virtutis (quæ utique præstantior, & excellentior est nobilitate naturali, & sanguinis) omnes omninò Religiones dici nobiles, & illustrissimas; tametsi hujusmodi tituli non videantur ita congruere Religionibus Regularibus, ne Status Regularis videatur participare mundanam, & sæcularem ambitionem; sicut eis propriè competunt Sacri honores, & tituli, cujusmodi sunt *Sacra, Sacratissima, Immaculata, Reverendissima, &c.* Religiosi verò ipsi nequaquam illis titulis vocandi, neque honorandi sunt. Potissima autem ratio inter multas, quas affert Bordonus *cit.* hujus nobilitatis, & honorificentiæ Religiosi status, ea est, quam latè prosequitur Bordonus ipse *d. cap.* 1. *in exordio, & quæsito* 1. quia videlicet Religiosus status in communi, seu in genere coævus est Ecclesiæ Christi, à quo in ipsius Ecclesiæ exordio habuit esse, secundùm Institutionem, seu fundationem, & erectionem in Apostolis: ac proindè sic in communi, seu in genere est de jure Divino, ita ut sola omnium absolutè prima Religio Apostolorum, tùm quoad Institutionem, tùm etiam quoad erectionem, fuerit de jure divino; quia Consilia Evangelica primus omnium Christus proposuit, & eorum obligationem in Apostolis suis per emissionem Professionis solus Christus acceptavit: reliquæ verò Religiones omnes, quoad institutionem substantialem sint de jure divino, utpote quæ à Christo in communi, seu in genere institutæ fuerunt, cùm dedit regulam universalem eas erigendi in unaquaque specie, nimirùm sub promissione trium consiliorum Evangelicorum, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, quæ, tanquam substantialia, sub voto Professionis cadere debent in omni vera Religione. Quoad factum verò Erectionis, sint de Jure positivo, & humano, dispositivè quidem ab Auctore, seu Fundatore Regulam condente, vel ab alio conditam assumente; perfectivè, verò à Romano Pontifice, & ab Apostolica Sede propositam regulam, seu vivendi normam approbante, & confirmante Fundatore prædicto, qui deindè suorum Alumnorum Professiones recipit. Atque ideò, cum ante Christum in veteri Lege nullus extiterit verus, & perfectus Religiosus status sub tribus votis, in quibus propriè, & essentialiter status ipse consistit, sed tantùm imperfectus, nempè in umbra, vel nube, in figura, nomine, & cortice.

Hinc patet, quòd nulla omninò Religio descendere verè dici potest generatione morali, vel spirituali, per acceptionem scilicet Sta-

tus

tus Regularis, & Regulæ ex Professione, in re, & veritate, ab aliquo ex Sanctis Patribus, vel Prophetis Veteris Testamenti; sed tantùm in figura, & nube, ob idque denominatione, & imitatione dumtaxat; quo quidem solo modo, & sensu Carmelitarum Ordo, & Religio à Sanctis Prophetis Elia, & Elisæo descendere ritè dici potest; ut benè explicat, & ostendit Bordonus *cit. quæsito* 4. & patet intelligenti. Cæterùm verò origine, & descendentia per generationem moralem, ut præfertur, & quidem humanam, omnium antiquissima Religio est Ordo Canonicorum Regularium Lateranensium, quippè qui erectus fuit immediatè ab Apostolis post Christi mortem; ut notat idem Bordonus *ex Bullis Pij IV. & Pij V.* & alijs Auctoribus, *loco cit. quæsito primo num.* 29. Carmelitarum autem Ordo denominatione quidem, titulo, & imitatione tantùm descendere dici potest ab Elia, & alijs incolis Montis Carmeli ante, & post Christi adventum ibi piè viventibus; atqui origine, & descendentia per generationem spiritualem prædictam descendere dicendus est ab Alberto Jerusalem Patriarcha, à quo unicam, eámque primam recepit Regulam, post annum 1204. à quo etiam proindè cœpit Ordo ipse, esse Religio in illis partibus, & postea per totum Orbem ab anno 1226. cõfirmatione facta ab Honorio III. Summo Pontifice; ut optimè concludit Bordonus *d. quæsito* 4. omninò videndus. Atque hæc obiter dicta in gratiam nobilitatis, & honorificentiæ Religiosi Status, æqui, boníque fiant. Jam verò ad propositum redeamus. Vix igitur Fratres Minores (sicut & alij Religiosi) familiam mutant, & efficiuntur alieni juris, (quemadmodum & conjugati in sæculo) actibus politicis, civilique juri abrenunciantes per heroicam electionem, tam in communi, quàm in particulari, alij autem omnes in particulari tantùm. In communi enim, etsi aliqui Ordines, vel Congregationes (ut Domus Professæ, & Collegia Societ. Jesu, teste de Lugo *tom* 1. *de Iust. & Iure disp.* 3. *sect.* 9. *num.* 1.) renunciaverint dispensationi Concilij Tridentini *sess.* 25. *c.* 23. *de Regularibus*: qua nimirum dispensatum fuit cum omnibus, etiam Mendicantibus, (exceptis Fratribus Minoribus Capuccinis, & de Observantia) ut bona immobilia in communi possidere possent, & consequenter, ut in bona omnia, & jura Professi, de quibus ante Professionem non disposuerat, quocúmque titulo ad eum pertineant, & sive ante, sive post Professionem ei (viventi tamen, & superstiti) acquirantur, succedere possent; omnes omninò tamen jus habent acquirendi, retinendi, repetendi, & defendendi circa bona mobilia, immò & circa immobilia, etsi non eis necessaria ad habitationem, vel recreationem; non ut ista retineant, sed ut vendant. Unde infertur quòd Mors civilis, de qua mox *suprà*, propriè, & in toto rigore non operatur idem, quod mors naturalis, nisi in Profitentibus inter Fratres Minores prædictos, sive ante Professionem fecerint testamentum, sive non fecerint: statim enim post Professionem cujusque hujuscemodi Religiosi, succeditur illi vel per institutos ex testamento, vel per venientes ab intestato; ut benè Rodericus *tom* 2. *qq. Regular. quæst.* 80. *a.* 1. In alijs verò Religionibus non succeditur, sive ex testamento, sive ab intestato, statim post Professionem, sed expectanda est mors naturalis ipsius Professi: interim enim, dum naturaliter non est mortuus, dispositio, quam fecit in testamento, vel quæ facienda esset per intestatum, erit in suspenso, nisi in testamento, si factum fuerit, aliter de tempore succedendi determinasset ipse Religiosus; ut cum Communi Doctorum tradit idem Rodericus *loco cit. & art.* 2. *seq.* Sed de hoc succedendi jure, Monasterijs succedendi capacibus competente, ad bona, & jura Religiosorum vide latiùs apud *Doctores cit.* de Lugo, & Rodericum, & apud Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 12. *à numero* 8.

Sed esto, (quod non concedo) vel maximam 13 capitis diminutionem passi censeantur Fratres Minores, quasi videlicet, & libertatem amiserint, & civitatem, & Familiam: *l. capitis diminutionis: ult. ff. de capitis diminut.* adhuc tamen legatum in annos singulos, vel menses singulos ipsis factum admitteretur, ut validum etiam in caussarum foro, & de Iure Civili, si juris hujusmodi repetundi capaces essent; ut est textus Modestini *in l. legatum in annos singulos: ff. de capit. diminut.* ibi: *Videlicet quia tale legatum in facto potiùs, quàm in jure consistit*: ut potè quòd censetur legatum relictum ad alimenta; ut explicat *ibi Gloss. ad v. Relictum.* Et naturali jure deberi alimenta legata adjudicantur à Iuristis: eas autem obligationes, quæ naturalem præstationem habere intelliguntur, palam est capitis diminutione non perire; quia civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest; ut loquitur Gajus *in l. eas obligationes: ff. eod. tit.* Dicitur ergo tale legatum in facto potiùs, quàm in jure consistere; quia (ut ait *ibi* Gloss.) non consideratur, an possit is, qui capitis diminutionem patitur, & ad hujusmodi legatum institutus est, capere ex testamento, vel non: (quod de Fratribus Minoribus utique passim quæritur) sed hoc factum; an possit comedere, vel non, vel bibere: nam etsi non sit capax, admittitur, etiamsi maximam capitis diminutionem passus sit. Et hoc est speciale favore alimentorum, ad quæ quisque habet naturale jus; & quorum nomine veniunt non solùm cibaria, sed & vestitus, & habitatio, quia sine his ali corpus non potest.

potest. Gloss. *ibi*, & text. *in l. legatis alimentis: ff. de alimentis, & cibar. legatis:* ubi Gloss.

13 Cum igitur simplex annuum legatum ad alimenta relictum personis, vel maximam capitis diminutionem passis admittatur, & habeatur pro scripto; *argum. etiam l. servos ad custodiam: ff. eod. tit. & l. is cui: ibid.* & clarè excipit Martianus *in l. si in metallum: ff. de his, quæ pro non script. hab.* Ita ut, si desit fortè persona, quæ agere possit, prout in casu *d. l. servos ad custodiam:* officio Iudicis, non jure actionis, hæres compellendus sit tale relictum præstare; ut *ibi* Gloss. *ad v. Officio Iudicis* & *in l. servo alieno: §. Si quis post: ff. de legatis* 1. ubi in *textu*, Martiani sententia est, quod si quis servo etiam proprio alimenta legaverit, bujusmodi testatoris voluntati obtemperandum sit; juxta rescripta divorum Severi, & Antonini: Quidni idem dicendum de legato annuo simplici Fratribus Minoribus relicto, cum vix minimam capitis diminutionem patiantur, vel potiùs pati videantur? (ut loquitur Felinus *in cap. in præsentia: de probationib. col.* 407. *numero* 54.) Legata siquidem Fratribus Minoribus facta, ad alimenta utique facta censenda sunt: ut præfertur: quia videlicet, (juxta illud Apostoli *ad Timoth.*1. *cap.*6. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus:*) districtè ipsis prohibetur ex vi suæ ipsorum altissimæ Paupertatis recipere ad provisionem in futurum, vel ad thesaurizationem, & copiam; ut constat ex alibi dictis cum Nicolao III. *in cap. Exiit:* & cum quatuor Magistris, & Hugone de Dina *in cap.* 6. *Reg.* & id communiter ejusdem Regulæ Expositores inculcant: sed tantùm recipere eis licet pro præsentibus, vel imminentibus necessitatibus requisita ad propriam sustentationem, & officiorum Ordinis executionem: quod est dicere ad sola alimenta. Præterquàm quòd legatum annuum simpliciter factum pauperi intelligitur pro alimentis; ut tradit Bartolus *in l. cum hi. §. si in annos singulos: ff. de transactionibus*, ubi, auctore *Vlpiano*, statuitur, quòd super alimentis, quibus cuipiam annuatim præstandis gravari à testatore jure optimo potest donatione, vel hæreditate honoratus, transactio non fiat, (scilicet super futuris) nisi causâ cognitâ, Prætore authorante, præsertim si alimentarius legatarius sit pauper, utpotè qui faciliùs transigit contentus modico ob necessitatem. Unde *ibi* notat Gloss. quòd magis providetur pauperi, quàm diviti

14 Quòd verò Fratribus Minoribus de quacúmque quantitate legata; cujus cesserit dies recipere tantùm liceat ad alimenta, vel ad illa quæ alimentorum nomine veniunt secundùm exigentiam præsentis dumtaxat, vel imminentis necessitatis; certo certius perhibetur ex eo; quòd si nulla hujusmodi eis occurrat præsens, vel imminens necessitas, (de cujus exigentia judicare spectat ad solus Ministros Provinciales, vel Custodes, non autem ad Guardianos, etiam cum toto Conventu, ut alibi tradidimus, & docet Politius noster *ex cap. Exyt: §. Insuper:*) debeat legata omnia, sicut & inter vivos, vel mortis causâ donata, seu oblata, sive in totum, sive in partem, prout contigerit, à Fratribus ipsis omninò negligi, & cum gratiarum actione refutari; & nullo modo ad eorum instantiam per alios, multò autem minùs ipsorum sollicitudine per ipsosmet in futurum servari; ut benè Crousers noster *lect. paranet.* 7. *ad capit.*6. *Reg.* & alij communiter Expositores. Non inde tamen fit, quòd hujusmodi superflua legata, vel eorum portio hæredibus, vel gravatis adjudicetur accrescere, & acquiri ita ut, si verbi gratiâ pecuniaria quantitas sit, & in manu alicujus substituti deposita, repeti ab illis possit, ipsisque restituenda sit: sed manet in bonis Testatoris ab hærede servandis, erogandis, juxta piam ipsius ordinationem, & voluntatem, quæ Lex est; ut nos alibi docuimus; & ait Gloss. *in §. Et unum hominem: Institut. de hæredib. instituen. ad v. Velit:* ex *Authent. de nuptijs, §. disponat: collat.*4. atque adeò eroganda vel pro novis Fratrum necessitatibus sublevandis, (si ab hærede, vel gravato, Fratribus non agentibus, vel procurantibus, servetur) si post aliquod tempus identidem oriantur; vel pro alijs pauperibus pro bono animæ Testatoris. Neque hic video, cur non liceat Fratribus (prout eis non licere, nisi ad modicum tempus, videtur Politio *alibi* relato *art.*2. *§.*6.) ad bujusmodi hæredem, vel gravatum servantem recurrere, ut in suas necessitates occurrentes residuum illud impendat, pro exigentia, de tempore in tempus; dummodò, ut dictum est, absque ulla Fratrum instantia, vel sollicitudine ab illo tale residuum legati servetur. Videatur Crousers *citat.* & Politius.

Non igitur audiendi sunt Angelus de Perusio, Navarrus, & quotquot sunt, eorum sequaces, Sanchez, & alij in ea sententia satis jam refutata. Audiantur Bartolus *in d. l. servos ad custodiam: num.*2. Parisius *in cap. in præsentia: numero* 178. *de probationib.* Baldus, Imola, & Romanus, quos allegat, & sequitur 15

Redoanus *de spolijs Ecclesiast. quæst.8. in princip. numero 17.* & alij, quos refert Devegnas *reg.38.limit.1.* Antonius Gomez *tom.1. variar. cap.12. numero 46.* Crassus *de succeßionib. §.Legatum : quæst. 9. fin.* hi enim omnes (teste ipsomet Sanchez *cap.26. citat. numero 36.*) absolutè docent, legatum annuum pro alimentis Fratrum Minorum valere. Neque aliam exceptionem, aut limitationem huic sententiæ adhibendam censeo, quàm quòd intelligatur de legati validitate, quoad obligationem naturalem, & in foro conscientiæ tantùm, non quoad obligationem civilem, & in caussarum foro : Nam interpretatio, seu limitatio illa, quam ei adhibet Sanchez *citat.* cum Quesada *infrà citat. numero 31.* dicens prædictos Doctores intelligendos esse de legato ad modicum tempus tantùm, non ad longum, minùs verò in perpetuum, &c. inanis est, & inutilis, si eos intelligat de annuo legato simplici, sed civiliter valido, certo, & debito; immò si eos intelligat de annuo legato ususfructus, adhuc inutilis est ; siquidem bujus percipiendi, ut tale est, Fratres sunt incapaces, etiam de facto simplici, & seclusa certitudine civili ; ut alibi ostensum est ; non solùm ad longum tempus, vel in perpetuum, sed etiam ad modicum, & pro unica vice; quemadmodum incapaces quoque sunt ratione Mendicitatis etiam simplicis legati cujuscumque civiliter debiti, etiamsi quod juris est, non Fratribus, sed Ecclesiæ Romanæ acquisitum dicatur ; juxta illud, quod Sanchez ipse perperam opinatur, ut patet ex alibi dictis. Quare nec audiendus est Sanchez *ibid.* eandem interpretationem exhibens sententiæ Quesadæ *in quæstionibus diversis, cap.22. numero 21. & 22.* ajentis absolutè, & benè, quòd Fratres Minores non sunt capaces ususfructus sibi relicti. Minùs verò audiendus est Ananias *consl.30. num.6.* absolutè asserens (ut *ibi* testatur Sanchez) ejusdem legati Fratres esse capaces. Vide dicta *Art.1. §.28.*

16 Cæterùm (ut à fundamentis evellatur sententia illa) Achilles ipse, cui tota innititur ex *Clement. Exivi : §. Proindè : vers. Cùmque annui reditus :* vim solùm habere perhibetur (ut aliàs ostensum est) in annuis reditibus, & legatis sive fixis, & usumfructum importantibus, etiamsi impropriè dictis, ut *suprà* ; sive simplicibus quidem, sed propriè dictis, & ex civili obligatione provenientibus ; non autem in non fixis, & simplicibus impropriè dictis, quibus videlicet humanæ leges non assistunt quidem, sed nec resistunt ; adeóque de facto tantùm, & ex obligatione naturali, & conscientiæ provenientibus, non de jure, vel obligatione civili.

Neque obstat quod falsò putant illius sententiæ Doctores, nimirùm post protestationem à Fratribus faciendam (de qua *Articul.2.* actum est) remanere hæredem, vel gravatum absolutum, ab omni omninò obligatione præstandi talem legatam eleemosynam Fratribus ipsis, sed & alijs pauperibus excepto legato cum onere Missarum, vel hujusmodi suffragiorum. 17

18 Nunquam enim in tali casu, (loquor de annuo legato simplici, sive cum onere Missarum, &c. sive non) posita etiam protestatione prædicta, poterit dici liberatus hæres vel gravatus ab obligatione saltem Iustitiæ, & quidem propriè dictæ, erga Testatorem, cui ex quasi contracto fidem dedit de legato implendo, præsertim ad piam Causam, cum acceptavit hæreditatem, aut aliam donationem, qua à Testatore ipso fuerit cum tali onere honoratus. Neque enim video, quonam quis jure, qua facultate possit alium absolvere ab obligatione, qua sibi illum ipsum non tenet obstrictum, cujusmodi respectu Fratrum Minorum protestationem facientium profectò est hæres. Poterunt quidem Fratres, si legatum omninò refutent, illum absolvere ab obligatione naturali, qua erga ipsos teneri posset, si legatum naturaliter acceptassent: atqui ab illa, qua erga Testatorem tenetur, nequaquam ; cum legatum sit pium, & omni meliori modo, omninò impiendum ; ut alibi ostensum est. Neque hæres, etsi in reliquis Testatoris personam repræsentet, & una, eadémque persona cum illo reputetur, facultatem habet revocandi illius voluntatem in ijs, in quibus ille se expressit, maximè ad pias Causas, & pro bono animæ suæ ; ut alibi tradidimus, & docet ipsemet Sanchez *tom.1. de Matrim. lib. 1. disputat. 6. numero 5. vers. Veriùs tamen est :* ex Covarruvia 3. *Variarum, cap.14. numero 17.* Julio Claro *lib.4. Receptarum §. Donatio quæst.13. ad fin.* Molina *lib.4. de Primogenit. cap.2.num.77.* alios referente, & ex *decisione Pedemontana 70. n.9.*

SEGMENTI SECUNDI SUMMARIUM.

19 *Obligatio qua quis tenetur erga alium de præstando eleemosynam certam Minoribus singulis annis, Minores ipsos non afficit si se non ingerant in tali contractu.*

Mandatum susceptum de præstanda certa eleemosyna sibi commissa Minoribus obligat in utroque foro mandatarium de exequendo mandato specificè. ibid.

Qui

Qui suscepit mandatum de praestanda eleemosyna Minoribus, si illam sibi retineat, vel alijs contra domini voluntatem praestet, tenetur furti, vel mandati, ibid.

20 *Legata annua simplicia etiam perpetua Minoribus relicta sunt pura eleemosyna à Morientibus missa per haerdes suos; qui eas praestare debent quantum fieri potest in specifica forma*, & n.21.

Mandatum ad pia opera non expirat morte mandantis, ibid.

Mandatum justum testatoris pro lege habetur, ibid.

21 *Domus professa Societatis Iesu possunt recipere annuos reditus de mandato testatoris: quod obligat in conscientia Gravatum ad implendam ejus voluntatem specificè.*

Et similiter de Minoribus dicendum: cùm ubique sit eadem ratio, ibid. & n.24.

22 *Domus professa Soeictatis Iesu an possint recipere annuos reditus, à Collegijs cum onere aliquid annuum praestandi Domibus professis institutis.*

Et quid si Collegium ipsum, non ut haeres, vel donatarius, sed tanquam mandatarius, fuit electum ad illud annuum praestandum Domui professae, ibid. & n.23.

23 *Domus professa Societatis Iesu sunt incapaces annuorum redituum sub forma ususfructus legati relictorum, sicut FF. Minores.*

Minores sunt capaces accipiendi annuas eleemosynas ex mandato testatoris vel alterius ipsis praestandas, sicut & Domus professa Societatis Iesu, ibid. & n.21.24.

Census an inter res mobiles, vel immobiles, censeatur, ibid.

Census super re immobili constitui debet, ibid.

Census unus an possit super alio constitui, ibid.

24 *Vbi est eadem ratio, ibi eadem Iuris dispositio erit: non per extensionem legis, sed per comprehensionem.*

Generalis ratio legis omnes species casuum similium comprehendit, ibid.

De similibus idem est judicium, ibid.

Correlativorum natura est, ut in uno dispositum censeatur quoque in alio, ibid.

Correlativorum regula, dicitur regula parium, ibid.

25 *Legatum simplex annuum Minori relictum pro libris emendis & studiorum necessitatibus, an valeat*, & num. seqq.

26 *In dubio standum est interpretationi legislatoris.*

Ejus est interpretari leges, cujus est condere, ibid.

Duplex legum interpretatio est, authentica, & doctrinalis, ibid.

27 *Legatum pro alimentis, an sicut servo relictum valet, ita & Minoribus.*

28 *Legati Minoribus relicti commoditas ipsis praestari debet omni meliori modo, non attenta capacitate vel incapacitate ipsorum.*

Legatum Monacho relictum cum hoc ut nihil ex eo acquiratur Monasterio, valet & intelligitur meliori modo quo potest, ibid.

Modus illicitus in ultimis voluntatibus expressus, habetur pro non scripto, ibid.

29 *Legatum Minoribus quovis modo relictum, sustinetur saltem per viam dedicationis ad piam Causam.*

Legatum factum pro anima, si non possit impleri in forma specifica, debet converti in aliam piam causam, ibid.

30 *Legatum pauperibus in communi relictum, debet mandari executioni officio judicis.*

Iudex Ecclesiasticus, vel saecularis, officio nobili potest compellere gravatos legatis pijs erga Minores ad solvendum, licèt ipsi petere non possint in judicio, ibid.

31 *Legatum Minoribus relictum pro alimentis etiam annuum & perpetuum valet cum modificationibus requisitis.*

QVòd porrò Fratres Minores praestitas sibi sub hac ratione legatas eleemosynas, etsi annuatim, & in perpetuum possint licitè cum moderaminibus requisitis capere, ipsorum Professione spectata; sic à simili ostendo, posita praxi hujuscemodi hypothesis. Sit Theophylus, qui donatione irrevocabili inter vivos cedat Sempronio amico suo aliqua bona sua sive mobilia, sive immobilia, hoc onere adjecto; ut singulis annis det Fratribus Minoribus centum panes, aut centum libras olei, aut simile; sicut ipse donator consueverat. Iterum Fratres ipsi nullatenùs se ingerant in hoc contractu; esto de illo certiores fiant, noverintque Sempronium ita gravatum, & quidem obligatione civili naturali obstrictum Theophylo donatori: Solvat igitur ille, ut tenetur: Nunquid perperam acturos Fratres quis judicet, si datum accipiant? Absit. Quid enim ad Fratres, si Sempronius est Theophylo obligatus, ut praefertur, ad dandum? Atqui addo: lateat Fratres (ut contingere de facili potest) obligatio Sempronij: ergo ad januas Conventuum constituendi sunt à Fratribus exactores, qui quotiescùmque aliquid ad eos defertur, diligentissimè inquirant, an illud deferatur, & detur sibi ex vi obligationis, qua quis aut in foro conscientiae in se ipso, aut etiam 19

civiliter erga alium teneatur, nec ne? At quid? Jam neque ab ipsis latoribus, seu internunciis dantium capere quidquam liceret Fratribus pauperculis: ij siquidem, qui de alijs mittuntur ad ferendum aliquid Fratribus, dubio procul tenentur non in foro interno tantùm, sed etiam externo fideliter illud ipsismet Fratribus deferre; neque illud licitè, & sine injustitia (ut per se patet, & habetur *§. Furtum: & §. Placuit: Inst. de obligation. quæ ex del. nasc.*) possunt aut sibi retinere, aut alijs quàm ijs ad quos à dominis expresse mittuntur, ad placitum distribuere; alioquin tenerentur mandati, & furti, ex sententia *Proculi*, referente & adstipulante Paulo *in l. si mandavero tibi, ut pro me: §. si tibi centum: ff. mandati, & contra:* & ita tenerentur ipsi quidem actione furti merè pœnali, ex maleficio, & iterum ipsi, & eorum hæredes, alijque successores condictione furtiva competente dominis ipsis, eorúmque hæredibus pro re furtiva persequenda; ut *Instit. de Actionibus, §. ex maleficijs: & ff. de condictione furtiva, l. qui furtum:* tanquam contrectantes rem alienam contra voluntatem domini. Non inquam possent Fratres ab his quicquam accipere sibi missum. Quod quis dicat? Sed nunquid, deprehenso aliquo, qui ex obligatione hujusmodi quidquam Fratribus deferat, vel exhibeat, possunt Fratres per quamcumque protestationem, aut omnimodam refutationem absolvere illum ab obligatione prædicta, qua respectu mittentis, proprijque dantis tenetur? *Recta judicate filij hominum.*

20 Atqui ita prorsùs sese res habet in annuis legatis simplicibus, etiam perpetuis, quæ à nobis hîc sustinentur. Sunt enim, seclusa juris acquisitione ad illa ex parte Fratrum, puræ eleemosynæ à Morientibus per hæredes suos, vel gravatos, aut alios executores Fratribus missæ in singulos annos pro bono animarum suarum. Quòd si Fratres possent illa civiliter acceptare, & jus civile ad illa acquirere, daretur eis mixta actio contra hæredes, vel gravatos prædictos solvere differentes; ut habetur *Instit. de Actionibus §. vi autem: 19.* ibi: *Item mixta est actio contra eos* (scilicet hæredes, vel alios, qui legatis, vel fideicommissis gravari possunt; ut *ibi* Gloss.) *qui relicta Sacrosanctis Ecclesijs, vel alijs Venerabilibus locis, legati, vel fideicommissi nomine dare distulerint:* scilicet fraudulenter, vel sine justa causa; ut explicat *ibi* Glossa, *alias* afferens *concordantias* in hoc proposito. Non igitur solvitur hæres, aut gravatus, per Protestationem quæ ipsi à Fratribus fiat, ab obligatione, qua ex quasi contractu Testatori tenetur; ut dictum est. Tenetur ergo pium Testatoris mandatum exequi, datámque ei fidem servare. Quidni igitur teneri etiam dicatur, ipsis signanter Fratribus legatum præstare, juxta expressam illius voluntatem, quàm mutare non potest inconsulto Episcopo; sed neque eum consensu Episcopi, causa non concurrente, quòd Fratribus præstari de facto non possit. Quid quod neque ea absolvitur obligatione, (Fratribus non respuentibus, sed tantùm naturaliter, non civiliter acceptantibus, & de facto) qua erga ipsos quóque Fratres naturaliter, & ex vero debito conscientiæ tenetur? Ergo verè debet eis signanter illud præstare. Comperta res est. Sanè etenim videretur durum, quòd illud, quod donans ille Theophylus consueverat facere ante donationem illam, non possit facere per suum donatarium Sempronium, ipsum ád id præstandum gravando, in annos singulos, etiam in perpetuum. Et idem dic, cum *Roderico*, de moriente, ita in suo testamento mandante hæredi, vel Executori suo. Cum præsertim mandatum ad pia opera non expiret, nec finiatur morte mandantis, ut tradit etiam de Lugo *lib.4. respons. moral. dub.8.* seipsum citans *tom.2. de Iust. & Iure, disput.9 3. section.5. numero 8.* ubi idem docet ex *Sanchez:* Et justum Testatoris mandatum habeat vim legis justæ; ut sæpiùs dictum est: & tradit Navarrus *consil. lib.3. de emptione & venditione, cons.5. num.15.* allatis juribus.

Miror itáque quòd Card. de Lugo *ab initio hujus Paragraphi cit. numero 106.* quæstionem præsentem, tam benè in casu domorum Professarum Societatis suæ deciderit; in casu verò Fratrum Minorum rationis paritatem pro eadem decisione ferenda non observaverit. Ait enim *ibi:* At verò Societas nostra posset ejusmodi annuos reditus accipere, quando hæres, vel aliquis alius gravatus esset à Testatore illos dare domui Professæ; ad quos Societas nullum quidem haberet jus, ipse tamen hæres, vel gravatus obligationem haberet in conscientia ad implendam voluntatem Testatoris. Hæc ille, ita asserens declaratum haberi *in 6. part. Constitutionum Societatis suæ, cap.2. §. 2. lit. B.* Optima sententia, germanissima illorum Patrum declaratio, quâ melior dari non poterat: Quid igitur obesse putavit, quò minùs eadem exhiberi ab ipso potuisset responsio in casu Fratrum Minorum? Nonne ipsemet *paulò antè, ibidem, numero videlicet 102.* æquè incapaces redituum, etiam in modica quantitate, pronunciaverat Domos suas Professas, & Fratres Minores? Hæc sunt ejus verba *ibi:* Difficultas esse potest, An possit prædictis Fratribus Minoribus (& idem est de domo Professa Societatis) legari 21

legari Census aliquis? Et quidem, si legatur ipse Census, valebit legatum, sicut aliarum rerum immobilium, licèt non possint Censum retinere, sed debeat vendi: Si autem non legetur Census, sed ipsi reditus annui, quos Testator jubet tali Religioni, vel Domui solvi, certum etiam est legatum non valere; quia ipsi sunt incapaces redituum, etiam in modica quantitate. Ita ille, idem in hoc sentiendum indicans per parenthesim illam, de domo Professa Societatis, ac de Fratribus Minoribus. Mitto autem effatum illud, quòd tanquam certum ipse supponit, & astruit, legatum scilicet non valere; quod jam alibi refutatum est. Tantummodò rationem premo; nempè incapacitatem annuorum redituum.

22 Hac igitur ita arctari domos Professas Societatis ibi, & ubique semper asseveravit ipse de Lugo, ut *lib.4. respons. moral. dub.8. & 9.* doceat, non esse ullo modo in sua Societate admittendas hæreditates, vel legata relicta Collegijs, cum onere dandi aliquid annuum domui Professæ per viginti annos. Hócque jure optimo sancitum fuisse testatur in Congregatione Generali VII. *Decreto 50.* quia (inquit) quando Societatis Constitutiones permittunt, quòd domus Professa possit acquirere eleemosynas, quas hæres à Testatore obligatus elargitur; addunt, id tunc solùm fieri posse, quando ad Societatem nulla actio, aut dispensatio reditnum pertinet. Affertque verba ipsa Constitutionum *6. part. cap.2. §.2.* quæ id etiam prohibent de reditibus Sacristiæ, aur Fabricæ applicatis. Unde *dub.9. cit.* totus est idem Doctor in probando, domum Professam non posse admittere, seu accipere annuos quosdam reditus, ad quos dandos quotannis eidem Domui gravatum fuerit à Testatore Collegium Societatis, tùm ad fabricam Ecclesiæ, tùm etiam ad reparandam, seu manutenendam Ecclesiam ipsam, postquam semel fuerit perfecta. Hócque ille mordicùs tenet contra aliquos suæ Societatis Doctores, qui oppositam sententiam acriter defendebant cum Suarez *tom.4. de Relig. tract.10. lib.4. cap.9. num.7. & seqq.* Cum tamen mihi arrisisset Doctorum illorum opinio ex *Suarez*, si locum illum *Constitutionum Societatis* intelligere voluissent, prout intelligi citra ullam distorsionem potest, de Societate tantùm Professa, non de Societate in universum. Quòd si de Societate hoc secundo modo sumpta intelligere eum oporteat, prout intelligit *de Lugo*; hujus omninò decisioni assentior. Non tamen approbo illud, quod ipse addit *ibid. numero 2. 3. & 4.* dicens, posse in rigore loquendo, id alio modo saltem speculativè justificari; quidquid sit an in praxi expediat. Posset enim (inquit ille) Testator, vel Donator in vita sua dare, seu consignare Collegio bona illa, seu summam pecuniæ, non ut donatario, sed ut merè mandatario, cum mandato expresso ea bona administrandi, & ei ipsi in vita sua reddendi fructus; post suam verò mortem, dandi fructus in eleemosynam Domui Professæ per viginti annos, (ipsa domo nullum jus acquirente ad fructus) & ijs annis elapsis, vendendi bona, & dandi pretium eidem Domui: hoc enim modo Collegium non acceptat legatum, vel donationem ullam cum onere dandi reditus Domui Professæ, sed habet merum mandatum dandi reditus illos nomine alterius: quod mandatum non expirat morte mandantis. Hæc ille.

Sed nec sic mihi videtur id sufficienter justificari: quia adhuc penes Societatem residet legitima dispensatio, etsi auctoritate aliena, prædictorum redituum; quod est expressè contra *Constitutiones*, & *Decretum cit.* Maximè, si mandatum daretur Collegio authenticè, & expressè per publicam Scripturam, & prohiberetur hæres impedire executionem illius, & rationem petere à Collegio ipso de observatione mandati; ut cautum vellet de Lugo *cit. numero 5.* Quidquid tamen sit de hoc, consulant hi, quorum interest. Illud est certum, domos Professas Societatis incapaces esse annuorum redituum, sicut & Fratres Minores; ut idem Doctor ait *eo numero 102.* quem utique locutum intelligo de annuis reditibus sub forma usufructus legati relictis ijsdem directè Domibus, Fratribusvè: & benè. Cur igitur, ubi de reditibus ex simplici annuo legato provenientibus loquitur, capacem de facto, & citra juris acquisitionem asserit Domum Professam, obligatúmque in conscientia hæredem, vel gravatum affirmat ad implendam Testatoris voluntatem, dando illos quotannis eidem Domui; in simili autem casu pro Fratribus Minoribus in totum negat? Scio illum astruere differentiæ rationem ex prohibitione speciali, quoad tales annuas eleemosynas accipiendas, Fratribus (ut ipse ait) Minoribus incumbente, ex *Clement. Exivi:* quæ Societati Professæ minimè est facta; prout ex ipso *lib.4. respons. moral. dub.7.* retulimus *art.1. §.9. numero 18.* Sed ea ratio falsa est, & ex errore conficta; ut *ibi* ostensum est, & *alibi*. Et præterea pro ejusdem *Clementinæ* interpretatione, secundùm nostra principia tradita *Articul.1. §.18.* accedit (ad hominem) auctoritas ejusdem Card. de Lugo *tom.2. de Iust. & Iure disput.27. de Censibus*; ubi postquam *sect.1. numero 1.* declaravit, se in ea disputatione loqui de Censu magis strictè, prout scilicet est jus 23

 perci

percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius: & quidem ex re immobili, aut quæ pro immobili habetur, &c. juxta Bullam Pij V. hac de re editam *an.*1569. ut explicat idem Doctor *ibid. sect.*4. *numero* 63. *vers. Prima ergo conditio.:* Post hæc, inquam, *ead. section*.1. *numero* 8. textrum hunc, quo de loquimur, *Clementina, Exivi:* juxta nostram interpretationem usurpat. Ait enim: Dubitari solet ultimò, an Census censeatur esse ex bonis mobilibus, vel ex immobilibus? Et respondet sic: de censu irredimibili, non est dubium, quòd pertineat ad bona immobilia; cùm sit jus perpetuum percipiendi fructus ex re aliqua immobili. Neque etiam est difficultas de ipsis pensionibus, quæ accipiuntur ex Censu: hæ enim sive ex redimibili, sive ex irredimibili accipiantur, non sunt bona immobilia, sed mobilia; sicut & fructus ipsi qui ex fundo percipiuntur. De Censu autem redimibili, quòd pertineat ad bona immobilia, videtur haberi expressè *in Clement. Exivi: §. Cùmque annui reditus: de verbor. signif.* Ubi de Fratribus Minoribus sic declarat Pontifex: *Cùmque annui reditus inter immobilia censeantur à Iure, ac hujusmodi reditus obtinere, paupertati & mendicitati repugnet; nulla dubitatio est, quòd prædictis Fratribus reditus quoscùmque, sicut & Possessiones vel earum etiam usum, cùm eis non reperiatur concessus, recipere, vel habere, conditione considerata ipsorum, non licet.* Quare universaliter Censum inter immobilia computant Molina *disputat.*383. *numero* 10. & idem supponere videntur Bartolus, Socinus, & Rodriquez, quos affert Thomas Sanchez *lib.*7. *in Decal. cap.*26. *numero* 35. dicentes, reditus etiam ad modicum tempus repugnare Fratribus Minoribus, propter verba *dictæ Clementinæ.* Hæc ille, qui nihilominùs addit. Communis tamen & verior sententia docet, Census, seu reditus ad longum tempus censeri inter bona immobilia; secùs verò si sint ad modicum tempus. Ita Tiraquellus, Binsfeld, Molinæus, & alij, quos affert, & sequitur Salas *dub.*44. & alij plurimi, quos latè congerit, & sequitur Sanchez, *ubi suprà, numero* 36. dicentes, reditus ad modicum tempus non comprehendi in verbis *dictæ Clementinæ*, nec repugnare Fratribus Minoribus. Immò Andreas Gail. *lib.*2. *practic. observat. observ.*10. addit, in quibusdam Germaniæ civitatibus Statuto receptum esse ut Census redimibiles inter mobilia computentur: hoc tamen non tollit, quòd de Iure communi aliter dicendum sit. Hæc iterum Cardinal. de Lugo, quem vide etiam *numero* 9. *seq. ibid.* Cum tamen & ego ipse contentire malim Bartolo, Socino, & alijs docentibus universaliter Censûs, seu annuos reditus quoscùmque inter immobilia computari, præsertim quoad Fratres Minores, propter textum *dictæ Clementinæ.* Quapropter, conformiter ad prædicta, idem de Lugo *ibid. ea section*.4. *numero* 64. ait: Circa hanc conditionem (quòd scilicet Census, seu annuus reditus creari, constituivè non possit, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, &c. ut statuit Pius V. *in Bulla cit.*) dubitatur primò; An unus Census possit super alio, vel alijs constitui? Negant plures: Molinæus, Cifuentes, Alvarus, Vaëz, Vega, & alij, quos affert Salas *dub.*7. *num.*2. alij etiam plures affirmant, uterque Molina, Sà, Rebellus, Lessius, Medina, Valenria, & alij, quos affert, & sequitur idem Salas *numero* 1. & 2. Et probari potest ex *Clem. Exivi: §. Cùmque annui reditus: de verbor. signif.* ubi annui reditus inter immobilia bona computantur. Utraque verò sententia conciliari potest, juxta eorum Doctorum mentem, dicendo, posse in primis constitui. Censum in alio Censu irredimibili; qui meritò inter bona immobilia computatur: non verò in Censu redimibili, nisi vendiror se obliget, casu quo Census hypothecatus redimatur, ad emendum aliquid aliud immobile fructiferum, quod eodem modo obligatum maneat. Alioquin, &c. Unde à fortiori constitui poterit Census in gabellis, vel alijs reditibus annuis perpetuis, quos Civitas, vel Communitas habet; sicut etiam in Iure piscationis, in sylva, & in Macello; ut notavit Molina *disputat.*389. & alij cum ipso. In Officijs etiam perpetuis fructiferis; non verò in debitis alijs personalibus, vel etiam realibus; quia hæc non sunt bona immobilia & perpetua, sed mobilia. Hæc iterum, & tertiò *de Lugo*. Ex quibus patet quod diximus.

Ergo utrimque eadem prohibitio est, eadem Professio vetans; & per consequens eadem utrimque resolutio ferenda ab illo erat; juxta illud famigeratum apud Iuristas ex *l. illud: ff. ad legem Aquiliam*; & *l. unica §. hoc interdictum: ff. de fonte*, ubi Gloss. cum *multis concordantijs:* & testatur Diana *part.*4. *tractat.*4. *Miscell. resol.*143. Nimirum ubi eadem ratio, vel æquitas, ibi eadem Iuris dispositio: &, ubi diversa ratio reddi non potest, diversorum Ius induci non debet: ut est argum. *in l. posthumi: §. 2. vers. nec diversitatis: ff. de injusto, rupto, & irrito facto testament.* ubi Gloss. cum *alijs concordantijs.* Neque enim in casu nostro Ius, seu Lex prohibens utrimque redituum annuorum perceptionem, sola legislatoris voluntate utitur, sed ratione; nimirum *Mendicitatis*, quæ excludit non solùm politicam certitudinem, vel obligationem civilem in hujusmodi annuis eleemosynis, seu præstationibus à Morientibus ordinatis; sed etiam excludit, 24

excludit, & probibet habere quæcunque bona immobilia, vel inter immobilia computata, vel eorum etiam usum de facto simplici; exceptis ijs, quæ pro necessaria babitatione &c. concessa sunt: Eadem igitur dispositio adjudicanda est tam ex parte Fratrum Minorum, quàm ex parte Domorum Professarum Societatis. Hócque non per extensionem, sed per comprehensionem, & per proprium intellectum. Cùm enim in pluribus casibus eadem ratio inest, tunc ea ipsa ratione, & non per extensionem legis, omnes illi casus decidendi sunt. Nam sicut genus comprehendit species ita quodammodò generalis ratio omnes species casuum emergentium: quæ quidem ratio attendi debet, tanquam virtus intrinseca ipsius legis; quia illud tacitè videtur inesse, in quo eadem ratio reperitur per legem. Ita ut quando duo adæquantur per legem antiquam, quidquid lex nova disponit in uno, censeatur etiam disponere in altero; ut tradit Bartolus *in l. 1. circa fin. ff. de legatis* 2. Videatur Rebellus *p. 1. de obligat. Iust. lib. 1. q. 6. sect. 4. n. 19. 22. & 23.* qui affirmat, in hujus Regulæ doctrina consentire, post Bartolum, Baldum, Panormitanum, & alios antiquiores Jurisperitos, Tiraquellum *in l. si unquam: v. libertis, à num. 45. C. de revocandis donationibus.* Menochium *remed. 14. de recuperan. possess. num. 20.* & alios. Quare ad hominem contra *de Lugo* concludendum est, quòd aut frustra ad Celsitudinem Minoricæ Paupertatis Domos Professas Societatis suæ attollit; aut idem in hac quæstione judicium ferendum est de Minoribus, quod de ijsdem Domibus. Similis enim æquitatis ratio similia jura suadere videtur; ut ait Gloss. *in cap. cum dilecta*: (ubi etiam Abbas) *extra de confirmat. utili. vel inutili*: Et de similibus idem est judicium: *argum. l. fin.* ubi Gloss. & Salycetus, *C. de constituta pecu.* Et natura correlativorum (cujusmodi sunt, quoad hanc probibitionem annuorum redituum, Paupertas Minorica, & Domorum Professarum Societatis, relatione scilicet similitudinis) importat idem judicium; ita ut de uno dispositum censeatur dispositum etiam de alio, & trahatur ad illud: ita Gabrielius *de legib. concl. 3. arg. l. fin. ff. de acceptilationibus.* Et regula correlativorum, est regula parium: *argum. l. Iulianus: §. si procurator: ff. de actionib. empti. & venditi*: Unde si est licitum uni, videtur licitum & alteri; & è contra: Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 50. n. 12.* Vide quæ dicuntur contra Sanchez *§. 7. per totum.*

25 Enucleatam hactenùs veritatem optimè novit, & tradidit Panormitanus *Consilior. p. 2. cons. 63. tom. mihi* 8. ubi totus est in favorem cujusdam simplicis annui legati in persona cujusdam Patris Magistri Lucæ Ordinis Minorum, per quandam Dominam ipsi Fratri facti ad vitam ipsius pro libris emendis, & pro studij necessitatibus; sustinens, & legatum validum esse, neque ullatenùs habendum pro non scripto, & Fratrem illum esse capacem, illique deberi, saltem ex obligatione naturali; nec concedendum esse hæredi; tanquam ei justè accrescens. Quamvis autem non mihi probetur ratio illa, qua sibi velle videtur, legatum illud potuisse à Fratre illo etiam civiliter peti, seu tanquam civiliter debitum percipi; ex eo quòd (ut ipse ait) Minoricæ Mendicitatis status non obliget Fratres, nisi ad vivendum de non suo politicè, & de non debito civiliter; atque ideò non nisi respectu eorum, quæ ad victum, seu sustentationem tantùm pertinent; non respectu eorum, quæ ad studij, aliasvè attinent necessitates: id quod à nobis alibi fuit improbatum contra Federicum ipsum de Senis, quem ille *ibi* allegat, & in hoc sequitur ut auctorem. In reliquis tamen quæ addit, nostræ omninò concinit veritati.

Et quidem primò in ipsa Casus expositione refert, quòd dictus Frater obtinuerat à Sede Apostolica responsum, & facultatem recipiendi dictum legatum. Ex quo, jure optimo *Abbas* arguit, Pontificem censuisse, eam donationem, seu legatum validum fuisse, & Fratrem fuisse capacem, quoad usum, seu commoditatem illius. In dubio autem (inquit) standum est interpretationi Papæ; quia ad ipsum pertinet interpretari Canones, sicut illorum editio; ut *in cap. inter de sent. excommunicat.* Quod tamen intellige de interpretatione authentica, non de doctrinali. Etenim (ut docent communiter Theologi, & Canonistæ, Petrus à S. Joseph Fuliensis *in Idea Theol. moral. lib. 1. cap. 12. ref. 3.* & alij) duplex tradi solet legum interpretatio: alia authentica, alia Doctrinalis. Circa primam, ille tantùm potest authenticè legem interpretari, qui potest legem ipsam statuere; quia ex tali interpretatione sequitur obligatio servandi legem. Unde inferiores aut non habent potestatem eo modo interpretandi leges suorum Superiorum, aut eam ab ipsis Superioribus accipiunt. Qua ratione S. Congregatio Card. Concil. Trident. Interpretum potest authenticè interpretari, ex commissione Sedis Apostolicæ, quæ in eo Concilio statuta sunt. Circa secundam, illam possunt dare Doctores aut per epijciam, aut alio modo; ut docent Fuliensis *cit.* & alij. 26

Secundò ait *num. 6. in fine*, quòd seclusa acquisitione civili, (quidquid sit de capacitate, vel incapacitate sive Fratris particularis, sive Religionis, vel Monasterij in communi) relictum potest fieri, & valet pro alimentis, nedum Conventui Fratrum Minorum, sed etiam singularibus Fratribus, sicut valet pro tali casu relictum factum servo; ut apertè voluit, 27

& firmavit Bartolus *in leg. servos ad custodiam:ff.de alimentis, & cibarijs legatis.* Et sic non potest dici Frater incapax; cùm non sit incapax nudi usus, qui tantùm Fratribus competit. Hæc ille afferens exemplum de servo, qui non est capax proprietatis jure proprio; & tamen est capax in causa alimentorum; ut *in d. l.servos*; & fit compulsio Iudicis officio, ut *ibi* dicitur.

28 Tertiò docet *n.7.& 8.* quòd in hujusmodi legatis pro Fratribus Minoribus non debet fieri consideratio conditionis, quòd ipsi sint capaces, vel incapaces acquirendi titulum legati; sed] debet ipsis Fratribus præstari commoditas, seu subsidium legati meliori modo, quo potest. Affertque in confirmationem notabile dictum Bartoli *in Authent. Excipitur: C.de bonis, quæ liberis in potest.constitutis*: ubi dicit, quod si aliquid relinquitur Monacho, cum hoc ut nihil acquiratur Monasterio; valet relictum, & intelligitur meliori modo, quo potest; ut scilicet nihil facti acquiratur Monasterio, sed patiatur Monachum (qui nec ipse potest acquirere in particulari, ut compertum est; & sic nemo acquirit illum titulum) habere meliori modo, quo potest, &c. & ad id facere testatur idem *Abbas*, quod etiam notat Archidiaconus *in cap. quia ingredientibus:19. q.ult.* Modi enim (inquit ille *n.7.cit.*) illiciti expressi in ultimis voluntatibus habentur pro non scriptis, seu non expressis. Et ad hoc est bonus textus, cum *ibi* notatis, *in cap significatum:de prabendis, & dignitat. & in l.filius: & in l.conditiones:ff.de conditionib. instit. & in l.sancimus:C.de donationibus: & 12.q.2.cap. Ecclesiarum servos: & cap.sic quidam*: 10. q.1. ubi bonus text. juncta Glossa.

29 Quartò concludit idem Abbas *cit.n.9.* legatum illud debere valere, & sustineri saltem per viam cujusdam dedicationis ad piam Causam; juxta notata per Bartolum post Gloss. *in l.illud: C.de Sacros.Ecclesijs*: cum fuerit factum ab illa Domina pro salute animæ suæ, & pro redemptione peccatorum suorum: legatum autem factum pro anima, seu donatio non corruit, (ut ipse *ibid.n.6.post med.* expressè affirmat) etiamsi non possit converti, seu impleri in usum destinatum; tunc enim debet in alium pium usum destinari; ut in *l.legatum: ff. de usu, & usufructu legato: & in l. legato: ff. de administratione rerum ad civit.pertinent.* ut legitur, & notatur *in cap. 2. de Testamensis*: & plenè per Bartolum *in l.pater: §. Tusculanus: ff. de legatis*, 3. *& in d.l.legatum*: & per Joannem de Ligniano post Baldum *in Clem.Exivi: de verbor.significat.* & *in Clementin. quia contingit: de Religiosis Domibus.*

30 Atque hæc dicta confirmat idem Abbas *in cap. Nos quidem, de Testamentis, num.6.tom. mihi 6.* ubi postquam *num.5.* notaverit, quòd ubi relictum in testamento non concernit utilitatem certæ personæ, (ut quando fit pauperibus in communi) seu non est, qui possit petere in judicio, potest Judex ex officio compellere debentem exequi. Et dic, quod etiam Judex sæcularis potest officium suum impendere, ut legata pia mandentur executioni: ut est textus ad hoc notabilis *in Authent. de Ecclesiasticis titul. §. si quis ad ædificationem.* Post hæc, inquam, *eo num.6.* infert, quòd licet Fratres Minores non possint in judicio petere eis relicta; quia pro nulla re temporali debent esse in Judicio; ut *in Clem. Exivi*: tamen Judex Ecclesiasticus, seu sæcularis poterit ex officio compellere debentes exequi ad solvendum. Hincque est, (inquit) quòd in multis locis constituitur (scilicet à Judicibus, vel optimatibus Civitatis) Syndicus in Civitate ad petendum hæc relicta eis facta; de quo plenè dicendum, ut habetur *in tract. Bartoli Minoricarum.* Quòd si relictum à defuncto non potest deputari, seu impleri in usum destinatum per testatorem, non efficitur caducum, sed debet converti ad aliam piam Causam. Sed unum semper nota, quòd ista conversio non potest fieri per solùm hæredem, seu gravatum, nec per solum Episcopum; sed per Episcopum & per eum simul qui habet exequi. Ità Abbas *ibi.*

Concordat Gabrielius *lib. 4. tit. de legatis, num.24.* ubi affirmat legatum factum Fratribus Minoribus pro alimentis valere. Hócque pronunciat ex auctoritate Bartoli *in d. l. servos ad custodiam, & d.l. legatum*: Abbatis *eo consil.63.* & Gual. *caut. 11. in titul. de ijs, qui non habent facere testamentum.* Et hoc (inquit) procedit, etiamsi legatum sit annuum; ut *ibi numero vigesimoquinto*, ex Angelo *in l. si Stichum, paragrapho stipulatio, ff. de verbor. obligation.* & *ibi* Romanus hoc ipsum sequitur, quoad quantitatem necessariam pro alimentis; *in d. l. si Stichum, col. 2.* & Baldus *in Apostill. ad se ipsum, in capit. 1. §. Aut si libellatio, in ultim. column. in lib. seu in usib. Feudorum, Quibus modis feudum amittatur.* Et quamvis Alexander, Baldus, Bartolus, & Imola id concedant tantùm de legato temporali, non autem de perpetuo; ut refert Gabrielius *citat. numero 26.* attamen eadem est ratio de legato annuo temporali, & etiam perpetuo; & ideò eadem quòque erit de utroque sententia; ut constat ex dictis *supra, & alibi.* Et hæc pro præsenti paragrapho. 31

§. III.

§. III.

Statuitur, firmaturque Conclusio.

SVMMARIVM.

1 *Legatum annuum simplex rei mobilis, etiam perpetuum Minoribus relictum ab ipsis naturaliter acceptatum, ab herede præstandum juxta voluntatem testatoris,* & num. 2.

Intellige sua professione illæsa, & cum moderaminibus requisitis. ibid. & num. 3. cum seqq.

4 *Obligatio qua tenetur hæres præstare legatum Minoribus relictum duplicem habet respectum, ut declaratur* ibid.

Obligatio naturalis quæ sit. ibid.

5 *Pecunia Minoribus legata neque retineri debet ab hæredibus, neque repeti si jam fuerit commendata pro necessitatibus Fratrum.*

Minores sine professionis suæ detrimento possunt denuntiare Iudici injuriam defuncti, & suam, si hæredes legatum sibi relictum intervertant. ibid.

6 *Minores possunt acceptare naturaliter, vel respuere legatum etiam pecuniæ, vel alterius rei usibilis sibi relictum.*

7 *Hæres tenetur obligatione naturali erga Minores naturaliter acceptantes legatum sibi relictum in eleemosynam.*

8 *Minores salua puritate suæ Regulæ possunt acceptare eleemosynas sibi donatas, vel relictas, cum moderaminibus requisitis, declaratis* ibid.

9 *Hæres tenetur ex obligatione justitiæ erga testatorem præstare legatam eleemosynam annuam Minoribus naturaliter acceptantibus relictam, etiam seclusa ab omni obligatione erga Minores* & num. 10.

Hæres eleemosynam Minoribus respuentibus relictam debet impendere in alios usus pios. ibid.

10 *Obligatio hæredis importat relationem ad plures terminos.* & num. 11.

11 *Sublato uno termino relativo, an & quomodo possit per se remanere, vel per accidens, in subjecto correlativo.*

12 *Pecunia, vel alia res in propria substantia Minoribus non utibilis relicta, qua ratione ab ipsis peti possit & impendi.*

13 *Hæres gravatus legatis piis censetur tantum depositarius in favorem legatariorum.*

Depositarius depositum denegans, vel utens deposito contra domini voluntatem furtum committit. ibid.

14 *Hæredes tenentur verè in conscientia præstare signanter Minoribus eleemosynas ipsis relictas à morientibus.* & num. 18. 19. & seqq.

15 *Minores possunt recipere eleemosynas à morientibus relictas ab hæredibus tanquam personis interpositis & depositariis ad illas præstandas, sive unica vice, sive annuatim.*

16 *Minores possunt humiliter petere eleemosynas sibi relictas, salva puritate Regulæ, & hæredes, monere de obligatione illas præstandi.*

17 *Regulæ puritati, aut dependentiæ à divina providentia, ad quam specialiter Minores tenentur, non repugnat certitudo eleemosynarum sibi relictarum, quòd hæredes cogi possint officio nobili judicis ad illas præstandas.* & num. 18. cum alijs præcedentib. & seqq.

19 *Hæredes, & alij Gravati tenentur in conscientia fideliter solvere eleemosynas Minoribus illas non respuentibus.* & num. 20.

20 *Minores possunt recipere per modum eleemosynæ legata sibi relicta, licèt non possint petere in judicio.* & num. 21.

21 *Angeli doctrina refertur circa legata annua & perpetua Minoribus relicta.* & numer. 20.

22 *Casarubij sententia refertur & defenditur de legatis perpetuis Minoribus relictis:* & num. seqq.

23 *Minoribus duplici remedio consulitur pro obtinendis legatis sibi relictis, quorum primum est Iudicis officium nobile.* & num. 24. & 25.

24 *Reipublicæ interest, ne quis rebus suis malè utatur.*

Reipublicæ interest voluntates defunctorum fideliter observari. ibid. & num. 25.

Anima cunctis rebus præferenda est. ibid.

25 *Iudicis officio nobili providendum ne pium propositum defunctorum improba fraudantium calliditate celetur.*

26 *Minoribus legatarijs subveniri potest per actionem popularem quam quilibet de populo intentare potest pro relictis ad pias Causas.*

Actio popularis competit ad exigenda legata Hospitalibus, & alijs pijs Causis relicta. ibid. & num. 27.

27 *Syndicus in locis, ubi constitutus est, potest agere in judicio ad legata Minoribus relicta consequenda: ut declaratur.* n. 28.

28 *Casarubius non est seraphicæ paupertatis osor, sed assertor & defensor.*

Casarubius exigi vult legata Minoribus relicta officio nobili Iudicis, vel actione populari: non per syndicum à sede Apostolica deputatum. ibid.

Authorit

Authoris sententia circa prædicta remedia. ibid.

29 *Moniales S. Claræ in abdicatione annuorum redituum æquiparantur Capuccinis.*

Moniales omnes à Concilio Tridentino dispensatæ circa possessionem bonorum in communi. ibid.

30 *Regulæ S. Claræ strictæ observantiæ non repugnat legatum annuum debitum in conscientia ab hæredibus, & ex justitia erga testatorem.*

31 *Regulæ S. Francisci non repugnat legati Minoribus relicti irrevocabilitas.*

32 *Regulæ Minorum non repugnat legatum annuatim relictum, solutum, & humiliter petitum per modum eleemosynæ.* & n.33.

33 *Legatum etiam annuum & perpetuum, licet speciem habeat annui reditus, non repugnat paupertati Minoricæ, ut declaratur.* ibid.

1 Disiectis illius primæ sententiæ nubibus, jam luce meridiana clarior emicat statuenda responsio ad Cardinalem *hujus Articuli*, titulum. Quare sit hæc, cum Doctoribus tertiæ opinionis, Panormitano, & alijs mox allatis.

2 *Conclusio.* Legatum annuum simplex rei mobilis, (putà vini, olei, ceræ, vel hujusmodi utibilium) etiam perpetuum, Fratribus Minoribus relictum, siue sub forma legati, sive sub forma fideicommissi, sive etiam cum onere Missarum, vel hujusmodi suffragiorum, sive non, ab ipsis tamen naturaliter tantùm, non civiliter agnitum, seu acceptatum, quod est impropriè dictum; solvendum nihilominùs est ab hærede, vel gravato: & quidem ita solvendum, ut illud quotannis ijsdem signanter Fratribus, juxta testatoris ordinationem, præstare teneatur ex obligatione conscientiæ, si ipsi eo indigeant subsidio, illudque capere velint; prout, suamet Professione illæsa, possunt secundùm moderamina requisita.

3 Dixi: *Prout, suamet Professione illæsa, possunt, &c.* ut adæquata esset titulo institutæ quæstionis Conclusio. Hoc tamen jam satis patet ex dictis *Art.1.*

4 Valdè autem in primis observandum est, assertam in hærede, vel gravato, conscientiæ obligationem, duplicem posse habere respectum: Alium scilicet, quo Testatori ita disponenti; alium, quo Fratribus ipsis obligatione naturali, ex nuda acceptatione ipsorum orta, verùmque in foro conscientiæ debitum producente, hæres ipse, vel gravatus teneatur. Neque enim Fratrum Minorum professioni, & statui repugnat, quòd ipsi hæredem, vel gravatum ejusmodi debito sibi obligatum teneant sicut nec repugnat, quòd & ipsi eodem pariter ipsi hæredi, vel Testatori teneantur obligati, (si v.g. legatum sit cum onere Missarum, vel aliorum suffragiorum) ad tale onus implendum ex nuda promissione, acceptatione, vel pacto. Hocque constat ex fundamentis præjactis *in præcedente paragrapho*, confirmatúrque ex Bartolo, & ex Serena Conscientia per Cordubam *in cap.6. Reg. q.5. vers. Tertium punctum*: ubi hac de re dubium excitans, ait: Tertium punctum: Quomodo possunt nobis alij obligari, aut esse debitores nobis? Et dico, (ut habetur in Serena Conscientia, *q. penultima lit. z.* secundùm Bartolum *in libro Minoricarum*) quòd propriè loquendo nullus potest nobis esse obligatus, aut debitor civiliter pro aliqua re temporali; sicut nec nos possumus obligari hoc modo alicui aut habere jus, seu Actionem in aliquem: quia propria, & civilis obligatio dicit hæc duo correlativè, scilicet, quòd unus teneatur obligatus civiliter alicui, & alius è contra teneat, & habeat prædictam Actionem, seu jus; ut *ff. de Actionib. & obligat. l.2.* sed loquendo impropriè prout obligatio accipitur pro quadam æquitate, qua quis in se ipso tenetur lege aliqua ad dandum, vel faciendum, licet ad hoc à nemine teneatur civiliter obligatus; & talis obligatio, quæ potest dici naturalis æquitas, parit officium Judicis; ut *l. Quintus: ff. de annuis, & menstruis legatis: & l. hæreditas, ff. de petit. hæred.* Et isto modo benè potest quis esse obligatus Fratribus Minoribus, sicut & ipsi alteri: ita *Corduba cit.* Hanc autem obligationem naturalem, juxta fundamenta præjacta, ita benè explicat Rebellus *p.1. de obligat. Iust. lib.1. de Contract. in genere, sect.1. n.15.* Obligatio naturalis, non civilis, ea dicitur, quæ etsi ita ex natura rei oritur, ut à Iure positivo non impediatur, quin nascatur, non tamen ab eo fovetur per concessionem actionis adversùs eum, in quo talis obligatio existit. Ita ille. Non igitur repugnat Professioni, ac Statui Fratrum Minorum, quòd hæres, vel gravatus, aliusvè testamentarius executor hoc modo sit eis obligatus ad præstandam ipsis annuam eleemosynam à Testatore ordinatam; ita ut, si eam ipsis non præstet, injuriam faciat contra naturalem justitiam non solùm Testatori, sed etiam Fratribus ipsis.

5 Hócque apertè indicat S. Bonaventura *in cap.4. Reg.* hisce verbis: Aliter est in ultimis voluntatibus defunctorum; quia voluntas eorum est immobilis, Et ideò si contingat Executores repetere pecuniam malitiosè, pro Fratrum necessitatibus commendatam, non est restituenda; cum sint contrarij ipsius Testatoris ultimæ voluntati. Quòd si ipsi malitiosè pecuniam detineant, contra formam testamenti, nec eam velint commendare alicui fideli pro Fratrum necessitatibus dispensandam, possent Fratres Ordinarijs denunciare injuriam defuncti, (pende verba S. Doctoris) & suam, sine perfectionis,

fectionis, seu professionis suæ aliquo detrimento; nec tamen judicialiter repetere, sicut suam; quamvis sit eis debita (obligatione scilicet naturali, non civili) quæcunque portio testamenti. Quòd si quæras, cujus sit pecunia legata? Dico, quòd manet in bonis defuncti erogandis, non hæredibus reservandis. Undè, si Fratres eam omninò respuant, debet alijs pauperibus erogari: Hæc S. Bonaventura. Et quòd dicitur ab ipso de pecunia legata, idem dicendum est etiam de quacúnque alia re Fratribus Minoribus utibili legato, fideivè commisso ipsis relicta, etiamsi annuatim, vel in perpetuum præstanda, juxta ejusdem S. Doctoris responsum allatum *suprà art. 2. §. 3. n. 19. 20. 21. & 22.* sed & juxta declarationem Nicolai III. *in cap. Exyt: §. Ad hæc, quia: vers. si verò Fratribus, &c.*

6 Ecce igitur, quàm usquequáque benè universa nostra Doctrina tanti auctoritate Doctoris suffulciatur. Preme illa verba: *Undè si Fratres eam* (scilicet pecuniam legatam, vel aliam quamcúnque eleemosynam) *omninò respuant*: Hisce enim clarè indicat, posse Fratres oblatam eleemosynam, etiam pecuniæ, naturaliter acceptare, & cognoscere, modò à civili acceptatione omninò abstineant. Atque in hoc casu ipsis signanter obligatione naturali tenetur hæres, vel Executor, aut gravatus illius eleemosynæ subsidium, seu commoditatem præstare. Si autem illam nec naturaliter acceptent, sed omninò respuant, quia non indigent; non ideò hæredi adjudicanda est, tanquam ei ritè accrescens; sed adhuc debet alijs pauperibus erogari; ut & nos sæpiùs docuimus.

7 Firma sit igitur assertio nostra, teneri scilicet hæredem, gravatum, vel Executorem testamentarium obligatione naturali verum in foro conscientiæ debitum pariente, non solùm respectu Testatoris, sed etiam respectu Fratrum naturaliter tantùm acceptantium, & non respuentium, præstare ipsis signanter eleemosynam, etiam annuam, & perpetuam, ab ipso Testatore legato, fideivè commisso, ijsdem Fratribus relictam; ipsósque illam recipere posse, secundùm moderamina requisita.

8 Neque recipere hoc modo debitas, certásque eleemosynas, lædit vel minimùm, aut regulæ puritatem, aut dependentiam specialem à divina providentia, quàm Fratres ipsi Minores profitentur; ex vi nimirùm ejus, quam vovent, mendicitatis, quæ ipsos obligat tàm in communi, quàm in particulari ad vivendum de non suo, aut certo civiliter. Nam neque Clerici Regulares, *Theatini* nuncupati, qui perfectioris in Deum fiduciæ exercendæ causâ (non quòd ad Paupertatis perfectionem referri debeat; ut benè observat Cotonius *Controversiar. celebr. lib. 4. contr. 6. cap. 1. n. 12.*) ex spontè oblatis tantùm; non ex quæstu vivere profitentur; hujusmodi fiduciæ professionem lædere non censentur, etiamsi aliquas legato relictas eleemosynas, adeóque spontè à morientibus oblatas, seu missas, civiliter acceptent, & in communi acquirant, sicque ex civili debito, ac certitudine capiant. Id quod profectò Minorica non patitur Mendicitas, & Paupertas omnium omninò altissima, atque arctissima; (ut alibi ostensum est *Art. 1. §. 13.*) quippè quæ nihil habet, aut recipit, etiamsi pro unica vice præstandum, tanquam civiliter debitum, & certum; nec congregat in futurum; sed tantùm recipit vel per humilem quæstum, ad Christi imitationem, sibi comparat necessaria pro præsentibus, vel imminentibus indigentijs.

Quid verò, si dixerim, teneri adhuc hæredem, vel gravatum ex obligatione justitiæ erga Testatorem, præstare legatam annuam eleemosynam ipsis signanter Fratribus non respuentibus, ut præfertur, etiam seclusâ omni omninò obligatione, etiam naturali, qua Fratribus teneri dicatur. Utique id assero, probóque & simul explico, hac hypothesi. Mævius testatur, & vitâ cedit, Septitiu hærede instituto; legavitque in suo testamento per singulos annos, vel menses certam panis v.g. vel vini eleemosynam Fratribus Minoribus; qui tamen, vel omninò inscij manent talis legati, vel si eis per Notarium, vel hæredem ipsum denuncietur, nec illud expressè respuunt, nec vel naturaliter acceptare ostendunt, dicentes, quòd non se ingerunt, neque volunt circa hoc unum verbum proferre, sed relinquunt rem in eo statu, in quo ex natura sua reperitur. Tùm sic argumentor: Legitima hæc dispositio, seu ordinatio testantis Mævij est causa, vel fundamentum proximum, ex quo (posita, tanquam conditione sine qua non; ut alibi docuimus, acceptatione politica Septitij ad hæreditatem) resultat, seu consurgit in eodem Septitio relatio obligationis ex fidelitate, & promisso, qua ex quasi contractu erga Mævium tenetur, ad solvendum tale legatum, & implendam omni meliori modo piam illam ipsius voluntatem, & intentionem expressam; quæ quidem obligatio ita Septitium ligat, ut sine injuria Mævij propriè dicta prætermittere non possit id, ad quod per ipsam tenetur. Sed intentio, & expressa voluntas Mævij in tali dispositione ea fuit; & adhuc perseverat, nec mutari, minúsve revocari potest, eo mortuo; ut talis eleemosyna legato, fideivè commisso relicta Fratribus Minoribus signanter præstetur per ipsius manus: Ergò obligatione prædicta tenetur Mævio Septitius eleemosynam illam Fratribus ijsdem signanter præstare. Subsumo: Atqui ejusmodi obligatio, præsertim in pijs Causis, (qualis est hæc cùm ex parte Testatoris ità disponentis pro bono animæ suæ, & pro redemptione peccatorum 9

suorum

suorum, tùm ex parte Fratrum, qui sunt pauperes Christi) ligat ex genere sub mortali: ergò idem Septitius ex natura rei (omni etiam omninò ex parte Fratrum cùm civili, tùm naturali cognitione, seu acceptatione legati seclusa, ut in facta hypothesi) tenetur in conscientia, & sub mortali præstare eleemosynam illam ijsdem signanter Fratribus, nisi ipsi eam omninò respuant. Quòd si respuant, adhuc tenetur eam alijs pauperibus, vel pijs Causis erogare, ut omni meliori modo voluntatem impleat Testatoris, cujus animam merito, vel suffragio illius eleemosynæ fraudare impijssimum est. Pro subsumpto videantur Rebellus *de obligat. Iust. p. 1. lib.* 17 *q.* 4. *num.* 1. Sanchez *tom* 1. *de matrim. lib.* 1. *disp* 5. *num.* 20. Suarez *in relectione quadam de Promissione:* Lessius *de just. & jure lib.* 2. *cap.* 18. *dubit.* 8. Molina *tom.* 2. *de just. & jure disp.* 262. *ad fin.* Tabiena *in sum. v. Pactum*, §. 2. Sylvester *in sum v. Pactum, num.* 4. & alij quos allegant Doctores ipsi citati. Sed comperta est veritas.

10 Confirmatur, eandem prosequendo hypothesim. Supponamus Fratres Minores capaces, non solùm naturaliter, sed etiam civiliter, effectus formalis illius tituli donationis, vel legati; adeóque ipsos posse hunc, non solùm naturaliter, sed etiam civiliter acceptare. Hunc igitur acceptent vel civiliter & naturaliter simul, vel tantummodò naturaliter, prout hoc secundum eis licet, salva Professione ipsorum; ut probatum est *suprà:* si civiliter & naturaliter simul eum acceptent, profectò jam resultat in Septitio hærede obligatio civilis juncta naturali; & propriè dicta erga Fratres ipsos, & consequenter in ipsis oritur jus, seu Actio civilis correlativa prædictæ obligationis adversùs Septitium: Si naturaliter tantùm eum acceptent, resultat in eodem hærede obligatio duntaxat naturalis ergà eosdem Fratres. Tùm quæro: Alterutra ex hisce obligationis relationibus resultante in Septitio simul cum illa, qua refertur ad Mævium Testatorem; ut dictum est *suprà*; vel duplex numero, quoad entitatem, obligationis relatio constitui in ipso intelligitur prima scilicet, qua ad Mævium testatorem; altera, qua ad Fratres legatarios aut civiliter, aut naturaliter tantùm acceptantes respiciat, seu referatur: vel una tantùm, quoad entitatem, duplex solummodò quoad respectum; primo, quoad primum; altero, quoad alteros referatur: si primum, ergò omni omninò acceptatione ex parte Fratrum seclusa, seu non posita, (prout in facta hypothesi) sola in Septitio deesse intelligitur relatio obligationis, vel ex civili; vel ex naturali justitia, qua eosdem respiceret, si, & prout acceptassent sive civiliter, sive naturaliter tantùm: aliquo enim sublato, seu non posito, id solùm aufertur, aut non ponitur, quod illo ant posito ponebatur, aut non posito non habet poni: ergo remanet alia relatio, qua Septitius ex quasi contractu tenetur Mævio; sicque habeo intentum, & firmum remanet assertum nostrum: Si secundum; sic ex D. Bonaventura *in* 3. *sent. dist.* 8. *art.* 2. *q.* 2. *ad secundum*, argumentor: Quando aliquod subjectum unâ, eadémque numero, quoad entitatem, relatione refertur ad plures terminos, non tollitur ista relatio quoad entitatem, ablato, seu deficiente quocunque relativorum; sed eo tantùm ablato, vel deficiente, à quo relatio ipsa dependet dependentia essentiali: sed in posita praxi relatio obligationis in Septitio erga Mævium, & erga Fratres dependet dependentia essentiali ab ordinatione legitima testatoris Mævij, ab acceptatione verò utriúsque partis, nempè Septitij hæredis, & Fratrum legatariorum, dependet tantùm per accidens, & veluti à conditione, sine qua non, ut dictum est in primo argumento: Ergo, deficiente, seu non posita acceptatione Fratrum cùm civili, tùm naturali, verè adhuc remanere perhibetur, quoad entitatem, in Septitio relatio obligationis prædictæ erga Mævium, qua ex vero conscientiæ debito, atque adeò sub mortali tenetur præstare legatam, sive jussam, missamvè ab illo eleemosynam ipsis signanter Fratribus, ab eodem Testatore nominatis, nisi eam ipsi omninò respuant; quo casu adhuc tenetur eam erogare, ut dictum est *suprà* ex Seraphico Doctore, & alibi probatum est: ita ut nunquam illam sibi accrescere tutâ conscientiâ judicare possit.

Firmatur hoc ipsum argumentum ex Caietano *in tertiam partem q.* 35. *art.* 5. *ad primum, & secundum*, ubi docet, quòd licèt ablato uno termino relativo, non videatur quidem posse, per se remanere relatio in subjecto correlativo; potest tamen remanere per accidens: quando scilicet terminus deficiens, seu sublatus non adæquat subjectum, quoad omnem nempè relationis respectum in ipso existentis; prout accidit in facta hypothesi, & patet consideranti: Fratres enim Minores (esto etiam, quòd civiliter, & non naturaliter tantùm acceptent legatum à Testatore titulum ad illam eleemosynam annuam percipiendam) non sunt terminus adæquatus relationis obligationis existentis in subjecto correlativo, scilicet in Septitio hærede, sed alius etiam terminus datur, & quidem principalis, nempè Testator (à cujus ordinatione dependet, dependentia essentiali; relatio obligationis in hærede, ut dictum est *suprà:* qui tametsi vita cesserit, superstes tamen adhuc censetur vel in relicta hæreditate, quæ ipsum repræsentat, ut aliàs docuimus cum Juristis, vel in legitima, eáque pia supremæ suæ mentis Testatione, seu Testamento; quod 11

nullo

nullo profectò jure, quoad legatam illam annuam eleemosynam, cassari, invalidarivè perhibetur; quinimmò etsi in reliquis vitiosum, irritúmque foret, ab omnibus omninò juribus in ea parte sustinere, tanquam pium, vel favore saltem alimentorum, ut *suprà* ostensum est. Quare integra adhuc remanet relatio obligationis in hærede erga Testatorem, ad ipsius supremam voluntatem, ut præfertur, omni meliori modo implendam; cumque hæc sit expressa, ut talis eleemosyna Fratribus signanter Minoribus ánnuatim præstetur, utique obligatus est hæres eam ipsis signanter præstare; vel alijs demum pauperibus, si ipsi illam quandóque omninò respuant, ut dictum est.

12 Confirmatur iterum assertum nostrum ex dictis Nicolai III. *in cap. Exijt: eo §. Ad hæc quia:* ubi intendens per modos (ut ipse ait) licitos, & Fratrum Regulæ congruos providere, quòd hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur, ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis non fraudentur auxilijs; (loquitur autem de legatis indefinitè, quæ non sunt cum expressione modi Fratribus illiciti) ad eáque se remittens, quæ *ibidem suprà* dixerat *eo §. Cæterùm: vers. si tamen ipse:* & *eo §. Ad majorem autem: vers. In eo verò casu:* Declarando, dicit, quòd, v. g. à Moriente relinquatur pecunia pro Fratrum necessitatibus expendenda; vel etiam domus, ager, vinea, vel hujusmodi alia res Fratribus in propria substantia non utibilis, ad hoc, quòd per certam personam, vel personas idoneas distrahatur, & pecunia de rebus ipsis accepta in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertatur, aut in legando similibus modis, vel verbis Testator utatur: Declarando, inquam, dicit, quòd in hoc casu illud in omnibus, & per omnia (consideratis eorum necessitatibus, & moderaminibus requisitis) quantùm ad Fratres, servari decernit, quod ipsemet ibi superiùs *locit. citat.* in concessis eleemosynis pecuniarijs declaraverat: nempè, quòd possint licitè Fratres recipere de dicta pecunia, (hoc est de provisione, vel utilitate dictæ pecuniæ) quantùm sibi opus fuerit, quandiù persona deputata ad illam expendendam suo oneri plenè satisfecerit; quod est dicere, quandiù pecunia ipsa duraverit; ac per consequens posse eosdem Fratres semel, bis, ter, hoc anno, secundo, tertio, quarto, quinto, & alijs futuris, cùm sibi opus fuerit, licitè ad illam pecuniam recurrere; (ut benè concedit etiam Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 26. num. 13.*) ita tamen, quòd penes ipsum Dantem, vel in ejus bonis (eum de Defuncto agatur) proprietate, & Dominio ipsius pecuniæ usque ad conversionem ipsius in rem Fratribus utibilem, plenè, & integrè remanentibus; (non tamen ad hæredes transeunte potestate revocandi, quæ remansisset apud ipsum dantem, quandiù vixisset; ut ibi Pontifex *eo versicul. In eo verò casu*) in ipsa pecunia nihil omninò juris Fratres habeant, nec administrationem, seu dispensationem, nec contra personam nominatam, vel non nominatam, cujuscúmque conditionis existat, nec contra hæredes, etsi impiè forsitan contradicentes, in judicio, vel extra, actionem, persecutionem, aut aliquod aliud jus intentent, qualitercúnque persona prædicta, vel hæredes in commissione prædicta, vel onere legati injuncto se habeant. *Liceat tamen* (subdit Pontifex *in eo paragrapho Cæterùm:*) *Fratribus suas necessitates insinuare, ac specificare, vel exponere personæ prædictæ, ac eam rogare, quòd solvat. Possint etiam personam eandem exhortari, ac inducere, quòd fideliter in re commissa se habeat, & animæ suæ saluti in commissa sibi executione provideat: ita tamen, quod ab omni ejusdem pecuniæ administratione, seu dispensatione, & contra prædictam personam actione, seu persecutione (ut prædictum est) Fratres abstineant omni modo.* Hæc ibi Nicolaus: & *paragrapho Ad majorem autem:* ait etiam: *In eo verò casu, quando (antequam ipsa pecunia in licitum rei habendæ, vel utendæ commercium sit conversa) concedentem pecuniam mori contigerit; si concedens, in concedendo dixerit, vel expresserit, quòd persona deputata pecuniam ipsam in necessarium usum Fratrum expenderet; quidquid de ipso concedente, vivendo, vel moriendo, contingeret; sive concedens hujusmodi hæredem reliquerit, sive non; possint Fratres ad personam deputatam (non obstante concedentis morte, vel hæredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere,* (observatis modo, & forma prædictis *in §. Cæterùm:*) *sicut poterant ad ipsum Dominum concedentem.* Hæc iterum ille Pontifex Minorici Status, ac Professionis adeò conscius, & zelator; ut ex ipsomet notavimus *Art. 1. §. 3. in prinс.*

Cum igitur hæc ipsa in omnibus, & per omnia, quantùm ad Fratres servari decreverit, 13 etiam in eleemosynis sine expressione modi illiciti ijsdem Fratribus per Morientes legato relictis; & benè in legato præsertim pio, res deponitur in favorem legatarij tantùm in manu hæredis, vel gravati; ut notat Abbas *in c. cùm dilecti: n. 4. de donationibus:* utens autem deposito contra voluntatem deponentis, seu depositum denegans, committit furtum, ut tradit idem Abbas *in c. gravis: n. 2 de Deposito:* ex *l. qui furtum: ff. de condict. furtiva:* & ex Valerio *lib. 8. cap. de Iudicys:* & condemnatus efficitur infamis; ut *l. qui depositum: C. eod.* & est Communis. De prædicti Pontificis mente,

14 Colligitur *primò*, obligatos verè esse in conscientia hæredes, vel gravatos ad tales eleemosynas ipsis signanter Fratribus, quibus à morientibus missæ, seu legatæ illæ sunt, præstandas, & ad fideliter exequendas expressas eorundem morientium voluntates: atque hoc exprimitur illis verbis: *Possint etiam personam eandem &c.* satisque indicatur, dum Judicum officio nobili hujusmodi morientium voluntatum impletionem curandam commendat Pontifex *in eo §. Ad hæc*, quatibi: *& etiam Prælati, & sæculares, &c.*

15 Colligitur *secundò*, ita licitum esse Fratribus Minoribus recipere ab hæredibus, qui sunt quodammodo Morientium substituti, & depositarij, (secluso omni jure, jurisvè effectu) earum omnium eleemosynarum subsidium à Morientibus ipsis relictum, seu depositum; sicut liceret ab ijsdem legantibus, si viverent, perindéque Fratres recipere ab hæredibus, ac si reciperent ab ipsis Dominis viventibus, & per internuncios mittentibus, sive annuatim, sive pro unica vice; cum hac sola differentia, quòd penes hæredes, vel gravatos, aut Executores non residet facultas revocandi relictas à Morientibus eleemosynas, quas hi dum viverent, poterant largiri, & non largiri.

16 Colligitur *tertiò*, non repugnare puritati Regulæ, aut dependentiæ à divina providentia, ad quam Fratres Minores specialiter tenentur recipere, aut petere (humiliter tamen, ut decent) hujusmodi eleemosynas ab hæredibus, prædicta obligatione conscientiæ obstrictis: neque item repugnare, si eos moneant de tali obligatione eis incumbente: quemadmodum nec repugnat eas recipere, aut petere à viventium depositarijs, vel mandatarijs, aut substitutis, &c.

17 Colligitur *quartò*, nec repugnare puritati, aut dependentiæ prædictis certitudinem, quæ habetur de talibus eleemosynis ex eo, quòd possint hæredes, vel gravati cogi, seu compelli solvere per Officium Iudicis, nobile tamen, non mercenarium.

18 Quæ cùm ita sint ex germana intelligentia declarationis Nicolai III. & doctrinæ S. Bonaventuræ, totque aliorum prudentissimorum ac sapientissimorum Minoricæ Paupertatis, ac status Assertorum, cùm veterum, tùm recentiorum, qui rem hanc sedulò examinarunt, & optimè intellexerunt: cùm (inquam) hæc ita sint; non est, quòd cuipiam observantiæ zelo ferventi eadem asserere horrendum videatur, aut in Seraphica Domo inauditum.

19 Stet ergò firma tùm ipsa prima, & secunda *Articuli primi* Conclusio; omnium videlicet simplicium annuorum legatorum, etiam perpetuorum, impropriè tamen dictorum, esse capaces Fratres Minores; propriè autem dictorum, eorumvè, quæ usumfructum legatum inferunt, ut explicatum suis locis est, nequaquam: Tùm hæc novissima *præsentis Articuli*; Teneri scilicet hæredes, vel Gravatos in foro conscientiæ illa ijsdem signanter Fratribus fideliter præstare, si hi recipere de facto velint.

Hæc autem est vera, germanáque sententia Sylvestri *in sum. v. legatum* 2. §. 4. Angeli *in sum. v. legatum* 1. §. 3. Roderici *qq. Regular. tom. 2. q. 126. art. 4.* & aliorum plurium, si candidè, ut locuti ipsi sunt, non cavillosè intelligantur; dum dicunt: legata perpetua; (simplicia scilicet) facta Fratribus Minoribus non valere; posse tamen ea Fratres ipsos eleemosynaliter extra Iudicium petere, & recipere; & nihilominùs hæredes teneri in foro conscientiæ ea Fratribus solvere. En, quàm egregiè perceperint hi Doctores, Canonum, Legúmque peritissimi, rationem Pontificis *sup. citat.* & rei veritatem? En quàm immeritò à quibusdam, tanquam sibi ipsis non constantes, satisque contusè locuti arguantur, cùm constantissimè, ac distinctissimè: Sensus siquidem ipsorum germanus, illéque verus est, quòd talia legata Fratribus Minoribus facta non valent, ut legata propriè seu civiliter dicta; hoc est nullam vim habent (sicut ex pecuniaria) civiliter, & politicè, seu in foro externo, & judiciali; quippè destituta, ob Fratrum eorundem renunciationem ex Mendicitatis voto, auxilio Iuris civilis: at sub fomento manent Iuris naturalis; atque ideò solummodò extrajudicialiter, & per modum simplicis sibi relictæ eleemosynæ possunt à Fratribus peti, & recipi, tanquam valida naturaliter, seu Iure naturali, verum in foro interno debitum pariente; undè tenentur in conscientia, & sub mortali hæredes, vel gravati ea ijsdem signanter Fratribus, juxta expressam Testatoris voluntatem præstare, ut dictum est. Quæ doctrina à fortiori, suadetur per ea quæ tradit Lessius *de just. & jure lib. 2. cap. 19. dubit. 3.* ubi de Testamento ad causam non piam, contra nonnullos paucos, quos *ibi* allegat. Tu illum vide, si lubet. 20

At sanè horum omnium Doctorum sensum constantissimum, ac distinctissimum clarè satis ostendit *Angelus cit.* declarans utique illud, quod dixerat: Talia nimirum legata non valere, neque esse Fratribus licita. Ait enim: Sed intellige, ista non licere, non quidem indistinctè, ut tenuit *Summa Rosella*; sed quando possideantur, (etiam ab Apostolica Sede, ex parte Fratrum specialiter se tenente) quasi reditus, & proprietates exigendo etiam in Iudicio (etiā per Syndicum vel Procuratorem nomine Papæ, 21

Papæ, vel Sedis prædictæ) secùs autem eleemosynaliter extra Judicium petendo. Quid clarius? Quid distinctius? Quid veritati, & Assertionibus nostris cum Seraphico Doctore conformius?

21 Nunquid igitur mihi, simulque omnibus, quotquot Seraphico Patriarchæ Pauperum nomen dederunt, in ejúsque Regulam ad literam servandam jurarunt, scandalo erit, velut Seraphicæ mendicitatis osor, Alphonsus de Casarubios *in suo compendio Privilegiorum, v. Hereditas?* Ibi enim ex una parte expresse docens, Fratres Minores non esse capaces hæreditatum, & relictorum in Testamentis, juxta *Clem. exivi: §. cum igitur*, & Bart. *in l. ne quicquam, §. fin. ff. de off. Proconsul. & in l. 1. col. 4. ff. de legatis*, 1. attamen insinuans simul, Hæredes, vel gravatos ex Testamento, vel alio modo teneri in conscientia ad solvenda hujusmodi relicta; ostendit, ea non esse omninò invalida, Fratrésque ipsos esse aliquo modo eorum capaces; atque ideò ex alia parte statim docet, ea iisdem Fratribus signanter deberi, dum subjungit, quòd secundùm Doctores, (Divum scilicet Bonaventuram Nicolaum III. & alios) iis consulitur duplici remedio.

23 *Primò* enim (inquit ille) eis consulitur Iudicis officio. Potest namque Iudex ex suo mero officio (nemine etiam ad hoc agente) compellere hæredem, vel illum, qui ad hoc tenetur ex Testamento, vel aliàs, quatenùs relicta Monasterio, vel Fratribus Minoribus adimpleat, & exsolvat, Allegátque Speculatorem *in titulo de Instrum. edit. §. Nunc verò aliqua*, & Bartolum *in d. l. ne quicquam*, & Ioannem Andreæ *in c. si hæredes, de Testamentis*: & evidentius Baldum *in l. nulli, C. de Episcopis, & clericis*. & potuisset allegare etiam Seraphicum Doctorem, & Nicolaum III. *in eo cap. Exiji, §. Ad hæc quia*: ut ex dictis patet.

24 Hujus autem decisionis prædictorum Doctorum duplicem affert rationem. *Prima* est, (inquit) quia interest Reipublicæ, ne sua quis re malè utatur; ut *in § sed hoc tempore, Instit. de his, qui sunt sui, vel alieni juris*. Et ratio etiam istius rationis est, & colligitur à fortiori: nam, si commodum rei privatæ providetur; ut *in l. si quis: C. de bonis proscript.* fortiùs circa voluntates defunctorum providendum est. De quo per Andream Barbatium *in Rubrica de Testamentis, col. vigesimaquinta*, & per Gloss. *in l. Iulianus, ff. de action. empt.* & arguit benè in hoc casu Barbatius *in capit. tua nobis, col. vigesimasexta, de Testamentis*: Facit etiam, quia anima cunctis rebus præferenda est: *leg. Sancimus, C. de Sacros. Ecclesiis, & Authentic. multò magis*: Et numerosa est ad hoc Iurium Sylva.

25 *Secunda* ratio est; quia si ita cautum non esset, accideret nonnunquam, quòd pium propositum defunctorum improba fraudantium calliditate eluderetur; ut dicit ille textus notabilis *in d. l. nulli: C. de Episcopis, & Clericis*. Et quia magna est pietas, voluntatem illius adimpleri, qui nec se juvare, nec jam loqui potest; idcircò voluntati Defunctorum ita consultum iri oportet. (Notent hoc, quæso, qui hæredum, aut gravatorum avaritiæ, & cupiditati blandientes, eos ab hujusmodi Morientium eleemosynis præstandis omninò absolvunt, propter incapacitatem, quam non intelligentes, aut intelligere nolentes, ut benè consulant ex parte Fratrum Minorum indistinctè asserunt, cum omnimoda piæ Causæ injuria, & Defunctorum ipsorum:) Et hæc, quoad primum remedium, quo Fratribus Minoribus, & aliis pauperibus non valentibus agere in Judicio subventum est officio Judicis nobili.

Deindè autem dicunt Doctores, quòd alterum remedium, quo dictis Fratribus consulitur, est illud, quod sequitur: Quia videlicet cuilibet de populo competit actio, & quilibet de populo potest agere, ut legata, & relicta ad pias Causas, putà Monasterio, Hospitali, Fratribus pauperibus, & similibus, adimpleantur per illum, qui gravatus est à Testatore, vel aliàs ad hoc tenetur. Jura sunt de hoc bona: Textus *in Authentico de Ecclesiast. titul. § si autem: collat.* 9. & tenet Ludovicus Romanus *in Authentic. simile: C. ad legem Falcidiam*. & fuit originale dictum Angeli de Perusio *in d. §. si autem*: Ita etiam tenet Bartolus *in d. l. ne quicquam*, qui allegat *l. hæreditas: ff. de petit. heredit. & l. Quintus: ff. de annuis, & menstruis legatis*. Et est de hoc casu formalis, & individuo *in d. l. nulli: C. de Episc. & Cleric.* & facit ad hoc dictum Barbatii *in cap. nos quidem, col. 16. de Testamentis*. 26

Et prædicta (inquit ille) fuerunt practicata in Civitate Barbastri Regni Aragoniæ; ubi ab Universitate ejusdem Civitatis fuit constitutus Procurator, seu Syndicus ad agendum pro legatis relictis Monasterio B. Francisci anno à Nativitate Domini 1521. quo tempore erat Advocatus dicti Monasterii quidam insignis Iuris utriusque Doctor, nomine Leonardus de Sancto Angelo, qui suprascripta fundavit, & exequi fecit. 27

Atque hæc *Casarubios citat.* qui profectò nulli scandalo esse debet, aut videri inconstanter, confuséve locutus: loquitur enim *ibi* in sensu prædictorum Doctorum, Sylvestri, Angeli, & aliorum; & quidem non ut Seraphicæ Paupertatis osor, sed ut Assertor acerrimus. Unde in *Corollario*, quod ex prædictis deducit *ibidem*, graviter damnat abusum, qui fortè tunc temporis inter Observantes grassabatur, dicens: Ex supradictis infertur, quòd 28

graviter errant præfati Fratres procurantes, quòd eis, vel suis Ecclesijs, seu Conventibus relicta in Testamentis petantur in Judicio per Syndicum deputatum à Sede Apostolica, utendo concessionibus relaxativis, & destructivis perfectionis Voti Paupertatis in sua Regula promissi; præsertim cum faciliùs possint obtinere hujusmodi relicta in testamentis medio alicujus devoti Judicis, qui in hoc potest providere ex suo officio, ut *suprà* probatum est: aut utendo altero remedio, scilicet, quòd Advocatus Fratrum, vel alius amicus spiritualis petat prædicta in Judicio; non tamen ut Syndicus agens nomine Fratrum, aut Apostolicæ Sedis, sed sicut unus de populo agens nomine proprio, & actione sibi de Jure in his competere: cum etiam hoc fieri possit, sicut *suprà* dictum est. Hæc iterum ille. Cui addo etiam nostrum Crousers Antuerpiensem *lectione paranet. 9. ad cap. 4. Regulæ, vers. Dixi: si:* Quæ tamen à me huc eatenùs tantùm relata volo, & nota facio, quatenùs faciunt ad confirmationem assertæ obligationis hæredum, vel gravatorum, & capacitatis Fratrum. Nam cæteroqui hujusmodi remediorum praxim Fratribus Minoribus valdè cavendam consulo, moneóque ob evitandum scandalum pusillorum, quod sanè vitari vix posset, etiamsi hujusmodi remedia præstarent spontè sua Judices, vel aliæ personæ devotæ ex populo, nulla eis prævia Fratrum commonefactione de hujusmodi gravatorum negligentia, sed aliundè id scientes. Quare tutius duco, & consulo, quòd Fratres non solùm à tali commonefactione abstineant, sed etiam, quantùm possunt, resistant personis prædictis, ubi eas ex officio, vel spontè sua agere velle noverint, vel præsenserint: sinentes cæterùm, quòd hæredes hujusmodi, vel gravati, sed & Confessarij eos absolventes animæ suæ saluti consulant. Ipsi enim viderint.

29 Porrò integram sententiam nostram, cum omnibus responsionibus ad objecta, seu rationes, quas pro contraria opinione adducit Sanchez, invenio post hæc scripta, *in quodam M. S. P. Ioannis Mariæ Romani Diffinitoris, & Concionatoris ejusdem Provinciæ*; quo nimirum ille consuluit in Casu Capuccinarum Romæ, quæ profitentur primam Regulam S. Claræ, & in abdicatione annuorum redituum æquiparantur Capuccinis, & alijs Fratribus Minoribus Regulæ puritatem profitentibus; tamersi illæ spontè ita observent; cum cæteroqui per Conc. Trident. *sess. 25. c. 3. de Regularibus, & Monialibus*, dispensatæ sint cum omnibus alijs Monialibus: ut benè Sellius *in electis Canonicis cap. 16. n. 3.* ubi refert ad hoc Decisionem S. Congreg. Episcoporum, *in una Parmensi, 16. Ianuarij* 1596. & latè probat Rodericus *t. 3. qq. Reg. q. 29. art. 14.* & Barbosa *in Collect. ad d. c. 3. Conc. Trid. n. 6.* citans Armendarium testantem *de dec. Canonica*: Portell. *in dub. Reg. v. heredit. n. 7. & v. Moniales, n. 3.*

Non obstat (inquit ille) debitum conscientiæ, & justitiæ erga Testatorem in hæredibus, vel gravatis: aliter nullam eleemosynam legatam possent accipere &c. 30

Non obstat irrevocabilitas; quia hæc est conditio omnium Morientium eleemosynarum: & si obstaret, nullam eleemosynam legatam accipere possent; ut mox *suprà*. 31

Non obstat, quòd annuatim in futurum datur talis eleemosyna &c. nam non fuit relicta opere, seu procuratione, & inductione Monialium; ut supponimus, (& idem dic de Fratribus.) Nec repugnat (ait ille) mendicis peregrinis petere, & recipere tales eleemosynas annuatim in Nosocomijs ad id gravatis, si annuatim peregrinentur &c. 32

Non obstat deníque, quòd speciem habeant redituum annuorum; quia Moniales verè illum reditum non habent, (hoc est titulum, seu jus civile: sumit enim reditum, seu censum formaliter, juxta alibi dicta *art. 1. §. 18.*) nec videntur habere, dum merè eleemosynaliter petunt, & recipiunt; (juxta cautiones traditas à nobismet,) sicque respectu ipsarum non habent speciem reditus; quia nihil juris, vel administrationis habent super illas eleemosynas &c. Ità ille; cujus M.S. extat in Archivio Romæ. 33

§. IV.

Satisfit difficultati, quoad assertam Fratrum Minorum capacitatem, occurrenti, ex eo, quòd in statu Ecclesiastico, ex Summorum Pontificum Sanctionibus, legata perpetua ijsdem Fratribus relicta exiguntur à Deputatis Fabricæ Divi Petri in Urbe.

SUMMARIUM.

1 *Legata Minoribus relicta cur applicata fuerunt Fabricæ S. Petri in Urbe.*

2 *Legata Minoribus relicta eisdem solvi possunt ab hæredibus si indigeant nec resp[u]erint; nec eo casu Fabrica S. Petri ea petere poterit: sed solum quando hæredes negligunt ea præstare ipsis Fratribus, vel satagunt ea sibi retinere.* & numero 5. & 6.

Altare unum non est discooperiendum ut aliud cooperiatur. ibid.

3 *Bulla Clementis VII. permittens compositionem cum hæredibus super legatis Minoribus relictis, providet quidem conscientiæ hæredum, sed non per modum puritati Regulæ congruum.* & num. 4.

4 *Bulla Clementis VII. est dispensativa & relaxativa*

xativa puritatis Regulæ & mendicitatis Minoricæ: cui Capuccini renuntiarunt.

5 *Decretum applicans legata Minoribus relicta, Fabrica S. Petri, non impedit quin Minores ipsi ea recipere possint ab hæredibus volentibus eisdem solvere.* & num. 6. & 8. cum alijs seqq.

6 *Hæredibus recusantibus vel negligentibus solvere legata annua Minoribus relicta, Commissarij Fabricæ S. Petri post biennium illa sibi vindicant absque ulla compositione & diminutione.*

7 *Decretum S. Congregationis prohibens quamcumque compositionem & diminutionem legatorum annuorum Minoribus relictorum, à Commissarijs Fabricæ S. Petri, cum hæredibus gravatis ineundam.* & num. 8. cum seqq.

8 *Decretum primum ad literam refertur* à n. 8. usque ad 16. inclusivè.

17 *Decretum secundum juxta proprium tenorem adducitur*, à num. 17. usque ad 21. exclusivè.

21 *Bulla Alexandri IV. concedens Ordini Melitensi legata in pios usus incertos, non comprehendit legata Minoribus relicta.*

22 *Bulla Alexandri VI. moderatoria facultatum Fabricæ S. Petri in capiendis legatis Pauperibus in genere relictis; extenditur ad legata Minoribus facta.*

23 *Bulla Alexandri VII. in proprio tenore refertur* à num. 23. usque ad 27.

28 *Bulla alia ejusdem Alexandri VII. confirmatoria & declaratoria prioris: remissivè.*

29 *Decretum S. Congregationis ne Commissarij Fabricæ S. Petri occupent legata Minoribus relicta, nisi ipsis respuentibus.*

30 *Legata quæcunque Minoribus relicta nequaquam habenda pro non scriptis, sed fideliter impendi debent eisdem licito modo, vel in alios usus pios convertenda.*

1 QVòd autem in statu Ecclesiastico annua legata perpetua Fratribus Minoribus relicta exigantur à Ministris, & Commissarijs Fabricæ S. Petri in Urbe, cui à summis Pontificibus Julio II. Leone X. Paulo III. Clemente VII. Pio V. & alijs, præsertim novissimè ab Alexandro VII. applicata fuerunt legata omnia pia, quæ in propria specie impleri non possunt, quacunque de causa hoc eveniat: exceptis tamen legatis pauperibus in genere factis, ut videbimus: Hoc non fuit à Summis illis Pontificibus statutum; quia non possint ea licitè quotannis accipere Fratres Minores, si ipsi velint, & ab hæredibus, vel gravatis ijsdem præstentur, seclusa obligatione civili, sed ex naturali tantùm, & conscientiæ; prout falsò opinari quis posset. Sed ideò Sanctissimâ Providentiâ, plerumque causarum curâ substituerunt illi hujusmodi legatis Congregationem prædictam deputatorum Fabricæ Sancti Petri; quia, cùm ex una parte, ut plurimùm, cupiditate rerum detenti, desides, segnésque sint, suarumque immemores obligationum hæredes, vel Gravati in pijs Morientium relictis, eleemosynisvè solvendis; (de ijs modò loquor maximè, quæ Fratribus Minoribus præstari debent) ob idque quæ eorundem Morientium voluntates ioique fraudentur; ex alia verò parte, non adsit, cui legata ipsa sint civiliter acquisita, quíque idcircò politica actione agere queat adversùs eosdem hæredes, eosque cogere in Judicio; cum neque à Fratribus, neque à Pontifice, veluti ipsorum Patre, ac Domino speciali, civiliter sint acceptata: ideò Pontifices illi pro tempore existentes, ageréque velut omnium Fidelium Patres, & universi Dominici Gregis Pastores providere volentes (saltem in Ditione, seu statu Ecclesiastico, ubi Jus etiam temporale dicunt) tùm testantium voluntatibus, pijsque Causis, tùm hæredum, seu Testamentariorum conscientijs, eorum cupiditatem, vel desidiam legitimis ictibus ferientes, substituerunt prædictam Congregationem Deputatorum Fabricæ S. Petri, cui legata hujusmodi civiliter acquirerentur, adeóque jus competeret, actioque politica ad hæredes, vel gravatos ipsos coram Judicibus compellendos pro debita solutione.

2 At substitutio ista non est absoluta, sed tantùm pro eorundem legatorum portionibus, seu annuis præstationibus maturatis, & ultra biennium neglectis; itaut, si hæredes, vel Gravati ipsi ex sola naturali, & in foro conscientiæ obligatione erga Fratres voluerint ipsis fideliter tales annuas eleemosynas, juxta Testatorum mādata, præstare, nec ipsi id facere, nec Fratres eas accipere, si velint, & indigeant, ullo jure prohibeantur. Neque enim credibile aut verisimile est, quòd quisquam prædictorum Pontificum, qui specialiter Fratrum Minorum Patres, ac Domini extiterunt, voluerint absolutè à filiolis & servulis suis pauperrimis ad Fabricam prædictam ejusmodi eleemosynarū subsidia transferre; ut certo certius ex dicendis constabit. Nam & æquitas ipsa ita suadet, non esse scilicet discooperiendum Altare unum, ut alterum cooperiatur; prout est vulgatum apud Juristas; & Juris regulam appellat Filliuc. *t. 3. tr. 44. c. 3. n. 40.* cum Bart. Bald. & Gloss. & tradit Andreas ab Exea *in repet. in c. cum omnes: n. 29. de Constit. ex l. assiduis: §. exceptis: C. qui potiores in pignore habeantur: & l. si finita: §. sive autem: ff. de damno infect. & ex cap. cum causam: de præbendis:* & Bartolus *in d. l. assiduis: in 1. col. in vers. Not. ex §. Exceptis:* Baldus etiam *in l. cætera: §. sed si quis: in 3. col. in vers. Not. quòd non debet: ff. de legatis 1. & in authen nisi: in 2.*

col. in princip. super text. in v. Alimenta : C. Ad S.C.Trebellianum:itémque Jason *in d. l. cætera: §.item quæri potest:num.2.& d.§.sed si quis : n.5.* ubi allegat Bartol. Bald. & alios. Quare ex hoc capite confirmantur, non autem infirmantur asserta nostra, præcipuè verò statuta *in præcedente,§.* hæredum, & gravatorum obligatio ad hujusmodi morientium eleemosynas omni meliori modo solvendas, in eo etiam casu, quòd Fratres Minores illas respuerent; ut alibi docuimus.

3 Favere posset huic nostræ prædictorum Pontificum mentis explicationi, seu interpretationi, Decretum, sive concessio Clement. VII. *in Bulla*, quæ incipit: *Nuper pro parte vestra:* quam per extensum referunt Rodericus *qq. Reg. t.3.q.126. art.6.* & Angelus à Lantusca *in suo Theatro Regularium,v.legatum num.3.* in qua nimirum ex eo, quòd Fratres Minores ex Religionis Regulæ, & suæ ipsorum Professionis puritate, non sunt capaces legatorum annuorum, (civiliter intellige, & quoad effectum politicum in foro fori; non autem naturaliter, & ex sola obligatione conscientiæ præstitorum: quidquid senserint in contrarium Sanchez *lib.7.in Decal.cap.25.num.59.* & alij) volens in unum providere tùm pijs Morientium voluntatibus sustinendis, tùm hæredum, seu Gravatorum conscientijs, tùm etiam Fratrum pauperum indigentiæ, ex officio procedens decernit, atque concedit, quòd singuli Ministri Provinciales, vel Guardiani, cum aliquibus Discretis Fratribus Domorum, vel locorum, quibus hujusmodi legata, vel Institutiones factæ fuerint, vel imposterum fient, mediantibus Procuratoribus; & Syndicis, cum dictis hæredibus, & Executoribus super præmissis Institutionibus, & legatis componere possint.

4 Verùm hac Concessione *Clementis* providetur quidem, quòd hæredum, vel gravatorum cupiditas legitimo aliquali ictu feriatur, ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur; ut loquitur Nicolaus III. *in cap. Exijt: eo §. Ad hæc quia*: non providetur tamen per modum puritati Regulæ congruum, eámque profitentibus licitum: modus enim iste supponit, & confirmat alias prædecessorum Pontificum concessiones Regulæ puritatis, & Mendicitatis rigoris relaxativas, seu dispensativas, habendi scilicet per Fratres Procuratorem, vel Syndicum, qui pro hujusmodi relictis Eleemosynis agere possit in Judicio nomine Papæ, vel Apostolicæ Sedis, quod improbatum est *in §.præcedente, num.28.* per Casarubios, & alibi *Art.1.§.19.num.7. & §.22. numer.15.* Quapropter apud nos Capuccinos hujusmodi Clementinæ concessioni, seu dispensationi renunciatum est; ut patet ex *Constitutionum nostrarum cap. 1.* ubi Privilegijs omnibus, Indultis, & declarationibus Regulæ rigorem relaxantibus expressè indicitur renunciatio illis verbis: *Eperche fu non solo voluntà del P.S. Francesco, mà ancora di Christo nostro Redentore, che la Regola s'osservasse semplicemente à lettera, e senza chiosa &c.* prout retulimus *Art.1. §.19.num.11.* quinimò omnino exclusus à nostra Congregatione illius usus, constat ex ijs quæ habentur *in earundem Constitutionum cap. 4.* ubi Syndicum, vel Procuratorem habere interdicitur. Quòd verò illa Concessio repugnat puritati Regulæ, consentit Portel *tom.1. dub. Regular. vers. legatum, in Addit. numer. 2.* quem etiam affert & sequitur Franciscus Pellizarius *t.1. Manual. tract.4.cap.2.sect.2. q.49.* expressè, etiam revocata est talis facultas per Urbanum VIII. ut vidimus *artic. præcedent. §.4.num.12.*

Atqui allatæ illi nostræ interpretationi omninò concinit illud ipsum à nobis ibi allatum Decretum Sac. Congregationis ejusdem Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe, jussu prædicti sanctiss. D.N. Papæ Urbani VIII. editum *sub die 14. Februarij* 1633. quod refert etiam Augustinus Barbosa *in sum. Apostolic. decisionum extra Ius Commune vagantium, Collect.446. n.4.* ex Alphonso de Leone, *de officio Capellani, q.5. sect.ult.n.*440. quod etiam insinuant Pellizzarius *supra citat.* & Prosper Fagnanus *in 1. part. Tertij Decretalium, cap. Nos quidem: de Testamentis*: cujus quóque mentionem facit, & materiam optimè exponit Carolus Maranta *tom. 1. responsi.41. in fine*: ut testatur idem Barbosa. 5

Consulta igitur (inquit *Barbosa cit.*) Sacra Congregatio super legatis relictis ad favorem Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, eum onere Missarum: (*acquisitis tamen civiliter eorum titulis Fabricæ D. Petri, juxta Pij V. Decreta*) an possint per eosdem Fratres recipi, quatenùs hæredes ex sua libera voluntate (*sola conscientiæ obligatione ducti*) voluerint illa dare in eleemosynam, & committere Fratribus dictas Missas &c. Censuit, hujusmodi legata per debitores, vel hæredes, extingui, vel reduci non posse per compositionem cum Ministris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, seu sortem principalem, vel proprietatem absque aliqua diminutione conservandam esse semper, & perpetuò ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benè visos applicentur; ità tamen, ut quandiù applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint liberè si velint, dictis Fratribus dare dicta annua legata, per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda: Et quòd quælibet extinctio, reductio, seu diminutio Capitalis, seu proprieta 6

proprietatis aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso, nulla sit, nec debitoribus, aut alijs quibuscúmque suffragetur. Et quòd nolentibus dictis hæredibus, vel debitoribus dare supradictis Fratribus dictas eleemosynas, seu annuas præstationes, sive legata ut *suprà* solvere; vel illa, seu illas non solventibus, tunc, & eo casu, lapsis duobus annis à die obitus Testatoris, si fuit maturatum legatum, vel à die maturatæ illius solutionis, eadem Fabrica, & illius Commissarij, & Ministri id totum, quod solutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit, ut *suprà*, elapsum biennium, vel ultra, possit, & valeat annuas præstationes hujusmodi exigere, exigique facere ad sui beneplacitum, juxta suas facultates, & privilegia; salvo semper Capitali, seu proprietate, ut *suprà*, ad effectum, quòd hæredes, vel debitores (dummodò de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec prædicta legata in alios usus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) possint, si velint, etiam quandocúmque futuris temporibus, & sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemosynam, ut *suprà*: nec Fabrica eosdem hæredes, vel debitores molestare possit, & valeat, toties, & quoties casus contigerit, nisi de præterito, & tunc in illis terminis tantùm, post quorum maturationem elapsum biennium, vel ultra, ut *suprà*; salva semper erectione Beneficiorum, & applicatione legatorum, seu quorumcúmque bonorum, & redituum, &c.

7 Accedit & aliud ejusdem Generalis Congregationis Rever. Fabricæ S. Petri de Vrbe Decretum *sub die* 15. *Decembris* 1646. super ijsdem annuis legatis relictis Fratribus Minoribus de Observantia S. Francisci non componendis cum Commissarijs, & alijs Rever. Fabricæ Ministris, & Officialibus: sicque tenoribus hujusmodi Decretorum per eandem Sac. Generalem Congregationem consultum est non minùs indemnitati prædictorum Fratrum Ordinis Minorum, quàm provisum malitiæ hæredum, & aliorum quomodolibet obligatorum, simúlque confirmata doctrina nostra. Horum autem Decretorum tenores afferuntur per extensum ab Angelo de Lantusca *in suo Theatro Regularium V. Bona temporalia*, *num.* 5. *&* 6. prout sequitur.

DECRETVM PRIMVM.

8 *Cum sæpiùs fuerit habitus recursus ad Sac. Congregationem Ven. Fabricæ S. Petri super annuis legatis factis, seu faciendis ad favorem Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia cum onere Missarum, seu Officiorum, sive gratis, sive alio modo:*

Prætendente Ven. Fabrica S. Petri ad illam spe- 9
ctare propter dictorum Fratrum incapacitatem hujusmodi legatorum.

Dictis autem Fratribus allegantibus posse an- 10
nua legata hujusmodi recipere tutâ conscientiâ, quatenùs hæres ex sua libera voluntate voluerit illa dare in eleemosynam, & committere Fratribus dictas Missas, & Officia, juxta sententiam S. Bonaventuræ, & Decreta S. Congregationis à Sanctissimo Domino Nostro Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ Consultationibus proposita sub die 4. Iunij 1628. publicata.

Eadem Sac. Congregatio pro opportuna præ- 11
missorum provisione, facta priùs relatione Sanctiss. Domino Nostro Vrbano Papæ VIII. ac de illius expresso ordine, & mandato decrevit, in futurum super hujusmodi legatis observari, ut infrà.

Quòd hujusmodi legata per debitores, vel hæ- 12
redes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum Ministris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, sive sors principalis, vel proprietas absque alia diminutione conserventur semper, & perpetuò ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benè visos applicari possint. Ita tamen, ut quandiù applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint liberè, si velint, dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda.

Et quòd quævis extinctio reductio, seu diminu- 13
tio Capitalis, seu proprietatis aliter absque Romani Pontificis speciali permissione facta, eo ipso nulla sit, nec debitoribus, aut alijs quibuscúmque suffragetur.

Quódque Commissarij, alijque Ministri Ven. 14
Fabricæ super hujusmodi Capitale, seu proprietate supradicta se de cætero non intromittant, nec dictos hæredes, seu debitores aliquo modo molestent nisi ad effectum reinvestiendi in casu reinvestimenti, seu providendi, ut conserventur, ut suprà, aut aliàs in applicationis executionem auctoritate Apostolica factam, vel faciendam.

Et quòd nolentibus dictis hæredibus, vel debi- 15
toribus dare supradictis Fratribus dictas eleemosynas, seu annuas præstationes, sive legata, ut suprà, solvere, vel aliàs illa non solventibus, tunc in eo casu, lapsis duobus annis à die obitus Testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel à die maturatæ solutionis illius, eadem fabrica, vel illius Commissarij, & Ministri id totum, quod solutum non fuit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit, ut suprà, elapsum biennium, vel ultra, possit, & valeat annuas præstationes hujusmodi exigere, exigique facere ad sui beneplacitum, juxta suas facultates, & privilegia; salvo semper Capitali, seu proprietate ut suprà ad effectum,

quòd heredes, vel debitores (dummodò de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec prædicta legata in alios usus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit, possint, si velint etiam quomodocúmque fuerint temporibus, & sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in Eleemosynam, ut suprà, nec Fabricæ eosdem heredes, vel debitores molestare possit, & valeat toties, & quoties casus contigerit, nisi pro præterito, & tunc in illis terminis tantùm, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium, vel ultra, ut suprà; salva semper erectione Beneficiorum, & applicatione legatorum, seu quorumcúmque bonorum, & redituum, ac Iurium eisdem Beneficijs, seu alijs usibus pijs, Apostolica auctoritate facta, vel in posterum, quandocúmque, & quomodocúmque facienda, & executione literarum Apostolicarum desuper expeditarum, seu expediendarum; ita ut prafata Decreta ad illas nequaquam se extendant, sed illæ semper firmæ, & illæsæ remaneant, & suos plenarios & integros effectus sortiri debeant, ita quòd, neque Fabricæ, neque hæredes; vel debitores præfati ullo modo illas impedire retractare, vel controvertere valeant; & salvis semper Sedis Apostolicæ auctoritate, ac facultatibus competentibus dictæ Sac. Congregationi Ven. Fabricæ.

16 *Prohibuit tamen eadem Sac. Congregatio Fratribus supradictis, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, ne audeant, seu præsumant, nec quilibet eorum audeat, seu præsumat per se, vel per alios syndicos, Ministros, seu Procuratores tam sæculares, quàm Regulares dictas annuas præstationes, seu legata, nec judicialiter tam coram quocúmque Iudice Ecclesiastico, quàm sæculari Ordinario, vel Delegato, nec aliàs, nisi juxta formam dicti Decreti Congregationis, Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ Consultationibus à S.D. nostro deputatæ, ab heredibus, seu quibusvis alijs eorum debitoribus petere, minùsve dictis heredibus seu debitoribus facere aliquas receptas pro dictis annuis præstationibus, nisi pro rata, & pecunia, seu eleemosynis supradictis, cum effectu, ac verè, & realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, qua verè fuerit ijsdem Procuratoribus, aut alijs pro eis facta realis satisfactio, & insuper nec provisos Apostolicos pro tempore de Beneficijs, quibus legata supradicta fuerint applicata, vel eorum Procuratores, & Ministros super erectione dictorum legatorum directè, vel indirectè impedire, vel molestare quovis quæsito colore, vel prætextu audeant, vel præsumant. Datum Romæ ex Collegio ejusdem Sac. Congregationis die 14. Februarij 1633.*

Dominicus Cardinalis Gimnasius.

C. de Ghettis OEconomus.

DECRETUM ALTERUM.

Sacra Congregatio Generalis Rever. Fabricæ S. Petri de Urbe, ad consulendum non minùs indemnitati Fratrum Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci, quàm providendum malitiæ heredum, & aliorum quomodolibet obligatorum, qui differunt ultra biennium illis solvere annua legata pia cum oneribus Missarum, seu Officiorum, vel etiam gratis dictis Fratribus, seu eorum Ecclesijs relicta, ac etiam in futurum relinquenda sub spe postea super illis pro minori summa se componendi cum Commissarijs, & alijs Rever. Fabricæ Ministris, & Officialibus. 17

18 *Prohibuit, & expressè mandavit quibuscúmque Commissarijs, OEconomis, Secretarijs, & alijs quibuscumque Officialibus, & Ministris Rever. Fabricæ præsentibus, & futuris, & tam Urbis, & Status Ecclesiastici, quàm Regni Neapolis, & aliorum quorumcúmque locorum sub pœnis arbitrio ejusdem Sac. Congregationis, ne de cætero cum heredibus, vel alijs quomodolibet obligatis ad solutionem dictorum legatorum ad aliquam compositionem, remissionem, vel transactionem deveniant; sed ab illis omnes annatas supra biennium decursas, & non solutas integraliter exigant, & exigere faciant in beneficium dictæ Rever. Fabricæ, sine relaxatione alicujus minimæ portionis, sive quantitatis, servato in reliquis tenore Decreti in hac materia ab eadem Sac. Congregatione editi sub die 14. Februarij 1633.*

19 *Et compositiones, seu remissiones quascúmque in contrarium quomodolibet faciendas, eo ipso nullas, & irritas esse decrevit, & declaravit; mandans, ita componentes ad residui sic sibi remissi, seu condonati solutionem adstringi, & cogi posse, perinde ac si compositio, seu relaxatio per eos obtenta non esset.*

20 *Et ne ab aliquo hujus Decreti ignorantia prætendi, & allegari possit, decernit illud in lucem edi, publicari, & pro negotijs Status Ecclesiastici affixum in Urbe in jannis sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ, in Acie Campi Floræ, alijsque locis consuetis, & pro negotijs Regni Neapolis in jannis Ecclesiæ Archiepiscopalis Neapolis, necnon solita residentia Tribunalis ipsius Rever. Fabricæ perinde afficere, ac si omnibus interesse habentibus personaliter intimatum esset. Datum Romæ in Collegio ejusdem Sac. Congregationis die 15. Decembris 1646.*

21 Consimilem etiam declaratoriam Constitutionem ediderat jampridē Alexander Papa IV. *anno videlicet* 1257. qua nimirùm declarat, non fuisse suæ intentionis, quòd literæ à seipso, & alio Prædecessore suo concessæ Magistro, & Fratribus Domus Militiæ Templi Hierosolymitani, ad exigenda, & recipienda legata indistinctè in pios usus, non expressis locis aliquibus,

quibus, vel personis, relicta, &c. aliquod præjudicium generent Ordini Fratrum Minorum, quo minùs ejusdem Ordinis Fratres recipere valeant de ijs, quæ sibi legantur, atque à decedentium executoribus exhibentur, &c. ut per extensum refert Lucas VVadingus *tom. 2. Annal. in Regesto Pontific. Bulla* 86. quam vide *ibi*, si lubet cum alia ejusdem Pontificis Bulla, qua universis Testamentorum executoribus hujusmodi suam intentionem manifestam, renratámque facit, non obstantibus literis illis concessis, ut *suprà*.

22 At novissimè Alexander Papa VII. aliam edidit Constitutionem moderatoriam facultatum prædictæ Rever. Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe, circa legata pauperibus in genere facta; qua profectò, & si in ipsa non fiat mentio legatorum pro Fratribus Minoribus relictorum, roborantur prædicta decreta Congregationis ejusdem Rever. Fabricæ moderatoria, ut *suprà*. Siquidem legata Fratribus Minoribus relicta ad minimum sustinenda, & judicanda sunt, veluti legata pauperibus in genere facta; ut benè censuit Panormitanus (quem retulimus *supra §. 2. num. 30.*) in *cap. Nos quidem: num. 6. de Testamentis*: Est igitur Alexandrina illa Constitutio tenoris sequentis, videlicet.

Alexander Papa VII. ad perpetuum rei memoriam.

23 *Superni dispositione Consilij vices illius gerentes in terris, qui pauperum curam fidelibus suis præcipiens, quod uni ex illis fieret, sibi factum asseruit, in his Pastoralis officij nostri partes affectu paterno libenter interponimus, per quæ eorumdem pauperum, & præsertim per vicos, & plateas Mendicantium, necessitatibus opportunè consuli arbitramur.*

24 *Cum itaque retroactis temporibus fel. record. Iulius II. Leo X. Clemens VII. Paulus III. & alij forsan Romani Pontifices Prædecessores nostri, ut Basilica in honorem Principis Apostolorum in hac alma Urbe nostra opere supra cæteras magnifico, & eleganti construeretur, perpendentes, suas, & Apostolicæ Sedis facultates ad id minimè sufficeturas, Fabricæ dictæ Basilicæ, seu ejus Collegio, inter alias plures gratias, facultates, & privilegia, applicaverint legata pauperibus in genere sine speciali determinatione, & proprijs nominibus personarum non expressis relicta; cùmque hujus applicationis ratione pauperes, & potissimùm Mendicantes, legatis sibi relictis privati remaneant, multique pij Fideles retrahi, vel saltem tepidiores reddi possint ad relinquendum legata pia, quæ alias in eorumdem pauperum commodum relicturi essent, dubitantes irritas, & inanes evasuras similes eorum dispositiones, & in prædictæ Fabricæ utilitatem ob privilegia præfata cessuras. Nos, licet ad absolutam Fabricæ dictæ Basilicæ terminationem, illiusque ornatum à die nostra ad summum Apostolatum assumptionis mentem direxerimus, considerantes nihilominùs ejus admirabilem structuram ad optatum ferè finem esse perductam, ac proinde longè minorem pecuniarum quantitatem nunc pro ejus perfectione, & conservatione, quàm de tempore concessionis, antedicti, & aliorum ejus privilegiorum, esse necessariam, æquum, & rationi consentaneum esse censemus, ut, sublato privilegij hujusmodi impedimento, Christi pauperes in posterum legata sibi relicta, & pro tempore relinquenda plenè, & liberè capiant, & consequantur.*

Motu itaque proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus, & declaramus, legata pauperibus in genere ubicúmque locorum relicta, & pro tempore quandocúmque, & quomodocúmque relinquenda non ampliùs sub legatorum incertorum nomine in beneficium dictæ Fabricæ, juxta prædicta ejus privilegia, converti, neque sub ejus facultatibus comprehendi, sed illa omnia, veluti alia certa pia legata, in commodum, & beneficium pauperum, qui sub tali nomine, secundùm Iuris interpretationem comprehenduntur, plenè, & integrè, juxta piàs legantium dispositiones cedere, ac eisdem pauperibus ab hæredibus, alijsque obligatis, & seu à testamentarijs Exequutoribus, vel alijs quibus legatorum prædictorum solutio, seu exequutio commissa fuit, & erit pro tempore, eadem legata, sive in pecunia, sive frumento, pane, vino, alijsvè ad humanum usum necessarijs consistant, modis, temporibus, ac diebus à Testatoribus, seu leguntibus præscriptis solvi, & consignari debere. 25

Quòd si ob moram, seu ob negligentiam hæredum, aut Exequutorum, seu aliorum obligatorum, vel etiam ob mortem eorum, quibus pauperum nominatio, & electio, seu aliàs legatorum exequutio commissa fuerit, eorumdem legatorum solutionem, seu consignationem ultra debitum differri, vel impediri contingat, volumus, & mandamus, ut locorum Ordinarij, & illis deficientibus, Commissarij, & Ministri prædictæ Fabricæ, ad quos devolvitur, voluntatem Testatorum, & relinquentium legata, hujusmodi ad commodum, & beneficium eorumdem pauperum dumtaxat, prout servatur in alijs legatis certis exequantur. 26

Porrò, quoad legata pro pijs operibus, &c. (prout per extensum refert Lantusca *cit. v. Legatum num. 1.*) *Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30. Augusti 1655. Pontificatus nostri anno primo.* 27

28 Deinde verò, cùm in dies orirentur dubia super legatis pauperibus in genere relictis præfatus Pontifex Alexander VII. per aliam Constitutionem datam Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris *die 26. Novembris 1660. Pontificatus sui anno sexto*, eandem primam Bullam confirmavit, declaravitq; in ea,

non

non comprehendi legata pro pijs operibus incertis relicta; estque ea Constitutio in simili forma *Brevis*, tenoris, qui sequitur; videlicet.

Alexander Papa VII. ad perpetuam rei memoriam.

29 *Decet Romanum Pontificem, equi, bonique supremum, assertorem in terris à Domino constitutum, illa, quæ*, &c. ut de verbo ad verbum fideliter describit Lantusca *cit. num.* 2. quem vide si lubet. Plures item aliæ Epistolæ ad Commissarios, & responsa Sac. Congreg. Ven. Fabricæ prædictæ extant, sententiæ nostræ faventia, in nostro Archivio Romæ; inter cætera autem habetur Decretum in favorem nostrum specialiter factum *die 26. Octobris 16*.... ab eadem Sac. Congreg. habita de more in Palatio Eminentissimi Card. Barberini; quo decernitur, quòd in legatis factis Fratribus Capuccinis scribatur locorum Commissarijs, ut intelligant à Guardianis eorum Conventuum, si illis indigeant, & applicent eis legata integraliter; sin minùs transmittant fidem authenticam talis declarationis, & eo casu applicent illa Fabricæ. Ita ibi.

30 Atque ex his cùm Pontificum Constitutionibus, tùm Sac. Congregationis Fabricæ prædictæ Decretis canonicè decisum habet, quàm falsum sit, quòd annua legata sive simplicia, sive etiam certo & determinato Capitali, vel proprietati annexa, & fixa, & per modum Ususfructus legati Fratribus Minoribus relicta, irrita sint, & caduca, & pro non scriptis habenda, possintque idcirco tutissimâ conscientiâ (quæ omninò gratuita sunt) ab hæredibus, vel gravatis non solvi, & sibimet retineri; ut docent Sanchez & alij illius asseclæ Recentiores. Crede ergo, ea esse validissima, & pro scriptis habenda, utpote pia, atque ob id omninò solvenda ab hæredibus, vel gravatis ipsis sive ijsdem primò, & signanter Fratribus ex sola obligatione conscientiæ, si ita solvere ea malint; sive prædictæ Ven. Fabricæ deputatis ex obligatione civili illis acquisita; ut præfertur: Fratrésque ipsos eorum eo modo exhibitorum, seu præstitorum esse capaces; ut assertum, explicatúmque à nobis est.

---

§. V.

Satisfit cuidam alteri difficultati ex quadam Concessione percipiendi certam legati summam facta ab Vrbano IV. Fratribus Carmelitis, tanquam Mendicantibus.

SVMMARIVM.

1 *Legata annua simplicia Minoribus relicta longè differunt à certitudine annuorum redituum quæ adversetur eorum Regulæ.*

Regulæ S. Francisci puritas in quo consistat, ibid. & n. 2.

2 *Mendicitas incerta in constitutionibus Pontificijs expressa, qualis sit? explicatur.*

3 *Mendicitas Minorica secundum Regulæ puritatem observata quamcumque aliam Religiosorum Mendicantium antecellit.*

4 *Concilium Tridentinum dispensavit super paupertate Religiosorum Mendicantium, exceptis Capuccinis, & ijs qui de Observantia vocantur.*

Quid de Domo professa Soc. Iesu; & de Carmelitis, ibid. & n. 5.

5 *Carmelitæ possunt recipere usque ad centum Marchas argenti, ex constitutione Urbani IV. Concilij Tridentini dispensatio super paupertate Religiosa refertur*, ibid.

6 *Religiosi qui dispensationem Concilij Tridentini acceptarunt, solent tamen statis quibusdam diebus ostiatim mendicare, ut Mendicantes reputentur.*

Mendicitas Religiosa in quo consistat? ibid. & num. seqq

7 *Mendicantes ut sic, an vivere saltem partialiter debeant ex eleemosynis ostiatim quæsitis?* & n. 8.

8 *Mendicare, est vivere ad misericordiam hominum. Mendicitatis status non repugnant eleemosynæ spontè oblatæ, vel mandatæ, vel testamento relictæ & ordinatæ*, ibid.

9 *Constitutio Gregorij X.* in cap. un. de Relig. domib. *in verb.* solet, *expenditur.*

10 *Regula Seraphica* cap. 6. *illis verbis:* Vadant pro eleemosyna confidenter, *&c. exponitur, & pro admonitione sumitur.*

11 *Mendicatio ostiatim non fit ex necessitate Regulæ, sed ad majorem perfectionem.*

12 *Constitutio Urbani IV. pro Carmelitis explicatur.*

13 *Hæres gravatus præstare quotannis certam pensionem monasterio Religiosorum mendicantium tenetur in conscientia solvere, & Religiosi possunt recipere, nisi in specie ipsis interdictum sit.*

Mendicitati Minoricæ non repugnat legatum annuum cum moderaminibus requisitis, stante incapacitate annuorum redituum civiliter debitorum, & acquisitionis bonorum immobilium.

14 *Minoribus non est interdictum recipere annuas pensiones, non tamen ut civiliter debitas, sed per modum eleemosynæ in singulos annos ordinatæ & ipsis à Gravatis dispensatæ.*

Legatum annuum Minoribus relictum æquiparatur eleemosynæ ex voto debitæ: contra Sanchez.

Et

Et ubi testator legavit Minoribus absque modi expressione, intelligitur de licito, ibid.

15 *Clement.* Exivi: vers. Cumque annui reditus: *explicatur.*

Minores sunt incapaces annui reditus propriè dicti sive debiti civiliter, non tamen annui legati per medium eleemosynæ relicti, & naturaliter ad imminentes necessitates acceptati, ibid.

1 NEc quisquam putet, quòd capere annuatim legata simplicia, seu de Legatis simplicibus, ut assertum & explicatum est, sit capere quid certum ea certitudine, quæ militet contra Professionem, & Statum Mendicantium, sive ex Regula ij tales sint, quales sunt Fratres Minores tantùm, ut alibi docuimus cum *Miranda*; sive ex Constitutionibus, vel peculiaribus statutis, quales sunt alij omnes, qui se Mendicantes profitentur. Neque enim, ut jam toties repetitum est, hujusmodi legatorum, seu Morientium eleemosynarum perceptio annexam habet aut politicam certitudinem, aut usum, vel facti simplicis, alicujus boni immobilis, aut inter immobilia computati: Siquidem (ut benè Lezana generaliter loquens, *in Sum. tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 3.) Mendicantes, secundùm puritatem sui Status, ex vi mendicitatis, solùm obligantur ad non habendum bona stabilia, seu immobilia, aut inter immobilia computata, ex quibus annuos proventus, vel fructus, seu præstationes ad propriam sustentationem percipiant: Unde nec sunt obligati ad vivendum ex eleemosynis ostiatim mendicatis, nisi ex consequenti, & in casu, quo desint ipsis spontè à Fidelibus oblata, & data, vel aliquo alio modo per ipsos comparata, putà per laboritium sive spirituale, sive Corporale: sufficitque summatim, (præsertim, vel saltem quoad Fratres Minores) quòd vivant de non certo, seu de non suo, vel sibi debito civiliter, seu ex obligatione politica; sed ad misericordiam Fidelium vivant; quod est mendicare, secundùm D. Augustinum alibi relatum, cum D. Bonaventura, *art.* 1. §. 13. *num.* 16. ita ut nullos proventus, vel reditus jus Civile habere queant, non solùm in particulari, sed etiam in communi.

2 Hoc tamen intellige, secundùm Ius antiquum; ut constat ex *cap. unico, de Religiosis domibus*, §. *Confirmatos: in 6. edicto per Gregorium X. in Concil. Generali Lugdunensi*, ibi: *Quibus* (idest Religiosis Mendicantibus per Papam post Generale Concilium Lateranense sub Innocentio III. confirmatis, seu approbatis, & institutis) *ad congruam sustentationem, reditus, aut possessiones habere Professio, sive Regula quælibet interdicunt; sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta Mendicitas*, &c. seu arctissima, vel altissima Paupertas, qua Christo pauperi famulantur; ut de Prædicatoribus, & Minoribus loquitur Gregorius IX. *in cap. Nimis prava: extra, de excessibus Prælatorum, & subditorum.* Vides ergo, quomodo ex eo, quòd Mendicantibus ex ipsorum Professione, vel Regula interdicitur habere possessiones, vel reditus propriè dictos, idest civiliter certos, & sibi debitos, vel jura censuum, seu reditum, ijsdem victum tribuere dicitur per publicum quæstū (idest publicè panem quærendo, & alia necessaria ad sui sustentationem, cum aliundè non suppetunt ex ultronea hominū misericordia; juxta Gloss. *in l un. C. de Mendicitantibus validis, ad v. In publicū quæstum:*) incerta Mendicitas, seu Paupertas altissima. Dicitur autē hic, *incerta Mendicitas*, non quia ignoretur, utrū verè egeant, vel non; ut exponit Gloss. *in d. l. un. ad v. Incerta Mendicitas*: sed quia ipsi Mendicantes Religiosi nullam habent civilem certitudinem de ijs, quæ sibi ad victum proveniunt, vel proventura sunt, sive ex quæstu publico, sive ex ultronea exhibitione Fidelium sive etiam ex ipsorum laboritio proveniant. Secùs enim non possent licitè emendicare ab ijs, à quibus probabiliter sperant, & moraliter certi sunt, se se aliquid recepturos; putà, quia eos vel propria pietate propensos, vel aliqua conscientiæ obligatione astrictos ad eleemosynas erogandas noverunt. Habent igitur (ait Gloss. *in d. cap. un. ad v. Publicum:*) Eleemosynas quærere, unde vivant; quia certos reditus, vel Possessiones non habent, unde sequitur incerta Mendicitas. Incerta scilicet ea incertitudine, quæ opponitur certitudini Possessionum, & redituum propriè dictorum, eorumque proventuum; quæ est politica, vel civilis. Quod patet; quia quælibet alia Certitudo, sive juris naturalis, sive antidori, vel convenientiæ, aut moralis, etiam ex eo, quòd quis sit obligatus in conscientia ad eleemosynam dandam, &c. potest reperiri in omnibus illis tribus modis, quibus sive singillatim, sive collectim licet, secundùm Regulæ puritatem, etiam Fratribus Minoribus vivere; ut alibi docuimus *art.* 1. §. 14. *num.* 10. ex Nicolao III. *in cap. Exyt:* §. *Nec quisquam:* atque ideò à fortiori stare etiam quælibet earum potest cum Mendicitatis statu, ad quem tenentur cæteri Mendicantes. Neque enim, ex vi *allati Canonis Gregoriani*, majorem, aut Minorem arctitudinem, seu obligationem habent in hoc cæteri Mendicantes, quàm Fratres Minores.

Dixi: *ex vi allati Canonis Gregoriani:* Nam alioqui Mendicitas, seu paupertas Fratrum Minorum, ubi secundùm Regulæ puritatem observatur, & sine dispensatione, quamcumque aliam reliquorum Mendicantium antecellit. Ea enim est illius arctitudo, seu altitudo, ut 3

ejus

ejus Professores non solùm non possint procurare, vel congregare copiosas eleemosynas pro futuris necessitatibus; ut declaratur *in Clement. Exivi* : §. *licet verò vers. Rursus eum prædictus Sanctus* : cujusmodi esset procurare legata, cùm annua, & in futurum, tùm etiam pro unica vice, ubi id non permitteret præsens, vel imminens eorum necessitas, ut alibi docuimus *art.* 1. §. 20. *num.* 2. *& seq.* sed etiam jubentur ex formali Regulæ præcepto, *in cap.* 6. nihil penitùs sibi appropriare, civiliterve acquisitum habere tàm in communi, quàm in particulari, & quidem cùm per se, tùm per alium ex parte ipsorum specialiter se habentem; adeóque secundùm Regulæ puritatem, nihil tanquam civiliter certum, vel debitum ex parte sui ipsorum percipere queunt, sive illud sit ad propriam eorundem Fratrum sustentationem, sive ad Officiorum Ordinis executionem, sive ad quemcumque alium usum, etiam pro Ecclesia, & cultu divino. Ly autem, *Nihil*, excludit omnia, etiam pro unica vice, nedum ad modicum tempus, vel ad vitam unius Fratris; ut ostensum est *art.* 1. §. 22. *&* 28. & alibi sparsim. Hanc verò arctitudinem nequaquam habet Paupertas aliorum quorumcúnque Religiosorum, sive Mendicantium, sive non Mendicantium. Ob idque in illis faciliùs habere locum possunt (attento etiam Jure antiquo *Canonis prædicti*) opiniones, quas ex *Federico de Senis*, cum *Ioan. Paliarensi* affert Cardinalis Zabarella *in Clement. Exivi* : §. *Proinde : ad versicul. Cumque annui reditus* : Sanchez, & alij communiter, circa legata quæcúnque, & propriè dicta, civiliterque valida, & debita, pro Fratribus Minoribus relicta, sive ad certum usum divini cultus, sive in modica quantitate, sive ad modicum tempus, quibus videlicet mendicitas, etiamsi ea sint pro sustentatione ipsorum Fratrum, non omninò (ut aiunt illi) tollitur, sed tantummodò sublevatur, cum non totaliter per ea ipsorum necessitatibus provideatur.

4 Dixit iterum per parenthæsim, *Attento etiam Iure antiquo Canonis prædicti* : quia attento Jure novo *Concilij Tridentini*, jam absque dubitatione locum habent opiniones illæ apud Mendicantes omnes, exceptis Domibus Professis Societatis Jesu, (ut testatur Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 27. *num.* 3. 6. 7. *&* 29. & alij Scriptores ejusdem Societatis communiter, ubi de hac materia) & fortè quibusdam alijs, qui prædicti novi Juris dispensationi renunciarunt; quibus id dijudicandum relinquo. Nam per Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regularibus*, *& Monialibus*, Mendicantes omnes (Minoribus Capuccinis exceptis, & ijs, qui de Observantia vocantur) dispensati fuere à *prædicti Gregoriani Canonis* obligatione, non habendi scilicet ad sui sustentationem reditus, aut possessiones, consequentérque nec annualegata propriè dicta, seu civiliter acquisita, & certa, ipsisque politicè debita, sub forma saltem annui usufructus legati ipsis relicta: quatenùs videlicèt per præfatum Concilium concessum eis fuit, ut deinceps bona immobilia, adeóque & inter immobilia à Jure computata licitè possidere possent. Qua de dispensatione vide latiùs apud Lezanam *suprà cit. n.* 2. & apud Marcum Antonium Cuccum *in Instit. Major. seu Pandectarum Iuris Canonici lib.* 3. *de Regularibus, tit.* 1. *num.* 42. & alios. Cujusmodi quoque fuisse arbitror Concessionem illam relatam *in Compend. Privileg. Mendicant. v. Eleemosyna*, §. *Vrbanus IV.* qua nimirùm Vrbanus IV. ante Concilium Tridentinum dispensavit cum Fratribus Carmelitis, qui utique Mendicantes sunt; ut de quibuscúnque legatis indistinctè ad pios usus relictis recipere valerent usque ad summam centum Marcharum argenti. Itaut sensum illius Pontificis fuisse censeam de annuis legatis civiliter certis, & constitutis, quæ verè sunt annui reditus propriè dicti, & inter immobilia computati; si ex annuo usufructu legato proveniant.

Ex eo autem, quòd præfatus Pontifex limitavit summam (sive Capitalis, & proprietatis ea fuerit, sive reditus, vel præstationis annuæ: quod non potest dijudicari, nisi videatur illis Bulla) legatorum à prædictis Fratribus Carmelitis, ex ea concessione recipiendorum ad centum Marchas argenti: arguitur, quòd à me mox *suprà* dictum est, faciliùs scilicet potuisse, attento etiam à Jure antiquo *Canonis illius Gregoriani* habere locum apud alios Mendicantes, quàm apud Fratres Minores, opiniones illas: Annua videlicet legata propriè dicta, certa, & constituta, ut præfertur fuisse Mendicantibus concessa, & concedi potuisse, salva adhuc quodammodo eorum Professione Mendicitatis, quando tantæ non erant quantitatis, vel reditus, ut per illa eorundem necessitatibus totaliter provideretur. Si enim benè attendamus historicam veritatem, compertum fiet, eas opiniones fuisse à Doctoribus invectas post prædictum Urbanum, quoad usque Tridentinum absque limitatione quantitatis sive Capitalis, sive proventus, bona immobilia, adeóque annuos redictus propriè dictos, Mendicantibus, ut præfertur, habere concessit, illis verbis: *Concedit Sancta Synodus omnibus Monasterijs, & Domibus tam virorum, quàm mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum, & eorum; qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat, &c.* Ita Concilium. Cui tamen dispensationi

fationi nonnulli alij Ordines, seu Religiosi renunciârunt; nimirum Religiosi Societatis Jesu, quoad Domos Professas, (ut alibi docuimus cum Sanchez) & Carmelitæ discalceati in Hispania; quibus addi debent Clerici Scholarum piarum approbati in Religiosos à Gregorio XV. cum de ijs Paulus Papa V. *in sua Constit.* 101. *in ord.* statuerit, ut nihil omninò juris habeant, sed nec habere, aut acquirere quovis titulo possint in bonis, seu ad bona, quæ vocantur Immobilia, vel pro Immobilibus habentur. Videantur hac de re Pellizzarius *tom.* 2. *Manual tract.* 8. *cap.* 7. *sect.* 1. *q.* 1. *n.* 1. & Lezana *supra cit.*

6 Consuevêre tamen, vel post Concilium Tridentinum, Regulares, etiam qui Mendicantium nomine censentur, etsi ejusdem Concilij acceptaverint dispensationem bona immobilia possidendi, reditúsque habendi ad congruam sustentationem, aliqua identidem statis quibusdam diebus, vel temporibus per quæstum publicum sibi comparare; ut nimirum, quoad illa saltem, verè dici possint vivere, & sustentari, de non sibi civiliter debito, aut suo, sed ex proveniente absque ullo jure civili sibi ad illud competente, adeóque merè eleemosynaliter; in quo salvatur propriè essentia, & status Mendicitatis, cujus gaudent appellatione, & privilegijs.

7 Si tamen hic quæratur, An Mendicantes, ut tales, & rigore Mendicitatis attento, vivere saltem partialiter debeant ex eleemosynis ostiatim mendicatis?

8 Respondeo cum Azorio *tom.* 1. *Instit. Moral. lib.* 12. *cap.* 23. §. *Nonò quæritur:* & juxta ea quæ specialiter de Fratribus Minoribus, quoad hoc tradidimus *art.* 1. §. 13. *numero* 18. & §. 14. *numero* 15. & *seq.* id minimè requiri. Cum enim Mendicare, sit vivere ad Misericordiam hominum; ut sæpiùs diximus ex Seraphico Doctore cum D. Augustino loquente; hominum autem misericordia possit Mendicantibus impartiri tam ultronea piorum motione, aut ad impulsum, suasionem, vel mandatum alterius, quàm ad humilem eorumdem Mendicantium petitionem, consequens est, sufficere, (ut ait Azorius *cit.*) si vivant ex eleemosynis, vel sibi ultrò oblatis, & datis, vel alio quolibet modo quæsitis, ac partis. Quid enim, quæso, impedit, quò minùs Mendicantium Cœnobia sibi ad victum, &c. necessaria habeant ex eleemosynis, quas boni, ac pij viri spontè ad ipsos deferunt, aut mittunt? Quid etiam obstat, quo minùs alij pro ipsis Religiosis eleemosynas petant, ex quibus honestè sustententur, ac vivant? Ita ille. At certè res legatæ, quæ Fratribus Minoribus ab hæredibus, vel Gravatis ex sola obligatione conscientiæ præstantur, nulla civilis tituli, aut juris acquisitione intercedente ex parte Fratrum ipsorum, nihil aliud sunt, quàm meræ eleemosynæ, quas Morientes aut illis mittunt per suos hæredes, vel Executores, aut pro se ipsis petunt fieri ab iisdem hæredibus, vel executoribus suis. Non igitur Mendicitatis status, & professio necessariò importat suis Professoribus obligationem vivendi, saltem partialiter, ex eleemosynis ostiatim mendicatis, vel per publicum quæstum comparatis. Id quidem fieri ab ipsis solet ex consequenti; cum enim reditus, & possessiones non habeant (loquor jam de Mendicantibus verè talibus post *Tridentinum*) undè vivant, nec semper, vel pro omnibus necessitatibus adsint eis spontè oblata, vel missa, consequens est, quòd cogantur mendicare, & per publicum quæstum comparare sibi soleant pleraque necessaria.

9 Hinc consultissimè Gregorius X. *in illo cap. unico, de Religiosis domibus*, inquit: *sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta Mendicitas.* Nota Verbum, non dixit Pontifex: *debet*; sed, *Solet*.

10 Hinc etiam Seraphicus Pater *in cap.* 6. *Reg. Vadant* (inquit) *pro eleemosyna confidenter*, &c. Quod non præceptum, sed admonitio est; ut tradunt communiter ejusdem Regulæ Expositores: eáque nonnisi ex consequenti, & tunc dumtaxat observanda, quando desunt eleemosynæ, sponte à fidelibus oblatæ, aut missæ, vel per laboritium, humiliter comparatæ, ut dictum est *suprà hic, numero* 1. Hócque etiam clariùs *in suo Testamento* Beatissimus ipse Pater insinuavit, dicens: *Et quando non datur nobis pretium laboris, recurramus ad Mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim* Neque unquam prohibuit spontè oblata ad sustentationem recipere, cum moderaminibus requisitis: unde *in cap* 3. *Reg. in fin* ait: *Et secundùm sanctum Evangelium, de omnibus cibis, quæ apponuntur, eis liceat manducare.* Et Constitutionum nostrarum *cap.* 4. habetur: *Per tanto si guardino i Frati dal demonio meridiano, che spesso si trasfigura in Angelo di luce: equesto è, quando il Mondo per haverci divotione ci accarezza, con darci delle commodità terrene, le quali cose molte volte sono state causa di gran mali nella Religione.* Hæc ibi. Ac proindè etiam *cap.* 6. dicitur: *Essendo mandato alcun cibo soverchio, con humil ringratiamento lo ricuseranno; overo accettandolo, di loro consenso lo dispenseranno à Poveri; ricordandosi, che siamo all' Hosteria, e che margiamo i peccati de Popoli, e che d'ogni cosa ci converrà rendere sottilissimo conto. Per lo che sopra 'l tutto avertano, che abbondando di limosine per favor de' Grandi, e per la divotione del Mondo,*

Mondo, non abbandonino la Santissima Madre Poverta, come non legittimi figli del P. S. Francesco, &c.

11 Hinc etiam Sanchez *lib.* 7. *Decal. cap.* 27. *numero* 36. benè ait: Quamvis 6. *part. Constitutionum cap.* 2. *§.* 10. præparatio ad Mendicandum injungatur nostris, quoties à Superiore jussi mendicare fuerint, tanquam Paupertati consonum; id tamen ad majorem Paupertatis perfectionem est: & ideò qui jussus à Superiore renuerit mendicare, non Paupertatis, sed Obedientiæ violatæ reus erit. Quia per Paupertatis votum non dedicat homo suas actiones Deo, sed solas res externas pecuniâ æstimabiles. At esset reus voti Paupertatis violati, si jussus ex eleemosynis emendicatis vivere, aliundè sustentaretur; quia tunc bonis temporalibus invito Superiore uteretur. Hæc ille optimè, actum mendicandi Paupertati, & Mendicitati consonum dicens, non necessarium, nisi ex consequenti; ut dictum est *suprà*.

12 Atque ex his patet responsio ad objectionem, quæ posset fieri ex illa Concessione Urbani IV. Fratribus Carmelitis facta. Ea enim si fiat, nil ampliùs probat, quam Mendicantes ex vi suæ ipsorum Mendicitatis non fuisse tunc temporis capaces legatorum annuorum propriè dictorum, vel usumfructum legatum inferentium, ex quibus saltem totaliter sustentaretur; (id quod in præsentiarum non est dicere in ijs, qui allatæ *Tridentini* dispensationi non renunciârunt) ut patet consideranti rei veritatem allatam: At fuisse capaces annuorum legatorum simplicium, & impropriè dictorum; seu per modum eleemosynæ præstitorum; nulla est dubitatio.

13 Quam quidem veritatem optimè novit Franciscus Pellizzarius in terminis terminantibus & tradidit *tom.* 1. *Manual. tract.* 4. *cap.* 2. *section.* 2. *quæst.* 15. ubi quærens, An casu, quo hæres teneatur dare quotannis certam pensionem Monasterio Religiosorum Mendicantium, qui alioqui sint incapaces bonorum immobilium, & consequenter annuorum redituum; tales Religiosi eam recipere possint, & hæres in conscientia teneatur eam solvere? Respondens ait: Et hæredem teneri solvere ejusmodi pensionem, & supradictos Religiosos posse illam recipere; nisi in specie, id ipsis interdictum sit; uti de facto interdictum esse Fratribus Minoribus, dicit *Sanchez*: Patet autem responsio (sequitur Pellizzarius) tùm ex dictis *§. præcedente*; tum quia Domus Professæ Societatis sunt incapaces bonorum immobilium, ut non semel diximus; & tamen *infrà* ostendemus, (quod nimirum præstat *quæst.* 54. ex Castro Palao *tractat.* 16. *disput.* 3. *punct.* 10. *numero* 5. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tractat.* 10. *lib.* 4. *cap.* 9. *numero* 9. & Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 27. *numero* 9.) illas posse recipere ejusmodi pensiones, & hæredes teneri eas solvere, etiam ex justitia; ut addit *Sanchez*: idque ex tacito contractu facto cum Testatore in acceptanda hæreditate: quod est signum, cum incapacitate bonorum immobilium stare posse, quòd Religiosi habentes talem incapacitatem recipere possint annuos aliquos reditus, & quòd hæres teneatur illos solvere: cùm talis modus annuorum redituum reverà non adversetur Mendicitati, ratione cujus inducta est in Religiosis Mendicantibus incapacitas bonorum immobilium; cui simpliciter loquendo, solùm repugnat acquiri aliquod jus civile ad recuperandos annuos reditus; non autem quòd quoquo modo recipiantur annui reditus. Ita egregiè Pellizzarius, in eo tantùm à veritate declinans, quòd à *Sanchez* assertum testatur, si illud non referre tantùm, sed & sequi intenderit: Quòd scilicet Fratribus Minoribus sit specialiter interdictum, hujusmodi annuas pensiones recipere. Nam id omninò falsum est; ut alibi ostendimus: & inani nititur fundamento, ducto scilicet ex *Clement. Exivi: §. Proindè: versf. Cùmque annui reditus*: quod quomodo intelligatur, patet ex sæpiùs dictis, præcipuè *Art.* 1. *§.* 18.

At sanè non mihi videtur Pellizzarius falso illi *Sanchez* asserto subscribere, sed illud tantùm referendo proponere. Nam cæteroqui *ibid. quæst.* 48. ex ijs, quæ dixerat *quæst.* 14. *§. dices: & quæst.* 39. *§. Vtrum verò*: loquens de annuis legatis simplicibus, Fratribus Minoribus relictis, expressè affirmat, & absolutè docet, teneri hæredes, vel Gravatos solvere ijsdem Fratribus legatas pensiones, seu eleemosynas; neque unquam accrescere eas posse hæredibus ipsis, ita ut eo etiam casu, (inquit ille) quo ipsi Fratres sint incapaces, teneantur hæredes, vel gravati prædicti illas erogare; idest pauperibus, vel alijs pijs Causis in communi. Dum igitur Doctor iste addit: *Etiam eo casu, quo Fratres ipsi sint incapaces*; satis insinuat, sententiam suam eam esse, quòd sint capaces, quemadmodum sunt etiam Domus Professæ Societatis suæ; juxta sententiam, quam tenet, & veriorem prædicat Castro Palao *alibi* allatus. Idque clariùs adhuc colligitur ex eo, quod de officio Iudicis nobili Fratribus Minoribus competente pro ipsis legatis eleemosynis, &c. idem Pellizzarius *ibidem* non semel; & *tom.* 2. *tractat.* 9. 14

cap. 3.

cap. 3. *section.* 4. *quæst.* 34. docet ex Sanchez ipso *in Decal. lib.* 4. *cap.* 41. *numero* 7. dicente, quòd ficut cum quis ex voto fe obligat dare verbi gratiâ quotannis certam eleemofynam Xenodochio, vel certo pauperi, non ideò acquiritur illi loco pio, vel pauperi jus aliquod civile compellendi hujufmodi obligatum per modum actionis civilis, fed fola utilis actio illi competit implorandi officij Iudicis, ut ipfe ex fe procedens compellat voventem exequi Votum; quæ fola actio non importat, vel fupponit jus ad rem: ita cùm quis per Teftatoris difpofitionem tenetur præftare certas aliquas eleemofynas Fratribus Minoribus, poffunt hi ad legata ipfa fibi relicta folvenda implorare officium Iudicis, cùm tamen nullum jus ad ea comparent. Quam paritatem debuiffet idem Sanchez admittere etiam *lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 57. ubi eam negat contra eos, qui illam afferunt pro ratione affertæ ab ipfis cùm obligationis hujufmodi gravatorum ad illas eleemofynas iifdem Fratribus præftandas, tum capacitatis Fratrum ad illas recipiendas, fi velint. Hanc autem ipfemet Sanchez *ibidem* affert *num.* 48. eique *numero* 49. ita refpondet: Nec obftat prima ratio contraria: quia quamvis eo modo habere reditus (ideft ex obligatione voti in folvente) non repugnet paupertati Minorum; at Teftator non eo modo relinquit, fed ut cuicúmque alij perfonæ. Et Pontifex *in eo* §. *Proinde: verf. Cúmque annui reditus: Clem. Exivi:* hanc legati formam declaravit effe contrariam Statui Minorum; cui declarationi tenemur ftare, dum in hujufmodi legato non explicat Teftator modum licitum, ut nempe in ordine ad feipfum folum teneatur hæres eam eleemofynam dare. Hæc ille inutiliter omninò refpondens, nec vim paritatis effugiens. Efto enim, quòd Teftator non eo modo reliquerit exprimendo fcilicet modum licitum, nempè ut hæres in ordine tantùm ad fe ipfum, vel etiam ad Deum, ficut in Voto, teneretur illam eleemofynam Fratribus præftare: adhuc tamen nec expreffit modum illicitum, nempe ut teneretur Fratribus ex jure civili ex titulo legati propriè dicti ipfis acquifito. Habemus autem regulam ex Nicolao III. *in cap. Exijt: eo* §. *Ad hæc, quia:* quòd fi Fratribus prædictis legetur aliquid abfque modi expreffione debet intelligi relictum fub modo licito.

15 Quòd verò Pontifex Clemẽs *in eo verf. Cúmque annui reditus:* hanc fimplicis legati formam (fcilicet annui) declaraverit effe contrariam ftatui Minorum; falfum eft: nam *ibi* Pontifex loquitur de annuis reditibus propriè dictis, adeóque vel de annuis legatis, fimplicibus quidem, fed provenientibus ex obligatione civili, & ex jure civili ex parte Fratrum acquifito; vel (& eft verior fenfus) de annuis legatis importantibus ufumfructum Fratribus directè legatum, ut alibi fæpiùs, latiúfque oftenfum eft. Atque hæc obiter pro refutatione Sanchez, quam ampliùs in fequentibus profequemur. Verè ergo & hæredes, vel gravati tenentur in foro confcientiæ bujufmodi Morientium Eleemofynas Fratribus Minoribus fignanter folvere; & Fratres ipfi funt illarum capaces ex tali obligatione fimpliciter præftitarum, etiamfi ea obligatio, non folùm dicatur juftitiæ civilis in ordine ad Teftatorem, fed etiam juftitiæ naturalis in ordine ad ipfos Fratres: cùm per illarum receptionem nec quicquam recipiant Fratres fibi civiliter debitum, aut certum, nec quicquam fibi appropient, neque ufum babeant Immobilium, adeóque in nullo lædatur arctiffima ipforum Mendicitas; ut ex præjactis fundamentis liquet, & irrefragabilibus doctrinis, divi præcipuè ac ter Seraphici Doctoris Bonaventuræ Pontificiifque fanctionibus comprobatum eft. Vide *in Cafu fecundo* §. 6. *fegm.* 10.

§. VI.

Sequitur idem argumentum, quòd fcilicet per hujufmodi Morientium Eleemofynarum receptionem non lædatur Fratrum Minorum Mendicitas, adeóque nec dependentia fpecialis à divina Providentia, ad quam ipfi tenentur. Et ampliùs refutatur Sanchez in multis pofitionibus in hac materia.

SVMMARIVM.

1 *Dependentia fpecialis à divina providentia, ad quam Minores tenentur, in quo confiftat, vel quid ei repugnet:* ex Clem. Exivi: §. licet vero: verf. Rurfus: *& alibi.*

2 *Certitudo eleemofynarum civilis, vel procurata, repugnat mendicitati Minoricæ, & dependentiæ fpeciali à divina providentia.*

Mendicare, eft folo titulo neceffitatis, fine actione civili, petere neceffaria ad vitam tolerandam, ibid.

Mendicitas Minorum dicitur Incerta: & quare? ibid.

Certitudo moralis eleemofynarum non repugnat Mendicitati Minoricæ, ibid. & n. 3. 4. & feqq.

3 *Minores an poffint recipere Domos à Dominis temporalibus, à quibus dumtaxat neceffaria ad victum & veftitum accipere poffunt ratione locorum.*

4 *Fundationes piæ cum onere præstandi necessaria Minoribus, licet importent certitudinem moralem eleemosynarum, etiam pro illis implorato Iudicis officio nobilis, non repugnant mendicitati eorum.*

5 *Minores possunt recipere singulis annis eleemosynam ab eadem persona, quæ illam tenetur dare in conscientia.*

6 *Eleemosyna moraliter certa, dummodo non sit excessiva, nec civiliter certa, non repugnat paupertati & mendicitati Minoricæ.*

Hæredes tenentur in conscientia præstare legata etiam annua Minoribus relicta: ipsique Fratres ea recipere possunt cum moderaminibus requisitis, salva puritate Regulæ, ibid. & n.9.

Moderamina illa in quo consistant? ibid.

7 *Declarationes quædam P. P. de Observantia referuntur circa legata perpetua sibi relicta: & quo sensu intelligenda sint, juxta mentem S. Bonaventuræ*: & n.8.

8 *Rodericus à suggillatione quod transgrediatur terminos quos posuerunt Patres vindicatur*, & n.2. cum seqq.

Roderici doctrina consentanea est menti & institutis S. Bonaventuræ, ibid.

9 *Hæredes, vel alij Gravati, tenentur in foro conscientiæ præstare legata annua sive simplicia, sive cum onere Missarum, &c. Minoribus relicta: & ipsi tuta conscientia recipere possunt cum moderaminibus requisitis.*

10 *Sanchez nimis latè & indistinctè loquutus de eleemosynis à Morientibus relictis Minoribus, rejicitur*, & n.11.

11 *Hæres non dicitur solvere per errorem legatum Minoribus relictum, sed potius liberè & ex obligatione etiam civili erga testatorem ex aditione contractam, & in foro conscientiæ erga Minores. Contra Sanchez.*

13 *Hæres non potest dici solvere per errorem legatum Minoribus relictum, propter ipsorum protestationem se illud recipere solùm per modum eleemosynæ.*

Nulla lex, vel constitutio Minorum adduci potest irritans legata etiam annua ipsis relicta: quæ ideo non sunt habenda pro non scriptis: sed vel ipsis omni meliori modo, vel alteri piæ Causæ debent impendi, ibid.

14 *Legatum etiam annuum Minoribus relictum, non importans usumfructum legatum, nec civiliter debitum, non est modus recipiendi ipsis interdictus.*

15 *Legata annua simplicia Minoribus relicta non censentur sub modo illicito, nisi exprimatur: quo non expresso, præsumuntur facta ita ut donans merito, & Fratres effectu doni & sua conscientiæ puritate non fraudentur.*

16 *Minoribus non est interdictum recipere eleemosynam annuam ex voto debitam, juxta Sanchez, qui tamen aliud sentit in legato annuo.*

Eleemosynam annuam Minoribus præstari ex voto, vel ex legato, paria sunt, juxta declarationes hic, & alibi allatas, ibid.

Sanchez malè astruit diversitatem inter receptionem eleemosynæ annuæ ex vi voti, vel ex vi legati impropriè dicti soluta, respectu status paupertatis Minoricæ, & num.18.

17 *Hæres tenetur vota defuncti realia adimplere: & Minores eleemosynam ex voto debitam ab hæredibus voventis recipere non vetantur.*

18 *Testator legans Minoribus eleemosynam censetur habere intentionem donandi Deo, vel propter Deum: & tale legatum debet impleri ab hærede tanquam ex voto reali testatoris debitum, omni meliori modo.*

19 *Votum, quatenus est obligatio erga Deum directè facta, in quo differat à promissione vel donatione quæ fit homini acceptanti illam.*

Promissum ex voto simpliciter, potest commutari, vel dispensari: secùs si ex obligatione homini facta & acceptata absque ejus consensu.

Vota realia quomodo ab hæredibus implenda, ibid.

20 *Sanchez malè absolvit hæredes à præstandis legatis annuis Minoribus relictis, perperam putans ea haberi pro non scriptis, & hæredibus accrescere; cùm tamen eadem admittat valere facta Domibus professis Societatis Iesu.*

21 *Sanchez iterum refellitur dum dicit, Eleemosynam annuam ex voto promissam non interdici Minoribus, secùs ex legato*, & n.22. cum alijs seqq.

22 *Census annuus non perpetuus an inter Immobilia computetur.*

Clementina, Exivi. verf. Cúmque annui reditus: *explicatur*, ibid.

23 *Legatum magnæ quantitatis Minoribus relictum validum est, & quomodo pro imminentibus necessitatibus præstandum.*

24 *Obligatio tripliciter considerari potest.*

Pauperes sustentari Reipublicæ interest, ibid.

Sanchez malè intellexit. Clement. Exivi: verf. Cumque annui reditus.

25 *Minores an possint recipere legatum annuum ad certum Dei cultum deputatum tanquam civiliter debitum.*

Minores

Minores superfluitatem & nimiam pretiositatem in suis ædificijs, Ecclesijs & Ecclesiæ ornamentis admittere non debent, ibid.

1 EX dictis *in §. præcedente*, colligitur, quòd eapere ex simplici annuo legato impropriè dicto nec minimùm pugnat cum dependentia speciali à divina providentia, ad quam tenentur Fratres Minores; ut de mente Seraphici Patris Francisci testatur Clemens V. *in Clem. Exivi*: §. *Licet verò*: *verf. Rursùs, cum prædictus Sanctus*: Huic siquidem dependentiæ speciali solummodò repugnare perhibentur legata propriè dicta, & civiliter certa, quæ etiam Mendicitati repugnant; vel etiam legata annua impropriè dicta, sed à Fratribus ipsis procurata, tanquam provisiones, & congregationes in futurum, & superfluæ pro præsentibus, vel imminentibus necessitatibus; ut docuimus ex nostris Constitutionibus *art. 1. §. 20.* Hoc enim propriè comprehendi intelligendum est in illo *Clementinæ cit.* textu, ibi: *Rursùs, cùm prædictus Sanctus* (scilicet Beatus P. Franciscus) *tam in exemplis vitæ, quàm verbis Regulæ ostenderit se velle, quòd Fratres sui, & Filij, divinæ providentiæ innitentes suos in Deum jacerent cogitatus, qui volucres cœli pascit, quæ non congregant in horrea, nec seminant, nec metunt; non est verisimile, voluisse ipsum, eos habere granaria, vel cellaria, ubi quotidianis Mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam: Et idcircò non ex timore levi relaxare se debent ad congregationes, & conservationes hujusmodi* (scilicet grani, & vini temporibus messium, vel vindemiarum, ita ut per anni residuum; & absque eorum mendicatione possint transigere vitam suam, ut *in eadem Clement. §. Proinde: verf. Item, quòd temporibus*:) *faciendas; sed tunc tantùm, cùm esset multùm credibile ex jam expertis, quòd non possent vitæ necessaria aliter invenire*: Hæc ibi; ubi Gloss. *ad v. Pascit*, ait: Nota, quòd non repugnat Mendicanti conservare victualia, quando timetur (timore tamen non levi) quòd alio modo haberi non poterunt, scilicet in futurum. Quàm autem mendicitati Fratrum Minorum repugnet nedum procuratio rerum superfluarum, etiam sub colore providentiæ in futurum, sed & earum receptio spontè oblatarum; constat ex *cap. Exijt*: *§. Insuper nec utensilia*: & alibi à nobis non semel expensum est.

2 At, quod attinet ad præfatam certitudinem legatarum hujusmodi annuarum eleemosynarum; quòd nempè illa sola, quæ civilis est, (seclusa procuratione Fratrum) repugnet Mendicitati, adeóque & dependentiæ speciali à divina providentia, ad quam Fratres ipsi tenentur, ut præfertur: disertissimè tradit Emmanuel Rodericus *quæst. Regul. tom. 3. quæst. 3. de Mendicitate, articul. 3.* ubi totus est in probando, quòd Fratres Minores tenentur vivere de eleemosynis, seu de Mendicitate: nam mendicare (inquit) est, solo titulo necessitatis, sine actione aliqua civili, petere necessaria; ad quod tenentur dicti Fratres ex vi suæ Regulæ: & sic tenent communiter omnes Scriptores *super dictam Regulam*: & hoc cunstat ex declaratione Nicolai III. *in cap. Exijt*: & Clementis V. *in Clem. Exivi*: Nam quantumcúmque dictis Fratribus jure naturali, vel divino, vel alio quocúmque modo aliquid debeatur pro Missis, Sermonibus, Exequijs, aut pro alijs exercitijs spiritualibus, aut corporalibus, aut pro quacúmque alia causa; ipsi tamen Fratres non possunt id recipere, aut petere, nisi purè eleemosynaliter, sine ullo titulo juris civilis ex parte ipsorum; prout resolvit doctissimus Corduba *super Regul. cap. 5. quæst. 1. & cap. 6. quæst. 1. 5. & 10.* Unde eorum Fratrum *Mendicitas* dicitur *incerta*; quia scilicet non habet certitudinem civilem, & nullum jus, neque Actionem in rem, quæ ipsis eleemosynaliter datur; quamvis habeant certitudinem probabilem Moralem. Et sic possunt habere certas eleemosynas, quas solent aliqui Domini, aut Communitates ipsis facere; cùm possint habere certas eleemosynas moraliter, non autem certas civiliter; prout idem Corduba ait *in d. q. 10.*

Ex his infertur, (sequitur ille) quòd possunt dicti Fratres recipere domos ab aliquibus Dominis temporalibus præbentibus omnia necessaria ad victum, & vestitum, sine eo quòd ostiatim hæc petantur, præcipuè in locis, ubi etiam si ostiatim mendicentur, minimè suppeditabuntur: cùm hæc omnia à prædictis Dominis non actione aliqua civili petantur, sed per viam eleemosynæ ab ipsis quotidiè cum maxima ipsorum Fratrum verecundia mendicentur. Successores enim horum Dominorum, & illi, ad quos pertinet hæc dare, sæpè contingit, ut sint indevoti, & omnia murmurando tribuant: sæpè etiam contingit, ut zelent magis reformationem Fratrum, quam ipsorum moderatam refectionem fingentes suo zelo avaritiæ mixto, ipsos Fratres debere esse, sicut Angelos Dei, qui ijs necessarijs ad vitam minimè indigent. Propter quod ego nunquam consulerem, (*vide etiam à me dicta infra §. 17. numero 6. & 7.* ut in nostra Religione Minorum sumantur Monasteria in locis, ubi quotidianis Mendicationibus à vicinis ipsorum locorum non potest sperari posse transigere vitam; cùm ea, quæ à dictis Dominis, & eorum successoribus dantur, non valeant peti civiliter, sed tantùm eleemosynaliter, mendicando. 3

4 Aliquando autem contingit, ut ipsi Domini fundent vincula, aut Capellas cum magnis reditibus; aut eus reditus relinquant alicui Confratriæ, aut Collegio pio, cum obligatione, ut ipsis Fratribus omnia necessaria suppeditentur, qui acceptantes dicta legata cum prædicto gravamine, obligantur in conscientia, ipsis Fratribus providere: ipsi tamen Fratres minimè id in Iudicio petere possunt, cùm sint incapaces cujuscúmque Actionis civilis: possunt tamen implorare officium Iudicis, qui Iudex imploratus, ex officio, non ad petitionem, vel instantiam juridicam ipsorum Fratrum, potest compellere supradicta administrare, juxta ea: quæ in *Superioribus* dicta sunt: & Fratres ex dictis possunt recipere supradicta tantùm per viam eleemosynæ: & licèt sint certa, ipsa tamen certitudo est moralis, non civilis; & ipsi non sunt incapaces eleemosynæ moraliter certæ. Hactenùs Rodericus: qui etiam *tom.* 2. *quæst.* 126. *art.* 4. eandem doctrinam tradiderat, hisce verbis.

5 Infertur tertiò, quòd possint Fratres Minores singulis annis petere eleemosynam ab eadem persona, & eam tutà recipere conscientiâ, sine eo, quòd in hoc, eorum Regula, & Institutum Paupertatis in aliquo transgrediatur, sive dans dictam eleemosynam intelligat eam liberè dare, sive arbitretur ad eam dandam in conscientia obligari: Non enim Fratribus Minoribus in eorum Regula prohibetur, talem eleemosynam recipere ab eo, qui eam dare tenetur; scilicet in conscientia.

6 Neque obstat, quòd eleemosyna sit certa, & videtur illicitum ipsis Fratribus habere aliquid certum. Nam respondeo, quòd etiamsi dicta eleemosyna sit certa moraliter; at civiliter incerta est: &, esse eleemosynam moraliter certam, quia certò solvi debet, non repugnat statui paupertatis altissimæ, nisi ipsa sit excessiva; prout tenet Corduba, *in cap.* 6. *Reg. quæst* 10. allegans Sylvestrum *in Sum. v. Legatum* 2. *quæst.* 4. Neque eleemosyna moraliter certa repugnat paupertatis statui, quando ipsa eleemosyna verè liberaliter datur, nulla obligatione, etiam in foro conscientiæ ad eam dandam compellente; nam sufficit, ut non sit contra paupertatem, talem eleemosynam recipere, quòd ipsa nullo modo à dictis Fratribus peti possit (idest civiliter, sed ex debito, & obligatione politica in dantibus existente.) Hæc iterum ille, & quidem egregiè, *ibidem* etiam sustinens, obligari in foro conscientiæ hæredes, vel executores testamentorum ad legata annua, etiam perpetua, Fratribus Minoribus facta, ijsdem solvenda; posséque ipsos Fratres illa ex tali obligatione præstita capere, si velint, cum Moderaminibus requisitis. Quæ omnia cum ab ipso asserantur conformiter ad doctrinam S. Bonaventuræ, quam approbavit, & secuta fuit Sac. Congregatio Ven. Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Sac. Congregatio ab Urbano VIII. Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ consultationibus præposita; ut vidimus *suprà*, §. *præcedente*: non est cur ab aliquo suggilletur Rodericus ipse, quasi transgrediens terminos, quos posuerunt Patres ejus; & quasi perperam hæredum, & Executurum conscientias ligans: suam autem, ac Fratrum laxans, immò relaxans; dum dicit, hæredes in conscientia teneri ad persolvenda Fratribus legata annua, & eorum Fratres esse capaces. Non est, cur quis vereatur, ne fortè capacitas ista sit inexplebilis illa concupiscentiæ vorago, quæ nunquam dicit, *Sufficit*; sed semper, *Affer*, *Affer*: ejusdem namque capacitatis Assertores omnes, præcipuè *Rodericus*, (ísque palmaribus literis id exprimit *primo loco cit.*) moderata illam quantitate tantùm, pro præsentibus, vel imminentibus necessitatibus Fratrum, nequaquam ad thesaurizationem, superfluitatem, aut copiam, volunt, & protestantur debere esse contentam, eáque humiliter dumtaxat, seu eleemosynaliter petitâ, & receptâ. Non est, inquam, cur quisquam zelo percitus Minoricæ paupertatis Rodericum criminetur, quòd hæc ipsius sententia, secundùm suam latitudinem, ejusdem unius sit feréque nullius, per consequens, ex Doctoribus, sive Auctoribus approbatis. Ea enim est tot aliorum doctissimorum, ac prudentissimorum, Observantiæque zelo probatissimorum Virorum, Generalium etiam nustri Ordinis Ministrorum, quos alibi retulimus *art.* 1. §. 32. *num.* 21. præcipuè S. Bonaventuræ, ut ex jam dictis compertum est. Sanè autem vel Rodericus ipse in utriusque Iuris prudentia probatissimus est, maximíque facienda ejus sententiæ auctoritas.

Parcerem tamen libens, si quis adesset præ 7
Minoricæ observantiæ zelo, sic illum criminatus, ita suggillans; hícque apud me sine crimine esset. Censerem enim, ipsum duci auctoritate quarumdam ordinationum, vel declarationum à Patribus de Observantia editarum in Capitulis Generalibus; quas referunt Corduba, & Sanchez *aliàs cit.* sed & quarum nosmet alibi mentionem fecimus. Prima est, quæ facta fuit in Capitulo Burgis celebrato *anno* 1523. hisce verbis: Declaratur, quòd ad legata perpetua petenda non possunt Fratres recurrere, nisi per modum eleemosynæ, absque alicujus debiti allegatione; immò cum declaratione scripta & sigillata, hæredibus, vel Commissarijs facienda, quòd scilicèt Fratribus non liceat talia petere, nisi humiliter,

humiliter,& per modum eleemosynæ. Altera est,quæ facta fuit in Capitulo celebrato Anissij *anno* 1526.in hæc verba:Decernitur,ac præcipitur, quòd Fratres nullo modo recipiant legata aliqua perpetuù relicta aliquibus personis, vel Hospitalibus, vel alijs Domibus, ut dent Fratribus certam eleemosynam simpliciter, ut ipsi dicant certa Officia,vel Missas;immò quòd Guardianus, vel Præses faciat Protestationem juridicam,& authenticam ei, qui implere tenetur Testatoris voluntatem, quòd nolunt eas eleemosynas ex vi illius legati, nec volunt obligari ad illa Officia,vel Missas;& quòd si volunt Executores testamentarij, transferant ad alium locum. Si tamen, facta ista protestatione,Testamentarius præfatus voluerit ex sua mera voluntate dare eleemosynas illas,& committere Fratribus dicta Officia,& Missas, possint Fratres cum bona conscientia recipere. Hæc Patres illius ordinis.

8 Verùm, quo sensu candidè, germanéque juxta Doctrinam, mentémque D. Bonaventuræ intelligendæ sint prædictæ declarationes, protestationes, & statuta; iam *suprà* ostensum est *art.1.§.20 num.16.& seq.* ubi alia ejusmodi retulimus illis antiquiora, & etiam recentiora, & quidem antiquiora ex Jossiniauensi, facta à Seraphico Doctore S. Bonaventura *anno* 1260. tunc temporis Generali Ordinis Ministro, in Capitulo Generali Narbonæ ab ipso celebrato;recentiora verò facta à P.Clemente de Monialia Generali Ministro in Capitulo Generali Salmanticæ celebrato *anno* 1553. prout latius *loc.citat.* simul etiam constat ex dictis *artic.2.§.2.& 3.* ubi pariter Seraphici ipsius Doctoris enucleatam in hoc proposito sententiam fidelissimè recensuimus: Ob idque si benè attendatur relata *Roderici* sententia, nec iota unicum Declarationes, & Ordinationes ipsas; adeóque Seraphici Doctoris mentem transgredi perhibetur; & consequenter non potest ille ab aliquo criminationem, crisimuè pati, quin eadem & Seraphico Doctori impingatur.

9 Constans igitur maneat Conclusio nostra ad cardinalem *præsentis articuli* titulum, cum D. Bonaventura, Roderico, Castro Palao, & alijs: teneri naturaliter,& in foro conscientiæ, non civiliter, & in foro fori, hæredes,vel Gravatos, aliosvè hujusmodi Executores testamentarios præstare Fratribus Minoribus simplicia annua legata,etiam perpetua,ijsdem relicta,sive merè gratuita illa sint, sive cum onere Missarum; posséque tutissimâ conscientiâ eosdem Fratres, si velint, res sibi oblatas ex tali obligatione præcisè, & cæteroquì sibi in usum licitas capere,cum moderaminibus requisitis.

10 Hinc patet, quàm lato nimis ore locutus sit Sanchez *lib.7.in Decal.cap.26.num.52.* ubi absolutè asserit,Non posse FratresMinores admittere legatam (idest à Moriente Missam) eleemosynam, tanquam ab hærede debitam. Debuisset enim hujusmodi assertum modificare, dicendo: Tanquam debitam ex obligatione propriè, & strictè sumpta, hoc est civiliter, & in foro fori.

Neque quis dicat, quòd forte in hoc sensu locutus fuerit Sanchez, & quòd ita voluerit intelligi; tametsi non se expresserit; quemadmodùm se declarat D.Bonaventura in sua Doctrina; & ordinatione citatis. Concedo quidem, in eo sensu locutos fuisse, & ita voluisse intelligi Patres Ordinis *in prædictis ordinationibus Capitulorum Burgis,& Assisij*,in quibus verba Obligationis, & debiti accipiuntur in stricta eáque Juristarum propria significatione. Nam cæteroquì satis exprimunt, (in ordinatione saltem illa Assisij; ut patet legenti, ibi: Ei, qui implere tenetur Testatoris voluntatem) obligationem in foro conscientiæ ad Testatoris voluntatem implendam ejusmodi Gravatis,vel Executoribus: incumbere. At Sanchez eam omninò excludit interpretationem ab asserto suo,propter negativam resolutionem,quam antea tradiderat *num.49.ad quæstionem numer* 48. *propositam*, An scilicet hæres, vel quicúnque alius gravatus à Testatore, solvere quotannis certam quantitatem Fratribus Minoribus, teneatur in foro conscientiæ implere voluntatem Testatoris, solvendo ijsdem Fratribus quotannis eam quantitatem. Eandem siquidem responsionem *eo num.* 52. per modum corollarij colligit ex dictis *numeris præcedentibus à n.*49. & expressiùs repetit. Quare ejus exorbitatio manifestissima est. 11

Nec quicquam valet ratio,quam *eo num.* 52. subjungit, dicens: Si enim hic soluit, (hæres scilicet, vel gravatus) non liberè dat,sed ex errore, quo se obligatum putat. Nunquid enim non liberè dare dicitur, qui se liberè ad dandum obligavit,etiam civiliter,& in foro fori, & ita se obligatum novit? Nunquid autem non liberè se obligavit hæres, Testatori saltem, ex quasi contractu,adeóque ex justitia commutativa,ad illam Eleemosynam Fratribus Minoribus erogandam juxta illius intentionem, omni meliori modo, cùm acceptavit & adijt hæreditatem? Quis quæso eum coëgit? An non integrum ei erat,hæreditate sibi cum tali onere delata, pro libito voluntatis suæ eam adire,vel repudiare,absque alia solemnitate, prout sibi magis expedire videbatur? Ut statuit Justinianus *in l.sancimus:§. cum igitur:& §.similique modo: C. de jure deliberandi,& de adeunda, vel acqui. hæredit.*& est arg.*in l scimus: §.fin.C. de inofficioso testam.* Atqui de hac libertate fusè satis edisseruimus *art.1.§.9.10.& 11.* 12

Præterea nunquid dat ex errore, (ubi præ- 13

sertim Fratres Protestationem ei exhibuerint, de qua *art.2.§.2.& 3.*)si dat putans,(quod certò scire, & tenere debet) se non civiliter quidem,& in foro fori, sed in foro conscientiæ, & poli obligatum ad Testatoris voluntatem omni meliori modo adimplendam? An verò, quia non est, nec esse potest Fratribus ipsis civiliter obligatus, minùs verè obligatus censebitur testatori saltem, ut prædictum est, obligatione, quæ obligat ad mortale? Inutilis profectò est ratio illa. Quinimmò ipsemet potiùs Sanchez loquitur ex errore, & falsa imaginatione. Putat enim, cum Navarro,& alijs,*ibid.num.*51. quòd simplex annuum legatum, Fratribus Minoribus relictum,omninò irritum sit, & caducum, ita ut pro non scripto habeatur adeóque rirè cedat hæredi. Sed falsò id putat, & ex errore: ut ostensum est *hic.§.2.& 3.& alibi*, etiam ex regula,& fundamento ipsius Sanchez. Neque enim(ut docuimus) allegari potest aliqua Lex, aut Civilis, aut Canonica, vel peculiare ipsorum Fratrum Statutum irrita, cassáque declarans legata bujusmodi. Immò neque allegari potest, quoad legata etiam cum modo adjecto eorundem Fratrum statui adversante: Nulla enim Lex,præsertim Civilis irritare potest spectantia ad pias Causas; ut tradit idem Sanchez *tom.1.de Matrimon.disp.6.lib.1. num.16.* Canon autem Nicolai III. *ex eo cap.Exijt*: §. *Ad hæc, quia:* quem ad hoc allegat Sanchez *ibid. n.*25. perperam ab ipso allegari perhibetur; ut alibi observavimus,& patet legenti illum: cum tantùm *ibi* interdicatur Fratribus, quoquo modo talia legata recipere; in reliquis verò licitis legatis manifestè ibi indicetur & obligatio hæredum, vel Gravatorum, seu Executorum in foro conscientiæ ad ea Fratribus ipsis præstanda, & ipsorum Fratrum capacitas ad illa recipienda cum moderaminibus requisitis,citra juris Civilis auxilium, aut Canonici fomentum, quoad illa petenda per actionem in judicio. Atque hæc est veritas illius Canonis Nicolai.

Sed iterum falsò putat,& ex errore,cum eo-
14 dem Navarro,& alijs, quòd recipere annuatim simpliciter,& quoquo modo,ex prædictis legatis,quæ profectò non important usumfructum legatum; sit modus recipiendi Fratribus ipsis specialiter interdictus *in Clem.Exivi:§.Proindè: vers.Cumque annui reditus*: Quid enim ibi sibi velit Pontifex ille,quosque annuos reditus,vel quoad simplicem facti usum, Fratrum professioni, & mendicitati repugnare declaret, alibi sæpiùs ostensum est, præcipuè *art.1. §.18.* Si enim id verum esset,adhuc minimè subsisteret, quod ipse Sanchez *ibid. num. videlicet* 49. admittit, & à nemine ambigi asseverat: nimirùm, non esse ipsis Fratribus ulla lege, vel Regula interdictum, recipere annuum legatum, sive sub modo licito, sibi relictum, & ab hærede præstitum ex obligatione conscientiæ in ordine ad testatorem; sive relictum sub modo illicito, & ab hærede præstitum ex mera ipsius liberalitate, & obligatione spontanea, nulla omninò (ut ille indicat) obligatione, aut juris Civilis, aut conscientiæ cogente. Nam, si recipere annuatim simpliciter, & quoquo modo, est modus illicitus, nonne adhuc esset iste modus in utraque receptione prædicta? Non ergo recipere annuatim, ut sic, annuas Morientium eleemosynas Fratribus relictas repugnare dicendum est eorundem Fratrum Mendicitati, ac statui,neque illas recipere annuatim ex obligatione conscientiæ hæredis, vel gravati,in ordine ad Testatorem:sed illas annuatim (immò & unica vice,& ad modicum tempus, nedum in perpetuum, vel longo tempore) recipere præstitas ex obligatione, & certitudine civili, adeoque ex titulo, juréque civili ex parte Fratrum acquisito: vel etiam illas per se à Fratribus capi, etiamsi citra ullum jus, & proprietatem,& de facto simplici,ad modum ususfructus de facto,ex aliquo bono immobili,vel inter Immobilia computato, quale esset annuus reditus, censusvé fundatus; ut alibi non semel explicuimus: id quod propriè sibi voluit Clemens V. *in illo textu Clement. citat.* sed nec Sanchez benè digessit,neque alij multi in eodem loco impingentes.

Missis igitur legatis per modum ususfructus 15
Fratribus directè relictis sive pro unica vice,sive etiam annuatim tam ad breve,quàm ad longum tempus,vel in perpetuum, à quibus, & à quorum receptione,ut talium,per omnem modum Fratres ipsi abstinere tenentur;juxta Declarationem Nicolai III. *in eo*, §. *Ad hæc, quia*: itaut necessariò respuere,& protestari teneantur circa illa; ut tradidimus *art.2. §.2.* Dixi: *ut talium*; quia,si post præstitam dictam protestationem maluerint hæredes, qui adhuc sunt obligati illa alijs pauperibus, vel pijs Causis in communi præstare; ea, vel de ijs aliquid ipsis Fratribus erogare; jam sic recipientes Fratres non recipiunt sub modo illicito ususfructus, sed ut meram eleemosynam pauperibus in genere erogandam; ut sæpiùs docuimus. Missis, inquam, legatis hujusmodi; & loquendo de annuis legatis simplicibus, ea non sunt censenda sub modo illicito,nisi exprimatur,quòd v.g. debeant ex parte Fratrum civiliter acquiri, adeóque eis ab hærede, vel Gravato solui ex obligatione politica. Quòd certè à nemine Morientium præstitum unquam audivi:immò plerique eorum exprimunt, quòd ea relinquunt Fratribus præstanda per modum eleemosynæ,scientes Fratrum incapacitatem, quoad titulum,jusvé civile ad illa acquirendum. At, si Testator nullum in legando exprimat borum modorum,profectò sub modo licito eleemosynam

mosynam illam legare, seu mittere iisdem Fratribus censendus est, juxta regulam Nicolai III *in eo §. Ad hæc, quia: vers. si verò Fratribus*: allatam contra eundem Sanchez *§. præcedente, in fin.* quæ etiam confirmatur ex Declaratione ejusdem Pontificis *in eo cap. Exijt: paragrapho Ad majorem autem: versicul. Et quia*: ubi ad errores cavendos cùm ex parte dantium, tùm ex parte recipientium, & ad consulendum clariùs utilitati dantium, puritati Ordinis, simplicitati aliquorum simplicium, salutíque hinc indè animarum; declarat, communíque notitiæ deductum intendit, quòd semper, quando pecunia Fratribus ipsis mittitur, vel offertur, (nisi expressè permittentem, vel offerentem aliud exprimatur) prædictis modis (ideft nullo titulo, iuréve civili ex parte Fratrum ad illam acquisito, vel existente) prorsùs oblata intelligatur, & missa. *Non enim* (inquit) *verisimile est, aliquem eleemosynæ suæ sine expressione modum illum præfigere, per quem, & donans merito, & illi, quorum necessitatibus intendit per donum hujusmodi providere, vel effectu doni, vel sua conscientiæ puritate fraudentur.* Hæc Pontifex ille, qui proindè id ipsum ad amussim intelligi, & servari vult in legatis absque modi expressione Fratribus relictis ut ait *eo §. Ad hæc quia: vers. si verò.* Atque hoc debuisset in primis observare Sanchez *cit. eo n 49.* pro veritate in eo proposito enucleanda.

16 Verùm, quid plura, ut manifestum fiat, quòd ex errore, & falsa imaginatione, vel apprehensione locutus fuit Sanchez, & quisquis illum sequitur *in illo asserto?* Attende, quæso, quid illemet *ibid. num. 57.* circa controversiam admittat de eo, qui dat Fratribus eleemosynam, etiamsi annuam, ex voto tàm proprio, quàm Testatoris ipsum ad illam solvendam gravantis, & obligantis. Ait igitur: Si quis ex voto Deo se obligaret ad elargiendam quotannis in perpetuum certam eleemosynam Fratribus Minoribus; absque dubio teneretur, non ex aliqua obligatione, aut ex jure Minoribus indè acquisitis, sed ex obligatione fidelitatis, & Religionis acquisita Deo per votum illud: & ità Fratres poterunt accipere eam eleemosynam, non ut sibi debitam, sed ut debitam Deo, quòd Pontifex non interdixit illis eleemosynam annuam voto promissam recipere, sed legato relictam. Nec recipere hanc eleemosynam sine aliqua actione, aut jure, repugnat eorum Mendicitati. Atque idem erit (subdit ipse) dicendum, si vovens ille gravet suum hæredem ad illam eleemosynam quotannis dandam Fratribus: quia, etsi Testator non gravaret, tenebatur hæres ad eam, sicut ad cætera realia defuncti vota; atque adeò præceptum Testatoris nullam vim novam adjecit; & ideò illi non capient tanquam legato relictam, quod est illis intedictum; sed tanquam voto debitam. Hæc ille, diversum putans recipere Eleemosynam ex vi voti, & eam recipere ex vi legati, etiam impropriè dicti. Atqui hallucinatus, deceptúsque fuit in intellectu *illius vers. Cumque annui reditus*: putans, *ibi* à Pontifice declarari repugnans Mendicitati, ac professioni Minorum recipere annua legata simplicia absolutè, & quoquo modo intellecto titulo legati; cum tamen tantummodo repugnare perhibeatur ejusmodi legata recipere ex vi legati propriè dicti, non autem impropriè dicti, & intellecti; & de receptione primo modo loquitur *ibi* Pontifex ille; ut alibi latiùs ostensum, probatúmque est *artic. 1. §. 18. 19. & 20.* Si enim recipere titulo legati quoquo modo intellecti repugnaret Mendicitati Minorum, frustranea esset Declaratio Nicolai III: *in eo § Ad hæc, quia*: ubi legaturum simplicium, nulla distinctione adhibita, quòd annua illa sint, an pro unica vice, (solis exclusis legatis usumfructum importantibus, vel alio modo Fratribus illicito relictis) capaces declarat Fratres ipsos, etiam supposita obligatione conscientiæ hæredum, vel gravatorum, in ordine saltem ad Testatorem. Ut quid enim prohiberi Fratribus censeantur à *Clemente*, vel à *Nicolao* citatis, annua legata simplicia impropriè dicta, & à nobis asserta; cum prohibendi ratio (ut patet ex eorum textibus) non sit sola, & absoluta eorundem Pontificum voluntas, vel arbitrium, sed professio Mendicitatis, & status ipsorum Fratrum? Commentitia ergò est diversitas, quam Sanchez astruit esse inter receptionem annuæ eleemosynæ ex vi voti simpliciter præstitæ, & receptionem annuæ eleemosynæ ex vi simplicis annui legati impropriè dicti solutæ: ut patet consideranti paritatem rationis, qua ad hominem convincitur erroris sui Sanchez ipse. Si enim (ut benè ipse ait) recipere eleemosynam annuam voto promissam, non repugnat Minorum Mendicitati, quia ab ipsis recipitur sine ulla actione, aut jure ad illam ex parte ipsorum acquisitis, ita prorsùs nec repugnare censendum est eidem Mendicitati recipere annuam eleemosynam à Moriente legatam, seu missam, ex vi legati impropriè dicti; juxta nostra principia; quia à Fratribus accipitur sine ulla actione civili, aut jure ad illam ex parte ipsorum acquisitis, vel existentibus; sed ex sola obligatione conscientiæ, sicut etiam in eleemosyna, ex voto contingit. Neque in his duobus modis percipiendæ annuæ eleemosynæ aliud discrimen est, quàm quòd solvens ex voto solvit ex obligatione, qua directè tenetur Deo, cui immediatè promisit vovendo; solvens verò ex vi legati impropriè dicti solvit ex obligatione, quâ directè tenetur homini, ideft Testatori, & quidem ex justitia commutativa, & ex quasi contractu; ut sæpiùs dictum

dictum est. Sed hæc diversitas nihil influit, quo minus utérque modus æquè admitti possit à Fratribus sine ulla propriæ Mendicitatis, & status offensione, servatis in recipiendo Moderaminibus requisitis; & dummodò legata ipsa à Fratribus non procurentur. Exigitur, quàm ex falsa apprehensione, & erroneo fundamento locutus fuerit Sanchez *loco cit.*

17 Confirmatur ratiocinatio nostra iterum ad hominem contra *Sanchez*, sic: dixit ipse *eo numer.* 57. quòd si vovens ipse gravet hæredem suum ad eleemosynam quotannis dandam Fratribus Minoribus, tenetur hæres ad eam præstandam, sicut ad cætera realia Defuncti vota adimplenda; & Fratres possunt cum suæ ipsorum Mendicitatis puritate illam sic præstitam recipere &c. Teneamus hoc. Dixit etiam ipsemet *tom.1 de Matrim lib.1 disp.6.num.*17. (post statutum *num.*16, cùm communiori, & probabiliori; ut ipse ait, sententia asserrum suum, quòd necessariò requiratur acceptatio donatarij, aut promissarij, ut donatio, vel promissio irrevocabilis sit, & conferat ei verum, & irrevocabile jus ad rem donatam, vel promissam. Quod tamen intelligendum est de acceptatione civili; nam si quis juris incapax, & civiliter acceptandi (ut sunt Fratres Minores) naturali duntaxat acceptatione donationem, vel promissionem acceptet, profectò consurget de jure naturæ obligatio naturalis in foro conscientiæ sub Mortali devinciens, nisi parvitas materiæ excuset: quod non repugnat statui, & Mendicitati Minorum, sive activè, sive passivè sumatur obligatio ista, ut aliàs tradidimus) Dixit, inquam, Sanchez *eo num.* 17. observandum esse, quòd si promissio fieret illi piæ Causæ ob Dei honorem, ita ut animus promittentis non feratur in rem creatam cui promittit; sed in Deum; ut Promitto Deo, me daturum tali Hospitali, &c. tunc valeret, ut votum, quia est promissio facta Deo: Sic Bartol. *in l. illud: n.6. C. de sacros. Eccl.* Rosella, Angelus, Sylvester, *v. Pollicitatio, num. unico.* Nec refert si dicat vovens; Voveo Deo, vel promitto tali pauperi, aut Hospitali: si enim ejus intentio feratur in Deum, erit votum: si autem in dubio sumus, an voluerit donare, aut promittere homini, vel vovere Deo, valebit, ut votum; ut benè dixit Bartolus *in d. l. illud: num.6.* Quia in Causis pijs, dum in absentia promissio fit, communiter intentio fertur in Deum. Hæc ille; quæ certè tam de donatione, quàm de promissione ad piam causam intelligenda sunt, quamvis ipse, ubi actum promissionis memorat, non semper expresserit simul & donationem.

18 Hisce igitur præmissis, quæro: cum quis Moriens eleemosynam legat Fratribus Minoribus, quid facit? Certè donat, vel daturum se per suum hæredem promittit ad piam Causam; hocque, facit in absentia donatariorum Fratrum, ijsque nescientibus: Ergò (ut ipse Sanchez vult, & observat) hujusmodi legantis intentio communiter in Deum ferri præsumitur, implenda erit, ut votum? Sed esto, sit dubium, an feratur in Deum, nec ne, adhuc secundùm ipsius, & Bartoli, eámque communem sententiam, valebit ut Votum. Undè etiam esse arbitror; quod ipse Sanchez tradit *ibid. num.* 16. quod leges civiles irritare non possunt spectantia ad pias Causas. Si igitur valet ut votum, cùm (secundùm ipsum) teneatur hæres (etiam secluso novo præcepto, & ordinatione testatoris) in foro conscientiæ adimplere realia ipsius vota; iam ad hominem sequitur, (dato etiam, & non concesso, quòd ut ipse falsò aut, dispositio, seu ordinatio testatoris sit nulla, & irrita) quòd adhuc teneatur obligatione naturali, & conscientiæ solvere eleemosynas illas Fratribus Minoribus legatas, quòdque ipsi possint eas, ex tali obligatione præstitas recipere: hocque præsertim verum esse perhibetur, accedente eorundem Fratrum naturali acceptatione ad tales eleemosynas recipiendas; sicut accedere potest, salva puritate Paupertatis ipsorum; ut *suprà* ostensum est *hic*, §. 1. Ergò respectu Fratrum Minorum nullum prorsùs discrimen est inter receptionem annuæ eleemosynæ ipsis præstitæ ex vi voti, & receptionem ejusdem præstitæ ex vi simplicis annui legati impropriè dicti, seu etiam naturaliter tantùm ab ipsis acceptati.

Multùm quidem esset discriminis, si delegato propriè dicto loqueremur, putà de simplici annuo legato facto alicui Hospitali, vel Domui Religiosorum bona immobilia in communi possidentium, quibus id legati intimatum fuerit post mortem Testatoris, & ab ipsis civiliter acceptatum: undè etiam Sanchez *eo numer.* 17. *cit.* multùm tamen (inquit) refert, an obliget, ut votum, vel ut promissio, aut donatio facta homini, ab ipsóque civiliter acceptata. Quod enim donatur, aut promissum est ex vi voti simpliciter, & præcisè, seclusa acceptatione civili ex parte ejus, in cujus favorem cedit donatio, aut promissio, potest, juxta veriorem sententiam, (ut benè Sanchez *cit.* & *eo: lib.4.c.44. num.*7.) commutari, & penitùs etiam tolli per dispensationem Episcopi, juxta alia vota, quæ ab ipso & commutari, & tolli possunt, quia nimirum nullum jus per votum parti illi acquiritur, donec civiliter accepter; sed soli Deo, & quod ita solvitur parti, non ei solvitur ex justitia, nisi impropriè; sed tantùm ex Religione, ut benè idem Sanchez *lib.4.cap.11. numer.*17. potest tamen, qui ita tenetur, etiam compelli ex officio nobili ab Episcopo ad solvendum, idque potissimùm ejus officio implorato à parte, in cujus favorem cedit promissio illa, vel donatio; 19

ut

ut *suprà* diximus cum Sanchez *eo lib. 4. cap. 41. num.* 7. qui idipsum tradit *ibid. cap.* 11. *num.* 19. Quod autem datur ex vi donationis, aut promissionis prædictæ à donatario, vel promissario civiliter acceptatæ (quòd si à Moriente relictum sit, erit legatum propriè dictum) datur ex justitia pruptie dicta, & obligatione civili, ut benè Sanchez *d. lib. 4. c.* 2. *n.* 28. neque idcircò potest ab Episcopo aut commutari, aut tolli, absque ipsius donatarij, promissarijvè, aut legatarij consensu, cui per contractum illum donationis, aut promissionis, vel etiam legati (quod propriè est Donatio à Moriente relicta) civiliter acceptatum, jus acquisitum est, & civilis obligatio promittentis, aut donantis, vel alterius debentis exequi post illius mortem; cujusmodi est hæres, qui Testatoris personam repræsentat, sed non potest ejus expressam voluntatem revocare, ac proinde nec petere ab Episcopo dispensationem prædictæ donationis implendæ, etiam in casu quo ea non fuerit à donatario civiliter acceptata. Videatur Sanch. *locis cit.* & *eo c.* 11 *n.* 35. ubi docet obligationem voti de eroganda eleemosyna certo cuidam pauperi, si ille priùs obeat, dijudicandam esse sicut Jura disponunt in legato facto cuidam pauperi, qui prius obijt. In legato autem (inquit ille) ea distinctio solet adhiberi à Doctoribus, si Testator reliquit tanquam pium opus, atque in animæ suæ bonum, verumtamen elegit potiùs illum pauperem, eo quòd esset sibi notus, vel alia quacunque de causa, debetur alij pauperi: Si verò in bonum duntaxat illius pauperis non debetur legatum. Ita tradunt in legato Bartolus *in l. pater. §. Tusculanus. n.* 2. *ff. de legatis* 3. Abbas *in cap. nos quidem. n.* 14. *de Testamentis:* Ananias *ibid. n.* 15. Mantica *de conjecturis ult. volunt. lib.* 3. *tit.* 5. *fin.* Medina *de Restit. q.* 24. *v. Inde etiam est.* Molina *t.* 1. *de Iustit. disp.* 249 *col. penult.* Et in dubio hujus intentionis, (subdit ille) prior præsumitur, & sic debetur legatum: ut benè tradunt Abbas, Mantica, & Medina *ibid.* Quare idem prorsùs de simili voto dicendum est, & multò magis idest in dubio præsumendum in voto, utpotè quod in Dei cultum emissum præsumitur, qui est finis ipsius. Hæc Sanchez *ibi*, affirmans *paulò infrà*, hæredem teneri lege justitiæ ad legata implenda, quæ scilicet à legatario sunt civiliter acceptata; & ad illa succedere hæres ejus, si obierit antè solutum sibi legatum à debente. Votum autem nondum acceptatum ex sola Religionis lege obligare, nec transmitti ad hæredes partis, in cujus favorem factum est: undè si pauper ille obierit postquam vovens, vel ejus hæres est in mora implendi illius voti; credere se ait Sanchez ipse, adhuc extingui votum in bonum illius duntaxat pauperis emissum, & per consequens factum, tanquam pium opus, & in bonum animæ Testatoris non extingui, sed deberi alij pauperi, vel alijs pauperibus, pijsvé Causis in communi.

Minor itaque quòd Doctor iste, cæteróqui pijssimus, summáque laude dignus ob egregiè scripta, non animadverterit has sui ipsius Doctrinas in resolvenda quæstione hac annuotum legatorum simplicium pro Fratribus Minoribus relictorum, (quæ sanè censenda sunt relicta, tanquam pia opera, & in bonum animatum Testatorum) in cujus resolutione adeò laxat, immò relaxat conscientias hæredum, vel Gravatorum, ut non solùm à solvendis ejusmodi legatis ijsdem Fratribus, ex sola obligatione conscientiæ eos absolvat; sed etiam ab illis solvendis, vel erogandis alijs pijs Causis, vel pauperibus omninò liberet; ita ut tutissimâ conscientiâ posse eos illa sibi retinere, tanquam ritè sibi accrescentia, absolutè asseveret, si sint sine alio onere Missarum, vel Officiorum; ut alias expendimus *art.* 1. §. 27. & alibi. Et ecce iterum, ad hominem, quanto errore laboraverit Doctor iste in hujusmodi resolutione; cùm tamen in eadem ferenda pro Domibus professis Societatis suæ optimè veritatem perspexerit, & tradiderit; ut *in sequentibus* examinabimus. Recole etiam dicta *suprà art.* 2. §. 6. *à n.* 1. & quæ dicuntur infra, *Casu* 1. §. 5. *numer.* 11. & 12.

21 Neque valet, quod ille ait *eo num.* 57. Pontificem nimitum non declarasse illicitum Fratribus Minoribus recipere eleemosynam annuam vero promissam, vel præstitam; benè autem id declarasse de ea legato relicta, & ex vi illius ijsdem præstita. Non, inquam, valet: Fallitur enim, ut constat ex dictis.

22 Atqui idipsum iterum ad hominem amplius convinco: Si ex Declaratione Pontificis (ut ipse ait, ex errore tamen) non est licitum Fratribus Minoribus capere eleemosynam, quæ ipsis annuatim præstatur ex vi legati quomodocunque intellecti; quate ipsemet *ib. n.* 36. licitum ijsdem Fratribus asserit eandem capere ad decem annos, vel infrà; & ad vitam unius Fratris, ut tradit *num.* 40. Nunquid nam non est hoc recipere annuatim eleemosynam legato relictam? An fortè ad id concedendum eo ductus fuit ratione, quam Azorius *in superioribus* allegatus insinuat; quod scilicet Census, reditusvé annuus, illéque propriè dictus, (sicque per consequens, & legatum, scilicet usufructus, non autem simplex, juxta alibi dicta) inter Immobilia non censeatur, nisi sit perpetuus? si ità est, debuisset quoque cum eodem *Azorio* advertere, quòd inter Immobilia non censentur simpliciter res, pensionesvé annuatim, etiam perpetuò alicui quomodocúnque provenientes; sed Actiones civiles, jutáve fundata, & constituta in certa pecuniæ, vel alterius proprietatis sorte ad illas

illas res, pensionesvè annuas percipiendas, & petendas: quo sensu (inquit Azorius) *in Clemen.Exivi: de verbor.significat.vers.Cumque annui:* habetur: Census, & reditus annui inter bona immobilia computantur. Ita ille. Id enim si animadvertisset Sanchez, profectò novisset etiam distinctionem à nobis assignatam, & necessariò dignoscendam inter eleemosynam annuam Fratribus Minoribus provenientem ex annuo legato simplici propriè dicto, vel usumfructum legatum etiam de facto simplici importante, & eam, quæ provenit ex annuo legato simplici, & impropriè dicto: percepissetque, non hanc, sed illam Minoricæ mendicitatis professioni, ac statui repugnare, ibique idcirco à Pontifice Clemente Fratribus Minoribus declarari illicitam, non solùm si legatum sit perpetuum, vel ad longum tempus, sed etiam si ad certum, vel breve, etiam pro unica vice, & absolutè. Quo modo intelligendus quóque, & locutus est idem Azorius *t.1.lib.12. cap.23.vers.Decimoquartò quæritur.*

23 Præterea Pontifices Nicolaus III. Clemensque V. (ut benè idem Sanchez advertit *eo lib.7. cap. 26. num. 13.*) non irritant valorem legati magnæ quantitatis, & excessivæ, quoad præsentes, vel imminentes Fratrum necessitates (qua de re judicare habent Ministri, vel Custodes tantùm, non autem Guardiani; ut aliàs docuimus) nec liberant hæredes à solutione hujus legati. Quare (inquit ille) tunc ex quantitate illa legata dabitur Fratribus, quod imminens necessitas postulabit; residuum verò tunc Fratres nequeunt admittere: & si nunquam supervenerit necessitas, nunquam admittere poterunt: at id poterunt, alia necessitate superveniente; quia nequit thesaurizatio præsumi, nec in fraudem paupertatis, cùm id solùm recipitur, quòd præsenti, vel imminenti necessitati sublevandæ opus est. Hæc ille, cui concordant Lezana *in sum.tom.4.v. legata Regularibus relicta, num.6.* Card. de Lugo *tom.1. de iustitia, & jure disp.3.sect.5.* & alij apud istos citati. Et idem dicendum esse subjungit Sanchez, *ubi suprà*, quando in diversis testamentis diversa legantur, quorum quodlibet non est immoderatum; at tota quantitas simul est immoderata.

Hisce præmissis, supponamus quòd Fratribus id legati fiat. Recipiant itáque hi, juxta doctrinam prædictam, ex illo; hoc anno, quod præsens vel imminens eorum necessitas exigit; itaut adhuc supersit magna summa solvenda, quam absque ulla Fratrum instantia hæres, vel Gravatus conservet in Fratrum necessitates futuras fideliter soluturus. Superveniat igitur Fratribus necessitas anno subsequente, & iterum recipiant ut suprà, ita ut adhuc supersit aliqua ejusdem legati summa pro tertio, quarto, & quinto annis, & forte ultra decennium; deque ea in singulos annos pariter recipiant: Túm quæro: An non hoc erit capere annuatim ex legato; tametsi ex dispositione Testatoris non in annos singulos ordinato? Certò certius: Et tamen repugnare non judicat Sanchez hujusmodi receptionem Minoricæ mendicitatis professioni ac statui; etiamsi ex obligatione conscientiæ à soluente procedat. Ultrò & ego in hoc illi consentio. Atqui ità se habent annua legata simplicia, etiam perpetua, impropriè dicta, atque à me hîc asserta, tanquam Fratribus licita; ut patet ex dictis *art.1.§.22.à num.18.usque ad 23 & §.24.num.2.& seq.* Non igitur trepidare debuerat Sanchez, vel quispiam alius, ubi non erat timor, lædendæ scilicet mendicitatis; ut patet.

Porrò super his omnibus convincitur Sanchez ex ore proprio evidentissimè; per ea videlicet, quæ *ibid. num. 58.* affert ex Bartolo *lib.3. Minoric.dist.7.cap.2.num.38. & 39.* dicente: quòd obligatio potest tripliciter considerari. *Primo modo* propriè & strictè, prout est Juris vinculum, quo quis ex necessitate astringitur, *Institut.de obligationib. in princip:* & hujusmodi obligatio exigit duo extrema, alterum, obligatum; alterum, cui obligatio acquiratur, & de hujusmodi obligatione loquendo, nec hæres, nec alius Fratribus Minoribus obligatur; quippè qui ratione arctissimæ paupertatis, ac suæ Regulæ, neminem sibi obligatum habeant. *Secundo modo* potest sumi obligatio largè, & impropriè, qua quis in seipso tenetur; licet is, cui tenetur, nullum jus erga illum habeat, & hoc modo est hæres obligatus ad danda relicta modo licito Minoribus, quorum ipsi capaces sunt, quippè ex præcepto Testatoris ad id tenetur; quamvis Fratres Minores sint omni jure ad id legatum destituti, nec illum sic obligatum habeant. Sicut contingit in obligato ex voto ad dandam eleemosynam Xenodochio, qui ante Xenodochij acceptationem nullo modo ipsi tenetur, quasi Xenodochium aliquod jus comparet; sed tenetur soli Deo, cui promissio facta est. *Tertio modo* potest considerari respectu Civitatis; quia jus ad legata recuperanda pauperibus relicta acquiritur Civitati, *l.si cui: & l.civitatibus: ff. de legatis 1.* Cum Reipublicæ interfit, Pauperes sustentari, *l. privilegia: C.de sacros. Ecclesiis.* Hæc Sanchez *cit.* ex Bartolo, quem etiam allegant, & sequuntur Serena Conscientia, Corduba, & communiter alij Regulæ Minoricæ Expositores. Vide dicta *hic suprà. §.1.num.14. & seqq.* Ex quibus optimè firmatur doctrina nostra, præcipuè verò paritas inter receptionem eleemosynæ simpliciter ex voto præstitæ, & receptionem ejusdem ex simplici legato impropriè dicto solutæ: per consequens manifestantur fallaciæ, quibus laborat doctrina Sanchez in hac materia. Quippè qui minus

minus benè vel apprehendens, vel explicans, quid sit annuus reditus *in Clem. Exivi: eo versic. Cumque annui reditus:* Fratribus Minoribus illicitus declaratus, etiam quoad simplicem usum; ejusmodi putasse se insinuat, esse quascunque res mobiles simplici annuo legato relictas, & quomodocúnque seu ex quacunque obligatione ab hæredibus, vel gravatis annuatim præstitas legatarijs. At sanè deceptus id putavit, ut ex hactenùs probatis compertum est. Quare ex ipsius, ejusdémque sequacium opinione, & fundamentis, speciosæ quidem, nullius tamen roboris, ac penitùs imaginatiæ, inanésque ducuntur argumentationes contra nostram, eámque veriorem (ut testatur doctissimus Castro Palao *alibi citat.*) sententiam. Quisquis ergò in præsentiarum Sanchez, aliorúmque hujusmodi ejusdem Affeclarum opinionem hac in materia absque germana, eáque necessaria legatorum distinctione, quam nos tradidimus, sequitur, corrigat, quæso, imaginationem, sequaturque rationem adeò evidentem, totque Doctorum auctoritatem, Divi præsertim Bonaventuræ, quorum doctrinâ tutiùs profectò hæredum, & gravatorum conscientijs consulitur, immò & Fratrum Minorum, quàm universis Positionibus Sanchez utrinque eas relaxantibus, ut ostensum est *art.* 1. §. 26. 27. & 28. & alibi sæpiùs.

25 Porro missa facio alia plura, quibus posset ad hominem argui erroris sui Sanchez *in eo asserto*, quòd declaratum sit à Pontificibus illicitum Fratribus Minoribus recipere annuam eleemosynam legato relictam, & ex quacúnque obligatione indè oriente præstitam; non autem recipere Voto promissam & præstitam. Unum sumo, quod ipse asserit *eo capit.* 26. *num.* 42. inquiens: Communis & verior sententia est, legatum annuum, etiam perpetuum, Fratribus Minoribus relictum, non ad ipsorum victum; sed ad certum Dei cultus usum deputatum, non adversari eorum Paupertati: & ideò non esse cur non valeat; adeóque cur non sit ab hærede præstandum, cúrque non possit ab ipsis licitè recipi. Hæc ille. Quam sententiam intellectam de legato annuo propriè dicto, & civiliter debito, vel etiam de legato usumfructum legatum importante, tametsi impropriè dicto; ego nun semel reprobavi, præcipuè §. 28. *cit.* illamque meritò impugnat etiam Azorius *tom.* 1. *inst. mor. lib.* 12. *capit.* 23. *paragrapho Decimoquintò quæritur:* contra Navarrum, cujus ea assertio potissimùm est. Et sic insto. Nunquid nam non ità tenentur Fratres Minores suæ ipsorum Mendicitatis ac paupertatis statum servare in ijs quóque, quæ ad certum divini cultus usum deputantur; sicut in ijs, quæ ad propriam sustentationem? Dubio procul ità est. Nam & Seraphicus ipse Pater *in suo testamento* id expressit, inquiens: *Et caveant sibi Fratres, ut Ecclesias, & habitacula, & alia omnia, quæ pro ipsis construuntur, penitùs non recipiant nisi essent, sicut decet Sanctam Paupertatem, quam in Regula promisimus observare, &c.* & Clemens V. *in Clem. Exivi: § licet verò: verf. Quamvis etiam:* expressè testatur, & prædicat, quòd non vult Deus per illa sibi serviri, quæ suorum servorum conditioni ac statui dissonanti cujusmodi ibi esse declarat superfluitatem, aut nimiam pretiositatem, vel quamcunque curiositatem in vasis, & paramentis Ecclesiasticis. Quantò ergo fortiùs tales censendi sunt annui reditus propriè dicti, vel annua legata propriè dicta, etiamsi ad certum divini cultus usum deputata? Consequens ergò est, quòd Fratribus Minoribus aut non liceat capere de simplici annuo legato tàm ad Dei cultus usum, quàm ad propriam sustentationem, aut si & quatenùs eis licet capere ad Divini cultus usum, liceat etiam ad propriam sustentationem. Quod utrumque est contra Sanchez: utrúmque tamen verum, si primum intelligatur vel de annuo legato ususfructus cùm propriè, tum impropriè dicto; vel de annuo legato simplici propriè dicto; secundum verò de annuo legato simplici duntaxat, & impropriè dicto, juxta nostra fundamenta, & Conclusiones. Ità in praxi tutè tenendum duco, & non secùs.

§. VII.

Refellitur adhuc in alijs suis assertionibus Sanchez, quoad præsens subjectum.

SUMMARIUM.

1 *Domus Professa Societatis Iesu sunt incapaces annui reditus quantumvis exigui: & eorum paupertas Minoricæ comparatur.* & n. 2.

2 *Domus Professa Societatis Iesu sunt capaces redituum minus decennio relictorum.*

3 *Domus Professa Societatis Iesu un possit recipere annuos reditus à testatore illis relictos, & sponte ab hærede solutos.* & num. 4.

4 *Domus Professa Societatis Iesu non prohibentur recipere annuos reditus ex debito conscientia tantùm & motu Charitatis ab hærede solutos.*

Quod idem Sanchez dicit adversari paupertati Minoricæ. ibid. & refellitur. num. 5. cum alijs seqq.

5 *Domus professa Soc. Iesu non prohibentur recipere aliquid civiliter debitum & certum, dummodo non sit immobile, vel inter Immobilia computatum.*

Sed utrumque paupertati Minoricæ repugnat. ibid.

dem solutorum; sed interdictum ibi est nostris inducere aliquos ad has Eleemosynas perpetuas elargiendas Societati; ideóque subditur, relinquendos illos suæ devotioni, ut elargiantur, quando charitas Dei eos ad elargiendum induxerit. Et *sexta part. Constitution. cap. secundo paragrapho secundo*, sic dicitur, in Domibus, vel Ecclesijs, quæ à Societate ad auxilium animarum admittentur, reditus nulli, ne Sacristiæ quidem, aut Fabricæ applicati, haberi possint; sed neque ulla alia ratione, itaut penes Societatem eorum sit ulla dispensatio. Et *ibi in declaration. lit. B.* sic dicitur: Si aliquis ex Fundatoribus domorum, vel Ecclesiarum vellet reditus aliquos ad Fabricæ usum relinquere, dummodò nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit, undè ei competat actio in illos, quamvis id illi curæ esset, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret, & sic in rebus similibus; non est id à paupertate Societatis alienum. Ecce, quàm clarè *in Constitutionibus* sola administratio, & actio denegantur, nec absolvitur hæres ab illa obligatione. Atque hunc modum annuorum redituum non adversari Mendicitati satis probavimus *cap. præcedente, numero quadragesimooctavo*. Quare non est simile de Fratribus Minoribus, quia, ut probavimus, *ibi numero quadragesimonono*, est illis interdictum omninò admittere hujusmodi legata; quod non reperitur in nostra Societate. Hactenùs ille iterum, & quidem egregiè rem hanc edisserens; in eo tamen tantùm hallucinatus, quòd non sit simile de Fratribus Minoribus; eo quòd illis omninò (ut putat) interdictum sit admittere hujusmodi legata; non autem interdictum reperiatur ejus Societati.

5 Ut quid igitur eandem utrinque *eo numer. 6.* adesse prædicat prohibitionem; quoad annua legata, vel quoad annuos reditus propriè dictos, qui inter Immobilia recensentur? Quam tamen strictionem adhuc nos ostendimus esse apud Fratres Minores ob altissimam ipsorum Mendicitatem, & omnimodam temporalium rerum expropriationem tam in communi, quàm in particulari. Unde benè (stante etiam asserta ab ipso prohibitione) illum locutum concedo, dum Domibus suis Professis admittit annua legata, adeóque annuos reditus propriè dictos, & civiliter debitos, ad breve tempus; quippè qui, secundùm probabilem Juristarum sententiam, non censentur à Jure inter Immobilia; ut aliàs vidimus. Quod tamen ipse (licet ille concedat) minimè admitto Fratribus Minoribus, nisi de legatis simplicibus impropriè dictis, non solùm annuis ad breve tempus, sed etiam de unica solutione præstandis, sive pecuniaria ea sint, sive cujuslibet alterius rei Fratribus ipsis in usum licitæ. Nam Domibus Professis Societatis non est interdictum ex ea, quam profitentur, etiam in communi paupertate recipere absolutè, quicquam civiliter debitum, & certum; sed tantùm habere bona immobilia, adeóque annuos reditus propriè dictos, qui inter Immobilia censeantur; Fratribus autem Minoribus utrúmque interdicitur ex mendicitate arctissima, & omnimoda expropriatione, quam profitentur; ut ex jam dictis constat. Atqui admittere annua legata simplicia, etiam perpetua, ex mera obligatione conscientiæ ab hæredibus, Gravatisvè soluta, non est recipere quicquam civiliter debitum, aut certum vel importans usum, aut usumfructum boni alicujus immobilis, aut inter Immobilia computati à Jure: ergo ea admittere ita non repugnat mendicitati, vel paupertati Fratrum Minorum; sicut non repugnat mendicitati, vel paupertati Domorum Professarum Societatis Jesu. Ergo, quod ait Sanchez, non esse simile de Fratribus Minoribus; quia illis interdictum omninò est admittere hujusmodi legata; quod non reperitur in Societate: id certè omninò commentitium est, & gratis dictum ab ipso; ut benè novit Castro Palao ex eadem Societate: & alij. (Nisi fortè voluisset intelligi de annuis legatis importantibus usum, vel usumfructum alienjus boni immobilis Fratribus prædictis directè legatum; sicque illi consentirem. At non expressit, & confusè locutus est.)

Nec mentior. Nonne enim Nicolaus III. *in cap. Exyt: eo paragrapho Ad hæc, quia:* generaliter, & indistinctè legata simplicia (nulla facta exceptione de annuis; sed ijs tantùm exceptis sive annuis, sive non, etiam pro unica vice; quæ usumfructum important, aut usum vel facti simplicis alicujus boni immobilis, aut inter Immobilia computati (à Jure) impropriè dicta, ut à me explicata sunt & ab ipso Sanchez, Fratribus Minoribus licita declarat, posséque ab ipsis recipi, cum moderaminibus requisitis; sicut etiam pecunia oblata, vel à mortuo relicta, & non revocata? 6

7 Non igitur debuisset Sanchez, specialem hujusmodi prohibitionem Fratribus Minoribus incumbere commentari. Quandoquidem, si textum illum *Clementin. Exivi: eo versicul. Cumque annui reditus:* aliàs sæpiùs relatum, cui ipsi totus innititur pro sua sententia sustinenda: conferamus cum textu *mox suprà* ex ipso adducto Bullæ, *Ascendente*, Gregorij XIII. quin & cum textu Constitutionum Societatis *part. sexta, capit. secundo, paragrapho secundo* pariter ex ipso *paulo suprà* allato; eandem quoad annuos reditus utrin-

que deprehendemus prohibitionem, nullatenùs ex parte alterutra aut clementiorem, aut austeriorem.

8 Quòd si fortè specialem illam prohibitionem ex parte Fratrum Minorum, adeóque differentiam, (quod ad præsens attinet judicium) inter ipsos, & Domos Professas Societatis, astruisset Sanchez, eo quòd (ut benè ipse ait *eo n.9.*) Constitutiones Societatis Jesu non omninò prohibent hos reditus accipere, sed solum jus aliquod civile ad eos recuperandos acquirere, & administrationem illorum habere; ut constat ex verbis ex ipso *suprà* allatis *Const. p.6 cap.2. §.6.* Quod etiam clarè exprimitur à Julio III. *in prima Bulla*, qua confirmavit Institutum Societatis Jesu, ubi (referente Sanchez *cit.n.3.*) sic ait: *Sic voveant singuli, & universi perpetuam paupertatem, ut non solum privatim, sed nec etiam communiter possint Professi, aut ulla eorum Domus, aut Ecclesia ad aliquos proventus, reditus, possessiones, sed nec ad ulla bona stabilia, præter ea, quæ opportuna erunt ad usum proprium & habitationem, retinenda, jus aliquod civile acquirere, rebus sibi ex charitate donatis ad necessarium usum contenti.* Hæc Pontifex ille, qui sanè illis verbis: *Ad aliquos proventus, reditus: &c.* baud levem mihi ingerit dubitandi rationem, quòd nec liceant Domibus ipsis Professis annua legata, vel annui reditus propriè dicti, ad breve tempus relicti, vel pro unica vice: (quemadmodum dictum est etiam de Fratribus Minoribus) quod tamen nos concessimus ex Sanchez sententia *eo num.6.* qui idipsum docet *n.19.* dicens, solùm excipi legatum annuum perpetuum, aut ad longum tempus. At quidquid sit: non meum est id judicij, neque enim ad meum pertinet institutum: videriut ipsi, ad quos spectat. At, quæso, amice Lector, lege *totum istum Paragraphum.*

9 Si inquam, ob id Sanchez illam asseruit differentiam, & specialem prohibitionem; quasi ex parte Fratrum Minorum non extarent hujusmodi Declarationes; debuisset advertere, ita declaratum fuisse à Nicolao III. *in eo cap. Exiit: §. Ad hæc, quia:* ubi simplicibus legatis impropriè dictis generaliter, & indistinctè admissis, concludit, velle se, quòd in legatis absque modi illiciti expressione Fratribus relictis in omnibus, & per omnia id servetur, quod ipse servandum *ibid. suprà* statuit in pecunia Fratribus indeterminatè oblata, vel missa, quæ profectò debet à mandatario, vel substituto Domini fideliter pro Fratrum necessitatibus expendi; ita tamen (ut ait Pontifex ille *ibid. §. Cæterùm:*) quod ab omni ejusdem pecuniæ administratione, seu dispensatione, & contra prædictam personam actione, seu persecutione (ut prædictum est) Fratres abstineant omnimodo.

10 Debuisset advertere, quòd Clemens V. *in ea Clem. Exivi:* concludit provisionem, & Declarationem suam contra illum abusum, inter alios relatum *eo §. Proindè:* illis verbis: *Cumque annui reditus &c.* quia scilicet Fratres nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possunt, etiam in communi; nec licet eis uti vel de facto simplici bonis immobilibus, aut inter Immobilia computatis; (præter necessaria ad habitationem &c.) qualia non sunt censenda simplicia annua legata, etiam perpetua, impropriè tamen dicta; sicut non censentur talia ab eodem Sanchez pro Domibus suis Professis. Quid verò, quòd nec censentur talia in Jure, etiamsi sint propriè dicta, percepta scilicet ex titulo legati civiliter acquisito; ut aliàs docuimus cum Oinotomo, Landrechto, & alijs? Vide dicta *art.1. §.31.n.15. & seqq.* & alibi.

Debuisset advertere ipsam Minoricæ paupertatis, Hæroicæque mendicitatis essentiam, in quo consistat, quosque fines suis Professoribus statuat; & vidisset, ei nullatenùs repugnare annua legata simplicia, etiam perpetua, impropriè tamen dicta, & à Fratribus percepta cum moderaminibus requisitis: quippè quæ nec inferentia proprietatem ullam, aut certitudinem civilem, sed nec usum de facto simplici boni immobilis, aut inter Immobilia computati; ut latè ostensum est *in superioribus.* 11

Debuisset advertere Declarationes, & doctrinas S. Bonaventuræ, & alias *suprà* allatas, quibus tantummodò interdicitur Fratribus Minoribus, (& quidem per Obedientiæ præceptum ad mortale obligans, immò & sub excommunicationis sententia ipso facto incurrēda, non autem ad nullum, nedum nec ad mortale, ut ipse Sanch. asserit de eodem præcepto in Societate existente; ut vidimus *alibi* & tradit ille *eo c.27.n.11.*) ne quis per se, vel per alium inducat aliquam personam ad ordinandam eleemosynam perpetuam, vel ad vitam, sibi, vel Ordini aut Conventui exhibendam annuatim, vel certis temporibus: & si aliqua taliter fuerit legata, nullo modo à Fratribus civiliter cognoscatur, vel acceptetur, aut in judicio exigatur; ut retulimus *art.1. §.20. & art.2. §.3.* Mitto autem alias Declarationes Sac. Congregat. sub Urbano VIII. editas, relatas *art. præsenti, §.4.* quas nimirum nequivit Sanchez advertere; benè tamen Recentiores ejus sequaces. 12

Debuisset, pro intellectu Clementinæ *Exivi: in eo v. Cumque annui reditus:* aliam ejusdem Pōtificis constitutionem, seu Bullam, quam dedit Ministro Provinciali, & Custodibus Aragoniæ, atque Provinciarum Cathaloniæ, ac Valentiæ Custodibus, & Guardianis *ann.1311.* pro renunciatione, seu respuitione ab ipsis facta quorundam bonorum ipsis legatorū, ut videre est apud VVadingum *t.3. Annal. minorum in Regesto Pontificio, Bulla 33. ejusdem Pontificis.* Ibi enim ex supplicatione 13

supplicatione, & expositione eorundem Fratrum declarat, non reditus quoscunque sed certos civiliter, vel saltem usum de facto importantes boni immobilis, quales illi erant, qui respuebantur, esse iisdem Fratribus, Regula, & Professione eorum prohibente illicitos.

14 Debuisset etiam pro ejusdem Clementinæ textus intellectu consulere, audiréque Doctores, qui ante ipsum scripserant, ex his, quos allego *art.* 1. §. 18. §. 22. §. 25. *&* §. 31. percepissétque illum procedere de annuis reditibus, censibusve vel formaliter sumptis, ideft de juribus censuum fundatis, & constitutis, qui sunt sicut possessiones; vel de materialiter acceptis, ideft pro ipsis annuis pensionibus; sed propriè dictis, seu civiliter debitis; & quidem non ex obligatione personali simpliciter, aut ex quantitate in genere; sed ex re immobili pro ipsis obligata, & ex jure ad certam speciem; ut ex Oinotomo, & Torniola tradidimus *eo §.* 31. qui propriè dicuntur Civiles Annonæ, ut loquitur Imp. Justinianus *in Authent. de non alienand. aut permutand. reb. Eeclef. immobil.* §. *Hæc ergò*: ubi Gloss. & ante illum Leo, & Antoninus Augusti *in l. iubemus*: 2 *§.* 1. *C. de sacrosan. Eeclef.* & ibi Glossa.

15 Quid quòd vel ubi nullæ extitissent aut Declarationes Summorum Pontificium, vel Patrum Ordinis, aut Doctorum interpretationes; suapte ingenio debuisset Sanchez ex similitudine Juris prohibentis hinc inde, cùm ex parte scilicet Domorum Professarum Societatis, tùm ex parte Fratrum Minorum, eandem utrinque Declarationem, seu interpretationem exhibendam judicare. Vbi enim lex deficit, vel ejus declaratio, de simili ad simile procedimus; ut tradit Marcus Antonius Marescottus de Calvis *in repetit. cap. licet*: *de constitut.* & famigeratum est apud Juristas; facitque text. *in l. Non possunt*: *ff. de legibus*, *& senatusconsult. & cap. inter corporalia*: *de translatione Episcopi*: *& cap. ad aures*: *de rescriptis*: *& leg. inter stipulantem*: *§. sacram*: *ff. de verbor. & rerum significatione*. & est regula, quòd quando duo æquiparantur in Jure, statutum in uno habet locum & in alio; ut aliàs docuimus, & tradit idem Marescottus *cit.* ex tex. *in cap. translato*: *de Constitut.* ubi Abbas per *illum text.* & Bartolus *in l. si quis servo persuaserit*: *C. de furtis*: ubi Noviss. *in* 1. *not. in* 2. *col.* alleg. Bartol. *in l. si constante*: *in* 7. *q. ff. soluto matr. quemadmodum dos pet.* atque istam Regulam tradit etiam Antonius de Burrio *in c. fi. in* 3. *fallen. de Consuetudine*: facitque etiam tex *in l.* 1. *§. lex Falcidia*: *ff. ad legem Falcidiam*: & ibi Bart. & Alex. & eandem Regulam firmat Bald. per tex. *in l. post fratres autem C. de legitimis hæred.* pro qua etiam argumentatur Romanus *in conf.* 32. *Visa municipali*: *penult. col. dein conf.* 129. *licet magna*: cum aliis.

Quapropter non debuisset unquam Sanch. *eo n.* 8. dicere, non posse Fratres Minores capere ab hærede annua legata simplicia ab ipso soluta non propria sponte, sed ex Testatoris (ideft ex imposita à Testatore, vel Testatori acquisita) obligatione. Nimis enim frivola hæc ratio est, vel assertio; neque fuisset adducenda à Viro, vel modicæ eruditionis circa Seraphicam Regulam, ac Professionem, Declarationésque Pōtificum in hac materia. Qua enim lege interdicitur Fratribus Minoribus recipere annuatim, cum moderaminibus requisitis, ea, quæ annuatim ipsis à quolibet præstantur ex obligatione conscientiæ simpliciter, etiamsi non propria sponte, sed ex alterius mandatum? Nulla profectò lege hoc ipsis interdicitur; sicuti nec Domibus Professis Societatis. Si enim hujusmodi prohibitis adesset, jam neque possint capere annuatim quicquam ex eis, quæ indistinctè panperibus, nulla facta nominatione personarum, à Morientibus eroganda relinquuntur, quacúnque ex causa? Quod tamen falsum esse constat ex Bulla Alexandri IV: *suprà* relata *hic §.* 4. *n.* 21. Jamque satis ex dictis comperta est nullitas illius Sanchez sententiæ; ex ijs præsertim, quæ ex sola Nicolaj III. Declaratione *in eo §. Ad hæc quia*: sæpiùs edisseruimus. 16

Non ergo debuisset Sanchez tam facili negotio, adeóque immerito, nullóque suadente Jure hujusmodi pias Morientium voluntates, & dispositiones, illas præcipuè, quæ mere gratuitæ sunt, puréque eleemosynæ, absque ullo onere Missarum &c. infringere vel jugulare, ut facit, docendo eas esse cassas & nullas, & pro nō scriptis habendas; neque proindè hæredes, vel Gravatos teneri solvere, sed posse tutissima cōscientia ipsas Morientium eleemosynas sibi retinere. Saltem enim, ut causæ pietas incolumis servaretur, hæredúmque vel Gravatorum conscientijs tutius consultum foret, eorumque jure optimo pulsa cupiditas, debuisset dicere, deberi eas eleemosynas, etsi minùs Fratribus Minoribus, alijs tamen pauperibus, pijsve operibus in communi; ut aiunt Doctores secundæ in hac quæstione sententiæ, relatæ *hic supr. §.* 2. *n.* 2. quā nos admittimus, & docemus in legatis tantùm cum expressione modi illiciti Fratribus relictis: Ob idque illum in hac conclusione nullatenùs audio, nec audiendum puto; neque enim probabilem ejus opinionem censeo, neque tutam; tametsi ipse probabilem judicet nostram. 17

Quòd si fortè voluisset Sanchez intelligi de annuis legatis sub modo, vel forma importante usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis; vel inter Immobilia computati Fratribus Minoribus, vel Domui Professæ Societatis directè legatum; quòd est dicere cum expressione modi, secundùm quem Fratribus Minoribus (eorum conditione inspecta) percipere non

licet;ut declarat Nicolaus III. jam dixi *hic supra n.5.* me quoque libentissimè ei consensurum,in eo tamen tantùm,quod dicit,ex parte Fratrum Minorum adesse specialem prohibitionem ; ita ut talia legata,ut talia,vel etiam hujusmodi concessiones à Viventibus oblatas , neque impropriè,& de facto tantùm,ac citra omne jus,actionémque civilem ad illa , & seclusa omni administratione, &c. habere, vel recipere non possint;ut statuitur *in Clementina,Exivi : eo versic. Cumque annui reditus:* & ab illis,& eorum receptione per omnem modum abstinere debeant; ut decernitur per Nicolaum III. *in cap. Exyt:eo §. Ad hac,quia* & nos tradidimus ex professo *artic.1.§.25.n.1.& seqq.* & alibi semper , ubi obiter,constantissimè.In hoc,inquam, duntaxat libentissimè consentirem Sanchezio, si , ut præfertur,intelligi voluisset;ac proinde non admitterem ejus judicium , dum admittit, tanquam probabilem,opinionem sibi contrariam ; quam ego non admitto,nec sequor , nisi quatenùs illam procedere intelligo de legatis simplicibus, factisque sine expressioue modi Fratribus illiciti ; prout in nostra prima Conclusione *art. 1. §.23 num.24.& seqq.& §.24 per totum*, explicatum est.

At,quidquid sit de sensu Sanchezij,ego certè puto, sensum illorum textuum Constitutionum Societatis, & Julij III. relatorum *hic supra n.4.& 8.* esse de annuis reditibus, proventibus, vel legatis importantibus usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis,vel inter immobilia computati;quòd scilicet,quoad hujusmodi sufficiat, si Domus Professa nullum acquirat jus civile ad petendum, vel exigendum &c. & nullam habeat administrationem &c.Cum cæteroqui,quoad legata etiam immobilium,unica vice solvenda,jus civile,actionemque politicam acquirat ad ea recuperanda &c.ut fatetur ipsemet Sanchez afferendus §.9. *seq.n.3.& 31.* Fratres autem Minores quoad legata primi generis ita incapaces sint,ut nec de facto simplici ea, ut talia,admittere possint, sed respuere teneantur:legata verò secundi generis admittere duntaxat possint,pro modulo necessitatis,citra juris, actionisvé civilis ad illa acquisitionem ex parte sui ipsorum, & per modum eleemosynæ;quod est,impropriè dicta,secundùm nostra principia. Atque ex hoc patet, quæ, & qualis prohibitio, seu arctitudo specialis,quoad hæc,sit apud Fratres Minores, non autem penes Domos Professas Societatis,quæ tamen non juvat Sanchez in sua assertione ; ut ostensum est. Nam ipse confuse locutus est, non distinguens inter legata, & legata, juxta doctrinam Nicolai III. *ubi sup.*candidè intellectam , ut par erat pro veritate enucleanda etiam pro Fratribus Minoribus, quoad legata simplicia.Et de huc satis.

§. VIII.

Amplius refellitur ratio Baldi, *quam expendimus* art. 1. § 26. à num. 10. *cui plurimùm Sanchez innititur pro sua conclusione.*

SVMMARIVM.

1 *Legatum Minoribus relictum cum expressione modi illiciti, an sit habendum pro non scripto , ita ut hæres illud sibi retinere possit.*

Legatum capiens substantiam ex modo illicito, an sit nullum, nec fieri debeat conversio in alium usum. ibid. & num. 2.

2 *Legatum annuum simplex Minoribus relictum non continet per se modum illicitum.*

Legatum rei immobilis Minoribus relictum, non est absolutè nullum , etiam factum sine expressione modi eis liciti. ibid.

Legatum pium nunquam fit caducum ratione modi impossibilis aut illiciti , sed debet converti in aliam causam piam omni meliori modo juxta mentem testatoris. ibid. & num. 3.

4 *Modus impossibilis legato Minoribus relicto adjectus quando subducendus sit,& convertendus in alium possibilem.*

5 *Legata Minoribus relicta quoquo modo fiant, non capiunt substantiam ex modo,sed ex pia voluntate testatoris quæ semper impleri potest vel specificè,vel alio modo licito.*

Impossibilitas omnis subducenda est de legatis piis. ibid.& num.6.

Modus illicitus legato pio adjectus illud non vitiat,sed ipse vitiatur. ibid.

6 *Modus continens impossibilitatem ex Regula licèt non subducatur pro Minoribus, subducendus tamen est pro pia Causa in communi , ne dispositio pro anima testatoris caducetur.*

7 *Modus impossibilis ex Regula etiam videtur subducendus,& convertendus in possibilem & Minoribus licitum, ut meliori modo quo potest impleatur pia voluntas testatoris.*

8 *Non omne legatum incongruo modo Minoribus relictum recipi prohibetur,ut declaratur* ibid.

9 *Legatum Mendicantibus relictum cum expressione modi illiciti, reiecto modo sustinetur & convertitur in alium pium usum:* & num.10.

10 *Baldi doctrina circa legata Minoribus relicta cum expressione modi illiciti rejicitur,* & num. præced. & seqq.

11 *Ingenium nullum reperitur , quod aliqua ignorantia*

ignorantiæ umbra non offuscetur, & aliquam eclipsim patiatur.

12 *Eleemosynæ etiam annuæ & perpetuæ Minoribus relictæ non repugnant professioni celsissimæ paupertatis, & dependentiæ à divina providentia: modò ipsi eas non procurent, neque admittant tanquam civiliter sibi debitas.*

Authoris sententia distinguens in materia legati annui Minoribus relicti, veritatis scopum demonstrat & facilè attingit, ibid. & n.13.

13 *Authoris sententia doctrinæ S. Bonaventuræ, aliorumque Ordinis Patrum eruditissimorum consentanea, non est dicenda propendere in sensui conformia ex depravatæ naturæ instinctu.*

14 *In Regula S. Francisci multa putantur mala per errorem conscientiæ, quæ benè intellecta, justa sunt & licita.*

15 *Utrum Minores teneantur ex suæ Regulæ professione ad tenuem & pauperem rerum omnium usum, necne? ardua olim inter ipsos quæstio.*

16 *Eleemosynæ omnes sive à Morientibus relictæ Minoribus, sive à Viventibus erogatæ, licitæ sunt, seclusa actione civili ad exigendum, & secluso modo illicito ad usum: ut declaratur*, ibid.

Legatorum omnium receptio non inducit relaxationem paupertatis Seraphicæ, ibid.

Zelus nimius & indiscretus vitandus: oportet enim sapere ad sobrietatem.

17 *Revelatio facta P. Ioanni Minoritæ circa spiritum humilitatis & paupertatis Seraphicæ, refertur.*

Zelatores ferventiores quàm par sit, proprio spiritu ducti, quasi virtutis idolum sibi fingunt, & virtutem ipsam prosternunt, ibid.

Paupertas Seraphica non est crudelis, sed suavis & benigna, à spiritu Christi Domini profecta, ibid.

18 *S. Bonaventura duce ad perfectam Regulæ Seraphicæ observantiam facilè & sine errore pervenitur.*

1 INsinuavimus *suprà, art.1. §.24. num.23.* quandam *Baldi* rationem, qua potissimùm utitur Sanchez ad probandum, legata Fratribus Minoribus relicta cum expressione modi illiciti prorsùs non valere, esseque omninò caduca, & nulla, ac proindè posse illa sibi retinere hæredes, vel Gravatos, neque ullo modo teneri ea convertere in alium usum. Eandémque tetigimus, & resolvimus *ibidem §.26. à numero 20.* jam verò operæ pretium est illam usquequaque evacuare; prout ab eodem Sanchez refertur *eo cap.26. num.18.* Ait igitur, probare optimè eam sententiam Baldum *in Authen. Ingressi: in nova editione, numero 58. & 59. C. de sacros. Eccl.* hac ratione: Quia, quando legatum capit substantiam ex modo, sicut sunt relicta Minoribus; quia ex se sunt rei immobilis relictæ incapaces, & ratione solius modi ijs liciti capaces redduntur; nunquam fit conversio in alium usum: sed modus vitiat legatum: secùs autem, quando legatum non capit substantiam ex modo; quia nimirum absque illo modo potest impleri; quia tunc reputatur ac duplex præceptum, alterum substantiæ legati, & alterum modi; & ideò si modus non tenet, debet converti in alium similem, juxta *l. legatum: ff. de usu, & usufructu, per legatum relict.*

Sed hæc ratio, nulla est, & ipsa potiùs nullum habet modum, ex quo capiat substantiam, vel subsistentiam. *Primò* enim supponit, annua legata simplicia continere modum Fratribus Minoribus illicitum; quud omninò falsum est, ut ostensum est *suprà* ad hominem contra Sanchez. *Secundò* videtur etiam supponere, legata rei immobilis Fratribus Minoribus absolutè relicta, nulla esse, neque idcircò eis esse ullo mudo præstanda, nisi fiant cum expressione modi eis liciti. Ait enim: Quia ex se sunt rei immobilis relictæ incapaces, & ratione solius modi ijs liciti capaces redduntur, &c. Et hoc quoque falsum est, & contra expressam declarationem Nicolai III. *eo §. Ad hæc, quia:* ubi solummodò declaratur. Fratribus interdictum recipere quoquo mudo legata cum expressione modi illiciti ipsis facta. At, loquendo etiam de istis, adhuc modus hujusmodi non ita declaratur ibi à Pontifice vitiare legatum, ut hoc censendum sit omninò irritum, & caducum; sed tantùm ita vitiare, ut quatenùs tale, Fratrum statui ac professioni repugnet, ob idque teneantur ipsi ab eo, & ejus receptione per omnem modum abstinere; ut *ibi, in textu.* Quibus verbis clarè indicat Nicolaus, non esse id legati cæteroquì irritum, sed relinqui dispositioni Iuris communis, qua constat nunquam legatum pium fieri caducum ratione modi impossibilis, aut illiciti, sed convertendum esse in alium usum, vel modum, sin minùs pro Fratribus (ubi de ipsis agitur) saltem pro alijs pauperibus, pijsvè Causis in communi: ut probatum est *in superioribus.* Capit quidem id legati ita substantiam ex modo respectu Fratrum, ut ipsi ab eo debeant per omnem modum abstinere, quandiu manet sub tali modo; at non ita capit substantiam ex modo respectu piæ Causæ finalis, quam Testatorem intendisse, censendum est, quæ est bonum animæ ipsius, Deique cultus, & honor, ut pro hac non debeat converti in alium usum, & omni meliori modo ab hærede, vel gravato impleri, vel scilicet vendendo illius Capitale, seu sortem, aut proprietatem;

tatem; vel (si malit ille) collectis ab ipso, tanquam ab OEconomo, annuis proventibus, vel pensionibus, eas in pauperes, vel pias Causas in communi erogando pro anima Testatoris; ut alibi dictum.

3 Quare absolutè tenendum est contra *Baldum*, quòd de legatis Fratribus Minoribus relictis omnis omninò modus illicitus, vel impossibilis subducendus est; eáque semper implenda omni meliori, quo fieri potest, modo, eóque proximiori intentioni Testatoris; quippe quæ ab omni caducitate immunia sunt; ut probatum est *hic*, §.1. *& alibi:* quin & ipsa causæ Testatoris pietas unicuique suadere par est.

4 Advertendum tamen cum Bartolo *lib.* 2. *Minoric. dist.*2. *cap.*1. *&* 2. ex Politio *in cap.*6. *Reg.num.*64.& alijs, An modus hujusmodi contineat prohibitionem, incongruitatem, seu impossibilitatem, ex vi Regulæ Fratrum Minorum; an verò aliundè eam sortiatur, putà ex aliqua lege communi. Quòd si modus primi generis sit, tenentur Fratres tale legatum respuere, & protestari; ut diximus *art.*2.§.2. sed adhuc tenetur hæres, vel Gravatus, prout diximus *ibid.* & *hic mox suprà.* Si autem modus sit secundi generis, tunc omninò subducendus est, & reducendus ad modum licitum, congruumvè Fratribus, ita ut ipsis signanter legatum debeatur ex obligatione conscientiæ ipsis protestantibus, prout docuimus *art.*2.§.3.

5 Et ecce, quomodo legata pia, adeóque ea, quæ Fratribus Minoribus quoquo modo fiunt, non capiunt substantiam ex modo; (ut putavit Baldus) quia nimirum absque illo modo, si impossibilis sit, vel illicitus, impleri omnino possunt,& debent. Verè enim in his(ut ait Baldus) reputatur ac duplex præceptum, alterum substantiæ legati, scilicet pro bono animæ Testatoris; alterum modi: & ideò si modus non tenet, debet converti in alium similem. Et ratio est; quia generaliter loquendo, (ut benè ait etiam Politius *cit.*) secundùm *Iura*, omnis de legatis, saltem pijs, subducitur impossibilitas; ut in *l.obtinuit: ff.de condit. & demonstrat. & l.reprehendenda: C.de instit. & substitutionib.* & debet transmutari in alium modum possibilem, seu licitum, aut congruum; ut *l.legatum: ff. de usu, & usufructu, per legatum relict.* Et conditio, seu modus turpis, & illicitus adjectus legato, saltem pio, non vitiat, sed vitiatur; unde valet legatum; conditio autem, seu modus hujusmodi habetur prout scripto; ut alibi tradidimus cum Petro Bellasio afferente Sanchez *lib.*7. *in Decal.cap.*17.*num.*12. & ampliante, ita ut id verum sit, etiamsi Testator ejusmodi conditioni, vel modo adjecerit pœnam: quia (inquit ille) adjectio pœnæ actui interdicto mandato, est ipso jure nulla: ex Sylvestro *in Sum. v. Religio,* 6.*quæst.*7. Corduba *in Sum. quæst.*154. Sanchez *ibid.*& Lezana *tom.*1.*Sum.cap.*6.*n.*34.

Quamvis autem Bartolus, & Politius *cit.* doceant, modum continentem impossibilitatem ex Regula, minimè subduci; sed tantùm eum, qui eam habet aliundè: nitantúrque hi Doctores declarationi Nicolai III. *in eo* §. *Ad hæc, quia:* Nihilominùs eos sensisse puto, quòd modus hujusmodi minimè subducẽdus sit, & in alium convertendus pro Fratribus signanter; benè tamen pro pia Causa in communi; illud enim utique non declaratur *ibi* à Nicolao; at benè id secundum statutum est in Jure communi, cujus dispositioni relinqui à Pontifice illo censenda sunt legata hujusmodi; ut dictum est. 6

Non defuit tamen Crousers noster, qui docuerit *ad cap.*6. *Reg. lect. parænet.* 7. modum hujusmodi subducendum esse etiam pro Fratribus signanter. Quam sententiam tenuerunt etiam D. Antoninus 3. *part. tit.*16. *cap.*1. §.12. *not.*7. & Menochius *consil.*1014. *n.*29. *& seqq. vol.*11. quos refert Sanchez *cit. eod. num.*18. Et quidem Ferdinandus de Castro Palao *part.*3. *tract.*15.*disp.*3.*part.*9. *num.*13. fatetur, dubium hoc (an scilicet ad id teneantur hæredes) non cavere difficultate; siquidem(ajens)hac subductione facta, putà per venditionem legati, erogando æstimationem ejus in Fratrum necessitates; voluntas Testatoris meliori modo, quo potest, adimpletur: quæ profectò ratio valdè mihi probabilem reddit hanc opinionem. Atque hæc, quoad *Baldi* illam rationem doctrinali responsione solvendam. 7

Ex quibus patet, quantùm vel ipse Baldus fuerit in hac re deceptus. Quare jure optimo illum respuit *Politius cit.* hisce verbis: Quidquid dicat Baldus *cit.* quem sequitur Ancharanus *in Clem. Exivi*: meo judicio absque ulla ratione. Quoniam per *illum* §. *Ad hæc quia:* non omne legatum incongruo modo relictum Fratribus recipi prohibetur; sed illud tantùm, quod ipsis Fratribus incongruit, considerato eorum statu; hoc est ratione, qua Fratres Minores sunt, & non ex alia causa; ut ex *dicto* §. probatur: Quare quoad hujusmodi legata, quæ modo incongruo Fratribus legantur, non quatenùs Fratres Minores sunt, & talis modus eis specialiter prohibetur; sed quia sic esset in quolibet Religioso; dispositioni Juris communis est standum: ut benè dixit Bartolus *in d.dist.*2.*c.*1. Hæc Politius. 8

Quid, quòd vel ipse Baldus hanc veritatem alibi fassus est: testatur enim Alexander, & ex ipso mihi Jason mox citandus, *in l.idem Iulius: §. constat: ff. de legatis* 1. quòd ille met *in l. cum rem alienam: in* 2.*col.C.de legatis:* docet, legatum Mendicantibus relictum cum expressione modi illis illiciti, & impossibilis valere omninò, & tenere, ita quòd si non potest impleri eo modo, 9

modo, quo tentator jussit, cùm sit illis illicitus, & impossibilis, rejecto tali modo, tanquam invalido, debet converti in alium pium usum, vel causam, putà in constructione (inquit ille) alicujus venerabilis Capellæ in eorum Ecclesia, ubi, &c. ut nimirum memoria testatoris, & salus animæ ipsius servetur. Quare crediderim, Baldi sensum *in d. Authent. Ingressi: cit.* fuisse, quòd legata, seu relicta Minoribus substantiam capiant ex modo, quoad ipsos Fratres tantùm, qui, si ea sint relicta cum expressione modi ipsis illiciti, teneantur per omnem modum ab illis, & eorum receptione abstinere: non autem, quòd ex tali modo expresso capiant substantiam in se, & quoad piam Causam, ut sic, & in communi; in cujus favorem profectò sustinenda sunt; ut ostensum est & ipsemet Baldus velle se indicat *in d. l. cùm rem alienam.*

10 Hinc Jason *in d. l. idem Iulius: §. eod. num. 19. & 20.* eandem sententiam tenens allegat *l. legatum Civitati: ff. de usu, & usufructu, per legatum relict.* atque idem teneri affirmat ab Imola, Rip. Cuccho, Paulo de Castro, & Alexandro *cit.* testante etiam de Baldo, ut præfertur. Addit etiam, pro eadem sententia stare Federicum de Senis: tandémque concludit, quòd Baldus *in d. authent. Ingressi:* obscurè locutus est, & certè fundamentum ipsius non est tutum, ipsúmque ad huminem latè refellit, & arguit. Videatur ille, si lubet. Meritò ergò, & nos nec probabilem, nec tutam duximus opinionem Sanchez Baldum sequentis. *Nunquid enim*(juxta Christi Domini sententiam, *Lucæ cap. 6.*) *potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?* Tutiùs ergo consulant conscientijs suis, qui eos, eorumque sequaces audiunt in hoc proposito; nisi ipsos interpretentur, prout nos mox *suprà* interpretari sumus.

11 Non tamen miror, quòd Baldus, Sanchez, & alij, & quidam etiam ex nostræ Regulæ Expositoribus, ut Politius, & Sanctes Romanus, obscurè, vel confusè in hac materia locuti fuerint, & penè dixerim inconstanter. Non enim est homo in terris (ut benè ait P. Bartolus *in Opusc. L'Huomo di lettere difeso & emendato: part. 2. tit. Maledicentia*, §. 2.) adeò limpido, ac crystallino pollens ingenio, qui in excipiendo sapientiæ lumine aliqualem non jaciat, plus, minúsve ignorantiæ umbram: Unde & hanc veniam petimúsque, damúsque vicissim (concludit ille) ut scilicet quandóque liceat, vel Viro, cæteroqui doctissimo, Veritatis centrum, vel punctum non attingere, absque eo, quòd idcircò è sapientium circulo explodatur: quemadmodum & Luna, quamvis nonnunquam incidat in eclipsim, & obscuretur, non ideò à cœlo cogitur exulare.

12 Æqui igitur, boníque faciant vel Minoricæ paupertatis acerrimi zelatores, qui strictissimam ejusdem observantiam æmulantes, annuarum hujusmodi (veluti per nos asseruntur) Morientium eleemosynarum, præsertim perpetuarum Fratres Minores omninò, & absolutè incapaces esse asseverant; per traditam à nobis distinctionem, & doctrinam sanè, videri meo, demonstrativam, suam ipsorum temperari sententiam, conciliarique cum nostra. Quandoquidem nec nos intendimus sententiâ nostrâ, vel doctrinâ sincerè, ut præfertur, in praxim ductâ, celsissimam nostræ Professionis paupertatem, vel à divina Providentia defendenciam lædi: quinimmò integerrimam asseri, & defendi. Nonne enim ex mera Dei providentia est, ideóque ad celsissimæ Minorum paupertatis amussim, cùm ipse suæ Charitatis spiritu Morientes (quemadmodum & Viventes) incitat ad hujusmodi eleemosynas, esto annuatim, & in perpetuum, per hæredes, & successores suos, vel alios hujusmodi gravatos, Fratribus mittendas, vel legandas; modò à Fratribus ita legari sibi non procuretur, neque ad ipsas recipiendas, vel petendas jus aliquod civile, immobilisvè ob civilem certitudinem titulus ex parte ipsorum Fratrum acquiratur? Non nisi herclè ita est. Audiamus, quid ex Joanne de Pecano *in cap. 1. Reg.* loquatur Pater Servatius Myticanus provinciæ inferioris Germaniæ Minister *in suo Enchiridio Fratrum Minorum ad cap. 6. Regulæ.* Hæc est (inquit) celsitudo Paupertatis Seraphicæ Fratrum Minorum, Regulam suam sine relaxatione servare volentium; quòd scilicet tum singuli, tum Communitas eorum nulli rei dominentur; nulli hominum civiliter præferantur; nihil suo jure repetere possint; nulli teneantur tributum reddere; nihil possint recipere metas Paupertatis excedens, nihil possit eis hæreditariè accedere; nihil possint immobili titulo tenere; egestatem servare debeant, &c. Ita ille; cujus, quæso, dicta considerent Minoricæ paupertatis fidissimi quique Assertores; indicentque, num in aliquo ab hac amussi deflectat doctrina nostra, quoad assertas Morientium Eleemosynas, vel legatá percipienda.

Neque ipsi putent, suam ipsorum negativam sententiam nobis, alijsque tot sapientioribus cum Seraphico Doctore D. Bonaventura sententibus, ideò minùs veram videri; quia præcisè nimis rigorosa, & stricta ea sit; adeóque vitiatæ per originariam labem naturæ instinctu quodam, & pondere propendentes nos in sensui conformia assertam sequi, magisque veram existimare, quasi affectui, & sensui magis placentem. Neque enim ipse dubito, quin & à D. Bonaventura, & ab alijs tot, tantisque Ordinis, quos sequor, Patribus cùm observantiæ integritate, tum doctrinæ splendore insignibus procul abfuerit carnalis affectus caligo, 13

propeà

propendénsque in sensui conformia voluntas in hac quæstione examinanda, sed pro certo habeo, purgatissimæ mentis oculo lucem Veritatis eos inspexisse.

14 Meminerint igitur quòd (ut ait Seraphicus Doctor *in Prologo sent. dub. 5. lit.*) sicut oculus in tenebris errat, sic hodie miser humanus intellectus; licet enim Lux increata propter peccatum non se ei subtraxerit, quantùm ad essentiam, vel quantùm ad qualencúnque influentiam, subtraxit tamen se homini, cùm peccavit, quantùm ad influentiam perfectam: undè nec mirum, si quandóque intellectus hominis, vel carnalis affectus caligine deputatus, sub strictioris, perfectiorisque observantiæ specie, aliquid arbitretur non licere, quod licet; contra sensui conformia effervescente æmulatione contendit. Sicque benè aiebat Seraphicus ipse Doctor *quæst.* 25. circa Regulam B. Francisci, quòd multa putantur mala, quandiù non intelliguntur; quæ intellecta, rationabilia, & justa videntur.

15 Meminerint famosæ illius quæstionis haud leviter scrupulosa animadversione olim inter Fratres ipsos Minores agitatæ: Virùm scilicet Fratres ex suæ professione Regulæ tenerentur ad arctum & tenuem, sive exilem & pauperem rerum omnium usum, necne. Quibusdam ex ipsis præfervido Paupertatis zelo correptis credentibus, & dicentibus; quod sicut quoad Dominium rerum, habent ex Voto abdicationem arctissimam, ita ipsis, quoad usum arctitudo maxima, & exilitas indicta est. Alijs in contrarium asserentibus, quòd ex Professione sua ad nullum usum pauperem, arctum scilicet, seu exilem, qui non exprimatur in *Regula*, obligantur licet teneantur ad usum moderatum temperantiæ, sicut & magis ex condecenti, quàm cæteri Christiani. Ecquis enim ea tempestate Evangelicæ Minorum paupertatis assertor primæ sententiæ Auctores pro veritate stare non judicasset? Quis verò è contra secundæ opinionis cùm Asseclas, tùm Doctores, veluti vitiatæ per originariam labem naturæ instinctu quodam, & pondere in sensui, corporique conformia propendentes non censuisset, adeóque velut altissimæ Paupertatis osores, brevíque idcirco à Seraphico Patre evomendos non condemnasset? Quale autem nihilominùs fuerit Clementis V. in Concilio Viennensi super hujusmodi controversia judicium, habetur *in Clem. Exivi*: *§. Ex prædictis autem*: hisce verbis: *Volentes itaque conscientiarum prædictorum Fratrum providere quieti, & his altercationibus finem dare; Declarando dicimus, quòd Fratres Minores ex professione sua Regulæ specialiter obligantur ad arctos usus, seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur, & eo obligationis modo, sub quo continet, seu ponit Regula dictos usus &c.* Qua de re nos latiùs egimus *art.* 1. §. 14. Ecce itaque Clementem ipsum in sensui conformia, purgatæ tamen, discretæque mentis intelligentiâ, propendentem. Non igitur, ubi de Paupertatis nostræ arctissimæ obligatione agitur, omnia omninò sensui etiam, affectuique placentia indiscreta animadversione excludenda sunt: sed zelo, secundùm scientiam, & non peregrinante in fervore, qui (ut ait D. Petrus *in* 1. *Canonica cap.* 4.) ad tentationem fit; judicandum est.

Quapropter in præsenti de Morientium Eleemosynis, sive legatis controversia hoc universis Fratribus Minoribus compertum, & citra omnem formidinem per epilogum assertum, suasúmque volo: quòd scilicet Nicolaus III. *in eo* §. *Ad hæc quia*: legata omnia, sive Eleemosynas omnes à Morientibus relictas generaliter, & indistinctè declarat Fratribus Minoribus licitas, absque ulla tamen juris, actionisvé civilis acquisitione ex parte ipsorum ad illas recipiendas, vel repetendas, quemadmodum & pecuniarias, & quascúnque alias à Viventibus largitoribus missas, vel exhibitas, ijs duntaxat exceptis, quæ sub modo ipsorum Fratrum professione ac statui repugnante, adeóque ipsis omninò illicito relinquuntur; hoc est sub modo inferente, vel de facto, usum, vel usumfructum boni alicujus immobilis, vel inter Immobilia computati, secundùm *Iura*. Idémque expressè affirmat generaliter item, & indistinctè, ex *eodem* Nicolai *textu*, & cum eadem tantummodò exceptione Cardinalis Zabatella *in Clem. Exivi*, *ad* §. *Proindè*, Neque hanc Nicolai Declarationem arctare magis intendit Clemens V. *in Clement. Exivi, d.* §. *Proinde, vers. Cumque annui reditus.* Ibi enim intelligendus est, vel de annuis quidem simplicibus legatis, sive formaliter, sive materialiter sumptis, sed propriè dictis, idest civiliter acquisitis, habitis, vel receptis: vel (& magis propriè) de legatis tùm formaliter, tùm materialiter sumptis, quorum vel de simplici facto usus, ex vi modi per Testatorem in legando servati, dicit, seu importat usum, vel usumfructum Fratribus directè legatum alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati à *Iure*; prout à nobis ostensum est *suprà art.* 1. §. 18. & alibi ad satietatem. Atque hanc censeo Canonicam veritatem, undè annua legata simplicia impropriè dicta, prout à nobis asseruntur Fratribus licita, cum moderaminibus requisitis, nec mendicitatis, vel paupertatis arctissimæ Fratrū Minorum professioni aut statui, nec prædictorū Pontificum declarationibus, vel minimùm adversari perhibentur. Sicque non est, cur quis asserta nostra candidè, ut prolata sunt, intellecta, & in praxim ducta scrupulosâ conscientiâ reformidet. Hocque hic ex industria sic refricare volumus 16

volumus pro ijs præsertim Fratribus, qui Paupertatis quidem, quam profitentur æmulatores existunt; at Jurium Canonumque, & propriæ obligationis, ex vi ejusdem Mendicitatis, apices non callentes, illic trepidaverunt ubi non erat timor: quo etiam plerúmque fit, ut Prælatos Ordinis, adeóque ipsum Ordinem universum, effervescente zelo, perperam relaxationis arguant, & condemnent, ubi hujusmodi simplices, purásque Murientium eleemosynas recipi interdum sciunt; cum moderaminibus tamen requisitis, ut suppono. Quòd si cuipiam fortè quidquam adhuc trepidationis incutiat pulchrum illud de altissima Paupertate epiphunema, quod habetur *in nostris Constitutionibus cap.6.* illis verbis: *O quante volte il Pio, e Zelante Padre, prevedendo in spirito, che molti lasciando questa Evangelica Margarita, dovevano rilassarsi, in ricevere, & procurare legati, heredità, & soverchiè limosine; pianse la dannatione loro, dicendo, che era vicino alla perditione quel Frate, che della pecunia faceva più stima, che del fango.* Excutiet hic sanè timorem, illúmque inanem deprehendet, ubi præcisè agitur de legatis simplicibus purísque Morientium eleemosynis perceptis cum moderaminibus requisitis; prout nostra procedit sententia; si in primis verba illa Constitutionum, & alia ibi subsequentia examinet & intelligat, prout nos expendimus *suprà, art.1.§.19.& 20.* nec non & prædictionem illam Seraphici Patris verbatim relatam benè intelligat, & animadvertat. Noverit igitur quisquis ille sit, quòd verba illa prophetico spiritu à Beatissimo Patre nostro Francisco prolata, quæ *in prædicto Constitutionum loco* insinuantur, hæc ipsa sunt; prout referuntur *Chronic. part.1. lib.2. cap.28.* ibi: *Venira tempo, nel quale i Frati del mio Ordine per opera de i maligni spiriti si partiranno dalla strada della santissima simplicità, è Povertà, ricevendo indifferentemente ogni sorte di danari, & qualsivoglia legato per testamento lasciatogli da chi che sia.* En igitur, quomodo ex his verbis liquidò patet, non omnium legatorum receptionem inducere relaxationem in Ordine, aut à Seraphico Patre exprobari; sed promiscuam, & sine ulla animadversione, & distinctione inter legata, & legata. Æmulemur ergo omnes Paupertatem altissimam, Zelemus ejus observantiam; sed nolimus peregrinari in fervore.

17 Hinc huc spectare omninò arbitror monitum illud, quod inter alias plures revelationes ad nostræ Congregationis statum pertinentes, aperuit Christus Dominus cuidam Fratri Joanni Hispano è Metymna Campestri, nostræ Congregationis Sacerdoti, eximia sanctitate conspicuo; (ut refert Boverius noster *tom.1. Annal. Minor. Capuccinorum sub anno* 1544. *numero* 16.) hisce verbis: Id quoque animadverte, Joannes; veram, ac perfectam Evangelicæ Regulæ observantiam; absque meo spiritu haberi non posse: idcircò in Regula scriptum est: Attendant Fratres, quòd super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, & sanctam ejus operationem. Quò fit, ut ex Fratribus nonnulli facilè in lapidem impingant, qui, cùm non meum, qui humilitatis, & charitatis est, sed suum spiritum sequantur; dum ardentiores altissimæ Paupertatis zelatores haberi volunt, eámque sibi humano spiritu, quasi Idolum confingunt, simul, & veram humilitatem jugulant, & charitatem prosternunt; nec tamen veram Spiritus paupertatem assequuntur. Hinc enim plerique, dum indiscreti Paupertatis Emulatores existunt, superbi, ac contentiosi evadunt; se ipsos, atque alios turbant, inquietos ubique se produnt, cuncta altercationibus complent: & cùm non alta sapientes, sed humilibus consentientes esse deberent; pròprio spiritu inflati, à meo Spiritu decidunt, dum verò zelum illum absque scientia, siccamque, ac crudelem Paupertatis æmulationem in mente alunt; qua necessaria charitas, ac debita in cæteros pietas, ac misericordia, quibus Paupertas ancillari debet, perimitur; profectò à vera, ac spirituali Regulæ observantia cadunt, altissimamque Paupertatem, quæ non sæva, aut crudelis; sed suavis, ac benigna est, utpotè à meo Spiritu profecta, à sua sede deturbant, atque à proprio fine aberrantem præstant. Denique cum Paupertatem plus æquo efferentes, se sanctum, atque illustre quippiam agere putant, Spiritum meum, quem super omnia desiderare, atque integrum servare debent, ut Regulam perfectè observent, proculdubio extinguunt, atque à vera Regulæ observantia exorbitant. Paupertatem igitur ita diligant, colant, amplectantur, oportet; ut humilitatis, & charitatis Spiritum non extinguant. Quamobrem si Fratres mihi placere optant, in id viribus omnibus adnitantur, ut divinum meum spiritum, qui bonus, suavis, ac benignus est, perfectè, suavitérque omnia disponit; assequantur: eo enim præsente, facilè omnia, quæ ad Regulam perfectè observandam spectant, illis administrabuntur. Hæc Christus Joanni illi, referente Boverio *cit.*

Quare, quod ad rem nostram attinet, cum 18
ipse putem, immò pro certo habeam, quod S. Bonaventura, (ut tot alios Ordinis Patres missos faciam & zelo observantiæ, & doctrinæ laude, & ipsa dignitate conspicuos, cum eodem Seraphico Doctore sentientes,) quem potissimùm sequor in assertionibus meis, Spiritum Dei habuerit in hoc puncto ad perfectam Regulæ observantiam spectante decidendo, nullatenùs ab assertis cum ipso recedo, neque ab ijs sustinendis reformido.

§. IX.

§. IX.

Quoddam aliud SancheZ effatum ad præsens attinens, & occasione præsentis materiæ ab ipso prolatum expenditur, & refellitur.

SVMMARIVM.

1 *Paupertatis Minoricæ, & Domorum professarum Soc. Iesu æquiparatio à Sanchez adducta expenditur.*

2 *Authoris protestatio in refellendo Sanchez effato, dum dicit, Paupertatem Minoricam, & Domorum professarum Soc. Iesu, haberi tanquam excedentem & excessam.*
Excommunicationem Bullæ Gregorij XIII. Ascendente: *qui incurrant*, ibid.

3 *In quibus Paupertas Minorica excedat Iesuiticam juxta opinionem Sanchez.*

4 *Paupertas Iesuitica in quibus Minoricam excedat juxta eundem Sanchez.*
Sanchez confundit constitutiones Pontificias Regulæ rigoris dispensativas cum constitutionibus Ordinis Seraphici servata Regulæ puritate, ibid.

5 *Minores Regulæ puritatem observantes sunt incapaces legatorum sive simplicium, sive cum onere Missarum, &c. civiliter debitorum, & omnis obligationis atque actionis civilis: licèt recipere possint aliquid eleemosynaliter pro concionibus, aliisvè ministerijs spiritualibus.*
Religiosi Soc. Iesu tam in communi, quàm in particulari prohibentur recipere stipendium pro ministerijs spiritualibus; licèt possint recipere eleemosynas liberaliter, vel in signum gratitudinis erogatas, ibid.

6 *Religiosus Soc. Iesu potest recipere pecunias liberaliter donatas; & donanti Sacra promittere etiam liberaliter.*
Religiosi Soc. Iesu non possunt recipere stipendium ut sic, pro Concionibus, vel Missis, &c. ibid.
Idemque est in Ordine Minorum strictæ observantia.

7 *Religiosi Soc. Iesu possunt recipere aliquid ex pacto pro emendo equo, & alijs necessarijs ad eundum aliquò causâ exercendi ministeria spiritualia.*
Sed non idem est in Minoribus strictæ Regulæ.

8 *Paupertas Iesuitica nullo modo excedit Minoricam.*

9 *Religiosi Soc. Iesu ad nullum beneficium sive simplex sive Curatum admitti non possunt.*
Et post ultimum votum ad nullam dignitatem Ecclesiasticam promoveri, nisi cogente Pontifice, ibid.
Minoribus similiter hæc omnia non licent, servata Regulæ puritate, nisi ob bonum Ecclesiæ cum dispensatione, ibid.

10 *Religiosi Soc. Iesu professi trium aut quatuor votorum emittunt votum non consentiendi relaxationi paupertatis quam promittunt tantùm juxta suas constitutiones.*
Constitutionibus derogat consuetudo, ibid.
Minores vovent paupertatem, non juxta constitutiones, sed juxta Regulam ipsam, cui consuetudo derogare non potest, ibid & num. 13.
Minores præter tria vota essentialia, etiam expressè vovent observare ea omnia quæ in Regula continentur, secundùm mandantis intentionem; quædam scilicet omnimodè, quædam pro salutaribus hortamentis, ibid.
Iejunia Minoribus ex Regulæ præcepto injuncta, an sint sub voto, ibid.

11 *Professionis Minorum formula refertur & quomodo voventem obliget.*

12 *Minores ex professione sua Regulæ obligantur ad omnia quæ ad tria vota essentialia pertinent, & Regula ipsa ponit sub verbo præcepti, vel æquipollentis præcepto: contra* Mirandam.
Quæ dicantur æquipollentia præceptis, & obligatoria ex voto in Regula Minorum, ibid.

13 *Minores cùm teneantur ex sua Regula ad altissimam paupertatem, non est cur addatur cautela alterius voti de non consentiendo relaxationi paupertatis.*
In quo paupertas Minorica Iesuiticam antecellit, ibid.

14 *Religiosi Soc. Iesu biennij votis dumtaxat obstricti qua ratione bona patrimonialia retinere, & de illis disponere possint*, & numero 17.
Minores post emissa tria vota substantialia nullius rei dominium vel dispositionem habere possunt: in quo eorum paupertas Iesuiticam excedit, ibid. & n. 17.

15 *Novitij in Religione Minorum quomodo de bonis suis disponere debeant.*
Novitij Religionis Minorum an & quid possint Ordini suo erogare, ibid.
Et quid in cæteris Religionibus, ex Concilio Tridentino, ibid.
Decretum Concilij Tridentini circa dispositionem bonorum à Novitijs factam in favorem sui Monasterij, declaratur, ibid.
Quid de convivio in ingressu Novitiatus, & de Propinis, *ibid.*

16 *Decretum Tridentinæ Synodi* sess. 25. de Regular. c. 16. *non afficit Societatem Iesu, circa dispositionem bonorum à Novitijs faciendam.*

17 *Novitij*

HActenùs probatum est, annua legata simplicia impropriè dicta ita non repugnare altissimę Fratrum Minorum paupertati, & mendicitati, sicuti non repugnãt paupertati, ac mendicitati domorũ Professarũ Societatis Jesu; debuisséq; idcirco Sanch. eandẽ pro utráq; parte sententiã sequi. Non inde tamen deductũ volo, ita ut in cõcessis trãseat, quod utiq; per illationẽ ex proprijs in utramq; partẽ doctrinis affirmat Sanch. ipse *eo c. 27. n. 29.* hisce verbis: Ex omnibus dictis colligitur, Paupertatẽ Fratrũ Minorũ habere se ad Paupertatẽ domorum Professarũ Societatis Jesu, tanquã excedentẽ, & excessam: partim enim excedit, & partim exceditur: ita ille, cui novissimè subscripsit Ant. Coton. *Contr. celebrium lib. 4. Contr. 6. c. 1. à n. 15.* nescio tamen, qua animadversione adhibita, cũ sit ipse Minorita, sed Tertij Ordinis Regularis S. P. Frãcisci. 1

Istud igitur ejus effatũ non possum non expẽdere, & refellere; utpotè minùs cõsonũ veritati. Vix enim in assertorũ legatorũ perceptione paritatẽ invenio, quoad Paupertatis rigorẽ, statutósq; ab ipsa hinc inde fines in recipiẽdo; ut mox ostẽdã. Interim protestatũ me volo, impugnari à me hic hujusmodi dictaxat pronũciatũ, à quo utiq; ipse primus Sanch. abstinere potuisset, ac debuisset; nõ autẽ Societatis Institutũ, vel ejus Cõstitutiones, aut Paupertatẽ, directè, vel indirectè; ne quis fortè in Papæ reservatam excõmunicationẽ lapsũ me criminetur injustã causã: *argum. Bullæ Gregorij XIII.* quæ incipit, *Ascendẽte:* Hujusmodi enim excõmunicationẽ (interprete mihi Petro à S. Joseph Fuliensi *in summula Cas. consc. part. 2. opusc. 3. c. 3. art. 6. vers. Octava contra eos:*) illi propriè incurrũt, qui Institutũ prædictæ Societatis, vel ejus Costitutiones directè, vel indirectè impugnare, vel eis cõtradicere audent, affirmando videlicet aliquid, quod in ea Societate observari solet, perperam statutũ esse; aut libellos famosos cõtra illã edẽdo: quod absit à me, avertatq; Deus Opt. Max. 2

Ut autem singula singillatim expendamus, quibus id probare se putat Sanchez, ait primò: Excedit enim (Paupertas scilicet Minorica Jesuiticam) in hoc, quod Ordo Minorum nullius rei potest habere dominium, nec in particulari, nec in communi. Item non habet actionem, ad quæcúmque bona sibi relicta. Item nequit hæres institui: &, si quid annuum, perpetuum, vel ad longum tempus relictum est, ita est incapax, ut nec in foro conscientiæ teneatur hæres id solvere. At Domus Professa 3

Societatis habet dominium aliquarum rerum in communi,& actionem ad aliquas res sibi relictas;ut probavimus *hoc cap.* Item potest hæres institui;ut probavimus *hoc capite.* Tandem legatum annuum sibi relictum tenetur hæres in foro conscientiæ solvere; ut probavimus *hoc cap.* Hæc ille,& quidem benè,quoad omnia,præter illud quod ait,Ordinẽ Minorũ ita esse incapacẽ simplicis annui legati in perpetuũ,vel ad longũ tẽpus relicti,ut nec in foro conscientiæ teneatur hæres illud solvere: quod tamen affirmat pro Domo Professa Societatis.Sed de hoc satis *sup.*

4 Ait secundò: At exceditur, quòd Ecclesia Fratrum Minorum est capax legati annui relicti ad cultum divinum; ut probavimus *cap. præcedẽte:* secùs de Societate Professa;ut probavimus *hoc cap.* Item potest Religio Minorum recipere stipendia pro Missis,Concionibus, & alijs ministerijs;quod nullatenùs possunt domus Professæ, aut Collegia, aut domus Probationis Societatis;ut *cap.seq.* latiùs explicabimus. Item cõstabit ex alijs, quæ *numeris sequentibus* explicabimus, in quibus est peculiaris Paupertas Societatis Jesu. Ita ille;sed minùs verè, propter relaxativas sententias,quas ex parte Fratrum Minorum prædicat, statui,& professioni Mendicitatis ipsorum manifestè adversantes,illius puritate spectata;ut ostensum est *art.1.§.28.* loquitur enim de legatis annuis propriè dictis, & civiliter debitis, ac certis; ut colligere est ex eo, quod cum Suarez,& alijs,quos sequitur,docet: Posse videlicet Minores legata hujusmodi pro cultu Dei, vel stipendia pro Missis, &c. legato scilicet relicta pro ijsdem,exigere in judicio,tanquam OEconomos,nomine Pontificis: (quod tamẽ intellige per Syndicos, vel Procuratores, non per ipsos Fratres agendum) Cui sententiæ consentit Cotonius *cit.n.19.& 20.* quoad legata pro cultu Dei;at pro legatis in stipendium, seu eleemosynã pro Missis,&c. dubitare se ait, post Decretum Urbani VIII. confirmans Statutum Congregationis Generalis Consultationibus Fratrum Minorum de Observantia præpositæ, & celebratæ Romæ *anno* 1628.(ut fit mentio in eo Decreto primo relato *hic sup* §.4.*n.*10.) quæ est Constitutio 14. hujus Pontificis *in Bullario Cherubini.* Nõ verò hujusmodi doctrinã,quoad omnia omninò legata,Morientiúve eleemosynas reprobavimus *loc cit.& art.eod* §.22.& alibi, utpotè innitentẽ cõcessionibus quidẽ Põtificũ, sed relaxativis, & Regulæ rigoris dispensativis.

5 Non igitur potest Religio Minorum,(ut perperam admittunt Sanchez, & alij) ubi Regulæ Puritatem servare profitetur,(prout in nostro Capuccinorum Ordine,Deo dante, ac teste, simúlque Angelis,& hominibus,professio est,integráque observantia) aut annuas hujusmodi eleemosynas simplici legato relictas, pro quocúmque usu,aut Missarum, Concionumvè, vel aliorum Ministeriorum, præstitorúmque operum cùm corporalium,tùm spiritualium stipendia,vel mercedem recipere sub propria, & stricta ratione stipendij,vel mercedis, quod est ex pacto inito,& obligatione civili;sed tantùm (ut ait Seraphicus Pater *in c.5.Reg.*& etiã colligitur ex *ejus testamẽto,vers.Et quãdo non daretur nobis pretium laboris,&c.*)humiliter,&eleemosynaliter, idest citra omne pactũ, aut conventionem, obligationemq; politicam,atq; ad summum ratione antidori,& gratitudinis: Quemadmodum & Religiosi Societatis Jesu. Hisce enim ita districtè interdicitur,tam in communi,etiam Ecclesijs,quàm in particulari,recipere stipendium aliquod pro Ministerijs spiritualibus, quæ ipsi exercere possũt,v.g.pro Missarũ Sacrificijs,vel Prędicationibus,vel Lectionibus,& c.ut nec ipsi Præposito Generali Societatis in hoc dispẽsare integrum sit;ut tradit Sanch.*c.*28.*n.*1.6.& 7. Et nihilominùs(ut idem Sanch.docet *ibid.n.*2.)nõ eis interdicitur eleemosynas aliquas accipere, quas recipiẽtes ab ipsis spiritualia,ut quibus ipsi ministrant Sacramenta, vel pro quibus Sacra faciunt, &c. elargiuntur eis liberaliter, & in signum gratitudinis;quãvis ea spiritualia nõ recipiẽtes minimè elargirẽtur:quia,cũ hæ eleemosynæ ex nullo inito pacto, nullaq; obligatione, sed ex mera gratitudine,& liberalitate conferãtur,nullã(inquit Sanch.)cõpẽsationis,aut stipẽdij pro spiritualibus receptis rationẽ inducunt.

Eadem ratione docet idem Doctor *ibid.n.*17. 6
quòd si quis liberè pecunias aliquas Religioso Societatis elargiretur, & hic promitteret illi liberaliter Sacra, non peccaret hujusmodi Religiosus contra Paupertatem, aut prohibitionem prædictã. Et idem dicit,si vice versa absq; pacto Religiosus Societatis promitteret liberaliter alicui Sacra,& ille in signũ gratitudinis liberaliter largiretur ei aliquam eleemosynam,nullam imponendo obligationẽ;sed merè gratis. Et *n.*18. Possunt(inquit) Religiosi Societatis Jesu facere Sacra gratis,quæ in testamento facienda relicta sunt, etiã si testator juberet eleemosynã cõsuetam dari. Et *paulò infrà ibid* ait:Et confirmatur; quia Religiosis Societatis Jesu integrũ est concionari, quamvis Concionibus illis sit destinata eleemosyna à Testatoribus,vel ab alijs qui Festa aliqua,cum Concione habẽda instituerunt; dũmodò Religiosi hi stipendiũ illud non capiant; (intellige sub ratione stipendij, ut *suprà:*)quod quotidiè in Societate fit. Hæc ille;quibus certè constat idem omninò quoad prædicta, posse Religionem Societatis Jesu,ac Religionem Minorum; neque istam plus posse, quàm illam; undè arctior illius Paupertas arguatur.

Quid verò, si ex ipso Sanchez ostendam, 7
plus posse Religionem Societatis in aliquibus, quàm Religionem Minorum? Concedit Sanchez *ibidem numero* 3. non interdici Religiosis Societatis recipere aliquid ex pacto pro emendis equo,ac alijs necessarijs ad eundum aliquò,

causâ

causâ exercendi ministeria spiritualia, vel pro sustentatione Religiosorum Societatis Jesu, qui in illis Ministerijs versantur: quia (inquit ille) expensæ hæ non petuntur pro rebus ipsis spiritualibus, sed tantùm petuntur pro requisitis ad spiritualia exercenda. Atque constare ex praxi Societatis. Atqui hoc nullatenùs possunt Fratres Minores, quibus ex sua ipsorum Professione omninò interdictum est pro quacúmque re civiliter pacisci, vel convenire, non solùm nomine proprio, sed neque nomine alieno; ut ex Politio tradidimus *art. 2. §. 6. n. 7. & 8.* Non igitur exceditur Paupertas Minorica à Jesuitica in ijs, in quibus eam excedi asserit Sanchez, *ubi suprà*; quinimmò è contra est in aliquibus; ut constat, neque enim juvat, eam à sua Celsitudine deijcere, relaxativas de ea prædicando, & concedendo sententias, ut sic suadeatur excessa.

8 Quod verò ad alia attinet, in quibus (ut ait Sanchez *cit. numero 29. & 30.*) versatur peculiaris Paupertas Religiosorum omnium Societatis Jesu; in nullo procul dubio eorum exceditur ab illa Paupertas in sua puritate Minorica.

9 *Primò* enim, si Religiosi Societatis Jesu nequeunt (ut ait ille *eo numero 30.*) ad Beneficium admitti, sive simplex, sive Curatum; ut constat ex *Congregatione 1. Generali can. 2.* Et, si sint Professi trium, vel quatuor Votorum, emittunt votum nullius dignitatis procurandæ, aut acceptandæ, nisi cogente Pontifice. Quidquid sit de alijs Religiosis, quos Sanchez ait *ibi* posse assumi ad Episcopatum, ex Superiorum suorum licentia, & juxta multos ad Beneficium Curatum: qua de re agit *eo lib. 7. cap. 29. numero 35.* Id tamen non est integrum Fratribus Minoribus juxta suæ ipsorum Regulæ puritatem; tametsi id eis licere contendat ille *ibidem numero 37.* contra Cordubam consultiùs id negantem *in c. 2. Reg quæst. 2. punct. 2.* Et ita docet in terminis D. Bonaventura *in c. 2. Reg.* hisce verbis: Sed quid dicendum est de illis, qui ad Episcopale officium ex his Fratribus assumuntur? Respondeo: Si coacti ab Ecclesia, hujusmodi inevitabili necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab Ordine egressi, si quantùm in ipsis est, semper appetant in sinu Ordinis conloveri. Quòd si non vocati ad Episcopalem gradum, nec coacti, ad eundem aspirant, ut fugiant ærumnas pauperum, & Ordinis rigorem, credo, eos in illius partem cessuros, qui dixit: *Sedebo in Monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Sed nunquid obligati ad hanc Religionem excusabuntur, si assumantur ad Curam Pastoralem, vel aliam Ecclesiasticam dignitatem? Certum est quòd non; ut patet *extra, de Voto cap. per tuas:* ubi Papa cuidam ad Religionem obligato, & ante impletionem Voti ad regimen animarum assumpto, respondit in hæc verba: *Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes memoratæ Ecclesiæ, ac reddas Domino votum, quod vovisti.* Hactenùs S. Doctor. Idem ergo hac in re, quod de Religiosis Societatis Jesu, dicendum est etiam de Fratribus Minoribus; ob formulæ præceptum Regulæ (quam Deo voverunt, & promiserunt observare,) *cap. 2.* quo eis præcipitur in hæc verba: *Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, juxta mandatum Domini Papæ,* &c. Immò arctior extensive hæc probibitio extat in Ordine Minorum, quàm in Societate Jesu. In illo enim omnes omninò Fratres semel ritè professos comprehendit, & ligat sub Voto; ut dicemus *infrà* cum S. Bonaventura, & alijs Regulæ expositoribus: In Societate autem Jesu non astringit, saltem sub Voto, nisi Professos trium, vel quatuor Votorum. Poterit tamen Summus Pontifex utrimque dispensare, si hujusmodi Religiosos vocet, ob bonum Ecclesiæ; ut patet.

Secundò, Si Professi trium, ut quatuor Votorum in Societate Jesu, emittunt votum non agendi, aut consentiendi relaxationi Paupertatis, quam promittunt, juxta suas ipsorum Constitutiones; ut tradit Sanchez *cit. num. 31.* optima ea est, sanctissimáque cautela. Nam Constitutionibus potest derogare consuetudo in contrarium, si introduci permittatur: cum tamen illud votum Professos prædictos Societatis non obliget ad resistendum; ut explicant Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 6. numero 9.* & Castro Palao *part. 3. tract. 16. disp. 15. punct. 4. numero 4.* teste mihi Cotonio *Controu. celebr. lib. 4. contr. 6. cap. 1. numero 40.* At Fratribus Minoribus non est ejusmodi cautela necessaria; quia ita vovent, profitentúrque Paupertatem, juxta Regulam, tàm in communi, quàm in particulari, Altissimam; ut nunquam queat, consuetudine derogante, contrarium apud ipsos induci, ita ut licitum fiat; prout optimè docuerunt Azorius *tom. 1. Inst. moral. lib. 12. cap. 23. quæst. 8. in fin.* Fulgosus *consil. 150. ad fin. vers. Non obstat,* &c. Cephalus *consil. 98. numero 4. col. 1.* Quesada *in suis qq. varijs, cap. 22. numero 16.* quos refert, sed malè contra eos opinatus est Sanchez *citat. cap. 25. numero 16.* falsò innixus fundamento; quòd scilicet Fratres Minores voveant Paupertatem, secundùm Constitutiones tantùm, quibus potest consuetudo derogari; sicuti possunt in eis dispensare Religionum Prælati. Undè etiam falsum est, quòd ibi asserit Sanchez ipse, posse consuetudine induci, ut Fratres Minores bona immobilia in communi possideant. (Idque per consequens assertum vult etiam pro domibus Professis Societatis suæ, propter illa, quæ habet *eo c. 27. n. 42.* Quòd ego quidem illi concedo; quia Professi Societatis promittunt Paupertatem, secundùm suas 10

suas ipsorum Constitutiones; ut dictum est) emittunt enim Fratres Minores in sua Professione non solùm tria vota essentialia Religionis, sed etiam expresse vovent, & promittunt Deo observare totum id, quod in ipsa Regula continetur (sub Mortali scilicèt observandum) prout se velle ostendit Seraphicus Pater in illis Regulæ verbis *cap.2.* Finito verò (inquiens) anno Probationis, recipiantur ad Obedientiam, promittentes vitam istam semper, & Regulam observare; ut benè observat Politius *in capit.1. Reg. numero 7.* Undè S. Bonaventura *in d. cap.2. Reg. circa med.* ait: Vovent enim, se totam Regulam pro Regula habituros, secundùm mandantis intentionem, ut quædam ad observandum omnimodè, quædam ad habendum pro salutaribus hortamentis: ergo illa, quæ ad observantiam inviolabiliter sunt vovenda, ista ad cautelam ex Voto perenniter sunt habenda. Concordat Sanchez ipse *lib.4. in Decal. cap.11. numero 6.* ubi Jejunia Fratribus Minoribus ex Regulæ præcepto injuncta ait esse sub Voto, &c. Rodericus *tom.1. Sum. in 2. edit. cap.23. numero 10.* & iterum Politius *in cap.3. Reg. numero 48.* & Clariùs *in cap.2. numero 79.* & S. Bonaventura *in capit.1.* aliique Regulæ Expositores communiter, & Doctores. Vide etiam S. Bonavent. *cit. in cap.12.*

11 Quidquid dicat in contrarium Miranda *tom.1. Manual. quæst.25. art.2.* putans, Voventem servare aliquam Regulam (prout fit per formulam Minoricæ Professionis; videlicet: *Ego Fr. N. voveo, & promitto Deo omnipotenti, & B. Mariæ Virgini, & B. Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater; toto tempore vitæ meæ, servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Honorium Papam confirmatam: vivendo in Obedientia, sine proprio, & in Castitate:*) non vovere, idest non se obligare ex tali Professione sub voto ad omnia, quæ sunt in ipsa Regula sub Mortali præcepta, & ordinata, &c. Adducensque pro sua sententia D. Thomam 2.2. *quæst.186. art.9. ad primum:* & Nicolaum III. *in cap. Exiit: §. In primis.* Sed fallitur. Nam Diuus ipse Thomas potiùs est pro nostra, eàque D. Bonaventuræ, *suprà cit.* sententia. Docet quidem primò ibi, quòd ille, qui profitetur Regulam, non vovet servare omnia, quæ sunt in Regula; sed vovet Regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus, scilicet Paupertate, Continentia, & Obedientia. Paulò tamen *infrà* se ipsum explicat Sanctus idem Doctor dicens: Ita, quòd Professioni (idest voto in Professione emisso servandæ Regulæ) non contrariatur nisi quod est contra præceptum Regulæ; (idest obligans sub Mortali) transgressio vero, vel omissio aliorum obligat solùm ad peccatum veniale; vel neque veniale, sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam: (prout de suo Prædicatorum Ordine ipse testatur) cùm tamen in hoc ultimo possit etiam peccari venialiter, vel mortaliter, non ex vi Regulæ, sed aliundè, ut ex negligentia, vel libidine seu contemptu. Ita D. Thomas *cit.* & *ibi* Cajetanus. Et secundum hanc D. Thomæ, sed & D. Bonaventuræ doctrinam loquitur Nicolaus III. *ubi suprà* à Miranda allegatus; quem vide.

Atque hinc Clemens V. *in Clem. Exivi:* 12 *§. Cum igitur:* Prædecessorum suorum, (ut ipse inquit) vestigijs inhærens, præsertim Nicolai III. cujus *ibi*, mentionem facit; dubitantibus hac in re Fratribus, ut videre est *ibi*; ita respondit: *Declaramus, & dicimus, quòd dicti Fratres non solùm ad illa tria Vota nudè, & absolutè accepta, ex professione suæ Regulæ obligantur; sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ sunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ Regula ipsa ponit. Nam si ad hæc tria prædicta tantùm præcisè & nudè promittentes se servare Regulam, vivendo in Obedientia, Castitate, & sine proprio, & non etiam ad omnia contenta in Regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur; pro nihilo, & vanè proferrentur hæc verba: Promitto semper hanc Regulam observare, &c. ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur.* Hæc Clemens ille declarans, sensum suum esse de ijs, quæ Regula ipsa ponit sub verbo præcepti, vel æquipollentis eidem, seu habentis vim præcepti; prout declaraverat Nicolaus III. *ubi suprà:* Pro conscientijs autem Fratrum ampliùs serenandis, & ad tranquillitatem deducendis, *ibidem §. Item quia:* prosequitur declarationem suam, exprimens singillatim, quænam in Regula censeri debeant præceptis æquipollentia, atque obligatoria sub Mortali ex professione, Regulæ, adeóque ex Voto. Vide illum Quare *Mirandæ* sententiam non approbo, neque illam operæ pretium est ulteriùs refutare, excludendo (quod de facili fieri posset) ejus rationes; cum adsit Canonica declaratio, & D. Thomæ ac S. Bonaventuræ Doctrina in contrarium.

Cum igitur in Regula Fratrum Minorum 13 (ut ad propositum nostrum revertamur) *cap.6.* præceptum inhibitorium habeatur expressum de omnimoda expropriatione, tam in communi, quàm in particulari, (ut prædicti Pontifices Nicolaus III. & Clemens V. aliique declarârunt, & nos tradidimus alibi, eum communi Expositorum ejusdem Regulæ sensu) non solùm immobilium, sed quorumcúmque etiam mobilium: Undè & ipsi Fratres Minores dumtaxat dicuntur esse Mendicantes ex Regula; ut alibi notavimus *articul.1. §.13. numero 1. & 2.* cum Miranda, & insuper tradit Coronius

Cotonius *citat. cap.* 1. *numero* 8. cum Azorio *tom.* 1. *Inst. Moral. lib.* 12. *cap.* 23. *quæst.* 1. Cum inquam, hoc ex Regula, & alia nonnulla ad Paupertatis altissimæ puritatem spectantia obligent Fratres sub Mortali, adeóq; sub Voto cadant, & Professione ipsorum, cui non potest consuetudo in contrarium derogare, quoad prædicta in Regula contenta; non est cur addatur cautela alterius Voti de non consentiendo relaxationi paupertatis ejusdem, aut Regulæ: sicut optimè consultum fuit in Societate, ubi Constitutiones, juxta quas vovent Religiosi Paupertatem, non cadunt sub Voto; ac per consequens ex consuetudinis inductæ præsumptione potest impunè relaxatio aliqua contra Paupertatem in praxim duci. Ergo in hoc puncto Paupertas Minorica non exceditur à Jesuitica; sed potiùs è converso dici potest; cum contra ad illam spectantia, & in Regula sub præcepto, seu sub Mortali expressa non possit induci consuetudo relaxativa præscribens: benè autem contra spectantia ad istam ex vi Constitutionum; ut constat.

14 *Tertiò*; Si Religiosi Societatis Jesu, solis tamen ad summum biennij Votis ligati, quibus integrum est retinere ad tempus dominium bonorum, quæ in sæculo habebant, aut in quæ tanquam necessarij hæredes successêre; non habent liberam facultatem de illis disponendi; sed parati esse debent ad abdicandum se bonis illis; quando Superiori videbitur, & ex ipsius licentia, & non aliter: nec possunt tunc quomodocúmque disponere, sed tenentur in pauperes erogare, ut virum spiritualem decet, & hoc pro sua devotione, eligendo hos, vel illos: & si voluerint disponere in consanguineos, id fieri debet judicio unius, vel duorum, vel trium Virorum, qui doctrina, & pietate commendentur, quos unusquisque cum Superioris approbatione elegerit, & eis acquiescere debent: illi autem Viri debent esse de Societate; nisi Superiori justas ob causas viderentur horum aliqui extra Societatem eligendi. Quòd si velint Societati bona ea, aut partem applicare, debent liberè in Generalis manus renunciare, ut judicet, cui Societatis Collegio seu Loco expediat ea applicare. Si verò velint applicare particulari Societatis loco, Generalis est judicare, an id tolerandum sit, &c. prout per singula allatis locis Constitutionum, vel declarationum, vel Examinis, tradit Sanchez *eo cap.* 27. *numero* 32. concludens, esse in prædictis Religiosis contra votum paupertatis bona distribuere, vel ijs se abdicare, absque Superioris facultate; aut non illis se abdicare, ordinante Superiore, vel de illis disponere aliter, quàm in prædictis Constitutionum locis decretum est. Sapientissima quidem hæc sunt, ac prudentissima Societatis decreta, eaque necessaria ob diversitatem Professionum Paupertatis, quæ in ipsa emittuntur à Religiosis ejusdem. At nihil ex his infertur, in quo Paupertas Societatis Jesu, Minoricæ sublimitatem excedat.

Primò enim in Minorum Ordine nemo est ex Professis, (quod de alijs etiam Religiosis fatetur Sanchez *ibid.*) quippè qui omnes æquè cum tria essentialia Religionis vota, tùm Regulam, (ut *supra* ostendimus) adeóque omnimodam expropriationem temporalium rerum solemniter professi; qui aliquod dominium ad tempus ullum retineat cujuspiam rei aut mobilis, aut immobilis, quíque per consequens possit de ea disponere, etiam de Superioris licentia, sive eam Ordini ipsi, sive consanguineis, sive alijs extraneis, pijsvè Causis applicando.

Quinimmò, si de Novitijs ipsis sit sermo, 15
qui quamdiù solemnia Religionis vota, & promissionem servandæ Regulæ non emiserint usque ad impletum Probationis annum, dominium retinent, & liberam habent bonorum suorum dispositionem; ijs quidem possunt, immò tenentur Ministri sub Mortali, ex verbo scilicet Regulæ *capit.* 2. æquipollente præcepto, juxta declarationem Clementis V. *in eo §. Item quia:* dicere verbum sancti Evangelij, quòd vadant, & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare: (quod tamen intellige obligatorium esse, quando Ministri ipsi cognoscerent, Novitium in distributione suorum bonorum pauperes defraudare) quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. At ex *eodem cap.* 2. *Regula* sub verbo pariter æquipollente præcepto formali, juxta *Clementinam prædictam declarationem*, Fratribus, ac Ministris injungitur, quòd caveant, ne *solliciti* sint de rebus suis temporalibus, ut liberè faciant de rebus suis quicquid dominus inspiraverit eis. Adeò autem ab hujusmodi sollicitudine esse re vera Fratres, se sèque ostendere debent alienos, ut non solùm eos suasionibus, precibusvè inducere prohibeantur ad quidpiam sibi donandum; sed etiam, si Novitij ipsi aliquid de bonis suis Ordini, sicut & cæteris pauperibus per modum eleemosynæ liberè dare voluerint, non possint Fratres illud recipere, nisi fuerit modicum, & pro præsentibus tantùm, vel imminentibus necessitatibus, omninò abstinentes à receptione quantitatis notabilis, (ut declarat Clemens V. *in Clem. Exivi: §. Cæterùm, quia:* & nos cum ipso docuimus *articul.* 1. §. 20. *numero* 3. ne videlicet, ut ait Clemens, ex receptorum quantitate notabili præsumi possit sinister oculus contra ipsos: idest (ut explicat *ibi*

Glossa) ne præsumatur, quòd Fratres moti fuerint ad recipiendum hujusmodi offerentem; quia oculum habuerint ad ejus bona temporalia: *can. cum per bellicam: in fin.* 33. *quæst.* 2. cujus Canonis limitatio servanda à Fratribus Minoribus est etiam de præsenti in donationibus, quæ fieri ipsis à Professuris Novitijs possent, servatâ formâ novi Iuris, quoad Regulares omnes in Concilio Tridentino *sess.*25. *de Regularibus, & Monialib. cap.*16. Nulla quoque renunciatio: de cujus expositione latè Sanchez *lib.*7. *cit. cap.*5. *per totum*, ubi eidem Decreto hujusmodi adhibet limitationem, *numero* 21. loquiens: Limitarem tamen hoc, ut intelligatur, quando donatio est alicujus momenti, attentis facultatibus Novitij; quod apertè indicat idem Tridentinum Decretum, dum prohibens dari aliquid Monasterio tempore Novitiatus à Novitio, subdit rationem his verbis: *Ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat: nec facilè, si discesserit, id recuperare possit.* Quare sicut non interdicitur Novitio modicam eleemosynam tribuere pauperi extraneo, nec aliqua solemnitas ad id desideratur; ita nec modica eleemosyna erogata Monasterio ipsi interdicitur. Et sic intelligo, quod dicit Azorius *tom.*1. *Inst. Mor. lib.*13. *cap.*9. *quæst.*2. ubi ait, hoc Decretum non intelligi in eleemosynis factis per Novitios, &c. intelligitur enim de modicis, quæ libertati egressus non obstare possent. Nec interdicitur tribuere aliquid Monasterio, vel Monialibus in ipsa professione pro sustentatione sua, & Monialium, & pro festivitate: Sic Suarez *tom.*5. *in* 3. *part. disp.*22. *sect.*5. *numero* 15. Et idem credo de convivio facto in ingressu in Novitiatum, & consuetis dari tunc Monialibus, quas vocant vulgò *Propinas*: nec has reddendas egressis existimo; quia sunt velut jura, ac stipendia per modum eleemosynæ dari tunc consueta. Et ideò de his non loquitur Decretum Tridentini; sed de his reddendis, quæ data sunt Monasterio. Licet contrarium hujus teneat Cavallos *q.*439. *numero* 10. dicens, per Tridentinum hoc prohiberi. Ita Sanchez *cit.* apud quem vide plura in hoc subjecto, si cupis.

16 Atqui hujusmodi legibus, sive *Clementinâ*, qua specialiter Fratres Minores; sive *Tridentinâ*, qua Regulares omnes; non arctatur Paupertas Societatis Jesu; ut colligi potest ex dictis Sanchez *eo cap.*27. *numero* 32. & præterea expressè tradit idem Sanchez *eo cap.*5. *numero* 9. & 11. ubi docet prædictum Tridentinum Decretum nullatenùs comprehendere Societatem Jesu, neque intelligendum esse in ipsius Novitijs, & sic posse eos renunciare bonis suis in favorem Societatis, vel cujuscúmque, non servatâ eâ formâ, nec expectato bimestri ante Professionem, vel ante Vota biennij: paritérque posse Societatem capere bona, quæ hi Novitij in ipsam renunciant, vel bonorum Novitij accipere depositum, donec renunciationem faciat ipsorum. Atque huic doctrinæ non obstare docet ille, quòd Tridentinum, post exceptionem de Societate factam, quoad primam illius Decreti prohibitionem, interdixerit, ne ante Professionem, excepto victu, & vestitu Novitij, aliquid ex bonis ejus tribuatur Monasterio: neque ab hac secunda prohibitione exceperit expressè Societatem, sicut à duplici præcedente. Non igitur video peculiarem in hoc puncto Paupertatis arctitudinem. Nemo enim quorumcúmque Religiosorum, præsertim Fratrum Minorum, potest disponere de re aliqua temporali, aut sibi à Superiore simpliciter in usum concessa, aut ab externa persona accepta, aut communi Monasterij, sine Superioris licentia, & consensu; ut ostendimus *suprà*, *art.*2. *§.*7. *&* 8.

Secundò, nihil item infertur ex illis quæ retulimus, ex Sanchez *eo numero* 32. in quo Paupertas Societatis Jesu Minoricæ sublimitatem excedat. Quia, si in Societate, qui sola biennij vota emisêre, (& idem videtur insinuare Sanchez *eo numero* 32. etiam de Novitijs primæ Probationis; dum *ibi in fine* ait: *Et eâdem formâ emittantur tempore Novitiatus*, &c.) Ubi voluerint bona sua disponere in consanguineos, debent consulere unum, duos, vel tres viros doctos, & pios, ex eadem tamen Societate, nisi Superiori justas ob causas viderentur horum aliqui extra Societatem eligendi; ita ut aliquis semper ex ipsa Societate in ejusmodi consultatione adhibeatur: laudo prudentiam, ac zelum benè dirigendarum animarum: At Fratribus Minoribus strictiùs ex Regula provisum est pro tutiori suæ ipsorum Paupertatis custodia. Hisce enim omninò incumbit ex *eo capit.* 2. *Regulæ*, per verba item æquipollentia præcepto formali, (juxta *prædictam Clementinam Declarationem*) non à suasionibus tantùm, vel inductionibus ad sibi donandum; ut dictum est *suprà*; sed etiam (ut illud tutiori cautela arceretur) à dandis iisdem Novitijs, seu ingredientibus Ordinem circa bonorum temporalium distributionem consilijs, penitùs abstinere: ita ut, si consilium requirant Novitij ipsi mox Professuri, licentiam habeant Ministri, & teneantur, ut præfertur, sub Mortali, mittere eos ad aliquos extra Ordinem tamen, & alterius status; (ut explicat Clemens V *loco cit.*) timentes Deum, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Status, inquam, alterius, & non ad Fratres; prout sapientissimè 17

pientissimè ad mentem Seraphici Patris explicuit Clemens prædictus, considerans (ut ipse ait *eo §. Cæterùm:*) attentè intendisse S. Franciscum suæ Regulæ professores, quos fundaverat in maxima Paupertate, ab affectu temporalium rerum ipsorum ingredientium per dicta verba specialiter, & totaliter elongare; ut quantùm est ex parte Fratrum ipsorum, receptio ad Ordinem Sancta, & purissima appareret, & nequaquam modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia; sed ad ipsos tantùm divino servitio mancipandos. Sunt hæc ipsissima verba Pontificis. Ergò &c.

18 *Quartò*; si Collegia Societatis absque sufficienti dotatione fundata, in quibus nec Religiosi Societatis legunt, nec scholasticos alunt, non possunt ex proprijs reditibus ali, sed debent ex eleemosynis vivere, & fructus debent per publicam personam conservari, ut plenè fundentur; juxta *Canonem 7. secunda Congregationis Generalis Societatis.* Quod tamen *in tertia Congregatione Canone 6.* temperatum fuit, commissa re judicio Præpositi Generalis, secundùm quod in Domino ei expediens visum fuerit; ut tradit Sanchez *eo cap. 27. num.* 33. Optimum quidem id consilij est, ut plenè quantociùs fundentur Collegia, & interim virtuosa humilitate Mendicitas exerceatur. At Fratres Minores in nullo ipsorum Conventu, sivè plenè ædificato, sive non, ex reditibus propriè dictis ali possunt, quippè qui sunt ipsis omninò interdicti, etiam respectu Ecclesiæ, vel divini cultus, & pro stipendijs Missarum; sicut & Domibus Professis Societatis Jesu: sed ubique semper ex eleemosynis tantùm, vel spontè oblatis, vel per publicum quæstum, aut per laboritium omninò civiliter incerta Mendicitate humiliter comparatis; ut constat ex dictis *in superioribus articulis, & paragraphis*, Sæpiùs. Ergò, &c.

19 *Quintò*; Si in Societate Jesu prohibitio habetur, non tamen ut obligatoria, sed ut pertinens ad majorem Paupertatis perfectionem, & ut modo consentaneo debitæ Paupertati procedatur; non habendi jumentum ad usum alicujus è Societate ad ordinariè æquitandum, sive is Superior, sive subditus sit; &c. ut tradit Sanchez *cap. 27. citat. num.* 34. allato *Constitutionum* loco. Undè etiam *num. seq.* 35. affirmat, *in Congregatione tertia Generali Canone* 12. Superioribus impositam fuisse curam, ut cùm Religiosi Societatis iter agunt, aut totum iter, aut ejus partem, habita virium ratione, pedites conficiant. Quod tamen non ut obligatorium esse ait, sed ut pertinens ad perfectionem, sicut & præcedens. At Fratribus Minoribus strictiùs id totum ex verbis, seu interdicto Regulæ æquipollente præcepto incumbit; (ut & Sanchez fatetur,) ibi *cap. 3. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur*: qua de re egimus *art. 1. §. 16. num* 7. Itémque idcircò *in nostris Constitutionibus cap. 3. in fi.* statuitur, *ne in Monasterijs nostris alantur jumenta, aut asini, aut muli, aut equi, quibus Fratres utantur ad iter agendum: sed si ob infirmitatem &c.* & pœna statuitur equitantibus Fratribus absque manifesta necessitate per Ministros Provinciales infligenda. Ergò &c.

Sextò; Si Religiosis Societatis Jesu injungitur præparatio ad mendicandum, quoties à Superiore jussi mendicare fuerint, tanquam Paupertati consonum, & ad majorem Paupertatis perfectionem, ut refert Sanchez *cit. n.* 36. ex *6 parte Constit. cap. 2. §. 10.* Hujusmodi quóque mendicandi admonitionem reliquit Seraphicus Pater Filijs suis *in suo Testamento*, illis verbis: *Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim, &c.* & clariùs tradiderat *in Reg. cap. 6.* ibi: *Sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos vereundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo &c.* Ubi S. Bonaventura addit: *Sed glorientur, quia datum est eis pro nomine Iesu contumeliam pati, nihil habentibus in hoc mundo.* Et ideò qui ex Fratribus Minoribus jussus à Superiore renuerit mendicare, seu ire pro eleemosyna, ob verecundiam, non paupertatis voti, sed Obedientiæ violatæ reus erit, (sicut & Religiosus Societatis; ut benè Sanchez *cit.*) neglectæque admonitionis Beatissimi nostri Patris Francisci. Ergò &c. 20

Septimò; Si in Societate Jesu administratio redituum, & immobilium bonorum Collegiorum non pertinet ad ipsos Collegiales, sed ad solum Generalem, & ad eum, cui ipse commiserit; ut tradit Sanchez *cit. num. 38. & 39.* allatis locis *Constitutionum, & Declarationum*: Laudo Statutum. Atqui in Minorum Ordine neque Generali ipsi potest hujusmodi administratio competere, aut reservari; cùm nullus omninò reditus, nulla bona stabilia, vel possessiones, quæ administratione propriè dicta indigeant, habeantur. Ergò &c. 21

Octavò; Si in Societate Jesu alienare mobilia non pretiosa, vel etiam pretiosa, sed non excedentia valorem centum Ducatorum conceditur omnibus Superioribus, auditis tamen suis Consultoribus: alienare verò pretiosa excedentia quidem prædictum valorem, non tamen valorem ducentorum Ducatorum, conceditur solis Provincialibus, in utilitatem tamen Domorum, aut Collegiorum &c. ut tradit Sanchez *cit n.* 40. Commendo Societatis ordinationes. At strictior adhuc à Nicolao III. *in cap. Exyt:* & alijs Summis Pontificibus conce- 22

 ditur

ditur Fratribus Minoribus, etiam Ministris Generalibus, & Provincialibus, vel Custodibus hujusmodi administratio, tanquam aliena, & impropria, ut latiùs constat per ea, quæ in hoc subjecto tradidimus *artic. 2. paragrapho 6. 7. & 8.*

23 *Nonò*, si Collegia Societatis Jesu, quæ præter Præceptores possunt alere duodecim Scholasticos ex suis reditibus, nequeunt eleemosynas, aut dona oblata admittere, nisi sint res parui pretij, & rarò; ut tradit Sanchez *citat. num. 37.* allatis Constitutionibus, & declaratione super hoc P. Claudij Aquavivæ. Discretissima moderatio hæc est, ne videlicèt eleemosynis hujusmodi fraudentur Domus Professæ, quibus cedi ab offerentibus possunt, cùm reditus nullos habere illæ possint ex quibus Socij Professi alantur, habeantque necessaria pro Ecclesijs, & cultu Dei. Verùm strictiùs coarctat Fratres Minores eorum Paupertas, & mendicitas in omnibus omninò Conventibus, in quibus, ipsi de mendicitate tantùm, nullatenus admissis reditibus propriè dictis, vivant; non tamen possunt admittere eleemosynas aut spontè oblatas, aut publico quæstu comparatas, nisi pro præsente, vel imminente necessitate; omni superfluitate interdicta, abundantia, thesaurizatione, vel provisione in futurum; ut constat ex Declarationibus Nicolai III. *in cap. Exyt: §. Insuper nec utensilia*: & Clementis V. *in Clement. Exivi: §. licet verò*: & ex communi Regulæ Expositorum consensu. Id quod nusquam Societati Jesu, etiam Professæ, *in ejus Regulis, Constitutionibus, aut Declarationibus* invenitur prohibitum. Unde eis licitum est habere Granaria, & Cellaria pro diuturna rerum provisione servanda: non autem Fratribus Minoribus, inter quos nobis Capuccinis, quoad hoc, Constitutio est *cap. 6.* Ut Superiores in Eleemosynis mendicandis ita cauti sint, ac prudentes, ut diuturnam rerum provisionem effugiant, etiam necessariarum pro victu humano, ita ut earum provisionem non admittant, nisi ad paucos dies, putà ad tres, vel quatuor, aut ad summum ad unius hebdomadis tempus, plus, minúsve, juxta temporum, locorúmque exigentiam; & ubi fuerit necessaria diuturna provisio, requiritur judicium, & licentia Ministri Provincialis &c. ut docuimus *artic. 1. §. 16. numer. 15.* ubi alius plures vide arctos usus, ad quos ex Regulæ professione tenentur Fratres Minores: non autem Professi Societatis Jesu ullo modo.

24 *Decimò*; Si in Societate Jesu, ad concedendum Procuratori mandatum procuratorium, non oportet Capitulum Collegij, vel Domus cogere; sed solus Rector Collegij, aut Præpositus Domus Professæ potest illud dare &c. ut tradit Sanchez *cit. num. 41.* Id ipsis integrum sit, & liceat; utpotè possidentibus in communi sive reditus, quoad Collegia sive eleemosynas, quas recipiunt, quoad Domos Professas. Atqui à Fratribus Minoribus id longè abest, quorum neque Prælati, neque Capitula sive Generalia, sive Provincialia, sive localia instituere possunt quempiam sive Religiosum, sive sæcularem, in Procuratorem Conventuum, vel Monasteriorum; prout possunt omnes omninò aliarum Religionum Prælati; hocque peculiare est expropriationis, paupertatisque Minoricæ; ut diximus *art. præcedente, §. 6. num. 10.* quippè quòd Fratres Minores nihil omninò possident civiliter in hoc mundo, tam in communi, quàm in particulari. Undè *in nostris Constitutionibus c. 4.* habetur: Procuratorum, aut Syndicorum nullam volumus apud nos fieri mentionem, contra Declarationem Nicolai III. *in cap. Exijt*: & Clementis V. *in Clem. Exivi*: Sed illud perpetuum nobis, ac inviolabile sit, ut Procurator, ac Syndicus nobis alius non sit, præterquam Christus Dominus noster: nostra verò Procuratrix, & Protectrix sit Beatissima Virgo Mater Dei; noster quóque substitutus B. P. Franciscus: Angelique & Sancti omnes sint Amici nostri spirituales. Alios verò Procuratores omnes omninò rejicimus; quod inviolabiliter observari volumus. Ita ibi, & apud Boverium *tom. 1. Annal. sub anno 1529. num. 50. in Constitutionibus Alvacinæ editis*, quos ibi per extensum refert.

Vndecimò; Si in Societate Jesu potest consuetudine induci, ut Domus Professæ habeant bona immobilia in communi; ut affirmat Sanchez *cit. num. 42.* sese remittens ad ea, quæ in hoc ipso puncto docuit *cap. 25. num. 16.* quoad Fratres Minores. Id concedendum puto, quoad Domos Professas prædictas; nequaquam tamen quoad Fratres Minores; ut satis probatum est *hic, suprà, versicul. Secundò, Si professi: num. 10.* 25

In nullo ergò eorum omnium, in quibus peculiarem Societatis Jesu Paupertatem ostendit Sanchez *locis suprà cit.* Minorica paupertas, excedi ab ipsa Jesuitica perhibetur prout Sanchez ipse, *ca n. 29. in fine.* insinuat scribendum fore, illis verbis. Item constabit ex alijs, quæ *numeris seqq.* explicabimus, in quibus est peculiaris Paupertas Soc. Jesu. 26

Alia equidem multa sunt, in quibus Minoritica excedit Jesuiticam; quæ potuisset Sanchez ipse advertere, aut ab ejusmodi comparatione facienda supersedere. Missam autem facio diversam rationem, quoad usum bonorum rerúmve temporalium, quam supra indicavimus videndam ex dictis *art. 1. §. 16. per totum.* Qua de re Cotonius *cit. supr. num. 22.* sic ait: Subdubitatur, An sit etiam discrimen, quoad usum bonorum in communi, & in particulari. Respondeo esse. Nam Minores angustiùs habi- 27

tant,

tant, & in utensilibus Sacris non curant res pretiosas. (Meliùs dixisset, quòd tenentur ab hujusmodi abstinere, juxta *Clementinam*) Privatim verò viliùs vestiunt, & discalceati incedunt. Quod Jesuitæ non faciunt, ut magis conformes sint reliquis Civibus, quihuscum agere ad Dei gloriam profitentur. Hæc ille.

28 Discrimen indico *primum* in subjecta materia Morientium Eleemosynarum. Repugnat Mendicitati, & Paupertati Minorum, veluti procuratio provisionis in futurum, incitare quempiam ad annuas eleemosynas, præsertim perpetuas, sibi, etiam pro cultu Dei, vel Ecclesia, testamento, vel alia ultima voluntate relinquendas. Atque adeò repugnare dicendum est, ut ex vi solius ipsius, quam iidem Fratres profitentur, altissimæ Paupertatis id ipsis sub Mortali intelligatur interdictum, cujus veritatis argumentum efficacissimum mihi est strictissima prohibitio, quæ habetur *in nostris Constitutionibus, cap.* 4. ibi: *Et al tutto si guardino, che visitando alcun Infermo, non l'inducano direttamente, ne indirettamente à lasciarci cosa temporale: anhi volendo da se farlo, resistano, quanto giustamente possono* &c. Acceditque, quòd idipsum jam olim sæpiùs in Ordine peculiari animadversione ita cautum à Patribus in Capitulis Generalibus fuit, ut illud prohibuerint aliquando sub præcepto Obedientiæ, quin & adjecta excommunicationis pœna ipso facto à transgressoribus incurrenda, ut notavimus *art.* 1. *§.* 20. *n.* 17. *&* §. 24. *n.* 8.

29 Id autem adeò leviter, vel nullatenùs repugnare Paupertati Societatis Iesu, etiam Domorum Professarum, docet Sanchez *capit.* 27. *cit. num.* 11. ut ipse, (non obstante Constitutione Societatis 6. *p. cap.* 2. *§.* 6. aiente: Oh majorem ædificationem nullus de Societate debet, nec potest quempiam ad eleemosynas perpetuas Domibus, vel Ecclesiis ejusdem Societatis relinquendas instigare &c.) existimet præceptum istud ad nullam culpam obligare, nedum ad Mortalem; censeátque rigidè intelligentem quendam doctissimum ejusdem Societatis Patrem, qui illud præceptum credidit obligare sub mortali: Nunquidnam hoc leve discrimen est.

30 Indico *secundum.* Fratres Minores ex vi suæ ipsorum altissimæ Paupertatis non solum non possunt ullius rei habere dominium, vel proprietatem tam in communi, quàm in particulari; neque actionem civilem habere ad quamcunque rem sibi relictam: sed neque possunt quippiam sive à Morientibus missum, seu legato relictum, sive à Viventibus exhibitum, eleemosynaliter recipere in quantitate excessiva, attentis præsentibus, vel imminentibus ipsorum necessitatibus; ita ut, velut angue pejus vitare teneantur receptionem rei cujuspiam ad ullam (ut ait Nicolaus III. *in cap. Exiit:* §. *Insuper nec utensilia:*) superfluitatem, divitias, seu copiam, quæ deroget paupertati; vel ad thesaurizationem, vel eo animo, ut eam distrahant, sive vendant; nec sub colore providentiæ in futurum, nec alia occasione &c.

Quid autem horum repugnet Paupertati Domorum Professarum videamus. Loquatur autem ipsemet Sanchez: Ait igitur *eo cap.* 27. *num.* 19. Dicendum est, Domos Professas habere in communi Dominium non tantùm bonorum mobilium, sed etiam stabilium sibi relictorum, quæ ad habitationem, aut revocationem sunt necessaria, aut valdè convenientia, & jus civile ad ea repetenda: Insuper habere etiam dominium cujuscúnque alterius rei stabilis sibi relictæ, & jus civile ad eam repetendam, non ut retineant illam, sed ut vendant. Solúmque excipitur legatum annuum perpetuum, aut ad longum tempus, vel quacúnque alia temporis divisione; ut singulis mensibus, tertio quóque anno &c. quod est annuus reditus: hujus enim Societas nec dominium acquirit, nec jus civile ad illud recuperandum. Hæc ille: nusquam ullius prohibitionis mentionem faciens, qua ex vi Paupertatis earundem Domorum Professarum, ipsis interdictum sit, tantáque (sicut Minoribus) arctitudo præscripta, ne quippiam recipiant ad ullam superfluitatem, divitias, seu copiam, vel ad thesaurizationem &c. Nunquid igitur non eximia est in hoc ultimo excellentia Paupertatis Minoricæ, supra Jesuiticam? In quonam ergò perbihetur illa ab ista excedi? Sanè in nullo, nisi relaxativis assertionibus, & concessionibus Minoricæ Paupertatis celsitudo, & sublimitas deflectatur; ut præstitisse Sanchez ostensum est.

Non indè tamen fit, quòd Fratres Minores non ita possint recipere, cum moderaminibus attentis necessitatibus, ut dictum est, de annuis eleemosynis sibi relictis, etiam perpetuis, ex sola obligatione conscientiæ hæredum, vel gravatorum; quemadmodum etiam possunt Domus Professæ Societatis, & quidem absque ulla lege arctante ad necessitates tantùm præsentes, vel imminentes; ut ostensum est. Alioqui debuisset Sanchez secundùm suam sententiam, & hunc Minoricæ Paupertatis excessum supra Iesuiticam pronunciare. Et de his satis. 31

Sed placet adhuc addere testem omni exceptione majorem, (ex ipsamet videlicet Societate Iesu, cujus est Sanchez) qui Minoricam Paupertatem omnium severissimam asseverat, & sustinet. Sitque hic Albertus de Albertis, (sæpè mihi à Confessionibus Pater, dum adolescens in Collegio Braydensi humanioribus literis Mediolani operam darem) qui *in Lydio suo lapide Ingenij, Spiritus, ac morum Gasparis* 32

Scioppij,

Scioppij p. 2. cap. 10. totus est in redarguenda, velut falsa, stolida, & hæretica lue infecta ejusdem Scioppij doctrina de Paupertate Fratrum Franciscanorum; qua nimirum Paupertatem Patrum Benedictinorũ Franciscanæ (ut Albertus ipse ait) inopiæ mendaci assentatione studuit anteferre. Iuvet igitur hîc aures doctissimo huic, pijssimóque Doctori contra insolentissimam illam ac stolidissimam Scioppianam fabulam differenti paululùm præbere. Paupertatem, (inquit ille *ibi num.* 1.) quæ divitijs redundat, Paupertati, quæ inops est, majorem, atque mirabiliorem prædicas: quo tuo paradoxo nihil unquam in Philosophorum Lyceis, aut in Theologorum exedris neque subtilius, neque ingeniosius audirum est. Nam quum Franciscanos Patres, qui *Paupertatem omnium severissimam* profitentur, argento, vel auro, quo sibi præcisè interdicunt, emungere non posses, nescio quo æstro percitus eorum Paupertatem ludificandam tibi existimasti, quósque Religiosos Ordines mutua charitate bellissimè conglutinatos animadvertisti, jactis discordiarum seminibus discerpere, & inter se collidere enixè conatus Patrum Benedictinorum, quorum liberalem hospitalitatem expertus es, Paupertatem Franciscanæ inopiæ mendaci assentatione præferens, dissidij faces adulæ paci subijcere, qui aliter quiescere, nisi inquietatis alijs, non potes, studuisti. Hæc *Albertus*, Minoritam Paupertatem *omnium severissimam*, atque inopiosissimam disertissimè sustinens, suúmque hoc ipsum effatum Summorum quoque Pontificum auctoritate confirmans *ibid num.* 11. his ce verbis: Sed contra dilucida Innocentij IV. & Alexandri IV. diplomata, in quibus Pontifices Maximi Minores sic alloquuntur: *Vos qui nomine Iesu Christi extremam sustinetis Paupertatem.* Quidquid & *num.* 12. *ibid.* D. Thomam adducit 2. 2. *quæst.* 188. *a.* 7. *in corp.* aientem: Habere superabundantes divitias in communi, sive in rebus mobilibus, sive in immobilibus, est impedimentum perfectionis; licet non totaliter excludat eam. Atque hæc iterum, & tertiò ex Alberto. Quamvis autem D. Thomas de possessione superabundantium duntaxat divitiarum in communi sive in mobilibus, sive in immobilibus, hoc pronunciet; ita ut statim subdat, quòd habere, seu possidere in communi de hujusmodi rebus, quantùm sufficit ad simplicem victum, perfectionem Religionis non impedit, si consideretur religiosa Paupertas per comparationem ad communem finem Religionum, qui est vacare divinis obsequijs: Nihilominùs negare nemo potest, eam esse omnium arctissimam, severissimam, absolutissimamque Paupertatem, quæ rerum omnium, non solùm immobilium, sed & mobilium, vel ipsius naturæ sustentationi necessariarum proprietatem, tùm à singulis, tùm à toto etiam communi excludit; qualem profectò vovent, & profitentur Fratres Minores, Seraphici P. Francisci Regulam ad literam profitentes; non autem Domus Professæ Societatis Jesu, ut patet, aut ulla alia Catholicæ Ecclesiæ Religio. Quod omnium pace, pro Veritate sit dictum.

Atque hisce omnibus conclusum maneat, 34 quòd ut benè ostendit S. Bonaventura *q.* 12. *&* 13. *super Regulam*, & *in ejusdem Regulæ Expositione per totam*) Minoritana Religio, Beatissimi sui Patriarchæ Francisci Regulam ad literam servans, non solùm est perfectior, sed cæteris etiam Religionibus alijs arctior, & strictior; itaut nulla nedum altior, (inquit S. Doctor) sed nec æqualis huic reperiatur: & quidem non quoad votum solummodò Paupertatis, & omnimodæ expropriationis, atque abdicationis rerum temporalium; verum etiam quoad alia vota, Obedientiæ scilicet, & Castitatis. Nam licet aliqua in quibusdam corporalibus exercitijs hac strictior sit; ut in abstinentia carnium, silentio, victu quadragesimali, vel hujusmodi; omnia tamen hæc ex sublimiori vinculo arctissimæ Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, quæ in hac Religione voventur, facilè compensantur; sicut modicum pondus auri magno ponderi argenti, vel alterius metalli in pretio prævalere perhibetur. Consideret nimirum, qui vult, & novit singula illa vigintiquinque obligatoria, ad quæ, ex Regula ipsa sub Mortali tenentur prædicti Fratres Minores. Signanter verò consideret, & intimè perspiciat, quid sit, quidvè importet præceptum illud, quo nihil omninò possidere possunt tam in communi, quàm in particulari, nedum videlicèt Reditus, aut Possessiones, vel alia immobilia, aut interr Immobilia computata à Jure, quorum vel simplex facti usus est illis ex suæ ipsorum Mendicitatis Professione, & statu Interdictus; quemadmodum & usus denariorum, vel pecuniæ, quæ victui delicato, & commodo (etiam absque carnium esu, vel cum cibis quadragesimalibus) multùm inserviunt: sed nec ullam aliam rerum mobilium, quibus dietim, vel ad sustentationem vitæ, vel ad executionem Officiorum, seu Ministeriorum Ordinis, ex necessitate utuntur, (optimum sanè, præsertim quòd, ad denarios, vel pecuniam attinet, exterminandæ cupiditatis, & avaritiæ remedium!) Consideret, quæ, qualia, & quanta sint obligatoria prædicta; quotque, & quanta regulariter, & ad illorum amussim viventibus onera, & incommoda ex necessaria consequentia superstent: ut missas faciam tot alias austeritates, & mortificationes, quæ ex Constitutionibus, Sanctisque Consuetudinibus incumbunt: hæc inquam, quæso, consideret; & tunc sit æquus Judex.

dex. Hæc profectò se optimè consideraſſe, intiméque perſpexiſſe,& ponderaſſe monſtravit doctiſſimus ſimul, ac piiſſimus Doctor Martinus Nauarrus, dum *in Comment.4. de Regularibus, num.17.* dicere non dubitavit hæc verba: *Adeò ſuſpicio, & veneror Regulam illam altiſſimam Sancti Franciſci,ut obſervantes eam ad unguem, & mentem Auctoris, reputem eſſe quoſdam inervatos Chriſti Martyres.* Ita ille. Cujus tamen dictum, & alia, ad Dei opt. max. gloriam ſint, ac ipſius Beatiſſimi Patris Franciſci, citra ullam noſtram oſtentationem, & citra ullius offenſam.

§. X.

Solvitur Objectio quædam contra ſecundam partem cardinalis hujus articuli aſſerti: atque hujus ſolutionis occaſione enucleatur materia Recurſus ad amicos ſpirituales, ſeu procurationis pecuniæ de qua in Regula Fratrum Minorum cap.4. *& communiter ejuſdem Regulæ Expoſitores.*

SVMMARIVM.

1 *Certitudo civilis annui legati, vel rerum depoſitarum pro ſuſtentatione Minorum, excludit dependentiam à divina providentia.* & num.2.

2 *Certitudo civilis annui reditus etiam pro Eccleſia, repugnat paupertati Minoricæ.*

3 *Referuntur cauſa ob quas Capucini diſceſſerunt ab Ordine Patrum de Obſervantia, ex Boverio.*

4 *Quænam annua legata repugnent paupertati & Regulæ Minorum.* *Peculium quid ſit?* ibid.

5 *Certitudo ſola civilis rerum neceſſariarum repugnat mendicitati & dependentiæ ſpeciali à divina providentia quam Minoritæ profitentur.*

6 *Acceptatio civilis rerum depoſitarum pro ſuſtentatione Minorum repugnat eorum paupertati, & profeſſioni; in ſenſu Iuriſtarum; ſecùs in naturali & Grammaticali; ſecluſo tamen ſcandalo puſillorum* & num.7.

8 *Pecuniæ receptio in Regula S.Franciſci etiam quoad ſimplicem uſum facti ter reperitur Fratribus interdicta.*

9 *Depoſitum ab aliquo factum rerum neceſſariarum pro ſuſtentatione Minorum, quomodo ab ipſis nullo modo procurantibus admitti & recipi poſſit ſalua Regulæ puritate, oſtenditur, & abſque peccato Recurſus.* & num. 10. *uſque ad finem, ubi plures caſus expenduntur.*

10 *Recurſus ad amicum ſpiritualem an & quomodo à Minoribus haberi poſſit abſque offenſione Regulæ,* & num. ſeqq. *uſque ad fin.*

Contra ſecundam partem Cardinalis reſolutionis *præſentis Articuli* §. 3. adeóque contra primam Concluſionem Cardinalem *articuli* 1.§.23.fit objectio. Si Fratres Minores deponant apud amicum, vel ab aliquo depoſitum acceptent frumentum, vel vinum pro victu integri anni, profectò non habent majorem certitudinem ſuper illud depoſitum, quàm ſuper legata annua perpetua, etiam impropriè dicta; & tamen certitudo illius depoſiti repugnat dependentiæ ſpeciali à divina Providentia, ad quam Fratres Minores ex ſua profeſſione tenentur: ergò etiam certitudo hujuſmodi legatorum eidem dependentiæ repugnat. 1

Reſpondeo, argumentum non cogere, niſi de legatis, vel à Fratribus ſibi fieri procuratis, vel ſpontè quidem à Teſtatore depoſitis in manibus hæredis, vel gravati, eique commiſſis, ſed civiliter acceptatis ex parte Fratrum; ut patet conſideranti. Siquidem legata hujuſmodi, (quæ & nos deteſtamur) etſi fuerint v.g. panis, & vini, aut olei, vel alterius rei, pro Eccleſia, etiam, & cultu Dei neceſſariæ, profectò ſunt proviſiones annuæ in futurum; & ſunt quædam depoſita teſtatoris in manu hæredis, vel gravati; ut notavimus ex Abbate *ſupra* §. 3. *hujus art. num.*13. Immò ſi fuerint pecuniaria, tres illos in uno contineat abuſus, quibus præcipuè altiſſimæ Paupertatis legem in Ordine tunc temporis, (communi gravante impunè vitio) violari perſpicuè demonſtravit P. Ludovicus de Rhegio Capuccinorum Reformationis columen in contradictorio quodam congreſſu cum Commiſſario Apoſtolico Patrum de Obſervantia coram Nuceriæ Duce, cùm juſtas cauſas Reformationis ineundæ, diſceſſioniſque Capuccinorum ab Ordine P.P. de Obſervantia luculenter aperiret; ut nos tetigimus *art.1.* §.19.*num.*1.*&* 2. & refert Boverius noſter *to.1. Annal. Minor. Capuccin. ſub anno* 1532. *num.*25. hiſce verbis; quæ, ut ex hiſtorica veritate clarior appareat reſponſio noſtra, referre non piget; videlicèt: 2

Primùm igitur Ludovicus, velut cæterorum caput, pleráque graviſſima cauſarum capita afferre cæpit; quibus neceſſariam, nedum juſtam, ab Ordine diſceſſionem probat. Ac primùm à Paupertatis lege *in Regula* præſcripta caput exorſus, hanc multis modis in Ordine violari perſpicuè demonſtrat. Primùm, ex annua tritici, vini, accæterarum rerum proviſione ubique ferè in Ordine recepta; quæ cum altiſſimam, ac Minoricam Paupertatem convellat, ex diametro cum Regula pugnat: Tùm ex legatorum 3

torum annuorum, ac perpetuorum copia, quibus jam velut ex peculio vivitur: quæ cùm parum à fundis, atque agris distent, rerum proprietatem, tam severè à Beatissimo P. Francisco interdictam in Ordinem invehunt, & Regularem Paupertatem è medio tollunt. Tùm etiam ex quotidiano, ac publico pecuniarum quæstu, ac receptione, quæ passim in Religione diffunditur; cui cùm apertissimè, & S. P. Francisci mens, & expressa Regulæ verba repugnent, quæ *quartò capite* ità leguntur: *Præcipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam &c.* nullo pacto cum his cutâ conscientiâ esse potest. Addit & communem pecuniarum recursum, depositionem, & expensionem; quæ cùm nulla præsente, vel imminente necessitate fiant, altissimæ Paupertatis votum, & cùm eo Seraphicam Regulam undique pessumdant. Cùm verò communi violatæ Paupertatis, ac temeratæ Regulæ vitio in Religione grassante, nulli tutum in ea dumicilium esse possit; indè cuilibet ab Ordine discessum, & fugam, vel Reformationem necessaciam fore concludit. Ità Boverius.

4 Vides ergò ex ipsius Chronistæ verbis, quænam annua legata simplicia (si de hisce Patrem ipsum Ludovicum locutum esse velimus, & non potiùs de ijs, quæ usum, vel usumfructum Fratribus directè legatum important alicujus boni immobilis, vel inter immobilia computati; ac proindè Proprietatem, vel Dominium, aut quasi, saltem de facto, si non de Jure) parùm à fundis, atque agris distent, adeóque Regularem Minoricam Paupertatem è medio tollant. Ea nimirum sunt, quæ (ut ille ait) proprietatem in Ordinem invehunt, seu jus ad illa; idest propriè dicta; & ex quibus consequenter velut ex peculio vivitur: idest velut ex proprio pusillo patrimonio, & peculiari te civiliter sua, & certa; & cujus illud habens, rationem habere dicitur, ut traditur à Pomponio *in l. peculium*: 1. & à Florentino *in l. peculium* 2. & ab Ulpiano *in l. depositi*: *ff. de peculio*: & ibi Gloss. & *in l. cum filij familias*: *C. qui bonis cedere possunt*. Vide etiam Sylvestrum *in sum. v. peculium, n. 1. & 2.* Et recole dicta *art. 1. §. 19. à n. 1.* lege etiam *infra in Appendice practica, Casu altero §. 6. segm. 11. num. 81.*

5 Cæterùm non ideò repugnare dicuntur Professioni Fratrum Minorum Cellaria, & hujusmodi diuturnæ in futurum provisiones, sive in Monasterijs Congregatæ, sive apud amicos extra Monasteria depositæ: quia certitudo super hujusmodi res congestas (dummodò civilis non sit) repugnet aut Mendicitati, aut dependentiæ speciali à divina Providentia, ad quàm Fratres ipsi ex sua Professione tenentur: Si enim hæc esset ratio, ea quóque profectò eidem Professioni repugnare perhiberentur, quæ pro imminentibus necessitatibus, intemeratâ Regulæ puritate, conceduntur provideri: super illa namque nec majorem, nec minorem habent Fratres certitudinem, quam moralem; cùm etiam in ipsorum Fratrum manibus sint pluribus subjecta periculis, sicut antequam in eorum manus à largitoribus dentur: ut patet consideranti: Sola ergò civilis certitudo ad quamcunque rem, mendicitati, ac dependentiæ speciali à divina Providentia repugnat, utpotè importans actum, seu actionem politicam ad res, &c. quod essentiæ Evangelicæ mendicitatis repugnat. Ideò autem interdicuntur Fratribus Minoribus provisiones prædictæ, (qualia etiam diximus esse legata annua impropriè dicta, sed à Fratribus procurata) etiamsi nun habeatur ad illas civilis certitudo, quia ex vi ejusdem altissimæ Paupertatis, (quæ etiam in usu simplicis facti servanda est, itaut semper in rebus ad victum etiam necessariis mendicandis, vel spontè exhibitis recipiendis appareat quoad dominium omnimoda abdicatio, & in usu necessitas; hícque paupertas sancta reluceat; prout Fratribus ipsis ex eorum Regula invenitur indicta; ut ait Nicolaus III. *in cap. Exyt: §. Insuper nec utensilia*:) superflua, quoad præsentes, vel imminentes necessitates sunt Fratribus interdicta, etiamsi ex pura mendicitate proveniant: undè non possunt mendicare, aut spontè oblata recipere in futurum conservanda, nisi aliqua ad modicum tempus; ut dictum est *§. præcedente, num. 23.* Quod optimè servatur à Fratribus, si de legatis impropriè dictis, seu Morientium Eleemosynis ab ipsis non procuratis capiant cum moderaminibus requisitis; ut nos documus. Quare objectio facta non urget contra nos.

Ampliùs respondeo ad illud, quod dicitur 6
in objectione: *Vel ab aliquo depositum acceptent, &c.*

Dico igitur maxima observatione opus esse 7
in hoc dicto, ad illud verbum, *Acceptent*. si enim sumatur in sensu Iuristarum; concedo, quòd tale depositum tum ratione politicæ; civilisvè certitudinis ex tali acceptatione resultantis ex parte Fratrum; tum ratione provisionis superfluæ, quam suam faciunt, & veluti per se ipsos factam, Fratres ita acceptantes; repugnet dependentiæ speciali à Providentia Dei, & professioni Fratrum. At si sumatur in sensu naturali, & Grammaticali, juxta explicata *art. 1. paragrapho 17. numero 2. 3. & 4.* de hoc ipso Verbo; nego. Constans est enim omnium Regulæ Expositorum placitum, quòd ejusmodi provisiones facere, (ut benè Politius *in cap. 6. Reg. n. 79. & seqq.*) & consequenter procurare, aut agere, ut ab aliquo alio fiant, duntaxat contra votum Minoricæ Paupertatis est:

est: Undè si eo, qui objicitur, casu, ille qui deponit apud quempiam aliquam provisionem pro Fratribus putà vini, vel frumenti ad conficiendum illis panem pro spatio integri anni, ipsis tamen Fratribus id minimè procurantibus esto nec impedientibus, ubi id sciverint; quinimmò & positivè, nedum negativè naturali consensu, vel placito assentientibus; quod est dicere, *Naturaliter tantùm*, & in sensu grammaticali, minimè verò civiliter, & in sensu Iuristarum hujusmodi depositum acceptantibus: non video quid in hoc adsit repugnans Minoricæ paupertatis voto, si de tali deposito identidem Fratres capiant, quod eorum necessitatibus præsentibus, vel imminentibus consideratis, si bi opus fuerit, cum moderaminibus requisitis. Dixi: *Quid in hoc adsit repugnans Minoricæ paupertatis voto &c.* quia præscindo à periculo scandali pusillorum, quod etsi ad rem non pertineat, valdè tamen cavendum moneo: Ob idque in tali casu Fratribus omninò consulerem, ut ubi id ab aliquo intendi noverint, illi, quantùm justè possent, resisterent, ad majorem ædificationem; quemadmodùm statutum quóque est *in nostris Constitutionibus, c.4.* quòd quantùm justè possunt, resistant Fratres volentibus spontè sua legatum aliquod pro ipsis ordinare; ut expendimus *suprà art.1.§.19.*

8 Quod igitur ad Minoricæ paupertatis votum attinet, quid huic in eo casu adsit repugnans, non (inquam) video; neque collytio indigere me arbitror, ducor enim ratione à fortiori, deducta scilicet ex prohibitione procurationis, seu receptionis pecuniæ exosæ adeò Seraphico Patri nostro Francisco, ut repetitis ter eam *in Regula* vicibus: (& bis quidem *in eod.4. capite*) etiam quoad simplicem facti usum, suis Fratribus, ac Filijs districtè interdixerit.

9 Argumentor autem sic, Eo modo se habentes Fratres Minores circa depositum diuturnæ pro ipsis provisionis ab alio factum, non peccant contra prohibitionem de hujusmodi provisionibus non faciendis, vel procurandis per alium fieri; quo se habentes circa depositam ab alio pecuniam, vel ab ipso expensam, sive ex peculio suo, sivè spontè sua pro Fratribus ab aliquo procuratam, non peccant contra interdictum de illa non procuranda, aut quoquo modo recipienda. Atqui eo modo se habentes Fratres circa pecuniam, quo eos se habere supposui in casu depositæ provisionis prædictæ, non peccant contra prohibitionem adeò strictam de illa non procuranda, vel recipienda. Ergò neque peccabunt, si eodem modo se habeant circa depositum diuturnæ provisionis ab alio, ut præfertur, factum, contra prohibitionem de illo non faciendo, aut procurando per alium fieri.

Subsumo, sed contra interdictum de non procuranda pecunia, vel recipienda, non peccant Fratres.

Primò, desiderando, aut assentiendo negativè, quòd pecunia ab aliquo expendatur, aut expendenda in manibus alicujus substituti deponatur. 10

Secundò, solùm naturalem consensum præbendo, etiam positivè; ut si quis dicat *Volo emere vobis Fratribus Minoribus hoc, vel illud.* Vel: *Volo deponere in manibus talis, vel talis personæ pecuniæ tantam summam, ut vobis nomine meo emat hoc, vel illud: &c.* Et Frater, cui hoc dicitur, respondeat: *Eme, vel Depone, si, & prout vis.* Aut sic: *Places, quòd emas, vel deponas.* Aut etiam sic: *si vis emere, vel deponere, gratum nobis acceptumque erit opus ptum, quod facis.* 11

Tertiò, & quidem minùs, cum simpliciter sciunt Fratres aliquem velle expendere, vel deponere pecuniam pro seipsis expendendam, & non impediunt, positivè resistendo. 12

Quartò, neque peccant, ubi quis spontè, & non ad Fratrum instantiam lanio cuipiam mandat, solutâ pecuniâ, ut det Fratribus carnem, quotiescumque accesserint; hocque ipsis Fratribus ille notificat, dicens: *Ite, quotiescunque vobis placuerit, ad macellum, aut talem Lanium, cui ego mandavi, pecuniamque solui, aut soluam, ut vobis carnem pro pitantijs præstet*; aut similia: & Fratres eant, & accipiant, durante mandato illius. Monuerim tamen indecens esse, quòd Fratres eant per se; tametsi cæteroquì liceat, salua Regulæ observantia; ut declaratum fuit in nostro Capitulo Generali *ann.* 1618. sub *Clemente à Noto Ministro Generali*: & à Congregatione Patrum Theologorum ad hoc deputatorum sic pariter decisum fuit in Capitulo Generali 1625. 18. *Maij* de mandato P. Joannis Mariæ à Noto Generalis; ut videre est in Arcbivio Romæ. 13

Quintò tandem, non peccant peccato recursus ad pecuniam, si accedant ad amicum spiritualem, aut ad deputatum ab ipso, pro recipienda re, quam ipse sponte sua daturum se exhibuit pecuniâ comparatam; vel pro qua emenda ipse cuipiam alteri deputavit, aut deposuit pecuniam. 14

Sextò, per consequens non faciunt Fratres contra prohibitionem recursus ad pecuniam, quoties aliquis vult omninò, & absolutè expendere pecunias pro pitantijs &c. & petit à Fratribus, ut aliquam nominent fidelem personam, cui ipse pecuniam det cum hoc onere, ut nomine suo pro emendis Fratrum pitantijs eam expendat. 15

Ergò neque peccabunt Fratres ipsi Minores contra prohibitionem de non procuranda provisione, vel depositione illius in futurum. 16

Primò, simpliciter desiderando, aut nega- 17

tivè assentiendo, quòd hujusmodi provisio ab aliquo deponatur.

18 *Secundò*, consensum quoque naturalem præbendo, etiam positivè, alicui dicenti, velle se eam facere, vel deponere; ut suprà.

19 *Tertiò*, cùm simpliciter sciunt, aliquem velle provisionem facere, vel eam deponere; & non impediunt, sed tacent.

20 *Quartò*, ubi quis sua sponte, & non ad Fratrum instantiam, provisionem apud se facit, aut apud alium deponit, & dicit Fratribus: *Venite ad me*; vel *Ite quotiescunque vobis opus fuerit, aut placueris ad talem, cui ego dedi v.g. vinum, ut illud vobis subministret toto hoc anno; vel frumentum, ut panem conficiat.* &c. & Fratres eant, & identidem capiant.

21 *Quintò*, si accedant ad amicum ipsum spiritualem pro capienda identidem provisione, quam ipsemet eo fine apud se fecit, ut diximus, & indicavit Fratribus, ut accedant confidenter.

22 *Sextò*, denique & consequenter non peccabunt contra prædictam prohibitionem, quoties aliquis vult ipsis subministrare provisionem panis, vel vini pro integro anno, & petit à Fratribus, ut aliquam fidelem personam indicent, & nominent; cui ipse provisionis illius summam fidat, & det cum hoc mandato: ut nomine suo de illa Fratribus provideat singulis septimanis tot vini œnophora, vel lagenas, aut tot panes mittat; vel ijs petentibus plus, minusvè fideliter eroget; prout eis opus fuerit. Protestari tamen debebunt in eo casu Fratres; prout in casu depositionis pecuniæ in manus substituti protestandum, & declarandum decernit Nicolaus III. *in cap. Exijt: §. Cæterùm: & §. Et quia oportet.* Immò in primis etiam resistere eos decet, quantum justè possunt; prout dictum est *hic, suprà n.7.* Sicque patet, quòd probandum assumpsimus. Major enim propositio argumenti est certa, immò vim habet, ut dixi, à fortioris Quòd si à quopiam negetur, est assignanda disparitas; quæ nulla sanè, nisi ad illam roborandam, assignari potest. Minor etiam est clara, & constabit ex probatione alterius Minoris subsumptæ, quam per singula membra, ex Cypriano Crousers Antuerpiensi nostro *in lection. parænet. super Reg.* & Gallitio item nostro *in quodam suo M S.* aliorúmque doctrinis, *in sequente paragrapho*, statim probo; præsertim ex *MM.SS.* P. Boverij, & P. Paschalis Abavillensis, quæ habentur in nostro Archivio Romæ. Utor autem (ut & hoc cautum sit) Lectionibus parænetic is dicti Crousers, juxta castigationes illis adhibendas de mandato Sac. Congregationis, & Diffinitionis Generalis nostræ; ac proinde earum nonnisi examinatissimâ, castigatissimâ, ac probatissimâ doctrinâ.

§. XI.

Sequitur subjectum præcedentis Paragraphi; & per singula membra probatur Minor subsumpta argumenti facti pro tradita responsione.

SUMMARIUM.

1 *Recurrere seu procurare ex communi usu loquendi, quid sit?* & num. 2.

3 *Recursus definitio juxta Regulam Franciscanam.*

4 *Recursus & procuratio, de qua* in cap. Exijt: §. Cæterum: de verb. sign. in 6. *aperitur.*

5 *Recursus, & procuratio rerum necessariarum pro Minoribus, an & quando & à quibus haberi possit.*

6 *Recursus in quibus casibus tùm ex Regula Sancti Francisci, tum ex constitutionibus Pontificiis Minoribus permittatur.*

7 *Recursus pro pitancia carnium & piscium regulariter prohibetur: licet absque recursu horum obsoniorum usus non sit Minoribus interdictus.*

8 *Recursus pro libris imprimendis absque licentia, Superiorum Minoribus prohibetur.*

9 *Recurrere, seu procurare, ex vi verbi, importat actum positivum, solicitum, & efficacem.* & num. 16.

Qui consentit negativè alicui qui sibi suffragium in electione velle se dare ostendit, non dicitur illud procurare. ibid.

Deus nullo modo dicendus causa peccati, licet permissivè concurrat ad illud. ibid.

Minores nihil respondentes, aut indifferenter se habentes erga aliquem qui pecuniam vult expendere pro illorum pitancia, non dicuntur illam procurare. ibidem.

10 *Minister provincialis Minorum, aut Custos, quando teneantur recurrere & procurare necessaria pro infirmis curandis, vel Fratribus induendis.*

11 *Procurare non dicitur qui sibi aliquam dignitatem conferri desiderat, vel quid aliud fieri.*

Minores non dicuntur sibi procurare necessaria, desiderando quòd ab amicis procurentur eisdem, vel consentiendo volenti expendere, ut declaratur. ibid.

Religiosi Societat. Iesu professi trium aut quatuor votorum, emittunt aliud votum simplex nunquam se acturos ut ad aliquam dignitatem vel prælationem promoveantur. ibid.

12 *Religiosi*

12 *Religiosi professi trium vel quatuor votorum Soc. Iesu quando dicantur agere contra votum de non procuranda prælatione, vel dignitate, necne?* & num. 13.

13 *Religiosi Soc. Iesu non dicuntur sibi procurare dignitatem vel prælationem, nisi procurationem hanc manifestent aliquo actu externo, ut in foro saltem exteriori præsumi possit.*

14 *Minores cavere debent à motivis quibusdam coram amicis, quibus insinuent se expetere dulciora quadam ad victum, ne indirectè ea sibi procurare dicantur.*

15 *Religiosus Societ. Iesu non dicitur violare votum de non procuranda dignitate, fingendo se sanctum, prudentem &c. coram Superiore, ea intentione ut promoveatur, modò nihil aliud agatur.*

16 *Lex quando puniat procurantem aliquid prohibitum veluti homicidium, aut abortum &c.*

Consentiens procuranti rem illicitam, licet reus sit in foro poli, non tamen in foro fori. ibid.

Ratum habere non dicitur quis propriè quod suo nomine gestum non est. ibid.

1 PRimum igitur subsumpti illius membrum probatur sic: Recurrere, seu procurare, ex communi usu loquendi, & ex vi verbi tam in Iure, quàm in Theologia, & Philosophia importat actum positivum; ut est de mente omnium: (Qualem autem actum, dicam mox *infrà hic num.9. & seqq.* Unde Gloss. *in capit. generali: de Electione: in 6.* ad *versicul. Procurant*, ait: Et dicuntur procurare ope, consilio, persuasione, & operatione: *cap. sicut dignum: Extra, de homicid. volunt. cap.1. de offic. & potest. Iud. deleg. & l.1. §. persuadere: ff. de servo corrupto.*

2 Interim Procurationis, seu Recursus, quo de agimus, accipe definitionem: quæ stando in terminis Recursus prout hodie habet communis loquendi usus, hæc est: Recursus, seu Procuratio est accessus unius ad alterum, sive personaliter & per se ipsum, sive per alium, & per literas, agendo cum eo, seu sollicitè curando, ut mediante pecunia, Fratrum necessitatibus provideat.

3 At si definitionem velis, secundum propria verba Regulæ S. Patris Francisci, hæc esse potest: Recursus, & Recurrere, seu Procurare, est curare, sive curam habere, ut per amicos spirituales mediante pecunia provideatur.

4 Vel etiam secundùm Nicolaum III. *in cap. Exijt: §. Cæterùm*: accipe istam: Recursus, seu Recurrere, & Procuratio seu Procurare est fideliter laborare, ut per amicos Fratrum solutio, seu satisfactio fiat pecuniariâ ipsorum, eleemosynâ, pro rebus necessarijs comparandis: aut ea conditione procurandæ scilicet satisfactionis, citra tamen omnem civilem obligationem) jam comparatis.

5 Atque hic actus, sicut pro necessitatibus, de quibus *infrà*, Ministris tantùm, Custodibusque præcipitur, & à fortiori licet: ita cæteris omnibus Fratribus prohibitus censetur, ex communi sensu Expositorum Regulæ, intellectúque, & praxi Religionis; (Intellige tamen pro se ipsis Fratribus, non pro externis v.g. pauperibus: ut notat Crousers *lect. parænet. 6. ad c.4. Reg. vers. ex cujus declaratione:*) ut nunquam eis liceat Recursus, seu Procuratio hujusmodi, nisi pro rebus necessarijs, quæ alio modo, mendicando, & eleemosynaliter haberi non possunt; & cum expressa licentia Ministri, vel Custodis: excepto casu ejus necessitatis, quæ non patitur dilationem pro obtinenda licentia prædicta: tunc enim licentia ritè per epijciam seu interpretationem voluntaris Superioris, præsumitur adesse, sufficitque ex post facto habere consensum Ministri, indicando ei, quod sub ejus ratihabitione actum; est prout docuimus *art.1. § 8.* sicque in omni recursu semper requiritur vera necessitas, & impetrata licentia; ut habetur *in nostris Constitutionibus, c.4.* ex Nicolao III. *in d. c Exijt: §. Cæterùm: & §. Et quia oportet:* Et ex *Clem. Exivi: §. Porrò:* quos textus per extensum descripsimus *art.1. §.3. n.4. & 6.* Ita ut nec Ministri ipsi, vel Custodes id per se facere possint, nisi vera adsit necessitas.

6 Quamvis autem necessitates recursu prædicto dignas duas tantùm Seraphicus Pater *in d. c.4. Reg.* exprimat (ut observat Clemens V. *in d. §. Porrò:*) scilicet pro curandis infirmis, & pro Fratribus induendis: piè tamen, & rationabiliter, (ut ait idem Clemens *ibid.*) considerata necessitate vitæ, ad alias necessitates Fratrum pro tempore occurrentes, cessantibus eleemosynis, seu etiam ingruentes sæpè extendit Nicolaus III. *loc. cit.* Hasque ipse Clemens *ibi* declarat debere esse símiles prædictis duabus à Seraphico Patre expressis. Advertit etiam Card. Zabarella *ibi*, quòd non valent hujusmodi necessitates, si fuerint voluntariæ, & non necessariæ; idest, si Fratres illis se exponant ex propria voluntate; & non ex necessitate obedientiæ exequendæ, vel alia contingente: affertque exemplum: ut verbi gratia, si dum transeunt de loco ad locum ex causa Ordinis, non permittuntur in certo loco transire, nisi solvant pedagium; licet enim non debeant ad hoc cogi, tamen ex quo de facto coguntur licitum est eis recurrere, seu procurare, per eleemosynam, ut solvant, ne impediantur pro hoc, quod in via sequitur. Hæc ille, qui etiam necessitates prædictis similes eas esse ait, quæ sunt ad victum, ad divinum cul-

tum, & ad spirituale studium, & pro causis similibus.

7 Et quidem quod ad eam attinet necessitatem, quæ est ad victum, citra controversiam apud nos tenendum est, usum obsoniorum, seu pitantiæ Carnium, & piscium, Fratribus non esse necessarium, secundùm usum moderatum: undè nec licet pro illo recurrere. Pitantia enim Carnium, vel piscium ad commodum potiùs, quàm ad veram necessitatem spectat. Vide quæ dicta sunt *suprà, articul. 2. paragrapho 9. in Appendice, numer. 9.* Non est tamen usus moderatus hujusmodi pitantiæ, & obsoniorum, ubi citra recursum provenerit, ab altissima Minorum paupertate, & vita explodendus: neque enim hæc ita omne commodum respuit, ut ea tantùm, quæ ad arctam vitæ sustentationem necessaria sunt, amplectatur; ut latè P. Zacharias Boverius *in suo M. S.* quod habetur in Monumentis Archivij Romæ. Moderatus autem censebitur prædictorum obsoniorum usus, si non sit in quantitate excessiva, aut qualitate pretiosa, aut frequentiâ nimiâ, qualis profectò esset quotidianus usus, manè, & vesperè; ut per se patet. Sed & clarè colligitur ex *nostris Constitutionib. cap. 3.* ubi statuitur, quòd Fratres Feriâ quartâ ab esu carnium abstineant. Per hoc enim clarè intelligitur, mentem nostrorum Patrum in ea Constitutione sancienda eam fuisse Primo, quòd in alijs diebus hebdomadæ, in quibus licet comedere carnes, possint illis Fratres vesci, si illas absque recursu ad pecuniam habeant: Exceptio enim unius, aliorum est inclusio; quia exceptio sicut est de contentis in regula, ita firmat regulam in non exceptis, & demptis à regula, juxta ea, quæ tradit Gloss. *in Clement. Exivi: paragrapho Deinde: in vers. eod. & paragrapho Cum igitur: in vers. eod.* ex *l. Tribunus: paragrapho fin. ff. de milit. testament.* & ex *cap. Dominus: 32. quæst. 7.* ubi Gloss. & ex Dyno *super rubric. de regul. jur. in 6. lib. 6.* & novissimè doctissimus, & Reverendissimus Caramuel *in sua Theologia Morali, lib. 5. n. 1092. axiom. 3. pag. 375.* Secundò, spontaneam eos sic statuisse abstinentiam à carnium esu Feriâ quartâ, ne is quotidianus esset, etiamsi cæteroqui sit licitus. Et ità statutum fuit, quoad primam partem hujus asserti, à P. Jo. Maria à Noto Ministro Generali in Capitulo Generali Romæ celebrato *anno 1625.* in loco S. Bonaventuræ *die 28. Maij*, de unanimi consensu P. P. Diffinitorum Generalium, & plurium P. P. Theologorum Ordinis, quibus hæc quæstio commissa fuit examinanda: interdictâ cuilibet facultate contrariam sententiam deinceps verbo, aut scripto docendi, vel quoquo modo in controversiam vocandi. Patres autem illi fuère P. Franciscus Mecanus, P. Justus à Monte Ulmi, P. Basilius Vicentinus, P. Antonius à Mutina, P. Matthias Augiensis, P. Baptista Aquensis, P. Joan. Baptista à Perusia, & Pater Laurentius à Pistorio. Et iterum ita statutum fuit in Visitatione Provinciæ Parisiensis ab eodem P. Ministro Generali *anno 1629. 10. Iunij*, cum consilio P. Joannis à monte Calerio Consultoris ejus, necnon aliorum Patrum sententiâ, Provincialis scilicet, & Diffinitorum ejusdem Provinciæ, ac Provincialis, & Diffinitorum Provinciæ Normandiæ. Tum etiam ante illum ita Decretum fuerat per P. Clementem à Noto Ministrum Generalem *in Capitulo Provinciali* prædictæ Parisiensis Provinciæ *anno 1624.* atque à Patribus Provinciali, & Diffinitoribus ejusdem Provinciæ in Capitulo Provinciali *anno 1627.*

Quod verò ad eam attinet necessitatem, quæ est ad spirituale studium; *de mense Maij 1648.* 8 quæsitum fuit à P. Procuratore Generali Feliciano à Bononia, Utrum pro libris imprimendis absque licentia recurri posset ad amicos spirituales: Illéque respondit, quemlibet ad amicos, aut parentes recursum pro denarijs expendendis, & sumptibus faciendis, absque licentia speciali, & expressa Superiorum vi Regulæ nobis absolutè interdictum esse. Attamen, attenta Operis, quod in lucem prodire debet, dignitate Superiores majores talem licentiam ad pecunias recurrendi pro sumptibus ad id necessarijs, concedere possunt: ad habenda scilicet exemplaria pro usu Religionis necessaria; non autem superflua, atque adeò distrahenda, vendendo, vel commutando. Verùm satiùs, ac tutius videtur, si aliqua operis typis mandati exemplaria amico spirituali, qui sumptibus necessarijs satisfacere paratus est, pro expensis faciendis offerantur. Ita ille. Cæterùm jugem librorum emptionem per recursum condemnavit alius P. Procurator Generalis, nempe P. Marcus Ant. Gallitius à Carpenedulo, qui deindè fuit Minister Generalis; ut patet *in quodam ipsius M. S. de Recursu in fi.* Vide quæ habentur *suprà articul. 2. paragrapho 7. n. 10. 11. 12. & 13.*

Cum igitur (ut ostensum est) Recurrere, seu 9 Procurare dicat, ex vi verbi, & ex communi cùm Pontificum, tùm aliorum Doctorum intelligentia, importétque actum positivum, eumque sollicitum & efficacem: undè etiam qui negativè consentit ei, qui sibi, aut alteri suffragium, seu votum in aliqua Canonica electione dare se velle ostendit; sive nil prorsùs ei respondendo, sive dicendo: *Non me ingero, fac quod vis:* hic utique vota procurare minimè judicatur contra Constitutionem Clem. VII. in hac materia editam, & sub Urban. VIII. anno 1624. innovatam, & publicatam; ut per se patet, & Doctores omnes concedunt: Quemadmodum etiam docent Theologi, Deum non esse

esse dicendum causam peccati, (ut effutiêre tot Hæretici, quos impugnat Bellarminus *tom. 4. Controverf. lib. 1. de amissione Gratiæ: à cap. 1. per totum illum librum:*) non solùm quoad formale, (in quo omnes omninò Catholici conveniunt) sed etiam quoad materiale illius (ut docent S. Bonaventura *in 1. sentent. distinct 46. art. 1. quæst. 2.* Caspensis, & alij ejusdem S. Doctoris asseclæ) quia nimirùm tantùm permissivè concurrit ad illud, neque impedire tenetur; undè nec illud prædiffinit, sed tantùm permissionem illius, tam quoad materiale, quam quoad formale: S. Doctor *in 2. distinct. 14 quæst. ultima, & distinct. 37. art. 2. quæst. 2.* & alibi *in opusc.* Hinc clarè infertur, quòd si quis dicat Fratri Minori: *Pater, ego volo expendere tantam summam pecuniæ, aut dare alteri, ut expendat pro carnibus, vel piscibus, vel hujusmodi ad victum vestrum &c.* Frater autem prædictus aut nihil omninò respondeat, aut dicat: *Non me ingero, fac quod vis:* hic planè non procurat pecuniam illam, seu pitantiæ illius provisionem per pecuniæ expensionem exhibitam; etiamsi non impediat, sed vel tacitus permittat, vel etiam expressè, ut præfertur; vel etiamsi fortassis jam optaret emi ab aliquo, & mitti carnes, aut pisces pro pitantia; & ita missas acceptet. Procurare enim, seu Recurrere ad pecuniam, vel ad ejus expensionem, non est (ut vidimus) quomodocúnque esse, vel dare causam expensionis pecuniæ; aut consentire expensioni ejusdem, cùm quis jam aliàs paratus est expendere, & quærit Fratrum consensum, vel placitum, vel intentionem, quòd ipsi babebunt gratas, & acceptabunt res, quas vult pro eis emere: Sed est consentire, intendere, & dare causam moventem & excitantem, sollicitè & expressè procurando, & agendo, ut de non volente fiat quis volens pecunias expendere; à quo genere causæ multùm distat Conditio, seu Causa, sine qua non; cujusmodi sunt accessus ad jam paratum pro re, quam ipse vult emere, habenda in tempore opportuno; itemque consensus negativus, vel etiam positivus, sive tacitus, sive expressus, volenti, & exhibenti, & petenti Fratrum placitum.

10 Quod ulteriùs probatur sic: Si enim Minister Provincialis; aut Custos se baberet boc modo tantùm; quoad providendum, seu quoad obligationem sibi incumbentem procurandæ (cessantibus eleemosynis sufficientibus) per amicos Spirituales provisionis necessariæ pro curandis infirmis, vel pro induendis Fratribus; proculdubio non satisfaceret muneri suo, quod est Procurare, & sollicitam curam gerere, seu fideliter laborare, & agere ut provideatur. Est autem certum, ita esse sub mortali injunctam ipsis tantùm procurationem, & sollicitam curam provisionis pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis, sicut ipsis, & alijs Fratribus privatis interdicta est procuratio ipsa per viam pecuniæ, extra casum necessitatis, & respectivè absque licentia, in quibus requiritur: Atqui non potest censeri Recursus, & procuratio pro implendo Regulæ præcepto prædicto, ubi quis se negativè duntaxat habet: Ergò minùs pro eodem violando. Atque hæc Regula in præsenti materia valdè observanda est pro scrupulosis conscientijs.

Confirmatur, quia Sanchez (quem etiam 11
sequitur Ferdinandus de Castro Palao *infrà citat.*) *lib. sexto in Decalog. capit. decimooctavo, numero decimoseptimo, decimooctavo, & decimonono*, quærens, & statuens, quid intelligatur per verba, quibus Professi trium, & quatuor Votorum Societatis Jesu utuntur, dum sub voto simplici promittunt, nunquam se acturos, vel prætensuros, nec indirectè quidem, ut in aliquam Prælationem, vel Dignitatem in Societate eligantur, vel promoveantur? Concludit primò, quòd desiderare Dignitates, & Prælationes in Societate, non est contra hoc Votum: quia nimirum Votum illud est tantùm de non agendo, vel procurando, ut vovens promoveatur; desiderare autem promoveri, non est agere, vel procurare. Allegatque pro eadem sententia Vasquez *in primam secundæ quæst. septuagesimaquarta, articul. octavo, disput 115. capit. tertio, in fin.* Ergò neque inter Fratres Minores erit contra prohibitionem, de qua est sermo, desiderare, quòd quis extra Ordinem pecuniam expendat, aut expendendam procuret. Neque item erit contra eandem prohibitionem consentire, aut negativè, aut positivè, tacitè, vel expressè in hujusmodi volentem expendere, vel procurare: sicut in Societate non esset contra illud Votum ita consentire in volentem eligere, vel promovere ad Prælationem, vel Dignitatem. Dixi: *Quod quis extra Ordinem &c.* Is enim sive pecuniam pro Fratribus expendens, vel expendi ab alio agens, vel procurans, utitur jure suo, nec tenetur legibus Fratrum; undè non peccat, quinimmò opus præstat pietatis & Misericordiæ in pauperes Christi. Sicque actus internus Fratris verbi gratia desiderantis, vel etiam consentientis, ut præfertur, non fertur in objectum peccaminosum, aut sibi ulla lege vetitum; & per consequens, nec ipse actus est malus, aut peccaminosus, quantùm ad præsens attinet: nam talis potest esse aliundè, putà ex cupiditate vitiosa. Aliter autem dicendum esset, si Frater Minor deliberata voluntate verè perperam procurandæ

pecuniæ, desiderant eam facere procurationem, vel morosè delectaretur in talis procurationis affectu, vel proposito, aut etiam consentiret in alterum ex eodem Ordine ita procurare volentem. Hic enim Frater peccaret mortaliter adversùs prohibitionem prædictam, cùm desiderando, tum consentiendo, actu licet quantumlibet interno; quia actus internus, & externus, ejusdem objecti eadem bonitate, & malitia afficiuntur. Cum ergo procuratio illa, sive ab ipso Fratre deliberata, sive ab alio intenta, sit contra prohibitionem prædictam, erit quóque desiderium ejus, vel delectatio morosa, aut consensus in illam; ut benè in simili de voto prædicto Societatis advertit, & docet Sanchez *cit. num.* 19. Sed de hoc poncto latiùs *infrà*, §. 14. *num.* 23. *& seqq.*

12 Concludit secundò idem Sanchez *ibi*, non quamcúnque Dignitatis in Societate procurationem esse contra illud Votum; sed necessariò requiri, quòd procuratio ipsa manifestetur signo aliquo externo, vel actu, eóque non indifferente, sed tali, quòd sufficienter ex se, sive ratione temporis, sive ratione circumstantiarum concurrentium declaret ei, quocum agitur, internam mentem, seu intentionem procurandæ eo actu, vel signo, Dignitatis; atque adeò, ut ex eo prudenter, & probabiliter incedendo, possit ab homine colligi sinistra ambitionis, seu procurationis intentio. Concordat Castro Palao *part.* 3. *tractat.* 16. *disput.* 5. *punct.* 5. *num.* 4. cum Sanchez, & Vasquez *citatis*, Suarez item *to.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6 *cap.* 7. *num.* 9.

13 Quare, si quæras, qualis & quanta debeat esse hujusmodi manifestatio per illam actionem, verba, vel signa exhibita, ut interdictæ procurationis crimen in foro saltem externo præsumi possit? Respondeo cum Sanchez *cit. num.* 20. eam debere esse ita moraliter certam, ut consideratis conditione vitæ, & honestate agentis, & alijs circumstantijs concurrentibus, possit absque temeritate aliqua probabiliter, & prudenter ea vitio dari: allegátque Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disput.* 22. *sect.* 6. *numero* 16. in alio simili ità optimè sentientem. Dixi, *in foro saltem externo*; quia in foro interno, & Dei posset quis Frater Minor reus fieri procuratæ pecuniæ, (sicut & ambitionis Professus Societatis) si ea intentione agat cum aliquo verbis, vel signis, etiam insufficientibus ad eum arguendum in foro externo. Jam enim ejus intentio fertur in objectum vetitum, (ut dictum est *supra*,) etiamsi per media insufficientia ad eam intentionem probabiliter arguendam.

14 Ob idque monuerim Fratres, quòd valdè caveant à quibusdam (ut vulgò dicitur) motivis, seu impulsibus dandis in certis occasionibus temporum personarum, &c. insinuando v.gr. quòd tempus adest honestæ, & consuetæ recreationis ante longa jejunia; vel quòd jejunia ipsa jam sunt absoluta, aut in proximo absolvenda; vel hujusmodi, ut exaggerando penuriam, quam patiuntur, vel exprimendo, & ostentando abstinentiam à carnibus, aut ruditatem victus, etiamsi eis liceat carnes edere; cùm nemo mittat &c. ab hujusmodi, inquam, motivis dandis caveant, ne impingant: plerumque enim ea intentione, licet non reflexa, dantur, ut hi, quibuscum loquuntur, aut agunt, moveantur ad emendas carnes, vel alias res, quas desiderant: quin & plerumque hujusmodi impulsus, vel motiva sufficienter ex se, ratione temporis, aliarumvè circumstantiarum declarant personis illis internam mentem, seu intentionem Fratrum ita loquentium, illamque probabiliter, & absque temeritate præsumunt, etiamsi fortè verè non adesset: tales enim præsto sunt circumstantiæ, ut sufficienter ex ipsis Fratres ità loquentes procurare dijudicari valeant.

Ducor autem, ad hoc monendum propter 15 ea, quæ docet Sanchez *citat. num.* 22. ubi quamvis concedat, non esse contra Votum de non procuranda dignitate &c. fingere se Sanctum, aut prudentem, doctum, alijsque dotibus ornatum ostentare coram Superioribus, ambitiosa obtinendæ Dignitatis in Societate intentione; quia fictio Sanctitatis, & harum dotium ostentatio indifferens est ad eam ambitionem, vel aliquid aliud manifestandum: Addit tamen, id esse verum, dum nullæ aliæ circumstantiæ concurrunt, ex quibus sufficienter hæc ambitio dijudicari valeat. Atque idem ipse dixerim de eo, quod idem Doctor concedit *num.* 21. non esse scilicet contra dictum Votum intendere etiam directè auferre impedimenta, quæ voventi opponuntur, ne sit Prælatus; dummodò nil aliud agatur, ut Prælatio obtineatur. Quamvis enim inhabilitas, aut impedimentum Prælationis, sit damnum diversum à privatione Prælationis, hæcque non contineat dedecus, illud autem contineat: agere tamen pro hujusmodi impedimentis tollendis, vel evacuandis non est omninò indifferens ad eam ambitionem, vel aliquid aliud manifestandum: præterquàm quòd possent & aliæ circumstantiæ concurrere, ex quibus sufficienter ea dijudicari valeret. Sic in eo, quod monui, motiva illa, vel impulsus non sunt omninò indifferentes ad manifestandam Fratrum intentionem procurandi, vel aliquid aliud; & præterea, data etiam tali illorum indifferentia, adsunt circumstantiæ, ex quibus ea intentio argui probabiliter potest. Quare iterum dico, cautè agendum, & loquendum.

Vides ergo ex his omnibus, quòd procura- 16

re

re est positivè agere,& actione aliqua externa, vel signo sufficiente, &c. non autem negativè se habere, aut agere actione merè interna, cujusmodi est desiderium, (juxta prædicta) vel etiam consensus, sive tacitus, sive etiam expressus; vel non impedire,&c. Undè benè Carolus Antonius Thesaurus *part. 2. de Pœnis Ecclesiast. v. procurantes delicta perpetrare, cap. unico, §. Advertendum:* ait; quòd ubi Lex punit procurantem aliquid prohibitum, verbi gratiâ homicidium, aborsum, &c. procurans intelligitur, qui directè illud intendit (nempè aliqua actione sua, ut ope, consilio, vel persuasione, aut operatione) non autem si interpretativè tantùm, seu indirectè,& consequenter: Undè non sufficit, non impedire, cum tenetur, vel alia intentione cooperari. Ita ille: citátque Marium Alterium *tom. 1. disp. 13. lib. 5. cap. 7. v. Procurare:* Ancharanum *in Clem. 2. de pœnis, n. 10.* Suarez *de Censuris, disp. 23. sect. 4. num. 7.* Loquitur autem Thesaurus de procurante prohibitum in quocúmque agente (cujusmodi non est expensio, vel procuratio expensionis pecuniæ, nisi in Fratribus Minoribus) sive procurans ipse sit agens tale prohibitum, sive alius ab ipso; ut patet in exemplis. Et nihilominùs non impediens, etiam cùm tenetur, vel consentiens, aut simpliciter desiderans, vel alia intentione cooperans; tametsi peccet, & fiat reus in foro Dei, sicut & qui agit; in foro tamen externo non subjicitur pœnis procurationis reo inflictis: tametsi excommunicationi latæ à Canone sententiæ incunctanter subjiciatur, qui ratam habet violentam manuum injectionem in Clericum, suo tamen nomine, vel contemplatione factam, etsi non suo mandato: Secùs autem, si non suo nomine, vel contemplatione facta fuerit. Neque enim propriè potest quis dici ratum habere, quod suo nomine, vel contemplatione non est gestum: *cap. cum quis, de sent. excommun. in 6.* & ibi Gloss. & *cap. 9. ibid. de regul. Iuris.* Et quid dicendum de ratum habente abortum, vide apud Lezanam *tom. 3. Sum. v. Abortus, num. 17.* & Portell. *in dubijs Regul. v. Abortus, in addition. num. 3.* Idem dic de Fratre Minore ita se habente cum alio ejusdem Ordinis Fratre perperam procurante, aut volente procurare pecuniam; ut dictum est *suprà*; vel etiam cum extraneo, agente tamen nomine Fratris Minoris. Vide Filliucium *tom. 2. part. 1. tract. 29. cap. 5. à num. 91.*

17 Atque hæc affatim, quoad probationem primi membri illius subsumpti; quæ tamen fundamentum præbent ad probationem reliquorum. Sed operæ pretium est hujusmodi Procurationis materiam penitùs enucleare *in sequente paragrapho:* tum autem *in alio* reliquas probationes breviter expediemus.

§. XII.

Enucleatiùs adhuc Procurationis prædictæ, Recursusvè prohibitio aperitur; tradendo explicationem Procurationis, seu Recursus indirecti.

SUMMARIUM.

1 *Procuratio rei illicitæ directa & indirecta quæ dicatur?* & num. seqq.

2 *Recursus directus & indirectus Minoribus interdictus explicatur.*

Verba Directè, & Indirectè, *in prohibitione alicujus rei, dupliciter accipi possunt,* ibid.

Verba Directè, & Indirectè, *in prohibitione idem regulariter important, in substantia; & vox* Indirectè *solùm apponitur ut strictior prohibitio innotescat,* ibid.

Abortus procuratio directa quæ dicatur, & quæ indirecta, & de utriusque differentia, ibid.

3 *Procuratio indirecta quomodo fieri intelligatur.*

Minores prohibentur recipere pecuniam directè & indirectè, vel sibi procurare, ibid.

4 *Procuratio pecuniæ virtualis & indirecta an dicatur quando Minores petunt quod communiter ab eis mendicari solet, ab aliquo quem moraliter certò sciunt emptutum rem ipsam in specie petitam.*

Resolvitur difficultas negativè adhibitis quibusdam conditionibus seu modificationibus, n. 5. cum alijs seqq.

6 *Benefactor non dicitur dare eleemosynam ratione recursus & procurationis à Minoribus illam humiliter petentibus, sed liberaliter & sponte, cùm possit illos dimittere & recusare quod petitur.*

7 *Ministri provinciales Minorum & Custodes ex præcepto Regulæ æquipollenti tenentur procurare necessaria Fratribus, etiam rogando, suadendo, vel sub ratione Mutuì impropriè dicti, recipiendo.*

Procurare & recurrere plus importat quàm simpliciter petere, ibid.

8 *Minorum discretioni interdum magis conducit petere à divitibus pro amore Dei necessaria, licet sciant ipsos media pecunia empturos.*

9 *Procuratio virtualis indirecta pecuniæ dici non potest quando non est volita & intenta ejus expensio in causa, ut declaratur,* ibid.

10 *Procuratio directa & formalis pecuniæ non dicitur,*

dicitur, licèt pecuniæ expensio habeat rationem medij ad eleemosynam petitam Minoribus erogandam.

11 *Recursus seu procuratio ex quibus circumstantijs dignoscatur, & prohibeatur Minoribus.*

12 *Recursus seu procuratio virtualis illicita & æquipollens formali quando fieri dicatur.*
Preces sufficiunt ad recursum & procurationem virtualem indirectam & illicitam Minoribus.

13 *Minores an & quando teneantur ad mendicandum actu, nec nè; priusquàm ad amicos spirituales recurrere liceat.*
Mendicatio & Mendicitas differunt, ibid.
Minor humiliter petendo nihil agit prohibitum sed potius actionem præstat ex Regula permissam & consultam, licèt petitio videatur esse causa cur is à quo petitur pecuniam expendat, & det, quod non faceret si non peteretur, ibid.

14 *Mendicandi actio & humiliter petendi necessaria bona est, & ordinata ad bonum finem, neque ex ea inferendus est recursus indirectus & prohibitus.*
Sponte factum an dicatur quod fit ad petitionem alicujus, ibid.
Minores petere possunt res sibi necessarias pro mercede sui laboris, etiamsi sciant eas ab illo cui laborarunt pecuniâ comparandas, ibid.

15 *Minores concionatores, citra recursus scrupulum, piè & humiliter petere possunt & recipere res sibi necessarias, etiamsi sciant illas fore emendas: modo abstineant à verbis quæ appropriationem aut administrationem præ se ferant.*

1 QVia igitur ferè semper, cùm alicujus rei Procuratio interdicitur; apponuntur particulæ, *Directè*, & *Indirectè*: & quidem ita communiter intelligitur à Regulæ Expositoribus prohibitio Procurationis, seu Recursus, de qua loquimur: ideò si quæratur, quid per Procurationem, Recursúmvè indirectum intelligatur; seu quid sit agere, vel procurare directè, quid verò indirectè pro pecunia expendenda?

2 Respondeo cum Sanchez *cit. num.* 23. duplicem posse esse verborum, *Directè*, & *Indirectè*, intellectum. Prior est, ut idem penitùs per utrámque particulam importetur, solúmque addatur ly, *Indirectè*, ut ij, ad quos pertinet prohibitio illa, intelligant, quàm strictè sibi talis procuratio interdicatur. Ut cùm quis dicit: *Sit talis actus ita prohibitus, ut ne cui quidem in mentem veniat illum exercere.* Probabilis autem, & rationabilis mihi videtur iste intellectus: quia reverà modus indirectè procurandi, quem mox cum eodem Sanchez, & alijs communiter explicabimus, potest appellari directa procuratio, comprehendereturque absque dubio in prohibitione, etiamsi non adderetur particula, *Indirectè*. Ducor etiam cum eodem Sanchez, & Gallitio *in M. S. cit.* quia Cajetanus *in Sum. v. Excommunicatio, cap.* 7. 15. 17. 27. 29. & 37. explicans varias excommunicationes, in quibus comprehenduntur agentes directè, vel indirectè actiones illis interdictas, non explicuit has particulas: cum tamen Cajetanus exactissimè singula excommunicationum verba librârit; quod non debile argumentum est, eum sensisse, nil peculiare exprimi per particulam, *Indirectè*, quod per solam, *directè*, non exprimatur, atque ideò idem per utramque re vera, & in substantia importari; sed ita apponi, ut distributio prohibitionis innotescat, & ponderetur. Sanè autem neque alij Doctores, quos viderim, ut etiam testatur Sanchez in hujusmodi particulis explicandis immorantur. Solùm invenio, quòd ubi agunt Scribentes de prohibita procuratione abortus, directam omninò interdictam, & nunquam licitam volunt; at indirectam quandóque licere admittunt: vocántque procurationem illam directam, quæ fit per media per se, & ex natura sua (maximè verò ubi ex intentione adhibentur) tendentia ad occidendum fœtum: indirectam autem eam appellant, quæ fit per media per se, & ex natura sua præsertim etiam ex intentione agentis, ordinata ad aliud, putà ad curandam matrem, at per accidens, & citra intentionem abortum causantia. Videatur Filliucius *cit. cap.* 6. *num.* 102. & 104. Sanchez ipse *tom.* 3. *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 20. *n.* 14. alios citans ad faturitatem; Lessius, Navarra, Lopez, Sà, Corduba, & alij apud Filliuc. *cit.* Lezana etiam *suprà cit. n.* 12.

Posterior intellectus est, ut dicatur actio, aut procuratio directa, quando expressis signis, aut verbis intentionem procurandi apertè manifestantibus fit: indirecta verò, quando non ita expresè, ob ruborem, aliumvè humanum respectum, sed alio pretextu, alióque simulato colore agitur, ea tamen intentione; (ut de donatione indirecta diximus cum Filliucio, & alijs, *suprà art.* 2. *§.* 7. *in fine n* 37.) quæ proindè re vera est procuratio, sed palliata, & simulata. Videatur Sanchez *cit. num.* 24. afferens ad hoc Sossam, Sorbum, & Suarez. Sicque vides, quomodo Recursus, seu procuratio indirecta possit appellari directa, & pro eadem censeri: Nisi velimus dicere (juxta dicta item de donatione *loco cit.*) quòd Procurare, seu Recurrere ad pecuniam directè fit, quando Frater Minor id agit per se ipsum; indirectè verò, cùm per interpositam vel interpositas personas, etiamsi eæ sint extra Ordinem. Dato enim, quòd Procurare indirectè, ut supra explicatum est, idem re 3

re vera, atque in substantia sit, ac Procurare directè; adhuc tamen sensus iste novissimus procurandi indirectè (idest per alios) distinctus à Procurare directè (idest per se) expressè colligitur ex prohibitione Seraphici Patris *in cap.4. Reg.* quoad receptionem pecuniæ, ajentis: *Præcipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam.* Qualiter autem Fratres Minores dicendi sint, nec ne, recipere pecuniam per se, vel per interpositam personam, disertè declarat Nicolaus III. *in cap. Exyt:* in textibus à nobis allatis *art.1.§.3.* & S. Bonaventura *in d. cap.4. Reg. & in determinationibus multarum quæstionum super eandem Reg. quæst.25. & in Apologia Pauperum, 4. resp.1 partic art.1. & in libello Apologetico, in eos, qui Minorum Fratrum Ordini adversantur, quæst.13.* & communiter ejusdem Regulæ Expositores, docentes, non censeri interpositam personam, nisi agat nomine, & auctoritate ipsorum Fratrum, etiamsi agat contemplatione, idest ad utilitatem, & ob devotionem, quam habet erga Ordinem. Et quod dicitur de receptione, idem omninò dicendum est de Procuratione, vel Recursu; ut patet.

4 Ex his colligitur solutio illius dubitationis, quæ pluries in Ordine timoratorum Fratrum conscientias torsit. Num scilicet virtualis saltem, & indirecta procuratio expensionis pecuniæ censenda sit, cùm Frater Minor accedit ad aliquem, petitque ab eo panem verbi gratiâ vel vinum, oleumvè, aut aliquid aliud, quod communiter mendicari solet à Fratribus; tametsi moraliter certò sciat, eum, ad quem accedit, rem illam esse empturum; sive quia non habet in promptu rem ipsam in specie petitam, sive quia mavult eam largiri pecuniâ comparatam. Videtur enim, quòd Frater ille sic petens, eo ipso, quòd petit directè rem, quam nonnisi mediante pecuniâ habendam fore cognoscit, indirectè etiam velut in causa petat, ut res illa paratâ sibi pecuniâ tribuatur. Ratio autem dubitandi esse potest à fortiori; quia plus quodammodo, quàm in causa, videtur Frater ille velle expensionem pecuniæ in petitione hujusmodi: nam plus id velle videtur Frater ille, quàm qui dicitur velle pollutionem in vini potatione; pollutio enim ab isto non est directè, & in se volita, ut suppono, sed ad summum indirectè, & in causa; cum præsertim ea non subsequatur necessariò ad vini potationem: Frater verò ille volens, petensque rem, quam aliter nisi mediante pecuniæ expensione non habendam fore prænuscit, non solùm vult rem, ut finem, sed etiam pecuniæ expensionem, tanquam medium necessarium ad rei ipsius consequutionem, juxta illud famigeratum apud Philosophos, & Theologos: Qui vult finem, ea etiam, quæ necessaria sunt ad finem, velle perhibetur: atque adeò directè utrumque velle convincitur, licet unum velit propter aliud.

5 Nihilominùs citra formidinem tenendum est cum Gallitio *in M. S. cit.* & cum Croufers *lect. parænet.6. ad cap.4. Reg. vers. Colligo quarto:* non esse censendam procurationem expensionis pecuniæ directam, vel indirectam, cùm v.g. Quæstuarij, nostri accedunt ad aliquem Benefactorem, petendo ab eo gratis, piè, & humiliter per modum eleemosynæ rem aliquam necessariam, ac statui nostro convenientem; etiamsi Frater ille non solùm probabiliter, sed etiam certò sciat ex praxi, rem illam ab hujusmodi benefactore pecuniâ comparatam tribuendam fore. Et ita fuisse decisum in nostro Capitulo Generali celebrato *anno* 1608. cum aliquibus tamen conditionibus; testatur Croufers *cit.* Prima est; si Frater consultò hunc potiùs, quàm alium, non accedat, ut habeat res meliores, & faciliori modo. Secunda; Si non intendat recurrere ad pecuniam, vel procurare, quòd pecunia expendatur. Tertia; Si hic, qui rogatur, non committat voluntati Fratris rogantis, vel arbitriis ejus, utrum emat, nec ne; sed re ipsa ex se emat, non requisita voluntate Fratris, utrum velit emi panem, vel illud aliud, quod petit. Quapropter testatur idem Croufers *ibid.* de mente omnium Patrum zelatorum observantiæ hujus prohibitionis de non procuranda pecunia, vel pecuniæ expensione; quòd quando Fratres ostiatim mendicant panem, oleum, aut vinum, &c. non tenentur præterire domum ejus, quem ex habita experientia noverunt, non aliter sibi posse, aut velle dare panem, vel illud aliud, quod petunt nisi emat paratâ pecuniâ; sed licite ab eo petunt, & accipiunt: neque in hoc casu periculum ullum recursus, seu procurationis pecuniæ, & transgressionis esse, censendum est. Rationem etiam addit; quia nimirum hoc modò petere, est proprijssimè mendicare, & vera mendicatio, cùm fiat ostiatim, & cæteroqui sit quæstus rei, quæ communiter mendicatur: esto res illa ematur, ut mendico petenti detur. Quia emptio ista est præter intentionem (ut supponimus ex determinatione mox suprà allata Capituli Generalis) mendicantis. Concordat Corduba *ad cap.4. Reg. quæst.2.* Si quis (inquiens) ad Petrum recurreret, & simpliciter peteret panem, carnem, oleum, &c. hoc non esset recurrere ad pecuniam, etiamsi qui petit, certus esset, quòd Petrus debeat emere pro pecunia; modò non intendat (supple juxta decisionem prædictam) sibi provideri mediante pecuniâ.

6 Idem probat evidenter etiam Gallitius, sic: Quidquid liberaliter, & sponte datur, non datur

tur ratione recursus, seu procurationis ab alio factæ:sed Benefactor hujusmodi semper dat liberaliter, & spontè,quod ità ab eo petitur, ut per se patet:Si enim Benefactor requisitus piè, & humiliter,per simplicē petitionem,dimittere velit petentem eleemosynam, est in sua potestate;nec Religiosus petens potest ulteriùs agere, ut ipsum moveat, & impellat ad rem petitam pecuniâ comparandam, & largiendam: ergò simpliciter petere piè, & humiliter per modum eleemosynæ rem aliquam necessariam, & statui nostro convenientem,& quæ communiter mendicari solet,non est sollicitè agere: ut pecunia expendatur,si Benefactor pecuniâ eam comparet, ut largiatur;ac proindè nulla ratione recursus, seu procuratio illicita censeri potest.

7 Confirmatur: nam Ministri, & Custodes, quibus Seraphicus Pater *in cap.4.Reg.* per verba præcepto æquipollentia mandat,ut pro necessitatibus infirmorum; & alijs Fratribus induendis per amicos spirituales sollicitam curam gerant;non satisfacerent injuncto muneri, petendo simpliciter à Benefactore,seu spirituali amico rem necessariam, quæ mendicando haberi non potest, & pro qua habenda sollicitam curam gerere debent: immò Benefactore renuente, vel ægrè se movente, tenerentur cum eo agere efficaciter precibus,consilio,exhortationibus,persuasione, ut mediante pecunia necessitatibus hujusmodi provideret:Quin etiam ubi prædicta minimè sufficerent ad eum inducendum, ad erogandam de suo in tali provisione pecuniam, tenerentur,& possent eum rogare,ut saltem sub ratione mutui, impropriè tamen dicti, & citra obligationem civilem, illam expenderet,& provideret,quodque deindè ipsi fideliter curabunt,& laborabunt, ut ei reddatur pecuniæ summa expensa. Quòd si & hoc præstare ille renueret, tenerentur adhuc Ministri,& Custodes prædicti rem necessariam omninò providere,procurando eam sibi dari à quocunque venalem ipsam habente, eique promittendo, ut præfertur,(dato, ut supponimus,quòd nolit eam eleemosynaliter dare, sed soluto pretio) fideliter se laboraturos, ut per aliquem amicum spiritualem, aliásve eleemosynas hujusmodi pretij solutio fiat &c. ut *in cap. Exijt: §. Cæterùm.* Hócque est sollicitam curam gerere, recurrere, & procurare pecuniæ expensionem: ergò, sicut non satisfacit Minister, vel Custos injuncto sibi de recursu, & procuratione præcepto, simpliciter petendo, & nihil ulteriùs agendo; quia simplex petitio non pertingit ad veram procurationem, seu veri recursus rationem, ita ob eandem rationem non transgreditur præceptum de non recurrendo,seu procurando,qui simpliciter petit gratis,piè,& humiliter per modum eleemosynæ,& nihil ulteriùs sollicitat; quia recurrere, & procurare plus aliquid importat,quàm simpliciter petere, & occasionem dare expendendæ pecuniæ, si rogatus ad id sua mera voluntate,& pietate se moveat.

Quinimmò & hoc addit Gallitius, multoties scilicet magis expedire, à divitibus petere ea,quæ licet ipsi non habeant,facilè tamen mediâ pecuniâ comparare possunt, si volunt largiri; quam à pauperibus, qui licet fortè habeant rem, qua indigemus, multùm tamen gravantur;cum vix illi suppetant quæ pro sublevandis suis, suorúmque occurrentibus indigentijs necessaria sunt, vice autem versa divites abundantes nullum, vel insensibile detrimentum patiuntur, sive dando res ipsas, quibus abundant,sive emendo ab alijs mediâ pecuniâ, quæ illis superfluit, & abundat. Petere itaque à divitibus gratis, & amore Dei, quæ nobis necessaria sunt, ac statui nostro convenientia, etiamsi sciamus, fortè illos mediâ pecuniâ esse empturos, non solùm non est illicitum, sed etiam quandóque magis expediens, & consonum discretioni. 8

Neque hic censeri potest Recursus,seu procuratio virtualis indirecta:quia non dicitur volita, seu intenta pecuniæ expensio in causa; sicut dicitur volita & intenta pollutio in potatione vini, nam pecuniæ expensio præcedit rei consecutionem,quam intendit petens, nullatenùs intendens, nec signo aliquo externo sufficienter indicans se intendere talem expensionem; ut supponimus,& per se patet ex præscripto modo petendi, pollutio autem volita in potatione, tanquam in causa, sequitur ipsam vini potationem. 9

Minùs verò censeri potest recursus,seu procuratio formalis, & directa; quia licet pecuniæ expensio habeat rationem medij, cum ipsa mediante res comparetur, hoc est tamen per accidens,& supposita voluntate benefactoris,in cujus libera potestate omninò est, petitioni simplici Fratris annuere pariter, ac non annuere, remque petitam pretio comparare, ac non,neque Frater petens intendit efficaciter, & formaliter, sed neque virtualiter rem, quam petit obtinere media pecuniæ expensione, cùm tantùm piè, & humiliter rem ipsam petat, neque actione aliqua,aut verbis, ut supponimus, talem se ostendit habere intentionem. Cumque tota ratio procurationis, seu recursus in eo posita sit, (juxta dicta superiùs) ut media aliqua actione, aut verbis directis, vel indirectis inducatur amicus spiritualis absque temeritate judicans ita velle, & intendere Fratrem petentem, ad pecuniam impendendam; ita ut non tam motu proprio, quàm ad instantiam Fratris petentis, & ita insinuantis eam impendere censeatur; nullo modo simplex petitio, piè & humiliter facta per modum 10

eleemosynæ

eleemosynæ, potest habere rationem veri recursus, seu procurationis directæ, aut indirectæ.

11 Quare hæc regula semper attendenda est ad judicandum, An sit recursus, vel procuratio interdicta, nec ne? quòd scilicet verba, seu actio Fratris accedentis, vel recurrentis ad aliquem, verè efficiant, & vim habeant, & quidem ex ipsius quantumlibet palliatæ intentione, movendi illius voluntatem ad rem aliquam mediante pecuniæ expensione sibi providendam. Quòd si verò is, ad quem accedit, aut jam est sufficienter dispositus, & paratus, sive ex se, sive ad alterius, quàm ullius Fratris, persuasionem, vel instantiam; aut se ultrò disponit ad simplicem Fratris petitionem, ut suprà, ad aliquid mediâ pecuniâ dandum, vel faciendum pro Fratribus, tunc non erit recursus, seu procuratio illicita; etiamsi à Fratre eum ita dispositum cognoscente verbis consultorijs, gratulatorijs, aut gratiarum actionis idem in tali voluntate gratuita, & spontanea dispositione confirmetur; quia quidquid adhuc facit, vel præstat mediâ pecuniâ, motu proprio, & ex sua libera voluntate, non ad instantiam, aut preces, consilium, persuasionemvè, & procurationem Fratrum, facere censebitur. Et hoc patet ex doctrina jam tradita, & ampliùs constabit ex probatione tertij membri §. *seq.*

12 Quapropter ille quidem, ex regula tradita, virtualis recursus, seu procuratio illicita verè esse perhibebitur, æquivalens nimirum formali, & expressè; si verbi gratiâ Frater sive verbis, sive factis taliter se gerat, ut is, cum quo loquitur, intelligat absque temeritate, & probabiliter, velle eum, ut sibi mediâ pecuniâ aliquid comparetur, vel etiam ut aliquid annuum Fratribus legetur, aut in futurum apud aliquem deponatur, &c. etiamsi verba, vel facta ipsa talia non sint formaliter & expressè, sed solùm virtualiter & æquivalenter, utpotè palliata, ea tamen præsertim intentione adhibita; ut si diceret: *Ego libenter haberem talem rem, si mihi liceret pecuniâ eam comparare* vel, *si quis moveretur à Deo ad emendas, & mittendas nobis carnes, cum jam multis ab hinc diebus pulte dumtaxat, lixulis, testaceisque pulmentis, & hortalitijs vescamur*, &c. Vel etiam, (præsertim in visitandis infirmis, & adjuvandis decumbentibus ad mortem:) *Adeò difficilis est, & qualisqualis vini quæstus in hoc loco, mendicando, ut pyssimum opus esset, si quis annuum legatum certæ quantitatis vini de suis reditibus nobis relinqueret erogandum.* Vel: *Utinam quis dum vili pretio sunt lanæ, Dei charitate incitatus provideret nobis pro duobus, vel tribus annis venturis, deponendo eas apud aliquem, vel ipsemet apud se servando*, &c. Et ratio est: quia parùm refert, sive Frater ille verbis expressis, sive æquivalentibus, & simulato colore palliatis agat, & efficiat, ut is, cum quo loquitur, præstet, intelligens quod ipse intendit. Undè etiam multò evidentiùs verba consilij, sive persuasionis, & exhortationis antecedenter se habentia, similitèrque preces, & deprecationes sufficiunt ad recursum, & procurationem virtualem & indirectam, ne dicam formalem expressam, & directam, adeóque illicitam constituendam: & non solùm verba per modum imperativum prolata; ut si quis Frater dicat Amico suo *Eme mihi talem, vel talem rem*, &c. sed etiam deprecatoria; ut *Rogo, vel Quæso, ut emas mihi talia*: vel, *consulo, hortor, suadeo, ut velis emere, legare, aut deponere apud aliquem*, &c. quia omnia hujusmodi habent vim movendi voluntatem alterius, faciendique de non volente volentem emere, legare aut deponere, &c. Vides ergo, quàm cautè abstinendum à motivis, vel impulsibus dandis; ut monuimus § *præcedente*.

13 Ad majorem tamen quietem scrupulantium circa propositam, & solutam dubitationem, addo, Negari quidem non posse, quòd Frater petens piè, & humiliter ut diximus, aliquo modo agat, ut rem quam petit consequatur; & per consequens petitio ipsa videtur esse aliquo modo causa, quòd is, à quo petit, expendat pecuniam, & det; quod non faceret, si non peteretur. Nihilominùs ita simpliciter, & præcisè se habens, & agens Frater Minor nihil agit ullo sibi jure prohibitum; immò actionem præstat ex Regula ipsa permissam, seu consultam. Dixi, *Permissam, seu consultam*; quia licèt plerique sentiant quòd ad mendicationem, seu ad mendicandum actu, teneantur Fratres Minores sub præcepto; tamen neque ex Regula, neque ex sacris Canonibus ullum extat hujusmodi præceptum eos per se obligans; sed admonitio tantùm; ut documus *hîc suprà*, §. 5. *num.* 7. *& seqq.* & alibi ex *cap.* 6. *Reg.* & Beatissimi Patris Francisci *Testamento*, & ultimæ ipsius voluntatis expositione pro meliori ejusdem Regulæ catholica observantia. Dixi iterum: *Per se obligans*; quia per accidens ad observandam Regulæ puritatem, & præceptum de non recurrendo ad amicos spirituales, vel procuranda pecunia, nisi in casibus necessitatis, ut dictum est *suprà*; cessantibus eleemosynis spontè oblatis, non statim licèt recurrere, & procurare pecuniam, ut res necessaria habeatur, sed necesse est ex præcepto ipso non recurrendi, in primis mendicare, aut laborare, pro re illa necessaria ita comparanda; quæ si nec mendicando, aut laborando, juxta consuetam Ordinis praxim, haberi possit, tunc demùm recurrere licet ad amicos, & procurare, ut paratâ pecuniâ provideatur. Quare sicuti, si possunt æquè benè Fratres Minores habere necessaria per eleemosynas, aut liberaliter oblatas, aut humiliter

humiliter mendicatas aut laboritio conquisitas, non licet eis recurrere ad amicos spirituales, aut procurare pecuniæ expensionem pro illis necessarijs habendis, ita si per laboritium, aut per sponte oblatas eleemosynas eadem habeant sufficienter, nulla perhibetur adesse præcepti necessitas mendicandi; ut aliàs ostendimus *art.1.§.14.n.15. & seqq. & loco mox suprà cit.* Verùm qui dicunt, teneri Fratres Minores, tanquam Mendicantes ex Regula, sub præcepto per se obligante ad Mendicationem exercendam, fortè laborant in æquivocis, confundentes nimirùm Mendicationem, cum Mendicitate, sumentésque illam pro ista: cùm tamen longè aliud importent Mendicatio, & Mendicitas: *Prima* enim dicit actum, scilicet quærendi ostiatim, qui ob Mendicitatis statum solet à mendicantibus exerceri ad habendum victum, non tamen ex obligatione per se, ut dictum est. *Secunda* dicit habitum, quo scilicet ex vi voti Paupertatis altissimæ tenentur Fratres Minores, tam in communi, quàm in particulari, vivere de non suo politicè, vel civiliter certo, aut debito, sed ad Misericordiam hominum; sicque etiam cùm vel de sponte oblatis, vel de mercede laboris humiliter præcepta viuunt; semper habitu mendicant, sin minùs actu: quin & actu dixerim, cùm vel sic actu vivant ad misericordiam hominum, quod est mendicare actu, vel tacitè, vel expressè.

14 Est igitur actio petendi simpliciter, piè, & humiliter, seu mendicandi necessaria, & statui nostro convenientia, ut suprà, ex se bona, aut saltem nonnisi ordinata ad bonum finem. Undè eodem modo possunt Fratres Minores petere, pro mercede laboris, necessaria sibi, etiamsi sciant ea fore emenda. Et ratio esse potest, quia Fratres hoc modo petendo necessaria scilicet humiliter, & piè, se habent ut mendicantes, nihil aliud intendentes, quàm sibi ipsis per actum licitum providere. Hæc autem actio præcisè non sufficit ad rationem recursus, seu procurationis directę aut indirectę: habet enim rationem occasionis dumtaxat, non causæ, vel ad summum causæ impulsivæ, seu inductivæ, non finalis, & motivæ, seu excitantis: neque efficit, quò minùs ita simpliciter petitum, & acceptum, sit spontè datum à dante. Ob quam etiam rationem pauperes laici, petendo simpliciter eleemosynas, sub ficta necessitate, non tenentur restituere obtentas; utpotè ad eorum simplicem petitionem spontè à Fidelibus datas. Unde meritò Philippus Decius *in Reg.19. ff. de Reg. Iur. num.*11. improbat dictum Petri de Ancharano *in Clementina Præsenti: in 5. not de Censibus:* ajentis quòd non dicitur spontè factum illud, quod fit, ad petitionem. Opponit enim Decius ibi, videri textum in contrarium *in l.1. C. de pactis*, ubi idem Decius plura edisserit. Sed vide doctrinam à nobis traditam *art.1.§.10.* pro vera intelligentia utriusque. Vide etiam quæ dicuntur *hic, infrà*, §.14. *num.*8.

Et licet indubitatum sit, volentem finem, 15 necessariò velle & media, quæ ad illum necessaria sunt assequendum: tamen hoc verum est, ubi voluntas est efficax, & finis est simpliciter volitus, vel intentus: Frater autem Minor petens, ut suprà rem illam necessariam, & suo statui convenientem, eam quidem aliquo modo obtinere intendit, non tamen omnibus modis, & absolutè; immò solùm intendit repræsentare Benefactori, vel Fideli illi necessitatem, ac desiderium suum; quod facit, petendo simpliciter rem; in reliquo totum committit arbitrio ac voluntati spontaneæ Benefactoris. Ideò dictum est semper, licitum esse petere simpliciter piè, & humiliter per modum eleemosynæ. Quòd etiam expressit Seraphicus Pater loquens *cap.5. Reg.* de mercede laboris recipienda: solùm enim prohibet receptionem denariorum, vel pecuniæ pro tali mercede; at non prohibet recipere humiliter, proindéque nec petere eodem modo pro mercede ipsa res necessarias, etiamsi sciatur à Fratribus eas fore ab eo, cui laborarunt, pecuniâ comparandas. Ut quid enim, si is, cui Fratres labores suos impenderunt, non haberet in specie res Fratribus necessarias; sed pecuniam, qua mediante eas compararet? Nunquid non esset Fratribus, id etiam scientibus, licitum talia pro mercede laboris humiliter petere? Quidni? Siquidem id non est petere, aut procurare, vel recipere denarios, vel pecuniam, neque recurrere, agere, vel procurare, ut pecunia expendatur.

Atque ex his tandem colligo, posse Concionatores nostros, citra ullum recursus scrupulum, petere piè, & humiliter ab illis, quibus tempore Quadragesimali ipsorum cura à Communitatibus mandata est, & ita etiam recipere res sibi necessarias, etiamsi sciant illas fore emendas. Similiter, ubi pecunia data est in manu alicujus personæ, ut illam pro Concionatore expendat, posse Concionatorem nostrum cum tali persona agere, manifestando ei simpliciter suas necessitates, ut juxta intentionem depositantis expendat, & provideat; ita tamen, ut abstineant Concionatores hujusmodi ab ijs omnibus verbis, vel factis, quæ appropriationem, aut administrationem præseferre queant. Sed de hoc enucleatiùs dicemus §.15. *seq. infrà*. 16

§. XIII.

§. XIII.

Sequitur institutum §. 11. probatio scilicet reliquorum membrorum illius Minoris subsumptæ in argumento facto §. 10. pro ea responsione: sicque absolvuntur omnia, quæ desiderari possunt in materia Recursus.

SVMMARIVM.

1 *Recursus materia continuatur.*

2 *Procurare, & consentire positivè Procurationi ab alio extra Ordinem Religionis Minoritica facta differunt.*

Consentiens mulieri abortum procurare volenti an incidat in casum reservatum? remissivè, ibid.

3 *Procurare, Consulere, & Consentire, tanquam diversa considerantur in Iure.*

Abortus procuratio prohibita per Bullam Sixti V. ibid.

Procurare, & spontè oblatum acceptare, differunt, ibid.

4 *In Delictis, pari pœna plecti solent agentes, & consentientes.*

Delicto furti, vel damni dati, consentiens quando teneatur ad restitutionem, ibid. & num. 10.

Ratihabitio quando æquiparetur mandato, ibid.

5 *Minores consentientes etiam positivè sæculari volenti aliquid ipsis procurare, sive ante factum, sive in ipso actu, sive post, nihil peccant.*

Consentire interdum quis potest in eo, quod ipse per se, vel per alium facere non potest, ibid.

6 *In Delictis tacens, & non impediens dum potest, æquiparatur mandanti, vel procuranti: & quando teneatur ad restitutionem damni dati*, & n. 10.

Minores an & quando teneantur nec ne obsistere & impedire provisiones sibi procurari, vel relinqui, ibid.

7 *Minores ex vi Regulæ non tenentur impedire, seu resistere sæcularibus volentibus emere carnes, vel alia Fratribus convenientia: neque renuntiare legatis sibi factis*, & num. præced.

Eleemosyna Minoribus oblata, vel relicta, quomodo ab illis respui debeat, si non indigeant, ibid. & n 8.

8 *Eleemosyna Minoribus oblata, vel relicta, si pro eo tempore ipsi ea non indigeant, potest ab offerentibus, vel ab hæredibus in futuras necessitates deponi & reservari, dummodo Fratres neque consulant, neque procurent.*

9 *Non impedire, non est agere, aut procurare, in rebus per se licitis.*

10 *Non impediens nec retrahens quempiam volentem aliquid facere, non dicitur suadere, vel consulere.*

11 *Causa motiva seu finalis ea censetur quæ de nolente seu non volente, facit volentem.*

Causa inductiva seu impulsiva quæ tantùm inclinat, & qua cessante res adhuc esset volita, ibid.

12 *Volenti furari centum consulens ut furetur solum quinquaginta, non peccat.*

Volenti furari centum Petro, consulens ut furetur quinquaginta Paulo ditiori, & Petro non furetur, peccat & tenetur ad restitutionem, ibid.

13 *Minor consulens minorem, vel majorem expensionem, parato aliquam facere, vel in aliam rem convertere, an & quando peccet contra prohibitionem Recursus.*

14 *Procurari necessaria Minoribus à sæcularibus Ordini devotis, & Procurari ab ipsis Fratribus, longè differunt, ut explicatur*, ibid.

Qui per alium facit, per se videtur facere, ibid.

Quod una via prohibetur, id alia non debet admitti, ibid.

15 *Sponte oblatum accipere non est Procurare.*

Minores licitè recipiunt spontè oblata, quæ illicitè peterent.

16 *Quædam honestè accipiuntur quæ inhonestè petuntur. Sæpè licitum est accipere quod non licet exigere*, ibid.

17 *Pecuniam in propria specie recipere tum per se, tum per interpositam personam, Minores prohibentur non tamen res sibi necessarias ab eo accipere, qui sua spontè ipsis vult providere, etiam solutâ pecuniâ.*

18 *Minores prohibentur legata annua, aut provisiones in futurum sibi procurare; non tamen recipere sponte ab alio facta ipsis non procurantibus.*

19 *Minores prohibentur quidquam petere in judicio tanquam debitum, non tamen recipere sibi relicta per modum eleemosynæ.*

Regula Minoritica cap. 5. *declaratur*, ibid.

20 *Pecunia, & denariis exceptis, cætera spontè oblata cum moderaminibus requisitis Minores recipere possunt; sive pecuniâ à largitoribus empta sint, sive non.*

21 *Recursus, seu accessus ad amicum spiritualem ad exhibenda Minoribus necessaria, in duobus casibus haberi potest, quorum altero est permissus, altero prohibitus.*

22 *Procuratio à sæculari pro necessitatibus Minorum sublevandis sine facto illorum, licita est, nec tenentur ipsi illam impedire, ut declaratur*, ibid. & n. 23.

IAm verò probantur reliqua illa membra, quæ probanda assumpsimus §. 11. Probato

Oo igitur

igitur ibi primò, simúlque jactis fundamentis pro aliorum probatione, facili negotio.

2 Probatur secundum: quia differunt ad invicem Procurare, & consentire positivè Procurationi ab alio extra Ordinem factæ. Unde neque incidit in reservatum, (etsi mortaliter peccet) qui consentit mulieri, aut alij volenti procurare abortum; ubi tamen sola procuratio ejus reservata est. Hócque addo; quia si etiam reservatus esset consensus, aliud foret dicendum. Qua de re vide Lezanam, & Portellum *cit. suprà* §.11. *in fin.* Toletum item, Saytum, Cornezo, & Hurtadum, quos allegat idem Lezana *eo: tom.3.Sum.V. Irregularitas, num.*71. In casu autem nostro sola Procuratio est prohibita, non consensus in Procurationem, aut expensionem ab alio sponte, & licitè faciendam; consentiendo scilicet, quòd alius extra Ordinem spontè sua aut expendat, aut procuret ab alio Tertio pecuniam expendi, vel deponi expendendam pro Fratribus.

3 Confirmatur. Nam toto jure aliud est Procurare, aut agere, aliud Consentire, etiam positive, quòd alius procuret, aut agat; ut patet ex *Bulla Sixti V.* contra procurantes abortum edita, incipiente *Effrænatam.* Ubi tanquam diversa ponuntur Procurare, Consulere, Consentire: licèt eadem excommunicationis pœna imponatur tam consulentibus, quàm procurantibus tale facinus; quòd certè importat operationem alicujus actus de sui natura aliquo modo ordinati ad abortum causandum; ut ait Quaranta *in suo Bullario, v. Abortus, num.6. vers. Prædictæ autem:* docens, non sufragari, quo minùs incurratur irregularitas (dispensabilis tamen, ut ait Navarrus *in manual. Confess c.*27. *n.*240. si hujusmodi actum aliquem verè operans allegat, se non habuisse intentionem, & propositum occidendi fœtum, &c. allegátq; *cap. sicut: 2. extra, de homicid. volunt.* Navarr. *consil* 24. *de homicid. in antiq.* Covarruviam *in relect. Clement. Si furiosus: de homicidio: §.4. part.*2. Patet etiam ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *Honorum:* declaratoria facultatum dispensandi super Voto à quibusdam Religiosis in Professione emisso, de non procuranda Dignitate, aut non acceptanda, &c. ubi tanquam diversa ponuntur Procurare, & spontè oblatum Acceptare; quod est consentire collationi illius.

4 Et licèt pari pœnâ plecti soleant agentes, & consentientes; ut commune est apud Iuristas: hoc tamen verum est in criminalibus, ubi scilicet quis consentit alteri delinquenti; ut suprà in abortu, in alijs homicidijs, in furto, & in alio quocúmque damno alteri injustè illato, qui proinde ad restitutionem æquè tenetur, ac ipse facinus committens, quo damnum infertur Tertio. Qua de re scribentes de Restitutione Filliuc. *tom.2. p.2. tract.*32. *c.*3. *per totum,* Coton. *lib.2. Controvers. celebr. Controv.*9. *c.*2. *n.*62. & 63. & alij communiter. Et in his non requiritur, ut sint causæ sine quibus non, ad hoc ut consentientes pari pœnâ plectantur, vel ad restitutionem teneantur; sed satis est, si sint causæ, cum quibus, & per quas fit damnum, vel crimen. Ita tamen, ut consentientis concursus intelligatur (quoad restitutionis obligationem inducẽdam) adesse vel ante delictum patratum, damnúmq; illatum, vel in ipso actu delinquendi, & damnificandi; non autem intelligatur subsequens per ratihabitionem: nam tunc non potest influere, & cæteri causa; cum causa effectum anteire debeat, saltẽ prioritate naturæ, etsi tempore possit esse simul. Et ideò ratum habens delictum, vel injuriam suo etiam nomine, & contemplatione alteri illatam, non tenetur ad restitutionem, secundùm Communiorẽ; quia tunc tantùm peccat, peccato contra Iustitiam mentali, vel verbali, si verbis explicet hujusmodi suum consensum complacentiæ, puta ex odio, invidia, &c. Quod autẽ habetur *Reg.*10. *de regul. Iuris in* 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato sine dubio comparari: verificatur solùm quoad aliquos effectus ex Juris fictione; hoc est ad validandos aliquos contractus, & subeundam pœnam, si & quantùm in Iure dispositum invenitur; ut constat ex *cap. cum quis: de sentent. excõmunicat. in* 6. quoad ratam habentem violentam manuum injectionem in Clericum, suo nomine, vel contemplatione factam; ut notavimus *suprà*, §.11. *in fin.* Plura vide apud *Doctores cit.* Lessium, Vasq. Dianam, & alios Recentiores, contra Angelum *v. Furtum n.* 10. Sylvest. Navarr. & Paludanum.

At Frater Minor consentiens, etiam positivè, 5 sive ante factum, sive in ipso actu, sive post, sæculari cuipiam volenti ex se, & nomine proprio pecunias expendere pro Fratribus; aut volenti procurare, ut pecunia ab aliquo alio expẽdatur pro ijsdem; non cẽsetur consentire alterius delicto, vel peccato, aut crimini: quia sæcularis talia agens non peccat; ut patet. Non enim ex Regula Fratrum, cui ipse non est subjectus, neque ex alia lege divina, vel humana hoc illi prohibitum esse perhibetur. Licet igitur Fratri Minori hujusmodi agenti consentire. Atque ad hoc facit, quod notat Gloss. *in l. si Minor. ff. de manumissis vindicta:* Quòd scilicet aliquando benè potest quis consentire in eo, quod ipse per se, vel per alium facere non potest: ut est argum. *ibid.* etiam *in l. Si Pater: §. fin.*

Probatur Tertium. Quia nullo jure obligantur Fratres Minores impedire eum, quem noverint volentem pro seipsis pecuniam aut expendere, aut procurare ab alio expendendam; ut per se patet. Tunc enim tantùm non impedire, seu taciturnitas mandato, aut procurationi æquipollet, cùm agitur de crimine, vel peccato, quod tacens, & non impediens 6

pediens, impedire tenetur; quo casu, si ex justitia tenetur, & non impedit, contrahit cum delinquente obligationem restitutionis damni secuti; secùs autem si ex sola charitatis lege teneatur, sed tantùm peccat contra charitatis præceptum: *Doctores suprà allati.* Quare, si ego sciam verbi gratiâ aliquem velle per se, aut per alium emere Fratribus meis carnes, aut pisces pro pitantia; seu etiam mihi in particulari aliquid aliud, cujus mibimet liceat usus, putà librum, vel quid simile; non teneor ex vi Regulæ impedire. Similiter neque si quis ex Fratribus certò sciret, aliquem velle condere suum testamentum, & in eo quippiam annuum, putà certam eleemosynam panis, vini, olei, carnium, vel piscium, aut etiam tantæ summæ pecuniæ pro Fratribus legare, non tenetur impedire, etiamsi id legati sit provisio moraliter certa in futurum: dixi, *Ex vi Regulæ*; quia cæteroqui Constitutiones nostræ (sunt verba ipsa Gallitij *in M. S. cit.*) ad majorem ædificationem admonent Fratres, ne consentiant; immò quantùm justè possunt contradicant. Aliundè etiam posset adesse obligatio contradicendi, & impediendi, & quidem sub mortali; ut ad vitandum scandalum pusillorum, ubi probabiliter timendum esset.

7 Quidquid dicant, (nisi in hoc casu loquantur) qui absolutè docent, Fratres teneri sub Mortali ad non consentiendum; quin & debere renunciare etiam in scriptis legatis sibi factis. Nulla enim ab his talis obligationis ratio affertur; ut testatur Crousets *lect. paranet.* 8. *ad cap.* 4. *Reg.* sed nec afferri potest, quæ hoc convincat, nisi illa in casu vitandi scandali à nobis assignata. Quinimmò, quòd attinet ad renunciationem, æquivocationibus patet, (ut documus *art* 2. §. 1. *&* 2. & periculo fraudis contra testatorem: quia fortè ex ejusmodi renunciatione (nisi exprimatur, ut docuimus *loco cit.*) subrepere posset hæredibus, vel gravatis, quòd pecunia illa, vel quælibet alia res legata sibi cedatur à Fratribus, adeóque integrum sibi esse, vel easdem retinere pro se, velut sibi titè accrescentes, & quodammodo donatas; vel ad libitum de illis disponere. Quod falsum est: nam (ut docuimus *loco cit. & alibi:*) Seraphicus Doctor *in cap.* 4. *Reg.* docet quidem, posse Fratres, si talis eleemosynæ beneficio carere malint, ad majorem ædificationem, aut ita opus sit ad vitandum scandalum; omninò illam respuere: at si respuant, debere illam alijs pauperibus erogari, & nullo jure hæredibus, vel gravatis, accrescere. Et quod dicitur de pecunia legata; idem dicendum est de quacúmque alia re pariter legato relicta, vel à Vivente per mandatarium oblata, aut missa. Quapropter in Capitulo Generali 1633. Statutum fuit à nostris Patribus, quòd quando offertur eleemosyna pecuniaria ad emendum carnes, vel aliud; & Fratres tunc non indigent, debet respui, & non reponi ad tempus, quo Fratres indigebunt; quia hoc est thesaurizare, & provisionem in futurum facere. Quod tamen, quoad respuitionem omnimodam intelligendum est pro majori ædificatione, vel ad vitandum scandalum; non ex vi Regulæ. Ubi etiam intellige, quòd non debet reponi ad tempus, &c. scilicet consilio, & inductione, vel jussu Fratrum; ut alias docuimus: cum tamen possit ab ipsis dantibus spontè sua reponi apud quemlibet, vel reservari; ipsi enim in hoc utuntur jure suo; nec Fratres tenentur resistere, & impedire, nisi ad majorem ædificationem, aut in casu obligationis vitandi scandali; ut dictum est.

Igitur ex vi Regulæ satis erit, quòd Fratres, si pro eo tempore non indigent tali eleemosyna, dicant, se pro eo tempore illâ non indigere, nec posse recipere quidquam ad superfluitatem, vel copiam, aut ad thesaurizationem, neque ad provisionem in futurum. Quòd si hæredes, vel gravati interrogent: An ergò velint servari, quousque opus habeant? Respondere debent, se non posse aliquid in tali casu præcipere, vel ordinare de dicta eleemosyna, nec nominare apud quem deponatur. Hisceque à Fratribus cautè servatis, si hæredes, vel gravati ipsi eam ex se servent apud se, vel etiam proprio motu apud aliquem deponant pro Fratrum usibus in futurum; non arbitror teneri Fratres ad impediendum: immò, si post aliquod tempus occurrat eis necessitas, sciantque talem eleemosynam manere servatam, ut dictum est, puto eos posse ad illam recurrere, immò ad ipsam potiùs recurrere debere, præsertim si pecuniaria ea sit, quàm aliam procurare: extat enim provisio necessitatis spontè oblata; unde non licet recurrere, vel procurare alias; ut docuimus *suprà*, §. *præced.* 8

Pro hisce traditis faciunt, quæ in simili tradit Sanchez, *ubi suprà*, inquiens, ex vi Voti non procurandi Dignitates non teneri Voventes è Societate impedire volentem procurare, aut conferre Dignitatem; quia non impedire non est agere, aut procurare 9

Huc etiam spectant, quæ à Juristis traduntur in materia consilij, (consulere enim, & promovere, suadendo, aliquem ad quidquam faciendum, est procurare, seu agere, ut illud faciat) ajentibus, non censeri consilium, ubi quis ponit, aut relinquit actum in alterius, præsertim jam dispositi, & ex se parati, voluntate; ut si quis dicat amico: *Volo facere hoc, vel illud; quid mihi consilij præbes?* Amicus autem respondeat: *Fac quod vis*: aut tacendo simpliciter non 10

non impedit, nec retrahit, aut etiam expressè approbat: sic se habere, nec consilium, nec persuasionem importat; minùs verò mandatum continet; quia non est actio cooperativa, aut aliquo modo inductiva ad illud faciendum; ut multis allatis testatur Farinacius *quæst.* 129. *de homicid. num.*30. *& quæst.*134. *num.*39. licet legari non possit, quin approbando, aut consulendo, & suadendo, vel non impediendo, cùm impediri potest & debet, sive ex Justitia, sive ex Charitate, malum, facinúsve, quod quis nihilominus ex se paratus est perpetrare, sit ex genere suo res mala, ita ut consulens in tali casu pœnâ delicti plectendus sit, & quidem æquali cum delinquente, præsertim in atrocissimis secundùm aliquos; licet secundum alios mitiori; ut tradit Elisæus noster *in compendiosa rerum criminalium methodo, tract.*10. *quæst.*5. *n.*2. *in fine* ex Farinacio *quæst.* 129. *à n.*24. *ad* 110. *& à num.*115. *ad* 194. Hoc tamen non contingit in casu nostro; ut per se patet. Cæterum, ubi verba nullam habent vim cooperativam, non possunt habere rationem consilij, ac subindè, nec procurationis; cum nomine consulentis intelligatur is, qui hortatur, rogat, dirigit, instruit, & movet, si non simpliciter & absolutè, saltem secundùm quid, ad aliquid faciendum.

11 Pro qua, & pro membri præcedentis adhuc magis evidente probatione, iterum faciunt, quę à Theologis, & Juristis ipsis traduntur de duplici causa, finali scilicet, & impulsiva; sive de causa Motiva, & ratione inductiva: (ut loquitur Divus Bonaventura *in primo sentent. dist.*1. *ar.*1. *quæst.* 3. *ad primum.*) quòd scilicet causa motiva, seu finalis, ea censetur, quæ de nolente, seu non volente facit volentem: ratio verò inductiva, seu causa impulsiva ea dicitur, quæ non facit de non volente volentem, sed tantùm aliquo modo inclinat, ita tamen, ut ea etiam non existente adhuc res esset volita; undè solùm facit de volente magis volentem; atque in hoc casu agens, non ad aliorum instantiam, seu ad motum rationis inductivæ; sed motu proprio ex causa finali, & motiva, quam ipse habet, semper agere perhibetur.

12 Hinc, qui v.g. parato, voluntate deliberata, furari centum, consulit, ut tantùm, furetur decem, vel quinquaginta, non tenetur ad restitutionem, nec peccat quia utiliter gessit negotium damnificati. Vel parato inferre dãnum duobus consulat, ut tantùm uni; revocavit enim injuriam ab uno. In reliquo autem, finendo illum jam ità paratum agere, non se habet ut consiliarius. Debet tamen id facere conditionatè, ita ut absolutè nihil mali consulat, sed potiùs hortetur ut nullo modo cuipiam damnum inferat vel furto, vel alia actione; si tamen omninò ille nequam aliquid agere statuit, saltem inferat minùs damnum; tunc enim ita se habens, sinens, & non impediens, neque peccat, neque obligatur ad restitutionem. Quòd si quis latroni v.g. parato furari centum Petro, consulat, ut furetur quinquaginta Paulo ditiori, de quo ille non cogitabat, tunc & peccat ille ita consulens, & tenetur ad restitutionem; quia facit injuriam Paulo, dum illum proponit latroni cupido nocendi, de eo tamen non cogitanti. Nec licet impedire damnum unius, cum injuria alterius, de quo latro non cogitabat. Ita Filliucius *tom.* 2. *p.*2. *tract.* 32. *cap.*3. *numero* 59. ex Soto *lib.*4. *quæst.*7. *articul.*3. & Petro de Navarra *lib.* 3. *capit.* 4. *numero* 29. Et facit *Regul. locupletari: de regul. Iuris in* 6. *& l. Iure naturæ: ff. eo. titul.*

Ita ad rem nostram, si quis Frater Minor amico spirituali, vel benefactori parato ex se expendere centum pro Fratribus consulat, ut decem duntaxat, vel quinquaginta expendat; nam centum sunt superflua; hic non peccat contra prohibitionem recursus, quasi consulens expensionem illorum decem, vel quinquaginta: quinimmo prudenter agit & ad promissæ paupertatis amussim, respuens superfluitatem, & copiam. Non teneretur tamen absolutè respuere, si Fratres indigerent eâ eleemosynâ, neque illum hortari, ut nihil expenderet, quia benefactor ille facit opus bonum, & pietatis secùs autem latro, de quo *suprà*. Quòd si quis paratus esset, diceretque Fratri prædicto, velle se expendere v. g. quinquaginta pro sera, seu candelis ad usum Ecclesiæ, Frater autem consulat, ut expendat pro pitantia, vel alio usu, pro quo non sit necessarius recursus, nec pro hoc habeatur licentia Ministri, vel Custodis; tunc Frater peccat contra prohibitionẽ procurationis, sive id agat directè consulendo, & verbis expressis; sive indirectè, & sub palliato colore vel prætextu, Verè enim Frater ille tunc agit, ut benefactor hujusmodi expendat pecuniam pro re emenda, de qua non cogitaverat. Et in hoc facilè impingitur. Idem etiam esset dicendum, si Frater ille eundem sic depositum, & paratum expendere quinquaginta hortaretur expendere sexaginta, vel centum: ageret enim, ut expenderet decem, vel quinquaginta ultra summam quam proposuerat, atque adeò, quoad illâ decem, vel quinquaginta, quæ ille expendit ultra summam propositam, petente, vel suadente Fratre, Frater ipse peccaret contra prohibitionem prædictam; etiamsi expenderetur pro re ab illo in specie proposita; ut supponitur. 13

Probatur Quartum eodẽ medio, quo & priora. Quia videlicet neque illud est agere, aut procurare apud amicũ illum spiritualem, ut emat à lanio carnes illas &c. ut per se patet, stando solũ in vi terminorũ, Procurare, agere, sollicitã curam gerere, vel habere. Ne decipiatis tamẽ, advertere, quòd 14

quòd aliud est, ipsum amicum spiritualem sollicitam curam habere, seu procurare, & ex se agere, ut Fratribus ematur aliquid, ab alio, vel per pecuniam à se ipso traditam, vel promissam detur, quoties ipsis placuerit accipere: aliud ipsos Fratres procurare, aut cùm aliis agere, ut media pecuniâ sibi de aliquo provideatur. Itemque aliud esse, ipsum amicum spiritualem sponte sua congregare, vel deponere provisionem in futurum pro Fratribus; aut agere, ut aliquis alius eam congreget, aut deponat: aliud, Fratres ipsos congregare, & reponere provisiones, sive domi, sive alibi, aut agere, vel procurare, ut quis illas congreget, & retineat apud se, vel apud alium deponat. *Primum* respicit in utroque casu sæcularium devotorum Ordinis pietatem, & charitativam curam erga Fratres, estque effectus divinæ providentiæ: & hoc non est prohibitum aut sæcularibus, aut Fratribus: non sæcularibus, quia Regulæ Fratrum non sunt subjecti; non Fratribus, quia nunquam eis vetitum invenitur recipere, secundùm moderamina requisita, de iis, quæ devoti sæculares motu proprio, & citra omnem Fratrum procurationem, pecuniâ emunt, aut emi procurant; vel de iis, quæ eodem modo apud se, vel apud alium ad diuturnam provisionem reponunt; aut reponi curant. Hæc quidem Fratribus sunt interdicta: nempè, pecuniam ipsam, vel denarios, etiam spontè oblatos, recipere, vel per se, vel per alios: Pecuniam item, vel per se, vel per alios procurare expendendam: congregare provisiones apud se, vel apud alios; aut procurare, id ab aliis fieri; siquidem quod quis in persona sua facere prohibetur, id per subjectam, seu interpositam personam exercere non debet; ut bene Ulpianus *in l. non utique, §. quod quis: ff. de administrat. rerum ad Civit pertinent.* & ibi Gloss. *ad v. Agere debet:* cum *multis concordantiis.* Et hoc indicat idem Ulpianus *in l. pupillus: §. sed & si: ff. de auctorit. & consensu tutor.* Nam qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum; ut est *regula Iuris* 72. *in* 6. sumpta ex *l. qui jussu ff. de reg. juris.* Et præterea cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti; ut est *regula Iuris* 84. *in* 6.

15 Oportet ergo agere, ut dictum est, ad hoc ut procuratio censeri queat: est enim contradictio in adjecto, spontè aliquid offerri & esse procuratum; quia quod spontè offertur, datur nobis, sine nobis; neque ullus unquam dicet, eum procurare suam salutem, qui nihil à se ipso agit ut eam consequatur; sed solùm paratus est eam recipere, gratis, & spontè datam. Ubi igitur Fratres non agunt, licitè accipiunt, quæ illicitè peterent.

16 Atque ad hoc facit, quod tradit Decius *in l. invitus nemo: §. quod cuique: n.* 4. *&* 5. *ff. de reg. Iuris*, dicens, quædam honestè accipi, quæ inhonestè petuntur; juxta textum Ulpiani *in l.* 1. *§. Proinde: ff. de variis, & extraordin. cognitionibus:* ajenus: Quædam enim tametsi honestè accipiuntur, inhonestè tamen petuntur, cujusmodi est honor, seu honorarium, vel salarium Judicis, ante promissionem: ut *ibi* Gloss. Et idem, docet Gloss. multas allegans concordantias, *in l necessarium itaque: §. Primus: ad v. Non peti, sed præstari solere: ff. de origine juris.* &c. Et ibi loquitur Pomponius de Sabino I.C. cui à Tiberio Cæsare concessum fuerat, Jus populo dicere, & respondere ex sententia; déque eo testatur, quòd huic nec amplæ facultates fuerunt, sed plurimùm à suis auditoribus sustentatus est, honestè scilicet accipiens honorem seu remunerationem ab auditoribus suis, pro facultate, & dignitate ipsorum; quam tamen honestè petere non poterat, tanquam stipendium; cùm Civilis sapientia non sit pretio nummario æstimanda, nec dehonestanda; ut ait Ulpianus *in d. §. proindè:* Idem etiam docet Gloss. *in cap. exigit: de Censibus: in* 6. *ad v. Volente:* inquiens, sæpiùs licitum esse recipere, quod non licet exigere. Concordat textus cum Gloss. 18. *dist. cap. de eulogiis:* & est argum. *in Gloss fin.* & in *cap. dilectus filius* ℞ *extra, de Simonia:* cujus argumento concludit *Decius cit.* & optimè ad rem nostram: undè si quis esset prohibitus petere, non prohiberetur accipere ab eo, qui spontè solveret.

Sic igitur Fratres Minores sunt quidem 17
prohibiti (Ministris, Custodibúsque exceptis in casibus necessitatis, ut *suprà*; vel de horum licentia) petere, procurare, vel agere quoquo modo, ut pecunia pro se ipsis expendatur; quin etiam, nemine excepto, sunt omnes omninò specialiter prohibiti illam in propria specie recipere cùm per se, tum per interpositam, personam, etiamsi spontè, vel pro mercede, vel remuneratione antidorali laboris ab aliquo offeratur: at nullo modo prohibentur recipere cum moderaminibus requisitis res sibi necessarias, & congruas ab eo, vel nomine ejus præstitas, qui spontè sua de rebus hujusmodi providere ipsis vult, solutâ pecuniâ.

Prohibiti sunt quidem non solùm per se facere, sed etiam procurare, petere, seu agere per 18
se, vel per alium, ut sibi fiant ab aliquo, aut deponantur provisiones in futurum, vel annua legata simplicia relinquantur, etiam rerum quantumlibet in futurum necessariarum ad vitæ sustentationem: at hujusmodi provisiones, vel legata spontè à quopiam, ipsis non agentibus, facta, vel deposita non prohibentur recipere cum moderaminibus requisitis, piè, & humiliter, per modum eleemosynæ.

Sũt quidẽ Fratres Minores prohibiti exigere 19
in

in judicio, vel petere, ut civiliter debita, tam legata prædicta, quàm mercedem laboris: atqui non prohibentur hæc recipere humiliter, & piè; per modum eleemoſynæ, etiamſi per pecuniæ expenſionem comparata ſive ab hæredibus vel gravatis; ſive ab ijs, quibus ſua miniſteria, laboréſvè impenderunt, ſpontè ſua ſolventibus, non obſtante obligatione antidorali, vel alia (civili excepta) in foro conſcientiæ, ſpontè, & liberè ab illis aſſumpta, vel acceptata. Et hoc colligitur ex verbis Seraphici Patris *in cap. 5. Regulæ*, ajentis: *De mercede verò laboris, pro ſe, & ſuis Fratribus, corporis neceſſaria recipiant, præter denarios, vel pecuniam; & hoc humiliter, ſicut decet ſervos Dei, & Paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores.* En quòd Seraphicus Pater denarios tantùm excipit, & pecuniam. *Præter denarios*, inquit, *& pecuniam*: non ait: *Præter res pecuniâ ſpontè comparatas à dante, vel ejus nomine ab alio.* Non ait: *Præter res legato, vel aliâ ultimâ voluntate relictas*; ſiquidem & hæ ſunt plerúmque pro mercede, ſeu remuneratione eleemoſynaria Miſſarum, &c. Non ait: *Præter res ab alio in futurum congregatas ea intentione, ut illas Fratribus ſubminiſtret, ſive pro mercede laboris, ſive etiam omninò gratis*; nam eadem eſſet ratio.

20 Confirmatur. Nam licitum eſt Fratribus Minoribus, ex Regula, & profeſſione ſua, non ſolùm mendicare, vel humiliter petere, & recipere etiam eodem modo mercedem laboris; ut præfertur: verùm etiam recipere ſpontè oblata, exceptis denarijs, vel pecuniâ; ut patet ex declaratione Nicolai III. *in cap. Exyt: § Nec quicquam*: ibi: *Sic enim ſe ipſos committunt divinæ providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant, proviſionis humanæ; quin vel de ijs, quæ offeruntur liberaliter; vel de ijs, quæ mendicantur humiliter; vel de ijs, quæ conquiruntur per laboritium, ſuſtententur: qui triplex vivendi modus in Regula providetur expreſſè*, ita Nicolaus. Ergo quidquid offertur liberaliter (modò denarij non ſint, aut pecunia, aut etiam bonum aliquod immobile, præter expreſsè conceſſa, ea conditione, & modo oblatum, ut illo Fratres utantur, ſive quoad uſum, ſive quoad uſumfructum, etiam de facto ſimplici) licitè poteſt à Fratribus recipi, cum moderaminibus requiſitis. Cúmque Summus ille Pontifex non diſtinguat, utrùm quæ offeruntur nobis ſine nobis liberaliter, ſint empta, vel non empta; an fuerint ab aliquo cumulata in quantitate exceſſiva ea intentione, ut ſubminiſtret Fratribus, nec ne; an relicta ſint in Teſtamento, nec ne: neque nos diſtinguere debemus: eò vel maximè, (quoad hoc ultimum) quòd nulla videtur ratio differentiæ inter relictum in teſtamento per inſtitutionem, & liberaliter oblatum, vel miſſum; ut patet ex alibi dictis, & fatetur etiam Politius *infrà cit.*

Probatur Quintum; quòd ſcilicet accedere ad amicum ſpiritualem, aut ad deputatum ab ipſo, pro recipienda re, quam ipſe ſpontè ſua daturum ſe exhibuit pecuniâ comparatam, vel pro qua emenda ipſe cuipiam alteri deputavit, aut depoſuit pecuniam; non ſit peccare contra prohibitionem procurandæ pecuniæ. Et quidem prior pars videtur certa: nam aliud eſt accedere ad aliquem, ut cum eo agam, & faciam de non volente volentem pecuniam expendere, eméreque aut carnem, aut piſces, aut panem, vel ſimile quid; aliud eſt accedere ad aliquem, ut ab eo recipiam carnem, aut piſces, aut panem, aut ſimile, quod ipſe ſpontè ſua vult emere, & eo modo ſe daturum exhibuit, quoties mihi fuerit magis opportunum, & gratum. Hic enim ſecundus acceſſus nullatenus recurſus, ſeu procuratio expenſionis pecuniæ cenſenda eſt; ille verò primus talis eſt manifeſtè. Hocque ex eo clarè conſtat, quòd amicus ille in acceſſu ſecundo prædicto, procuratione, & actione mea non indiget, ut pecuniam expendat; jam enim ex ſe ipſo ad id paratus eſt, & ſe paratum, & ita volentem exhibuit; jamque pecuniam apud ſe, vel apud alium deſtinavit pro Fratribus expendendam. Atque hinc remanet probata poſterior pars: quòd neque ſit recurſus, ſeu procuratio, accedere ad eum, penès quem amicus ille depoſuit, & deputavit pecuniam, ut expendatur in tali, vel in tali re, quoties Fratres indicaverint fore eam ſibi opportunam, & gratam. Solùm enim accedunt Fratres ad indicandam temporis opportunitatem habendi rem, & ad illam recipiendam, quam ſibi emi non procurarunt, neque procurant: ſicuti ſi quis accedat ad Pontificem, ut ab eo accipiat aliquod Beneficium, quod alter eidem conferendum procuravit: & veluti, ſi filius accederet ad accipiendam Dignitatem, quam Mater ſollicita bonorum filij eidem procuravit, prout egiſſe fertur, *Matth. cap. 20.* Mater filiorum Zebedæi, quæ acceſſit ad Chriſtum Dominum ſollicitè agens, & procurans, adorando, & petendo, ut ſederet diceret Chriſtus duos filios ejus, unum ad dexteram ſuam, & unum ad ſiniſtram in regno ſuo. 21

Quapropter, ſi aliquis extra Ordinem, ad nullam Fratrum inſtantiam, vel procurationem, ſed proprio motu, Deo ita inſpirante, & providente, procurare dignoſcatur, vel apud aliquem deponere pecuniam, vel aliud quidpiam pro neceſſitatibus Fratrum ſublevandis; tempore tamen, quo ipſi Fratres non indigent tali ſubſidio; hunc Fratres non tenentur impedire, niſi fortè ratione ſcandali inde naſcentis, (quod ſemper, ut diximus, diligentiſſimè 22

gentissimè cavendum est) putà præsertim si ille pecunias hujusmodi, vel alias res procuraret, & quæreret nomine Fratrum, etsi non ita re vera esset, aut si id in pusillorum opinionem irreperet, eo quòd ille in procurando non se declararet, quòd agit motu proprio &c. Sed neque prohibentur Fratres, (eo periculo cauto) quin ad ipsum, vel ad ipsius depositarium, necessitate postmodùm occurrente, recurrere possint, ita illo indicante & invitante: ad eum modum, quo in primordijs Religionis (ut restatur *Crousers*) Fratres recurrebant ad eos, qui absque ulla ipsorum Fratrum commissione, vel procuratione, sed vel proprio motu, & charitatis impulsu, vel ex commissione Episcopi, vel Domini principalis, quibus pauperum cura incumbit, quærebant, & procurabāt eleemosynas pro Fratrum necessitatibus: verisimile autem est, sæpiùs etiam eleemosynas pecuniarias collatas, & congregatas fuisse, quibus tunc Fratres non indigebant; sed conservatas fuisse, quousque indigerent earum subsidio. Neque tamen id contra Fratrum professionem, & statum reputatum fuit à primis illis zelantissimis Patribus, ac si fuisset aliqua provisio illicita; noverant enim, & omnibus manifestum erat, quòd hujusmodi piæ personæ dictas eleemosynas nec procurabant, nec quærebant, minùs verò servabant, nec pecuniarias expendebant Fratrum auctoritate, aut commissione, vel procuratione.

23 Probatur denique Sextum. Illud enim (prout exponitur *suprà* §. 10.) pariter minimè dicendum est recurrere, vel procurare, aut agere ut pecunia illa expendatur, quin potiùs ipse Dominus pecuniæ spontè, & voluntate sua sollicitus est, & sollicitam curam gerit, ut provideatur Fratribus mediante pecunia, & mediante persona, cui eo scopo pecuniam præbet; perindè enim est per alium facere, ac facere per se ipsum; (Fratribus tamen apprimè caventibus, ut monet Nicolaus III. *in cap. Exijt. §. Cæterum*: & *§. Et quia oportet*: & *§. Ad majorem autem*: ne ullatenùs agant, vel procurent, aut ut persona deputetur, aut ut pecunia expendatur, abstineántque ab omnibus, quæ pecuniæ illius appropriationem, vel administrationem præseferre possint) juxta Regulas utriúsque Juris; nempè Bonifacij VIII. *Reg. 72. de reg. Iuris, in 6.* & Ulpiani *l. quod jussu*: *ff. de regular. Iuris*: ubi Glossæ.

§. XIV.

Practicæ aliquot resolutiones ex superioribus colliguntur, in materia Recursus apprimè scitu dignæ.

SUMMARIUM.

1 *Recursus ille non est prohibitus, cum Minores accedant ad dispensatorem à sæculari deputatum ad expendendam pecuniam pro determinatis necessitatibus ipsorum, etiamsi consenserint depositioni illius pecuniæ.* & num. 2.

Dummodo Fratrum instantia seu procuratio nulla intervenerit. num. 3. & seqq.

4 *In pecuniæ expensione à Benefactoris substituto facienda pro Minorum necessitatibus, duo sunt consideranda, substantia actus, & determinatio ejusdem.*

5 *Minores recurrentes ad Amici spiritualis substitutum cui pecunia tradita est pro emendis certis rebus necessarijs, nihil agunt contra Regulæ puritatem, indicando ei simpliciter tempus, & quantitatem rerum quibus indigent, à Benefactore determinatarum.* & num. 7.

6 *Minores procurantes ut pecunia ab Amico spirituali deposita, convertatur per substitutum aliter quàm fuerit ordinatum, an, & quando dicantur procurare & agere contra Regulam, necne.*

7 *Accedens ad meretricem aliàs fornicari paratam dicitur eam inducere hic & nunc ad peccandum.*

Medicinam propinans mulieri abortiri volenti, dicitur procurare abortum & subjacet pœnis iuris: nisi ignorantia justa excusaret. ibid.

Delicti socius, licet non sit causa sine qua non, sed tantùm cum qua; peccat concurrendo, & tenetur ad restitutionem damni.

8 *Amicus spiritualis Minorum qui destinavit pecuniam pro eorum necessitatibus expendendam, semper dicitur motu proprio & à se ipso expendere, licet Fratres indicent ipsi suas necessitates, itaut eorum accessus & petitio non sit procuratio illicita.*

Princeps officium vel beneficium concedens, dicitur id facere motu proprio, licet conferat ad instantiam alicujus. ibid.

Motus proprius expressus à concedente beneficium excludit subreptionem. ibid.

9 *Minores an possint accedere ad Amici substitutum cui pecunia deposita est pro necessitatibus eorum absque determinatione speciali.* & num. 12.

10 *Differentia inter largitionem eleemosynæ pecuniariæ*

cuniaria pro ſublevandis neceſſitatibus certis & ſpecificatis Minorum, vel non ſpecificatis, expenditur.

11 Pecunia alicui depoſita expendenda ab ipſo ſine determinatione, remittitur arbitrio depoſitary. & num. 13. & 14.

Pecunia legata aliquibus in communi, relinquitur arbitrio hæredis expendenda, non electioni eorum pro quibus expendi debet. ibid.

Mandatarius, vel hæres, poſſunt reſpectivè Viventis, vel Teſtatoris voluntatem ambiguam declarare. ibid.

Interpretatio ultimæ voluntatis aliquando æſtimationi judicis committitur. ibid.

12 Minores non poſſunt agere cum depoſitario cui pecunia indeterminatè commiſſa eſt pro neceſſitatibus eorum ſublevandis, ut illam ad certas res impendat illis neceſſarias.

Genus Dialecticorum à Iuriſtis Species; & Species illorum ab his Individuum vocatur. ibid.

13 Minores agentes cum depoſitario pecunia generaliter ſibi commiſſa, ut ad certas res expenderet, dicerentur procurare contra Regulam. & num. 14.

15 Minores poſſunt hortari, monere, ſuadere depoſitarium pecuniæ pro neceſſitatibus illorum ſibi commiſſis, ut illam expendat juxta intentionem depoſitoris.

Aliud eſt procurare & recurrere ad aliquem ut expendat pecuniam pro neceſſitatibus Minorum; Aliud, procurare ſeu movere, ut eleemoſyna depoſita, vel legatum pro ipſis relictum præſtetur juxta mentem depoſitoris, vel teſtatoris. ibid.

16 Depoſitarius, vel Hæres, tenentur expendere pecuniam ſibi commiſſam pro neceſſitatibus Minorum ſublevandis, exequi intentionem depoſitoris, vel teſtatoris, non ſibi retinere vel alijs erogare, neglectis Minoribus indigentibus.

17 Minores qua ratione neceſſitates ſuas indicare poſſint depoſitario pecuniæ, vel hæredi, ſponte volentibus implere mandatum illis commiſſum: quod latè declaratur ex duobus Reſponſis R.P. Generalis A Noto.

Depoſitum pecuniæ pro Fratribus Minoribus, nullam importat proprietatem, ſed intelligitur eo modo quo fieri poteſt ſalua Regulæ puritate. ibid.

Particula, Pro non arguit proprietatem, ut latè explicatur, ibid.

Piſani doctrina refertur circa particulam Pro. ibid.

Cardinalis de Lugo doctrina de dictione Pro, adducitur ibid.

18 Minores quomodo poſſint volenti illis prandium parare, eſculenta ſibi gratiora, & die indicare.

19 Minores non poſſunt præbere conſenſum alicui dicenti ſe velle aliquid expendere pro neceſſitatibus illorum, ſi talis conſenſus requiratur ad efficacitatem & ultimam diſpoſitionem ad volendum & exequendum.

20 Minores non poſſunt ſignificare beneplacitum teſtatori illud requirenti pro legato ipſis relinquendo.

21 Neque roganti num placeat aliquas ab ipſo fieri proviſiones in futurum pro eiſdem, vel procurari.

22 Ad procurationis actum prohibitum ſemper requiritur aliquid ex natura ſua ſufficiens ex parte Minorum quod faciat de non volente abſolutè volentem, & directè vel indirectè inducat ad pecuniam pro ipſis expendendam.

23 Crouſers doctrina cautè legenda & intelligenda: & ſuprà, num. 19. & infra num. ſeqq.

Minor proponens procurare aliquid contra Regulam deliberata voluntate, aut moroſè delectans in tali propoſito, quamvis illud non exequatur, graviter peccat. & n. ſeqq.

24 Voluntas deliberata & moroſa delectatio de illicito, licèt non ſequatur effectus, inducit peccatum veniale, aut mortale, juxta gravitatem vel levitatem materiæ in objecto.

25 Voluntas tranſgrediendi præceptum in re gravi, eſt peccatum mortale: & multiplicatur toties quoties elicitur.

26 Voluntas tranſgrediendi præceptum inducit peccatum irreverentiæ & mentalis inobedientiæ legi ſeu legiſlatori.

27 Voluntas tranſgrediendi deliberatè elicita non excuſatur à Mortali in re gravi, etiam effectu non ſequuto.

Voluntas vel propoſitum efficax omnem conditionem excludit. ibid. & n. 28.

28 Actus interior ſumit malitiam ſuam ab objecto.

29 Voluntatis affectus ſive ſit deſiderij efficacis, ſive delectationis moroſæ in actu malo cogitato & volito ſumit malitiam ab objecto.

Lex divina leges omnes comprehendit. ibid.

Lex æterna eſt ipſa Dei ratio. ibid.

Lex omnis eſt quædam adumbratio legis æternæ. ibid.

30 Voluntas reputatur pro facto quoad Deum: ubi plura de voluntate peccandi.

31 Lex humana non poteſt præcipere aut prohibere actum purè internum directè, & ſecundùm ſe: poteſt tamen indirectè, quòd latiùs explicatur. ibid.

Voluntas humana, ſe ſola peccando deficit. ibid.

Ex

1 EX enucleatâ ergò hactenus Recursus, seu Procurationis naturâ, non solùm habetur plena, & adæquata probatio illius Minoris propositionis subsumptæ factæ, §.10. ut videre est ibi; sed etiam aliquot aliæ pro familiari praxi resolutiones in eodem subjecto scitu dignæ colligi possunt; quas idcircò statim subdo.

2 Colligere est *primò*, non esse procurationem, seu recursum prohibitum, cùm v.g. Fratres accedunt hic, & nunc ad eum, cui ab aliquo data est pecunia, ut eam expendat, determinata re aut in specie, aut etiam quandóque in individuo, de qua vult Fratribus provideri, quoties ipsi accedentes indicaverint sibi opportunum, etiam si Fratres consenserint in hujusmodi depositionem pecuniæ; & insuper hic, & nunc agere videantur, ut pecunia illa expendatur: cùm nisi ipsi hic & nunc accederent ad dantis depositarium, vel substitutum, pro petenda re deputata pecunia hic, & nunc non expenderetur. Cùm, inquam, Fratres Minores sic merè se habent; & humiliter, nullam omninò ostendentes verbis, vel factis pecuniæ illius appropriationem, vel administrationem, non sunt dicendi recurrere ad pecuniam, aut procurare ejus expensionem, aut illam per interpositam personam contrectare.

3 Et quidem, quòd non obstet consensus à Fratribus præstitus in depositionem à dante ipso ex se, & non ad Fratrum instantiam, vel procurationem factam; jam probatum fuit §. *praecedent.*

4 At neque obstat Fratrum accessus hic, & nunc, ad petendum, vel ad indicandum tempus opportunum, & determinatæ rei quantitatem accommodam pro præsenti, vel imminenti necessitate. Hócque ut verum esse suadeam, duo in hoc actu expensionis pecuniæ à dantis substituto illo, exercito, moneo attendenda. *Primum* est substantia actus: *Secundum*, determinatio actus; quæ à Theologis appellantur exercitium actus, & specificatio actus: quemadmodum & libertas, aut necessitas ad hujusmodi, dicuntur ab ijsdem Theologis libertas, aut necessitas exercitij, Libertas, aut necessitas specificationis, de quibus illi ubi de libero Arbitrio. Quantùm igitur ad exercitium actus, videtur quidem ille moveri hic, & nunc à Fratribus accedentibus: quantùm verò ad specificationem actus, nullo omninò modo moveri à Fratribus dicendus est; nisi ipsi accedentes dicerent: *Eme hoc, eme illud, eme tantùm, vel tantùm*: hócque si ita dicerent Fratres, non solùm immutando mandatum dantis, quoad rem specificatam ab ipso; (sic enim jam influerent in specificationem actus, ut patet; immò quantùm est ex se, etiam in exercitium, ut dicemus:) sed etiam loquendo de re ipsa à largitore specificata; nam per verbum illud (*Eme*) imperativi modi, præseferrent appropriationem, & administrationem in pecuniam illam, & per consequens, quantùm est ex se influerent in exercitium actus expensionis talis pecuniæ; cùm tantummodò indicare possint, & admonere substitutum illum de tempore opportuno, & quantitate congrua rei specificatæ; ut diximus.

5 Cæterùm, quòd Fratres Minores sic merè, ut præfertur, se habentes, in neutrum horum influant; idest neque in exercitium actus hic, & nunc, neque in ejusdem specificatione; censeo cum Crousers, & Gallitio, & alijs communiter. Adeóque quòd hoc non sit procurare, aut agere, contra Regulam, ut pecunia expendatur, indè clarè probatur: Quia (ut supponimus) Amicus ipse spiritualis, vel Benefactor jam ex se est sufficienter volens expensionem pecuniæ, non modò, ut sic, verùm etiam hic, & nunc, & quoad hoc, aut illud in specie, vel etiam in individuo: quod est dicere, non modò quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem: & quidem, quoad specificationem; actualiter; quoad exercitium verò, nedum habitualiter, sed virtualiter; jam enim ille ex se ipso disposuit pecuniam in eleemosynam Fratribus sive pro Missis, vel alijs ministerijs, aut laboribus sibi ab ipsis præstitis, sive etiam omninò gratis; illámque ad hunc effectum destinavit, ut tunc scilicet expendatur pro rebus illis emendis à se specificatis, eo tempore, & in ea quantitate individua, prout ab ipsis Fratribus indicatum fuerit mandatario, vel substituto futurum sibi opportunius & gratius; ita ut in tali casu verè non procurent Fratres, ut pecunia hic, & nunc, pro carne v.g. vel piscibus expendatur, ubi hæc specificaverit pecuniæ Dominus; sed tantùm innuant eidem substituto, qui ex mandato tenetur expendere, tempus, & rei quantitatem individuam, ne mittatur sibi superflua, aut tempore minùs opportuno: quod utique Benefactor ipse à Fratribus petit, & expostulat, ut eleemosyna sua in majorem ipsorum commodum, & satisfactionem cedat, prout intendit.

Tunc quidem esset procurare, & agere ut 6 pecunia expendatur, contra Regulam; ubi & quando is, qui disponit pecuniam, vellet, & ordinasset eam expendi pro eo loco, & tempore, atque in talibus rebus, ex adverso autem Fratres vellent, agerentque cum ipso, vel cum eo, apud quem pecunia est depositata, ut contra tacitam, vel expressam Deponentis, aut etiam Depositarij voluntatem expenderetur, pro alio scilicet loco, seu Conventu, tempore, & rebus; vel saltem eosdem inducerent, cum eis agendo directè, vel indirectè, juxta doctrinam traditam, ut vellent expendi pro talibus alijs rebus, aut loco, aut tempore: quemadmodum ille, qui non est quidem causa absolutè damni, quod

quis

quis alteri jam paratus est inferre; sed tantùm est causa dilationis ejusdem damni,peccat mortaliter contra justitiam, etiamsi excusetur à restitutione;ut v. g. si quis deliberato statim occidere uxorem ob violatum honorem consulat; quòd priùs sinat eam parere & deindè occidat. Attamen in hoc non est omnimoda similitudo. Hujusmodi enim consulens peccasset etiam,& ampliùs ad restitutionem obligaretur si deliberato illi consensisset pro eo tempore, quo patraturus ex se erat delictum: quod non est dicere de Fratre Minore consentiente in volentem, & deliberatum ex se expendere denarios; ut probatum est *suprà*, & *infrà* etiam constabit. At ubi Benefactor ipse ex se,& citra Fratrum actionem, determinavit locum,rem,& tempus, dicendo substituto suo: Do tibi hos Denarios,vel pecuniam,ut indè emas Fratribus hujus loci res pro victu, eas scilicet, quæ ipsis erunt gratiores,& eo tempore, quod ipsis erit magis opportunum;& placitum:aut alijs similibus verbis talem exprimat intentionem,& voluntatem suam:tunc nulla est procuratio,si Fratres accedant ad ejusmodi substitutum,vel deputatum,ut suprà, & ei significent,quid quantum, & quando ut patet. Et ad hoc facit, quòd aliud est nominare pauperes, quibus res legata detur; aliud procurare & agere ut quis leget huic,vel illi pauperi: quorum utrumque an,& quomodo liceat Fratribus Minoribus? docuimus *art.1.§.20.circa med.à num.9.* Patet etiam; quia in hoc casu nulla intervenit Fratrum actio verè influens in expensionem pecuniæ,vel applicationis ejusdem ad cibaria emenda. Tametsi possent ob aliam rationem in eodem casu peccare, si nimirùm exquisita nimis, & pretiosa peterent, aut indicarent se desiderare cibaria,vel etiam in quantitate excessiva: quod utique esset & contra professionem altissimæ paupertatis,& in scandalum proximorum id scientium. Vides ergò,quam cautè incedendum, & quàm semper præ oculis habenda altissima, quam promisimus, Paupertas in ijs etiam, quæ cæteroqui sunt licita.

7 His non obstat quod dici solet, Accedentem nempè ad meretricem, aliàs fornicari paratam, verè inducere eam hic,& nunc ad peccandum: sicut etiam qui hic,& nunc ageret cum muliere,quæ aliàs parata est abortiri, ut abortum faciat. Non, inquam, obstat; quia mulieres hujusmodi solùm sunt paratæ habitualiter, non virtualiter. Quòd si verè haberent hanc voluntatem virtualem: Volo peccare semper, aut quotiescunque aliquis veniet ad me, tunc accedens non esset dicendus eas inducere hic,& nunc ad peccandum: neque qui accederet ad talem,ut cum ea peccaret, diceretur procurasse, aut sollicitè egisse cum ea, ut cum ipsa peccaret;non enim fecisset de hic,& nunc virtualiter saltem non volente, volentem, ut patet. Et idem dicendum est de alia quæ parata esset abortiri, quoties aliquis afferret medicinam;& diceret: Affer, quando voles,ego semper eam recipiam. Quanquam cooperantes omnes hujusmodi cum mulieribus prædictis non solùm virtualiter,sed etiam actualiter hic, & nunc paratis, & volentibus peccare, peccarent adhuc mortaliter, ut per se patet de fornicante: præbens autem medicinam abortiri volenti,non ut consulens,aut movens, (sicut nec qui fornicatur cum parata, ut suprà) sed ut cooperans delicto illius, etiamsi non fuisset causa, sine qua non, sed tantùm cum qua & minùs principaliter cooperans, adhuc tamen subijcitur Juris pœnis,tanquam procurans; ut tradit Thesaurus *supra cit.* ex Quaranta, *verb. Simonia, §.Est & alia*: & Sayro *lib.3. de Censuris cap.6. in fin.* ita ut si cooperetur abortui fœtus animati, præbendo medicinam prædictam,gravissimè in hac specie peccet,& incidat in reservatum, in irregularitatem, & excommunicationem latam à Sixtu V. juxta moderationem Gregorij XIV. nisi invincibiliter ignorans,mulierem esse prægnantem, adeóque sine dolo medicinam præberet: tunc enim excusatur quidem ab excommunicatione,& peccato, non tamen ab irregularitate, quam evitare non potest; ut tradit Quaranta *in suo Bullar. v. Abortus, num.6.* ex Ariminensi, Campano, Afflicto, & Covarruvia, quos allegat. Sic etiam ille, qui se conjungit alteri ad occidendum Tertium, quem hic ex se solo jam æquè sufficienter, & deliberatè poterat, & volebat occidere, & de facto solo suo ictu occidit: ille enim socius talis delicti,etiamsi non sit causa,sine qua non, sed tantùm cum qua;non solùm peccat concurrendo,sed etiam tenetur ad restitutionem cum occidente: Filliuc. *tract.32. cit. cap.3. num.42.* Atqui in casu nostro sufficit,quòd Fratres non sint causa movens,& faciens directè,vel indirectè agendo,de non volente volentem: consensus autem ipsorum, & accessus ad ita volentem hic, & nunc, saltem virtualiter, & dispositum ad expendendam pecuniam pro ipsis; vel ad ejus mandatarium, aut substitutum; non est alioqui malus, etiamsi sit causa, seu conditio non solùm cum qua, sed etiam sine qua non; cùm non sit in opus malum,& peccaminosum,sed bonum, & meritorium,si ritè fiat; quódque duntaxat pro se ipsis procurare prohibentur,non autem pro alijs extra Ordinem pauperibus; ut dictum est *suprà*.

8 Cæterùm,quamvis accedant, & petant, ut *suprà*; hoc non efficit, quo minùs pecunia illa dicenda sit verè expendi ex motu proprio, & ex mera voluntate dantis etiam hic, & nunc virtualiter præsente. Ratio est;quia non dicitur Princeps operari ad instantiam, atqui ex motu proprio

proprio, & à se ipso, quoties ipse à se ipso, & ex voluntate sua, ac motu proprio operatur, & ita operari se exprimit in rescripto. Nec refert, quòd aliquis instet; quia hæc instantia perindè reputatur ac si non esset: ex quo verè nihil efficit ad movendam Principis voluntatem jam ex se ipsa sufficienter, & efficaciter motam ad providendum &c. Undè motus proprius expressus à concedente, seu conferente Beneficium, sive Papa, sive etiam ejus Legato à Latere, vel Episcopo, aliovè Principe sæculari excludit subreptionem; ut tradit Gloss. *in cap. collatio: de Officio legati, in 6.* Debet tamen exprimi in gratia, alioqui non intelligitur; ut observat Gloss. *in cap. si pluribus: de præbendis, & dignit. in 6.* & est textus Clarus Bonifacij VIII. *in cap. si motu proprio: ibid. prox. præced.* & Gloss. fin. *in Clem. si Romanas: de Præbendis, & Dignitatibus.* Si autem exprimatur, non officit oppositio instantiæ, nec auditur opponens; ut benè Gloss. *in d. cap. si motu proprio:* cum Ioan. Andreæ. Et ita communiter Canonistæ, & Juristæ. Si igitur motus proprius dicitur, etiamsi concessio, seu collatio v.g. Beneficij fuerit à Papa ita in Bulla exprimente facta post accessum petentis, & agentis pro illo impetrando; quidni à fortiori in casu nostro dicatur motu proprio collatum eleemosynæ illius subsidium Fratribus, cùm ipsi simpliciter accedunt ad illud recipiendum, & humiliter petendum, jam motu proprio, & absque ipsorum petitione, vel actione ulla prævia pro illo impetrando, sponté concessum, & destinatum à dante? Comperta sanè res est.

9 Colligere est *secundò*, (& suapte natura ex præcedente sequitur:) verum recursum, seu procurationem esse, cùm quis depositavit pecunias pro Fratribus omninò indifferentes, si Fratres accedant ad eum, penes quem sunt depositatæ, ut quid determinatum sibi emi faciant; ideóque id non est licitum Fratribus, nisi in necessitatibus, in quibus, secundùm Regulam, & Declarationes Pontificum Nicolai III. & Clementis V. licet, & de licentia Ministri, vel Custodis. Licebit tamen ijsdem Fratribus accedere ad depositarium, vel substitutum prædictum, agereque cum eo, monendo & suadendo, si negligat, vel fortè obliviscatur exequi mandatum acceptatum, ut ejusmodi pecunias expendat, juxta mentem, & intentionem deponentis. Prima pars patet, quia cum Amicus ipse neque per se, neque per alium moveatur ad expendendas pecunias illas, quantùm ad specificationem, & rem determinatam; quidquid fit à Fratribus, sive Fratribus agentibus fit, & procurantibus: & ideò expensio illius pecuniæ dicitur à Fratribus procurata; quemadmodum dicitur procuratus abortus ab eo, qui accedit ad mulierem prægnantem petens, ut abortiatur, etiamsi ipsa sit habitualiter disposita in sua voluntate ad abortiendum, aut in voluntate indifferenter, & quomodocúnque peccandi. Atque hinc patet, optimam esse observationem, & divisionem, Utrum scilicet pecunia depositata, sit indifferens, aut determinata? Ubi enim est determinata in specie, vel etiam in individuo, à dante, seu deponente, sine Fratribus, non potest habere locum procuratio, seu recursus, si Fratres accedant ut dictum, & probatum, est *suprà.* Ubi verò est omninò indifferens, & nullo modo determinata, idest neque in individuo, neque in specie rei emendæ, licet sit determinata generaliter, ut expendatur pro necessitatibus Fratrum, sed non apparet, pro qua, tunc habet locum procuratio; quia hujusmodi voluntas, & dispositio inducitur hic, & nunc ad actus exercitium, & specificationem: neque licet Fratribus accedere ad hujusmodi voluntatem sic inducendam, nisi in casibus, seu pro necessitatibus, pro quibus, secundùm Regulam, &c. licet recursus, & de licentia; ut dictum est *suprà.*

Secunda etiam pars habetur expressa per Nicolaum III. *in cap. Exijt: §. Cæterum: versic. Possunt etiam:* ibi; *Possunt etiam personam eandem* (loquitur de substituto dantis pecuniam) *exhortari, ac inducere, quòd fideliter sibi commissa se habeat, & animæ suæ saluti in commissa sibi executione provideat: ità tamen, quòd ab omni ejusdem pecuniæ administratione, seu dispensatione, & contra dictam personam actione, seu persecutione (ut prædictum est,) Fratres abstineant omni modo.* Et licèt *ibi* loquatur Pontifex de substituto dantis pecuniam ritè à Fratribus procuratam pro satisfactione, vel solutione facienda, quoad certas, & determinatas necessitates; eadem tamen est ratio etiam de substituto dantis, seu deponentis sponté sua pecunias indifferentes. Hoc solùm interest discriminis; quòd primum, ex quo pecunia illa est determinata à dante, & Fratres ritè eam jam procurarunt, possunt Fratres non solùm admonere, & rogare, ut suprà; sed etiam ei exponere necessitates, pro quibus pecunia ipsa expendenda est: ut disertè loquitur *ibid.* Nicolaus, hisce verbis: *Licet tamen Fratribus suas necessitates insinuare, ac specificare, vel exponere personæ prædictæ, ac eam rogare, quòd solvat.* Ita ille. Hoc autem non possint dicere illi secundo substituto pro pecunia indeterminata; nisi ut *suprà* docuimus.

11 Atqui; ut clariùs secunda hæc ipsa pars intelligatur, efficaciúsque comprobetur, duo supponenda sunt. *Primum* est, pecuniam depositatam non posse aliter, nec alijs in rebus expendi, præter mentem, & intentionem dantis; cumque intentio hujusmodi non fuerit à dante expressa depositario, aut Fratribus in depositanda pecunia, quantùm ad res in specie, aut individuo,

viduo, in quibus pecuniam suam voluerit expendi; superest, ut hoc totum censeatur commissum arbitrio, electioni, & judicio illius, penes quem pecuniam depositavit, ut in simili dici solet, ubi Testator legavit aliqua in communi; nam censetur committere judicio, & arbitrio hæredis, quibusnam in rebus specialiter, aut individualiter pecunia legata expendi debeat; non autem arbitrio eorum, pro quibus expendenda est; ut per lapsum, *allegat*. 87. Et facit expressa sententia Ulpiani *in l. legato generaliter: ff. de legatis*: 1. §. 1. ibi; *si de certo fundo sensit testator, nec appareat de quo cogitavit, electio hæredis erit, quem velit dare; ut at si appareat, ipse fundus vendicabitur &c.* & eandem repetit in *l. si quis à filio*: §. *si quis plures*: & in *l. si domus: ff. eo tit.* Et hæc ordinatio testatoris, arbitrio hæredis exequenda relicta, valet; & hæres tenetur arbitrari, ne dispositio reddatur inutilis legatario; juxta eundem Ulpianum in *l.* 1. & Gloss. ibi, *ff. eod. titul.* 2. quippè carens, seu fraudata effectu suo, ut de deposito tradit Turniola *consf.* 79. ex *l. hæc stipulatio*: §. *Divus*: Sic in præsenti, Amicus ille depositavit pecuniam suam pro necessitatibus Fratrum, & certè sensit de aliquibus necessitatibus certis, & determinatis, nec tamen apparet, de quibusnam in specie; ergò electio erit, & arbitrium, judiciumque depositarij. Si autem appareret, possent Fratres pro illis accedere, & petere; ut *suprà* docuimus. Quòd possit hæres, vel Executor testamentarius, vel etiam mandatarius Viventis ambiguam, seu non apparentem testatoris, seu mandantis voluntatem interpretari, & declarare, tradit etiam Rota *decis.* 365. *num.* 2. *p.* 5. *divers.* apud Carenam *resol.* 133. *num.* 6. præsertim ubi Executori, vel mandatario illi data fuerit à testatore, vel mandante facultas eligendi; & libera administratio eleemosynæ; ut ex Mantica *de conject. ultim. volunt. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 1. *vers. sed hoc*: Burello *lib.* 3. *sum. tit.* 22. *num.* 56. Gregorio Lopez *lib.* 10. *p.* 6. *tit.* 3. *gloss.* 7. *in vers. De à quel lugar: vers. Quod autem si Testator*: ubi allegat Jo. Andreæ *in cap. si Pater: de testamentis, in* 6. Sanchez *in consf. moral. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 60. *num.* 4 & Card. de Lugo *tom.* 2. *de just. & jure, disput.* 24. *sect.* 11. *num.* 279. *vers. vel nisi libera facultas*, tradit Carena *cit.* & *resolut.* 132. *num.* 8. Neque hîc sumus in aliquo ex illis casibus, quos affert Gloss. *in l. voluntatis, C. de fideicomm.* in quibus interpretatio ultimæ voluntatis, aut quæstio contigerit, in æstimatione Judicis est; ut decernit Imperator Alexander *in d. l. voluntatis*. Hoc supposito,

12 Probatur denuo prima pars. Nihil præcisè operari possunt Fratres cum Depositario, eorum, quæ nequeunt cum ipso principali depositante; sed ubi principalis depositans nullo modo determinavit, qua in re specificè, vel pro qua specifica necessitate velit pecuniam pro Fratribus expendere, non possunt Fratres cum ipso agere, ut pecuniam in aliqua re determinata expendat, quia hoc esset recurrere ad Benefactorem, & Amicum spiritualem, ut mediante pecunia, hoc, vel illud determinatum Fratribus largiatur. Ergò ubi pecuniam depositavit aut omninò indifferenter, hoc est in genere supremo, putà si depositando dixerit depositario sic in communi: *Do tibi hanc pecuniam, ut eam expendas pro Fratribus Minoribus*, aut etiam non ita indifferenter quidem, & generalissimè, adhuc tamen in genere subalterno (ut ita loquar cum Gallitio *in M. S. cit.*) duntaxat determinatam; putà, si depositando dixerit: *Do tibi hanc pecuniam, ut eam expendas pro necessitatibus Fratrum*, non specificando aut indicandu, pro quibusnam; seu pro quo genere necessitatum; (ut esset v.g. pro cibarijs, &c.) genere videlicet infimo, seu inferiori, quòd Juristæ quandóque speciem appellant; ipsi enim, quod Dialectici *Genus* appellant, *Speciem* nominant; & quod Dialectici *Speciem*; ipsi *Individuum* vocant; ut notat *Gallit. citat.* & patet etiam ex Gloss. *in d. l. legato generaliter*. Ergò, inquam, ubi pecuniam ita depositavit pro Fratribus, non licet his adire depositarium, agerèque cum eo, ut eam tali modo, aut in tali, vel tali re impendat.

Confirmatur. Pecunia depositata, nulla à depositante expressa re, in quam illa debeat à depositario expendi, censetur relicta in manibus ipsius Depositarij, cujus est in hoc casu depositantis intentionem, & generale mandatum (quo nimirùm non prohibentur, nisi illicita; ut tradit Sylvester *in sum. vers. mandatum, num.* 2. ex *cap. super quibusdam: extra, de verbor. signif.*) arbitrari, ac proiodè juxta talem intentionem pecuniam expendere; sed agere Fratres cum depositario, ut pecunias tali modo, & in tali re ad ipsorum beneplacitum, & electionem, & juxta ipsorum intentionem impendat, est procurare expensionem pecuniæ: ergò non licet. 13

Confirmatur iterum. Indubitatum est, depositarium posse ex se ipso velle determinare in specie res, in quas vult pecuniam ita depositatam expendere: quo casu, non solùm non esset licitum eundem inducere ad expendendam pecuniam in aliquibus alijs rebus, aut alio modo; verùm neque res ipsas nominare in individuo; ergò ex genere suo illicitum est Fratribus agere quomodolibet cum Depositario, ut pecunias apud ipsum, ut præfertur, depositatas talimodo, aut in tali, vel tali re expendat. 14

Probatur modò iterùm secunda pars, simúlque ampliùs suadetur prima. Agere cum depositario, ut expendat pecuniam juxta mentem, & intentionem Domini depositantis, monendo, hortando, & suadēdo, non est procurare expensionem 15

expensionem pecuniæ, sed executionem Ordinationis depositantis, à quo jam sponte, & citra Fratrum actionem, ut supponimus, deputata est, ut expendatur pro Fratribus, vel pro eorum necessitatibus: quemadmodum etiam agere, ut præfertur, cum hærede, vel gravato, ut legatas à testatore eleemosynas præstet, vel expendat, & soluat, sieæ sint pecuniariæ; non est procurare legata, sive ut pecunia legetur: sed est procurare, ut impleatur voluntas defuncti, & pecunia v.g. legata expendatur, juxta ipsius intentionem; ad quod faciendum tenetur hæres, ut probatum est *in superioribus*, ex vi acceptati mandati testatoris, & obligatione verum in foro conscientiæ debitum pariente: ergò licitum est Fratribus scientibus pecuniam esse legatam, sive depositatam, (legata enim pecunia perindè est, ac depositata in manu hæredis, juxta *Panormitanum* alibi allegatum) adire hæredem, aut depositarium, eosdémque rogare, aut etiam cum ipsis agere, non quidem judicialiter, seu civiliter, demonstrando appropriationem, administrationem, vel dispensationem prætendere in ea pecunia; sed humiliter, & piè, ut pecunia legata, aut depositata juxta mentem, & intentionem legantis, aut depositantis expendatur.

16 Confirmatur. Hæres, aut Depositarius, non possunt retinere sibi pecuniam legatam, aut depositatam pro Fratribus; neque possunt eandem pecuniam contra mentem, aut intentionem legantis, vel depositantis alijs elargiri; (immò neque uti illa depositarius potest, absolutè loquendo; ut tradunt communiter Doctores, Filliucius *tom.* 2. *p.* 2. *tract.* 34. *cap.* 1. *num.* 21. & alij:) quòd si vel sibi usurpent & retineant, ut alijs elargiantur, aut quoquomodo utantur, in totum, vel in partem, tenentur furti, & etiam depositi; ut tradunt Filliucius *cit. num.* 26. *&* 27. Azorius, & alij, & est decisio Pauli *in l. si sacculum: ff. depositi*: seu potiùs furti; & mandati: ut docuimus *supra, paragrapho* 2. *&* 3. *hujus articuli*; cum ejusmodi pecunia non sit tradita, vel relicta à Domino, ut servetur, sed ut pro Fratribus expendatur; quæ propriè est ratio mandati, non depositi; ut ex Pomponio decernit Ulpianus *in l.* 1. §. *Si te rogavero: ff. depositi*: Tenentur ergò, juxta mentem dantis, depositantis, seu mandantis, in Fratrum necessitates, seu pro Fratribus expendere: Ergò etiam Fratres agere possunt, monendo, hortando, &c. ut supra, cum ipsis, ut eandem legantis, vel depositantis, mandantisvè mentem, & ordinationem exequantur, & animæ suæ saluti consulant, ut loquitur Nicolaus III. *in textu suprà allato.*

17 Quòd si hæres, aut depositarius respondeat, se conscium esse obligationis suæ conscientiæ, velléque ob id satisfacere, & implere mandatum sibi incumbens; non possunt Fratres ulterius procedere, dicendo, aut insinuando ei, velle se, ut in talibus, vel talibus rebus pecunia illa expendatur; aut ipsum inducendo, ut in alia expendat, quàm illimet visum fuerit, & ipse exhibuerit. Si autem dicat idem hæres, vel depositarius: Ego volo expendere pecuniam; dicite mihi vos, quæ vobis necessaria sunt, aut gratiora, & magis commoda, vel utilia &c. tunc Fratres humiliter respondere possunt, se in tali pecunia nihil Juris, aut administrationis, vel dispensationis habere; nihilominùs, ex quo ipse ita expostulat, talibus se, vel talibus rebus indigere, aut talia grata, acceptáque habituros, si dederit. Quia jam hoc non est agere, aut procurare, & facere de non volente, volentem; & potuissent Fratres hoc ipsum dicere ipsi principali danti, si ita expostulasset ab eis, ut liquet ex superiùs traditis. Et præterea hoc habetur expressum ex Nicolao III. *in d. capit. Exijt*: §. *Cæterùm*: ut relatum est & explicatum *suprà*. Et idem docet Hugo de Dina *q.* 3. *in cap.* 4. *Regular.* præsertim (inquiens) quia hujusmodi parati, & expostulantes ignorent necessitates Fratrum, nec possint, nisi Fratres ipsi eas illis explicuerint, divinare. Atque hoc tutiùs in praxim ducerent, qui statim ac pecunia ab aliquo exhibetur, vel citiùs quàm à Nicolao III. *ubi suprà*, declaratum sit, posse à Fratribus proponi substitutum dantis; agunt directè, vel indirectè, (perperam saltem omittentes cautiones, & protestationes à prædicto Nicolao ordinatas in hujusmodi nominationibus personarum) ut pecunia deponatur in manibus alterius personæ jam eruditæ, & consciæ de Fratrum necessitatibus, vel placito; quæ proindè etiam cum scandalo creditur Fratrum Syndicus vel œconomus. Atque huc spectant, quæ habētur ex varijs Responsis P. Ju. Mariæ à Noto nostri olim Ordinis Procuratoris, & Ministri Generalis; quæ exstant *inter M.S.S. Archivij Romæ*; Primò scilicet cùm respondit: *Le limosine offerte per Messe non si faccino da Frati depositare in mano di terze persone; non essendo conforme la Regola: mà si lascino nelle mani delle stesse persone, che hanno fatto dir le Messe; alle quali non ricorreranno maj i Frati, se non in que' casi, per li quali è lecito il ricorso à gli amici spirituali, secondo le dichiarationi di Nicolo III. e Clemente V. cioè vere, e presenti &c. e non Maj per pitanze &c. E l'istesso s'osservi con chi dicesse d'haver in mano alcune elemosine per dette Messe.* Secundò cum sic: *Non si permetta, che alcuna secolare persona pigli limosine da quelli, che fanno dir le Messe, per comprarne pitanza: onde venguno poi ad haver nome di Procuratori de' Frati. E le pitanze, che fossero mandate da tali persone, non s'accettino.* Hæc ille. Quæ tamen cum discretione intelligenda sunt.

Pp Longè

Longè enim aliud est, quòd Fratres faciant deponere pecuniam quomodocunque oblatam in manibus tertiæ personæ: & quòd, ubi opus sit, præsentent offerenti substitutum; cui offerens ipse, si voluerit, committat expensionem pecuniæ pro Fratrum utilitate, & commodo. Primum est recipere, vel expendere pecuniam per interpositam personam, contra Regulam: Secundum nequaquam, quia non Fratrum auctoritate, sed Domini offerentis omnia fiunt. In casu autem talis præsentationis debent Fratres uti hisce, vel similibus verbis: *Potestis, Domine, (si placet) istum vestrum constituere nuncium; vel apud istum vestram eleemosynam deponere; qui vice vestra indè Fratrum provideat necessitati, vel de pecunia faciat, quidquid ei per Vos fuerit ordinatum: Ita tamen, ut quandiu pecunia non fuerit conversa in rem deputatam, & Fratrum usui licitam, dominium, & proprietas illius apud vos remaneat, cum libera facultate, seu potestate eam repetendi.* Ita Pisanus *lib.1. Conformitatum, frustra 9. in exposit. c.4. Reg.* juxta Declarationem Nicolai III. *in cap. Exiit.* Et quamvis Dominus, seu Benefactor hujusmodi crederet, Fratres posse recipere, atque adeò det liberè, & absolutè Fratribus: tamen non intendit dare Fratribus, nisi prout eorum congruit Professioni, & Regulæ. Vnde dat Fratribus eo modo, quo eis competit, committendo substituto suo, qui eam expendat in his rebus, quibus Fratres possunt uti. Similiter ipse Dans, vel etiam ejus substitutus; dum illam servat, si servet, eodem modo servat pro Fratrum necessitatibus, vel utilitate, aut commodo; Fratribus non agentibus, aut procurantibus, ut pecunia ipsa detur, aut servetur; extra casum tamen licitæ procurationis. Neque ex eo, quod pecunia deputatur, aut deponitur pro Fratribus argui ritè potest, quòd sit Fratrum; ut benè *Pisanus cit.* Nam ly, *Pro*, non dicit proprietatem, cùm eorum auctoritate, nomine, aut vice non recipiatur à substituto, aut expendatur, vel deponatur à Dante, sed dicit utilitatem, vel aliam causã, secundùm quòd Fratres indigent. Nec ista consequentia est bona, *Hoc deputatur pro isto; ergò hoc est istius, pro quo deponitur.* Patet exemplo in Patrefamilias, qui dispensatori suo pro nutrienda familia sua tradit pecuniam, licet illa pecunia sit pro utilitate familiæ; non tamen est familiæ, sed Domini. Quòd autem pecunia sic deputata pro Fratribus non sit Fratrum, ostendit Papa Gregorius, & Innocentius: quia nec eorum auctoritate deponitur, nec eam exigunt nomine depositi; ut supponimus cautum. Quin immò necdum esset Fratrum, etiamsi dans intenderet, dando, transferre in Fratres proprietatem, & Dominium illius: quia proprietas non transfertur, nisi in volentem, & acceptantem, Fratres autem nolunt, cum nec volentes sint illius capaces tùm per se, tùm per interpositam personam. Ita ferè Pisanus *loco cit.* Quando ergò dicitur pecunia deponi, aut expendi pro Fratribus Minoribus, non est sumenda propositio illa, *PRO*, in latiori, & minùs proprio sensu, sed in rigoroso, & proprio, & secundùm communem ipsius significationem; qua nimirùm importat, id, quod pro alio fieri dicitur, verè fieri in illius favorem, commodum, utilitatem, vel tutelam; non autem loco, vel vice illius; quod est secundùm latiorem, & minùs propriam significationem ejusdem præpositionis.

Huic autem Pisani explicationi appositissimè concinit doctrina Cardin. de Lugo *disp. 19. de Eucharistia, ut est Sacrificium, sect. 10. num. 192. & 193.* & *disp. 29. de Mysterio Incarnationis, sect. 2. n. 24. & 25.* ubi docet, Sacrificium Missæ posse quidem à nobis offerri Deo in gratiarum actionem pro beneficijs in Sancto collatis, putà in Beatissimam Virginem Deiparam, vel in Seraphicum Patrem nostrum B. Franciscum, vel in eorum commemorationem, & honorem: hoc tamen non sufficere, ut ritè dicamus, offerri Sacrificium, & celebrari Sacrum pro Beatissima Virgine, vel pro Beato Francisco: quia hoc videtur significare imperfectionem, & indigentiam in illis, pro quibus offerri dicitur, quasi indigeant mediatore, ut impetrent à Deo liberari ab aliquo periculo, aut malo, quod timent. Non est ergò illud dicendum. Nam sicut de Martyribus dicitur, quòd injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; sic de quolibet Sancto dici potest, injuriam fieri illi ab eo, qui pro ipso orat, aut Sacrificium offert, vel offerri intendit; sumendo ly *PRO*, secundum communem significationem; quem utique sensum omnes fideles aversabuntur. Sicque etiam, licet Christus Dominus obtulerit Sacrificium Corporis, & Sanguinis sui, sive incruentum in Cœna, sive cruentum in Cruce, in gratiarum actionem pro beneficijs à Deo Patre in se collatis; nam ideò dicendum est, quòd obtulerit pro se simpliciter, & absolutè, seu in rigore, & propriè loquendo, sed tantùm minùs propriè. Quòd si apud aliquos ex Patribus antiquis hujusmodi loquendi modus reperitur, quod scilicet Sacrificium Missæ fuerit oblatum pro aliquo Sancto, explicandus est in latiori, & minùs proprio sensu; hoc est vel loco, aut vice ipsius Sancti, vel ut redundet in ipsius honorem. Videatur de Lugo. *loc. citat.* Duo igitur illa Patris Generalis à Noto responsa ita sunt accipienda; ut primum ad necessariam Regulæ observantiam spectare dignoscatur: secundum ad majorem proximi ædificationem, & ad tutiorem observãtiæ prædictæ cautelam, ad longiùs scilicet arcendam, relaxationem in hoc proposito, & ad vitandam opinionem, quòd Syndicum habeamus; quod sanè diligentissimè curandum est. Id tamen satis benè

nè curabunt Fratres, si vel consentientes volenti sponte sua pecuniam deposirare pro ipsis in manu alicujus substituti; vel etiam substitutum ipsum, ubi opus fuerit; præsentantes, protestentur, & se declarent, & in facto se habeant, ut requirit Nicolaus III. *in cap. Exijt:* & traditum est *suprà.* Cæterum autem consentire simpliciter in depositionem pecuniæ, etiam pro emenda Fratribus Pitantia; vel præsentare substitutum, cùm opus sit nullo jure est Fratribus interdictum; ut ostensum est *in superioribus.* Consilium igitur non præceptum censendum est illud secundum Patris à Noto responsum. Vide quæ ad hoc dicuntur §. sequente versùs finem.

18 Hinc etiam patet, quòd si quis Devotus dicat Fratribus: Ego volo vobis dare aliquam recreationem in mea villa suburbana, vel mittere ad Conventum integrum prandium, aut cœnam; indicate mihi quid vobis futurum sit gratius pro esu vestro, simul etiam qua die, & monete me pridiè, quàm recreationem, vel prandium, aut cœnam hujusmodi vultis, ut possim emere necessaria, & parare: Possunt Fratres specificare ei esculenta, & diem, quæ malunt, & sunt gratiora; modò non peccent contra paupertatem, scandalúmve pariant Benefactori illi, specificando nimis lauta, & exquisita cibaria, vel alio modo.

19 Colligere est *tertiò*, quòd ubi aliquis requireret voluntatem, ac consensum Fratrum ad aliquid emendum pro ipsis; ita tamen ut ipse tunc, non sit verè ex se volens, aut non sit omninò ex se, & ex proprio motu, vel etiam alieno (excepta Fratrum actione) paratus illud emere; non possunt Fratres præbere ei hujusmodi consensum, & affirmativam suam voluntatem notificare; quia tunc verè influerent, agerent, & moverent, ut pecunia expendatur. Undè si quis talis dicat Fratribus: *Ego emam carnes, aut pisces, panem, vinum, vel hujusmodi pro victu vestro, aut ceram pro Ecclesiæ cultu, si vultis:* Non licet eis respondere, *Eme*, aut *placet, quòd emas.* Ratio est evidens; quia, eùm ille non sit ex se, seu in se verè, absolutè, & efficaciter volens; quinimmò ad efficacitatem, & ultimam suam dispositionem ad volendum requirat, & expectet Fratrum voluntatem, & consensum; non dicitur ipse expendere pecunias, si eas expendat, pro Fratribus, ex se, & citra actionem Fratrum, sed ex actione ipsorum: Quod verè est procurare, sive postea id malis directam, sive indirectam procurationem appellare. Idque adeò certum est; ut contraria sententia, quam P. Cyprianus Crousers Antuerpiensis noster *in prima editione suarum lectionum paræneticarum ad Regulam Seraphici Patris* tradiderat *lect. 6. ad cap. 4. vers. Tertiò, Intentio: pag. mihi 277. juxta editionem Coloniensem*; expuncta omninò fuerit de mandato Sacræ Congregationis, Zelóque, & consilio Patrum nostri Ordinis in Capitulo Generali; prout in Correctionis exemplari, quo ipse utor. Concordat P. Boverius noster *in suo M. S. de hac Recursus materia*, quod habetur *in Archivio Romæ*: in quo ille distinguit Consensum activum, & passivum: Primum damnat, & est qui præstatur non omninò ex se parato expendere: Secundum concedit, & est qui præstatur jam ex se parato, & volenti expendere, de quo nos suprà; sive sit positivus, sive tantùm negativus.

Idemque dicendum esset, si quis morti proximus diceret Fratribus sibi assistentibus, aut etiam fortè ad id vocatis, *Ego faciam legatum pro pitantia vobis præstanda, vel etiam pro Ecclesia, si vobis placet, & vultis.* Neque enim in hoc casu possunt Fratres ullo modo suam voluntatem, aut placitum significare; quia ex tunc eorum voluntas manifestata, si eam manifestent censetur causa efficacior, & ultimarè movens illum ad legatum ejusmodi faciendum. 20

Idem etiam dic de eo, qui ita se habens rogaret Fratres si vellent, aut placeret eis, quòd ipse faceret aliquam provisionem in futurum, panis, vini, vel hujusmodi, aut quòd procuraret pro ipsis ab alio expendi pecuniam, vel provisionem diuturnam fieri. Quid verò dicendum de nominatione, vel præsentatione substituti, cùm quis vult deponere pecuniam pro Fratribus; dicetur §. *seq. in fi.* 21

Quare in hac re illud semper attendi debet, Utrùm Fratres sint, qui aliqua actione positiva (nomine actionis intellige etiam verba, & quodcunque signum ad id sufficiens ex natura sua, juxta dicta superiùs) inducant directè, aut indirectè ad expendendam pecuniam, ad faciendum legatum, vel provisionem &c. an verò ille met, qui pecuniam expendit, vel expendendam deponit, aut etiam procurat; vel qui legatum, aut provisionem facit, aut etiam hæc facienda procurat; sponte, & motu proprio sit efficaciter volens; hoc enim sufficit, ut vidimus. Plura vide, si cupis, apud Crousers *citat. lect. 8. pag. mihi 289. & seq.* 22

Cautè tamen illum lege *ibid. lect. 1. versicul. Dixi, quamvis &c. pag. mihi 241.* ubi docet, quòd Fratres habentes voluntatem determinatam accipiendi, & contrectandi denarios non peccant mortaliter; dummodò postea ad exercitium, seu executionem non deveniant, & effectivè recipiant: adducens pro ratione, quia præcepta humana non versantur circa actus internos. Certè autem loquitur de Voluntate, quam (ut ipse inquit) revera Frater ille exequi intendit, pecunias sibi comparando; quamvis fortè mutatione aliqua in- 23

tercedente eandem non exequatur &c. affirmàtque, eum non peccare contra præceptum Regulæ *cap.*4. etiam coram Deo. At meliùs dixerim, cave ne legas, si in ejusmodi illius operis incastigata exemplaria offenderis: tametsi nec desint è Recentioribus, qui inani eodem fundamento fieri docere non vereantur in genere, quòd voluntas deliberata, seu propositum efficax violandi aliquam legem humanam, sive præcipientem, sive prohibentem, & de se sub Mortali obligantem; ubi talis voluntas, seu propositum retractatur, & non mandatur effectui; nullum esse peccatum contra ipsam legem, non solum curam hominibus; sed neque coram Deo. Verùm, iterum dico, cave, ne credas. Indè enim tibi subrepere posset contra id, quòd hic §.11. *n.*11. docuimus cum Sanchez; desiderantem scilicet Fratrem Minorem, vel proponentem voluntate deliberata procurare pecuniam; vel annuum legatum, vel provisionem diuturnam; aut morosè delectantem se de tali proposito, quandiù illud non exequitur, nullum esse peccatum, saltem mortale. Quod omninò est falsum, si quis id velit asserere.

14 Ideo Sacra Congregatio *in Correctione operis prædicti Auctoris*, hujusmodi sententiam corrigendam, & modificandam iussit. Atqui non potest ea minori correctione, aut modificatione castigari, quin generale assertum teneatur; videlicet: Hujusmodi deliberatam voluntatem, vel propositum, aut etiam morosam delibera-tionem de illo effectu licet non secuto, peccatum esse mortale, vel veniale, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ in objecto; & quidem peccatum esse contra ipsam legem, coram Deo tamen, non coram hominibus, nisi talis voluntas, vel propositum in aliquo actu externo se se prodere inceperit, quamvis per accidens effectum non assequatur: tunc enim hocmodo se babens sæpè aget contra legem etiam coram hominibus, atque adeò judicari ab humanis Judicibus poterit, & puniri; ut benè Suarez *tract. de legibus lib.*3. *cap.*13. *n.*2. *& lib.*4. *cap.*13. *num.*1.

25 Hæc sententia adeò evidens est, ut mirer à Catholico ullo Doctore contrariam pronunciari. Immò adverto, quod etsi propositum, de quo loquimur, versetur circa præceptum positivum, seu affirmativum, vel præcipiens; ut v.g. circa obligationem divinam recitandi horas Canonicas; toties novum est peccatum, & multiplicatur numero, quoties in die repetitur: quia velle transgredi præceptum in re gravi, est peccatum mortale, quoties talis actus pravæ voluntatis elicitur. Neque Retractatio, si tandem subsequatur, efficit, quin præteritus actus non fuerit elicitus, & malus in genere commissionis pravæ; rametsi impediat, ne novum peccatum omissionis, vel commissionis, pro diversitate præcepti circa quod versatur, contrahatur: ut optimè Petrus à S. Joseph Fuliensis *in sua Idea Theolog. moral. de Iust. lib.*4. *c.*2. *Resol.*4. *vers. Nota secundò*. Atque hanc arbitror esse correctionem seu moderationem, quam sententiæ Crousers adhibendam decrevit Sacra Congregatio.

Sanè autem Pater ipse Crousers *loco cit.* veritatem novit, dum tandem non potuit non fateri, quòd qui ejusmodi voluntatem, & intentionem habet, peccat quidem peccato irreverentiæ Legibus, & Superioribus, seu Legislatoribus debitæ, ad quorum præcepta implenda propensum oportet babere animum ex lege Divina *in quarto præcepto Decalogi*. 26

Veritatem, inquam, hanc novit ille: atqui inani evasione putavit excusandam à Mortali hujusmodi irreverentiam, & mentalem inobedientiam; paulò post dicens: Itaque dicimus, quòd potest esse sine peccato mortali, & potest esse cum mortali. Tunc est sine peccato mortali, quando voluntas hujusmodi fertur tantùm in receptionem pecuniæ, non ut prohibita est, sed simpliciter, etiamsi recordetur prohibitam: tunc verò ejusmodi voluntas esset cum Mortali, quando fertur in receptionem pecuniæ, ut prohibita est. Ita ille: sed inani, ut dixi, evasione fugam quærens. Nam statim ac hujusmodi proponens recordatur prohibitionis, si deliberatè actum voluntatis eliciat, voluntas fertur in transgressionem præcepti, quæ de sua natura est mortaliter mala, & per consequens etiam ipse actus voluntatis. Undè etiam Suarez *primo loco citato, numer.*10. ait, quod sive sit sermo de objecto malo, quia prohibito; sive de prohibito, quia malo; semper Voluntas efficax circa illud est mala; non sic autem voluntas inefficax, seu desiderium inefficax: in desiderio enim inefficaci ex parte objecti semper includitur condirio aliqua quæ attendenda est ad judicandum de honestate, vel turpitudine talis desiderij: voluntas autem, seu desiderium, vel propositum efficax omnem conditionem excludit; ut patet. Ita ille. 27

Hinc Suarez ipse *secundo loc. cit.* ait: Quis dubitet, esse peccatum mortale, proponere non audire Missam in die Festo; cùm sit de objecto pravo; & actus interior sumat malitiam suam ab objecto? Undè *in cap. Nulli: dist.*19. dicitur: *Nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta &c.* tanquam illud non possit ab Ecclesia puniri; quia ad hoc oportet, directè, & per se de illo ferre judicium, &c. Hæc iterum ille. Vide etiam Sylvestrum *in sum. v. Hora, quæst.*12. 28

Quid, quòd Orthodoxorum omnium Theologorum doctrina hæc est: Quemlibet affectum voluntaris sive sit propositi, desiderijquè efficacis, sive sit complacentiæ vel delectationis in 29

actu

actu malo cogitato, efficaciterque proposito, vel desiderato, sumere suam malitiam à malitia objecti, in cujus efficaci desiderio, vel proposito, complacentia, vel delectatione actualiter deordinatur, & obligatur à debita bonitate, & rectitudine Justitiæ, idest à Deo, tanquam à principio movente per gratiam; tanquam à Regula dirigente per suam legem æternam, à recta ratione humana, veluti à Dei præcone voluntati propositam, ac divulgatam; & tanquam à fine ultimo: & quietante, per suam bonitatem. Lex autem æterna comprehendit omnes leges, & ipsam legum radicem; siquidem omnis Lex, tùm naturalis, tùm positiva & positiva tùm Dei, tùm hominum, ideò est lex, quia congruit cum lege æterna, quæ est ipsa Dei ratio, summa & perfectissima regula; neque est aliud quælibet vera lex, quam adumbratio quædam atque participatio legis æternæ, ut optimè disserit Bellarminus *tom.4. Controu. lib.1. de amissione Gratia, cap.1. vers. Porrò peccati rationem &c.* Ita colligi potest ex D. Bonaventura *in 2. sentent. dist. 35. artic 1. q. 2 dist. 37. q. ult. dist. 39. 40. 41. & 42.* sæpe sæpiùs sparsim; item ex D. Thoma *1.2 q.18. art.2 & q.74. art.8. & p.1 q.63. art.1. & in 2. sent. distinctionib. cit.* quibus consentiunt omnes Scribentes super textus eorundem Sanctorum Doctorum: Suarez, Valentia, Vasquez, Petrus Fulgensis, Trigosus, Caspensis, & alij communiter Theologi, & Summistæ.

30 Adeò autem hoc verum est, ut S. Bonaventura *in 2. dist. 39. dub. 1. lit.* ostendat, quòd à malitia existente in objecto magis depravatur actus volendi, quàm actus intelligendi, tùm ex parte virtutis, tùm ex parte objecti. Et *dist. 42. Art. 1. q. 2 in corp.* docet, quòd quantùm ad deordinationem per contemptum, & aversionem à Deo, seu à recta ratione dictante, opus consummatum peccati non addit ad iniquitatem voluntatis; quia voluntas plena, & efficax peccandi ita avertitur à Deo per se, idest se sola, sicut cùm est operi conjuncta: & ita *ibi in respons. ad primum* explicat, & intelligit Glossam aientem, quòd voluntas reputatur pro facto: *in Psal. 57.* & D. August. dicentem, quòd non minùs est reus qui vult & non facit, quàm qui vult & facit. Et *ead. dist. & art. q. 1 in corp.* ait: Si comparemus voluntatem interiorem ad opus exterius, prout sunt separata, ita quod unus peccet voluntate tantùm, alius peccet voluntate, & opere; sic peccatum voluntatis, & operis sunt diversa peccata, non solum materialiter, verùm etiam formaliter, pro eo quòd actus voluntatis, in quo consistit prima ratio deordinandi, numeratur, & est alius, & alius &c. Et *paulò post*: Non est dubium, quòd diversis peccatis peccat quis, si unica vice tantùm velit malum; alia vice velit, & perficiat. Ità S. Doctor: qui etiam *dist. 44.* sparsim Voluntatem peccandi, & malefaciendi, malam vocat, & actualiter deordinatam à recta ratione; quotiesque idcircò tendit in malum, malam esse, & peccaminosam. Et *dist. 4. ejusd. lib. art. 2. q. 2 in corp.* expressè docet, quòd consensus, vel complacentia præsens de peccato, vel lapsu spirituali futuro, culpa est præsens. Et *in 3. dist. 37. art. 1. q. 1. ad 3.* explicans objectum sibi dictum illud: *Lex prohibet manum, & non animum*; ait: Dicendum, quòd hoc non dicitur, quia peccatum cordis non punit pœnâ mortis, secundùm quòd peccatum operis, (cui scilicet talis pœna statuta est à lege) quòd potest exteriùs probari: undè per prohibitionem intelligere possumus pœnæ inflictionem. Ita S. D. qui in *eo lib. dist. 40. q. ult.* confirmat, quòd Lex nova cohibet manum, & animum; Vetus verò cohibebat solam manum; & tamen ratione Sacramentorum adjuvantium per gratiam, & charitatem levior adhuc est nova, quàm Vetus quæ solo timore cohibebat manum tantùm.

Verùm quid ampliùs in congerendis auctoritatibus pro tam evidente Veritate suadenda immoramur? Ratione eam ostendo simùlque soluo apparens fundamentum falsitatis oppositæ; hoc modo: Verum quidem est, quòd Lex humana non potest præcipere, aut prohibere actum purè internum directè & secundùm se; potest tamen (præcipuè Lex Canonica, qualis est Regula Fratrum Minorum, quæ præterea, cum obliget Fratres ex Voto, reducitur ad Jus divinum) indirectè, & per quandam connexionem, seu dependentiam præcipere, aut prohibere actus interiores voluntatis, & intellectus, quatenùs connexi per se esse possunt cum actu exteriori præcepto, vel prohibito; vel sunt per se causa illius. Et ratio est; quia actus exterior præcipitur, aut prohibetur per legem, ut humanus & liber; sed non potest esse talis sine interiori: ergò necesse est, ut actum interiorem saltem indirectè, & consequenter præcipiat, aut prohibeat. Quomodo enim Lex præcipiet homini ut faciat, nisi possit præcipere ut velit facere, cùm voluntate facturus sit, ut fiat actus humanus? Et proportionali ratione, si Lex humana prohibeat facere aliquid, prohibet etiam velle efficaciter facere illud. Vndè eo ipso, quod Lex prohibet aliquid facere, prohibet etiam habere propositum absolutum faciendi: & è converso, si præcipit aliquid facere, consequenter prohibet propositum efficax non faciendi debito tempore, in ijs, quæ pro aliquo determinato tempore præcipiuntur, aut prohibentur; licet propositum hujusmodi, vel desiderium efficax sit actus interior. Ratio est; quia eo ipso, quòd actus exterior est prohibitus, vel præceptus, mala est ejus perpetratio, aut omissio, & per consequens, si actus voluntatis in alterutrum feratur, malus erit & 31

ipse hic, & nunc, propter objectum, & quidem numero multiplicabitur toties quoties de novo hic, & nunc formaliter elicietur, & repetetur, juxta doctrinam superiùs traditam, præcipuè *D. Bonaventuræ*, sed & juxta sententiam D. August. *in lib. de spiritu, & litera, capit.* 31. ajentis: Nusquam legimus: Non est Voluntas, nisi à Deo; & rectè non scriptum est; quia verùm non est: Alioquin, etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo; quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiamsi desit effectus; idest non habeat potestatem. Hæc ille. Undè habes, quòd toties voluntas humana, se sola, peccando deficit, absque Dei concursu positivo, quoties quid vult contra legem æternam, quæ omnes omninò leges comprehendit, ut dictum est *suprà*. Neque hactenùs auditus fuit error ullius ex Acatholicis Doctoribus, quòd nimirùm sola voluntate, seu corde, non peccetur. Et de hoc satis, qui plura cupit, videat Suarez *utroque loco suprà cit.* Vasquez *in* 1. 2. *disput.* 109. *&* 110. *& disput.* 160. Cotonium *Controv. celebr. lib.* 1. *contr.* 1. *cap.* 2. Valentiam, & alios communiter, ubi *de Legibus*, Filliucium præcipuè *tom.* 2. *p.* 1. *tract.* 21. *cap.* 11. *num.* 409. *& cap.* 10. *à num.* 348.

§. XV.

Documentum ex præcedente de Recursu doctrina pro nostris Ordinis Concionatoribus, qui tempore Quadragesimæ apud Communitates, quibus Evangelizant Verbum Dei, publicis expensis aluntur, vel plerumque etiam pecuniâ, ad id specialiter legato relicta.

SUMMARIUM.

1 *Concionatores Ordinis Minorum tempore Quadragesimalis prædicationis, quomodo se gerere debeant erga deputatos ad providendum necessaria pro sustentatione ipsorum, & congrua ministerij executione*, & num. seqq.

2 *Populi ex justitia & Apostolica doctrina tenentur providere & ministrare Prædicatoribus & Pastoribus suis necessaria ad eorum sustentationem: ut variis scripturæ locis probatur.* ibid.

3 *Concionatores Minores possunt vivere ex obventionibus ad ministerium Prædicationis legatis seu fundatis, sine offendiculo Regulæ, exemplo Apostolorum.*

Concionator dignus est cibo suo. ibid.

Prædicatores accipiant sustentationem à populo, mercedem à Deo. ibid.

Prædicatoris sustentatio, vocatur etiam Merces. ibid.

Prædicatoris Minorici Ordinis sustentatio non est propriè merces, vel stipendium; & assignatur ratio. ibid.

4 *Prædicatores Minoritæ necessaria ad vitam recipere possunt per modum eleemosynæ ut decet pauperes Evangelicos, citra pactum, & obligationem politicam.*

5 *Minores nihil petere aut recipere possunt quod locati & conducti operis titulum præ se ferat, pro corporali aut spirituali labore & ministerio Fidelibus præstito.*

Minores non possunt se obstringere ad Missas celebrandas pro secularibus; sed ex mera charitate facere debent.

Missa & Oratio purè ac simpliciter ex charitate Deo offerri debent.

6 *Concionatores Minoritæ possunt exponere suas necessitates personæ à Communitatibus deputatæ ad expendendam pecuniam huic ministerio destinatam sine vitio recursus.* & num. 13.

7 Cap. 5. *Regulæ Minoriceæ verba expenduntur: ibi*, pro se, & suis Fratribus corporis necessaria recipiant.

Prædicatores Ordinis Minorum tuta conscientia eleemosynam pro se & fratribus comitantibus recipere possunt. ibid.

Prædicatorum Minoritarum Socij qua ratione se gerere debeant, & partem de cibariis Prædicatori paratis sumere possint. ibid. & num. 8.

8 *Prædicatorum Minoritarum Socij non debent æqualem cum ipso Prædicatore portionem sibi assumere: & ratio redditur.* ibid.

Prædicator in Verbo laborans trituranti bovi comparatur.

In primitiva Ecclesia quomodo omnia inter Fideles erant communia & alimenta distribuebantur.

9 *Prædicatores Minoritæ non debent invitare seculares ut cum ipsis epulentur: & rationes assignantur.* ibid. & num. 10.

10 *Prædicatores Minoritæ prohibentur recipere convivia superflua & sumptuosa.*

Apostoli quomodo missi à Christo ad prædicandum Evangelium omnibus Gentibus. ibid.

Præceptum Christi Apostolis factum, Manducate quæ apponuntur vobis *&c. quomodo intelligendum.* ibid.

Præceptum Christi, Neminem per viam salutaveritis *&c. consideratur.* ib. *& explicatur.*

11 *Prædicatores Minoritæ non possunt transferre eleemosynas sibi oblatas ad aliam Communitatem seu Conventum.*

12 *Prædicatores Minoritæ cavere debent à verbis appropriationem vel administrationem* dum

dum agunt cum personis à publico deputatis pro expensione pecuniæ prædicationis ministerio destinata.

13 *Prædicatores Minoritæ piè & humiliter necessitates suas personæ à publico deputatæ exponere possunt, non præcipere qualiter pecuniam expendat, nec de expensa computum exigere.*

14 *Concionatores Minoritæ singulari moderatione uti debent eleemosynis sibi oblatis: quod declaratur*, n.15.

15 *Concionatorum necessitates ex varijs circumstantijs considerandæ ut illis commodè subveniatur.*

Spiritus Evangelicæ libertatis in Concionatore Minorita, qualis? ibid.

16 *Hypocrisis à Concionatore Minorita vitanda.*

17 *Concionatores Minoritæ non debent procurare provisiones illicitas ubi existunt eleemosynæ sufficientes pro illorum sustentatione: nec recipere superfluas sponte oblatas*, & n.16. & alijs seqq.

18 *Licentia ad superflua recipienda concedi non debet Concionatori Minoritæ.*

19 *Concionatores Minoritæ in quibus casibus provisionem sibi & socijs necessariam procurare possint.*

20 *Concionatores Minoritæ eleemosynam à Communitate uni personæ commissam, in aliam transferre non possunt propria authoritate.*

21 *Concionatores Minoritæ debent abstinere à nominatione personarum qui administrent ad eorum nutum eleemosynam sibi deputatam.*

22 *Minores debent cavere à suspicione quòd habeant syndicum ad procuranda illis necessaria, circa eleemosynas illis faciendas.*

Et quomodo Guardiani, dum super eleemosynis consuluntur, se gerere debeant, ibid & num 23.

23 *Guardiani protestari debent se nihil juris prætendere super pecunia quæ deponitur ad eorum necessitates sublevandas.*

24 *Concionator Minorita quomodo se gerere possit si deputatus à Communitate sit infidelis, aut negligens, aut incapax providendi necessitatibus ipsius*, & num.25. usque ad fin.

1 EX tradita hactenùs de Recursu doctrina, præcipuè *in §. præcedente*, colligere possunt juniores nostri Ordinis Concionatores, quo modo citra recursum, vel procurationem, habere se possint, tempore Quadragesimalis prædicationis, vel quacúmque alia divini Verbi evangelizandi occasione extra Claustra morantes, cum substitutis, depositarijs, aut mandatarijs Communitatum, alijsvè quibuscúmque aliter deputatis ad providendum ipsis necessaria pro eorumdem sustentatione, & Ministerij congrua executione.

Quamvis enim teneantur Populi ex justitia, & Apostolica divina doctrina providere, & ministrare Prædicatoribus, & Pastoribus suis hujusmodi necessaria; ut disertè ostendit Divus Paulus 1. *ad Corinth cap.9. & 1. ad Timoth. cap.5.* Quis enim (ut ille *primo loco cit.* ait,) militat suis stipendijs unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundùm hominem hæc dico? An & Lex (*Deuteronomij cap.15.*) hæc non dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? *Hæc ibi Apostolus:* subdens etiam; Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt? Et qui Altari deserviunt cum Altari participant? Ita & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. (inquit ille, ne quod offendiculum daret Evangelio Christi; prout paulò supra dixerat, de eadem potestate loquens, participandi scilicet corporalia eorum, quibus spiritualia seminabat.) Et *in secundo loco cit.* ait: Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in Verbo, & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os bovi trituranti: Et, Dignus est operarius mercede sua. Hactenùs *Divus Paulus.* Et de hac obligatione Populorum erga Evangelizantes verbo, & exemplo egregiè disserit D. Bonaventura *in Tractatu de Paupertate Christi, pag. mihi* 417. *tom.*1. *opusc.* & Politius noster *in cap.5. Reg. n.5.*

Quamvis etiam liceat ijsdem nostris Concionatoribus sine offendiculo puritatis Regulæ, ac Professionis suæ de tali populorum, pro quorum spirituali salute in Verbo, & doctrina laborant, provisione, & obventione vivere; etiamsi fortè fuerit legato relicta, & pro Fratribus Minoribus tantùm ad evangelizandum vocandis: quia & ipsemet Christus Dominus mittens Apostolos, & discipulos suos in universum mundum ad prædicandum Evangelium omni creaturæ; dixit eis, *Matth. cap.*10: & *Lucæ cap.9. & 10. Ite: ecce ego mitto vos, &c. Nihil tuleritis in via*; idest pro via, & itinere conficiendo; ut explicat Cornelius à Lapide: *Nolite portare sacculum*; idest marsupium, seu crumenam ad pecuniam recondendam: *Neque peram*, ad panem, & cibos in ea gestandos.

Ubi Euthymius ait: Hoc interdicto jubet, ut de necessarijs corporis spem in illum habeant, qui ipsos emittit. Nam (ut ait etiam D. Gregorius *in Gloss. ord.* & *in Catena aur.*) Tanta Prædicatoris debet esse in Deum fiducia, ut præsentis vitæ sumptibus quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat; ne, dum mens ejus occupatur ad temporalia, minùs provideat æterna. *Manducate* (inquit) *quæ apponuntur vobis*, &c. Et *Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua: cibo suo.* Atque hisce verbis voluit Christus reddere causam, cur vetuerit Prædicantibus Regnum Dei curam gerere de viatico ferendo, & necessarijs corporis providendis; quia Populi, quibus prædicaturi erant, alimenta eis erant præbituri: dignus est enim Prædicator cibo suo: quo significat, & Populos debere jure naturali, & divino eos, qui sibi Evangelium prædicant, sustentare; & Prædicatores jure suo inde posse vivere. Unde *D. Joan. Chrysostomus:* Accipiant Prædicatores sustentationem à Populo, mercedem à Deo. Quamvis autem apud *Lucam* hæc sustentatio vocetur *Merces*, ad similitudinem operariorum, quibus ipsa sustentatio, quasi pars mercedis tribuitur; in Prædicatoribus tamen (præsertim Minoribus suæ Professionis puritatem servantibus, quæ eadem est, ac Apostolorum Institutum ab ipso Christo sibi suprà præscripto; ut testatur Cornelius à Lapide *ibi in Comment. Matth. vers.* 10.) propriè non est merces, vel stipendium; non solùm quia Prædicatio omne pretium, & omnem mercedem humanam, stipendiúmque superat terrenum, & longè transcendit; sed etiam quia non accipitur ex pacto, seu conventione, & obligatione civili ex contractu; sed ex sola justitia naturali divina, adeóque Morali tantum, non autem legali, vel civili. Ex quo patet, teneri nihilominùs auditores jure naturali, & divino suos alere Prædicatores; neque celsitudini Apostolicæ expropriationis, adeóque nec altissimæ Minorum Paupertati repugnare ex ejusmodi obligatione exhibitam sustentationem recipere. Unde benè D. Gregorius *hom.* 17. Qui peram, & sacculum portari prohibuit, sumptus, & alimenta ex prædicatione concedit: dignum est enim, ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus Patriæ cœlestis præmia offerimus. Et postea subdit: Unde satis ostendit, (inquit August. *lib. 2. de consens. Evang. cap.* 30. cur eos hæc possidere, ac ferre noluerit; non quòd necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis, quibus Evangelium credentibus annuntiarent. Et de hac cùm Populorum obligatione non quidem ex justitia legitima, idest ex lege, vel pacto politico, sed ex justitia morali ad alendos Prædicatores, etiamsi Mendicantes Religiosi sint; tùm eorumdem Prædicatorum facultate à Christo Domino sibi facta, non tamen ex præcepto, ut vivant ex populorum sumptibus; egregiè disserit Card. Bellarminus *tom. 2. Controvers. lib. 2. de Monachis, cap.* 45. quem vide, si lubet.

Hinc & Seraphicus ipse P. Franciscus *in c. 5. Reg.* ait: de mercede verò laboris, pro se, & suis Fratribus, corporis necessaria recipiant, præter denarios, vel pecuniam: & hoc humiliter, sicut decet servos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores. Quòd si hoc dictum est pro corporali labore, multò magis pro spirituali; ut docent omnes Regulæ Expositores *in d. cap. 5. Regulæ:* Modò fiat citra pactum, & conventionem politicam, ita ut nihil recipiatur sub titulo, & ratione stipendij propriè dicti; sed (ut ait Seraphicus Pater, & nos alibi docuimus) humiliter, & piè per modum eleemosynæ, ut decet pauperes Evangelicos; & prout in nostris Constitutionibus statuitur *cap.* 9. ibi: *Super omnia autem caveant ab omni specie avaritiæ, ut liberè, sincerèque Christum prædicantes, copiosiora animarum lucra reportent. Dum verò prædicant, non quærent pro se, neque pro Fratribus, ut (juxta Apostolicam doctrinam) omnibus compertum sit, non eos quærere quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, idest Dei gloriam, atque animarum pretiosissimo ipsius sanguine redemptarum salutem. Multò denique magis prohibetur, eisque præcipitur, ne præmium aliquod, aut eleemosynam pecuniariam accipiant à Communitatibus, aut ab alijs particularibus ratione Prædicationis: nec emi sibi faciant libros, habitus, pannos, neque res tales, quæ præmium, stipémque indicent ipsius Prædicationis*, &c. Hæc ibi: præscriptâ etiam transgressoribus pœna à Provinciali Ministro infligenda. 4

Quod autem dicitur de mercede pro Concionatorum ministerijs, seu Prædicationibus, idem omninò dicendum est de eadem pro Missis celebratis, vel quocúmque alio corporali, aut spirituali labore, & ministerio cuipiam Fidelium à Fratribus præstito; ut nimirum nihil unquam à Fratribus recipiatur, aut petatur, quod locati & conducti operis titulum præseferat: sed neque eo intuitu; perindè ac si opus ipsum præstitum non fuisset; prout signanter de Missis celebrandis cavetur *in nostris constitut. cap.* 3. in Statutis etiam Generalibus reficiatur, & habetur apud Boverium *tom. 1. Annal. sub anno* 1629. *num.* 20. ibi: Denique id statuimus, & ordinamus, ut nullo modo se ad Missas pro sæcularibus celebrandas obstringāt. Quòd si quispiam à nobis Missam celebrari petierit, prudenter ei responderi poterit, nos pro eo in Missis Deum rogaturos: tum in Missæ Collecta pro eo addatur, ut illius devotioni satisfiat. 5

Quòd

Quòd si interdum Missam ex charitate (non ex oculo intentionis aperto ad præmium aliquod, vel rem aliquam temporalem, sed ex mera charitate; ut ajunt Constitutiones *loco cit*) pro aliquo celebrari contigerit; penitùs pro ipsa, aut orationibus pro ipso persolutis, pretium, aut eleemosynam recipi prohibemus: quòd si is panem, vinum, aut aliud ad victum necessarium attulerit; ea non secùs recipiantur, quàm si nulla pro eo Oratio facta esset. Missa enim, & Oratio purè, ac simpliciter ex charitate Deo offerri debent. Hæc ibi Patres apud *Boverium cit. in antiquis Constitutionibus in prima Generali Ordinis Congregatione Alvacinæ coacta, editis eo anno* 1629. quibus consentiunt etiam Recentiores, & Generalia Statuta novissima. Vides ergò, qualiter juxta Seraphici Patris mentem, de mercede laboris liceat Prædicatoribus, alijsque Fratribus singulis recipere necessaria corporis pro se, & pro alijs Fratribus suis in communi.

6 Quamvis præterea, cum pecunia, pro eorumdem Prædicatorum, ut præfertur, debita, & necessaria sustentatione providenda, à Communitatibus deputata, vel etiam ab aliquo particulari legato relicta, ad hoc specificè determinata sit, & in manibus substituti, vel executoris depositata, ut ita expendatur; integrum sit ijsdem Prædicatoribus exponere confidenter personæ deputatæ ad expendendum necessitates suas: hocque non, ut aliqui putant, per recursum ad pecuniam, tametsi licitum ex interpretata, vel tacita Ministrorum licentia, & optima legum interprete consuetudine; sed omninò sine recursu, seu procuratione; ut patet ex dictis §. *præcedente*, & §. 12. *in fine*. Quamvis, inquam, hæc omnia Prædicatoribus, quà debita, quà licita sint; nonnulla tamen valdè ab ipsis observanda sunt.

7 *Primum* est Seraphici Patris dictum, illis verbis: *Pro se, & suis Fratribus corporis necessaria recipiant*, &c. Hinc enim intelligent *primò*, quòd de illa Communitatis, vel alterius personæ legantis, aut inter vivos largientis, eleemosyna in manu depositarij, vel substituti commissa pro mercede laboris, & sustentatione Prædicatoris, participare possunt jure optimo, tutâque conscientiâ, cùm Socius Prædicatoris, tùm etiam Fratres, qui aliquando ad eum charitatis affectu accedunt: tametsi Socius cavere debeat, ne temeraria aviditate æqualem sibi, ac Prædicatori portionem de jure deberi præsumat; sed contentus sit ea portione, quæ tum ratione participationis laboris, utpotè qui servit laboranti in verbo, & doctrina Evangelij, tum jure Fraternitatis sibi competere, secundùm statum, & necessitatem suam perhibetur. Et certò hoc declarandum, firmandùmque venit, quod dictum est de socio Prædicatoris: aliqui enim inveniuntur adeò timoratæ, potiùsvè scrupulosæ conscientiæ, propter pecuniam, quòd cùm ea, quæ ad victum Prædicatoris pertinent, ex pecunijs comparata considerant, vix panem necessarium manducare audent; & si quid de cibis Prædicatori superfit, corrumpi potiùs, ac putrescere permittunt, quàm manducare præsumant. Alij verò è contra adeò temerarij & impudentes, quòd de omnibus, quæ parantur, dimidiam partem rigidè prætendunt, ac si quotidie prædicarent, sicut ipse Prædicator; parvulam illam servitutem, & levissimum laborem cum studio, vigilijs, & maximis in evangelizando laboribus ipsius Prædicatoris compatantes, & eandem laboris mercedem exigentes. Extrema sanè utraque opinio, & sententia. Ideò ad sublevandam conscientiam eorum, qui timent, ubi non est timor: & ad reprehendẽdam audaciam eorum, qui temerariè præsumunt, dicendum, ut suprà, licitè posse socium Prædicatoris partem sumere necessariam de cibarijs Prædicatori ex communi provisione paratis. *Primò*, propter laborem ipsius Prædicatoris, de cujus mercede (secundùm Regulam recipere potest necessaria corporis pro se, & suis Fratribus; ergo & pro Socio. *Secundò*, propter Ministerium Charitatis; etsi enim non laborent in Verbo, laborant tamen pro laborantibus in verbo, ministrantes pro corporalibus necessitatibus, orantes pro ipsis Prædicatoribus, ut detur eis sermo in aperitione oris, cum fiducia notum facere ministerium Evangelij pro salute animarum; & sic participantes in labore, participare debent etiam in mercede. Sic Regio decreto statutum fuit à David, (1. *Reg. cap.* 30. cùm, expugnatis Amalecitis, qui Siceleg deprædati fuerant, dividi voluit spolia tam ijs, qui ascenderant ad præliandum, quàm ijs, qui ad sarcinas custodiendas remanserant. *Tertiò*, propter bonum societatis, & fraternæ charitatis: quibus enim omnia ex Professione sunt communia, animi, mentes, & corpora; & ea, quibus necessariò ad cultum, & victum utuntur, multò magis communis debet esse cibus, quo talis vita Apostolica sustentatur. Sic & Paulus prædicans laborabat pro se, & pro his, qui secum erant; prout ipsemet testatur (*Artic. c.* 20.) inquiens: Ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Sic docet D. Augustinus explicans nascentis Ecclesiæ communem vitam, hisce verbis: jure Fraternitatis erant illis omnia communia, & qui eodẽ consortio Religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vitæ; quibus erat una Fides, esset una substantia; quibus erat communis

munis Christus, communis esset & spiritus. Hæc Augustinus.

8 Advertant tamen hic statim necesse est, ne quod illis participatur ex charitatis liberalitate, ex participatione laboris, & jure fraternitatis, ullo modo præsumant temeraria aviditate, æquali sibi portione de jure deberi: alimenta enim quæ ministrantur, merces sunt laboris Prædicatoris, non autem socij: ipsi tamen participant ex charitate, secundùm Regulam, & ex communicatione laboris pro ministerio, & pro instantia orationis ad augmentum Verbi Dei, & animarum salutem. Non est tamen digna comparatio laboris in ministrando mensæ, cum labore Prædicatoris in ministerio Verbi Dei: nam socius nec vigilijs, nec curis maceratur, sed quietus, & securus dormit; Prædicator autem sollicitudine, & afflictione cordis pro animarum cura quotidiè angitur, ita ut recedat somnus ab oculis ejus; lectioni, studio, & meditationi perpetuò insistit; est etiam linguis innumeris propositus ad lacerandum; alius culpat, alius laudat, alius detrahit; alius memoriam, alius compositionem, alius pronunciationem in lus trahit: undè magnâ illi constantiâ ad ista toleranda opus est. Equidem autem Paulus eum, qui se ipsum tot laboribus, & ærumnis exposuit abundatiori obsequio, & rerum necessariarum largitione dignum habere decernit, *ad Timotheum* scribens *cap.* 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in Verbo, & doctrina.* Quod optimè declarat D. Chrysostomus de victu illis ministrando abundantiori: sequitur enim Apostolus dicens: *Dicit enim scriptura: Non alligabis os bovi trituranti.* Et: *Dignus est operarius mercede sua*: Prædicatorem in Verbo laborantem bovi comparat trituranti; quia non est alius labor illi conferendus. Bos est triturans, contra gelu, & spinas, jugum sustinens: oportet ergo (inquit Chrysostomus) Prædicatoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, neque solvantur, &c. Si ergo non est comparandus labor socij cum labore Prædicatoris, neque victus debet esse utriusque æqualis: sed qui laborat in Verbo, & doctrina, duplici honore dignus habeatur; socius autem pro suo labore, pro precibus, pro charitate fraternitatis, habeat & ipse victum necessarium, Prædicatori tamen æquiparari nullo modo præsumat. Quid verò, si non oret? quid, si non cum debita charitate Prædicatori serviat, & ministret? quid, si inquietus pacem turbet Prædicatoris? quid, si otiosus, aut sui martis operibus totus intentus sit? quid, si velit quotidiè concursare per domos? & quod Prædicator verbo, & exemplo ædificat, ipse sua scurrilitate, & immodestis moribus destruat? Hic certè nec aquâ ad manus lavandas dignus est. Si enim (ut inquit Chrysostomus) Prædicator bos non fuerit; si non trituraverit; si jugum non duxerit, non est dignus; quomodo erit dignus socius, qui nihil boni operatur? Quid de hujusmodi Paulus decernat, audiamus: *Audivimus* (inquit 2. *Tessalon. cap.* 3.) *inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes, hoc denuncio vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Quòd si fortè jure fraternitatis æqualem portionem prætendit, eò quòd sint eis omnia communia; advertat, quòd ubi erant in primitiva Ecclesia omnia communia, erat etiam eis cor unum, & anima una; & de communibus bonis nòn accipiebat quisque quod sibi placebat; sed distribuebatur unicuique prout opus erat. (*Act. cap.* 9.) Et qui laborabant in Verbo, & doctrina, duplici honore digni habebantur; quia & magis laborabant. Et si Paulus testatur, quòd unusquisque, secundùm suum laborem mercedem accipiet; ita unusquisque secundùm suum ministerium alimenta necessaria percipiat. Attendant ergo & Prædicatores, & socij statum suum, vocationem, & professionem, altissimæ Paupertatis, quam toto tempore vitæ servare promiserunt absque ulla exceptione, aut limitatione temporis, loci, vel officij: ergo in omni tempore, in omni loco, & officio Paupertatis altissimæ Votum servare tenentur.

Intelligent *secundò*, quòd dicit Beatus Pater: *Pro se, & suis Fratribus*; non autem pro sæcularibus personis convitandis, pro quibus plerumque superflua, & sumptuosa quæruntur, parantùrque cibaria, cum admiratione & scandalo, & Evangelicæ Paupertatis, ipsiusque Evangelij offendiculo. Nam ex frequenti, & nimia sæcularium familiari conversatione, & convictu multum deperditur auctoritatis, & vilipenditur ministerium Evangelij, fructusque evacuatur animarum; ut monetur *in nostris Constitut. eo cap.* 9 juxta Alvacinas *suprà cit.* apud Boverium *ibid. num.* 36. ajentes: Meminisse debent, (idest Prædicatores) potissimam Prædicationis partem esse ipsius Prædicatoris vitam, atque honestam conversationem. Neque dicant, qui in hoc peccant, quòd ipsi sæculares, qui convitantur, vel qui sese invitantes faciliùs quàm par sit excipiuntur; secum fercula, & cibaria deferunt: Etenim inficias iri non potest, quin de eleemosyna Communitatis, vel alterius personæ abundantiùs expendatur, quàm si solus cum socio suo religiosè viveret Prædicator. Hoc tamen hic dictum volo cum debita, eâque necessaria exceptione, & reverentia, pro illis dumtaxat Prædicatoribus, si qui ex nostris sunt, qui in convivijs delectantur,

tur, & sæcularium familiaritate, itaut sine eorum converſatione, & frequentia vitam tranſigere non poſſe videantur. Quos etiam graviter reprehendit Carolus Regius *in calce ſui Christiani Oratoris*, ubi cenſuram adijcit mali Oratoris, *num.* 13. *&* 14. inquiens: Tertiodecimò peccant, qui in victu, veſtitu, viatico, Apoſtolicam videntur reſpuere paupertatem, ſupellectilem copioſiorem conquirunt, ita ut non alijs ad ſpirituale lucrum; ſed ſibimet ad terrena commoda ſtudeant; quos non abs re Deus per Prophetam Paſtores vocavit, qui ſe ipſos, non Chriſti gregem paſcunt. Quartodecimò peccant, qui colloquijs ſæcularium, eorúmque conſuetudine delectantur aulicorum more, & ipſorum negotijs ſe immiſcent, quæ ad animæ ſalutem non faciunt; qui eorum convivijs libenter accumbunt, qui non ſilentij, ac ſeceſſus amatores ſunt, ſed ſcurrilibus, ac ludicris rebus gaudent. Hæc ille, quem vide omninò etiam *lib.* 2. *cap.* 14. 15. 16. 17. 18. *&* 19. *per totos*, & alibi.

10 Meminerint igitur hi, quàm diſtrictè *eo Conſtit. cap.* 9. Prædicatoribus prohibeatur recipere convivia ſuperflua, & ſumptuoſa; quámque è converſo commendetur iiſdem, quòd vivere ſtudeant tanquam pauperes & mendici, prout ob Chriſti amorem voluntariè promiſerunt, neceſſarijs contenti. Si igitur prohibentur recipere convivia ſuperflua, & ſumptuoſa, multò fortiùs ſibi noverint interdictum invitare ſæculares, pro quibus ad menſam excipiendis, neceſſariò, ut diximus, neſcio qua conſcientiæ libertate, vel gravatur in expenſis ipſa Communitas, vel copioſa etiam eleemoſyna jam deſtinata diſſipatur. Præterquàm quòd in domo Prædicatoris fulgere debet exemplum pœnitentis vitæ, non autem convivantium delitiæ audiri verba ædificationis & compunctionis, non autem riſus, & facetiæ ſæcularium; ut nimirùm, ad Apoſtoli amuſſim, bonus Chriſti odor ſint Concionatores Evangelici in omni loco. Et inter alias cauſas, propter quas à Chriſto datum eſt Apoſtolis ad prædicandum miſſis paupertatis præceptum de non poſſidendo auro, neque argento, neque pecunia in zonis; ut habetur *Matth. cap.* 10. *verſ.* 9. hanc tertiam ex D. Joan. Chryſoſt. & Euthymio commemorat Cornelius à Lapide *in illum locum Evangelij*: Ut videlicet omnibus gentibus illuſtre darent exemplum ſimplicitatis, ſobrietatis, paupertatis, contemptus opum, ſanctitatis, animíque excelſi & cœleſtis, quo per Angelicam hanc vitam omnes in ſui amorem, & admirationem raperent: nihil enim (ait Euthymius) ita admirandos reddit, ſicut vita frugalis, ac quibuſlibet obvijs contenta. Quo utique ſenſu Apoſtolis ipſis dixiſſe Chriſtum credendum eſt: *Manducate quæ apponuntur vobis: Edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt*: quaſi dixerit; quibuſlibet obvijs pro veſtra ſuſtentatione contenti. Denique ſi Chriſtus Dominus eoſdem diſcipulos ſuos ad prædicandum mittens præcepit eis: *Neminem per viam ſalutaveritis*: hyperbolicè locutus; non quia videlicèt (ut ex Euthymio obſervat Cornelius *cit.*) vellet eos eſſe inciviles, & ruſticos, itaut ab aliquo ſalutati, eundem verbo non reſalutarent: ſed quaſi diceret; Ne divertatis ad privatas ſalutationes, & familiares prolixaſque collocutiones; ſed omnem vanam confabulationem, & diſtractionem, ac moram præſcindite, ut tota mente collecti, ſeduli, & celeres ſitis in opere ad quos vos mitto, totíque intendatis prædicationi Evangelij. Ita S. S. Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, Gloſſa, & Cornelius *ibi*. Si, inquam, Chriſtus vetat diſcipulis ad Prædicationem pergentibus ſalutationem prolixam confabulationem, & converſationem familiarem cum mundanis in via; utpotè impedientem (ut ait S. Ambroſius) miniſterium, quæ per moram ſæpè trahit offenſam; quantò magis id à Prædicatoribus ſuis alienum voluiſſe Chriſtum, dicendum eſt, cùm actu Miniſterium Verbi exercent? Quòd ſi collocutiones, & diſtractivas converſationes prolixáſque ſalutationes vetat, quidni convivia interdicta dixerimus; convivantibus præſertim, ſeu convitantibus ſæculares Prædicatoribus ipſis? Pro ſeipſis ergo dumtaxat, & pro ſuis Fratribus poſſunt Prædicatores noſtri humiliter, & piè recipere neceſſaria corporis pro gratuita mercede laboris.

Dum autem dicitur: *Pro ſe, & pro ſuis Fratribus recipiant*, &c. ne putent ſibi licere oblatas ea occaſione eleemoſynas aliò tranſmittere, vel tranſportare ad libitum, etiamſi pro ſe, & pro ſuis Fratribus extra juriſdictionem Superioris illius Conventus, intra cujus ſphæram prædicant. Cùm enim illæ ſuapte naturâ ſpectent ad Communitatem Fratrum illius Conventus, non poſſunt ex vi voti Paupertatis, adeóque ſine crimine reſervato proprietatis, & furti, de rebus Monaſterij ad libitum aliò ab ipſis aſportari, vel mitti ſine aliqua licentia Superioris illius. Quinimmò ad cavendas fraudes quæ ab ipſis Superioribus localibus in eorumdem Conventuum præjudicium fieri poſſent, occaſione mutationis loci, aut Prædicationis; ipſis quoque interdictum eſt ſub pœna privationis 11

nis utriúsque suffragij, hujusmodi eleemosynas pro prædicatione oblatas, ipsis etiam prædicantibus, vel alias quascúnque res spectantes ad Communitates Conventuum, transmittere, vel transportare ad locum verbi gratia, ad quem vadunt, ibi moraturi: prout declaravit, & statuit in hac nostra Brixiensi Provincia Reverendissimus P. Stephanus à Cæsena Minister Generalis *in Ordinationibus Provincialibus, cum Patrum diffinitorij approbatione factis hoc anno* 1671. & in hoc ipso Cremæ Conventu, dum, & ubi hæc scribo.

12 Alterum, quod à prædictis Concionatoribus apprimè observandum est, sunt modi omnes, cautelæ & circunstantiæ, quæ ad cavendam appropriationem, vel administrationem prætensam, vel præsumptam pecuniarum deputatarum ad sui sustentationem, ut præfertur, in verbis, vel factis, quibus se habere diversimodè possunt cum persona deputata ad expendendum; ponuntur *in d. cap. Exyt*: §. *Caterùm*: §. *Et quia oportet*: & §. *Ad majorem autem*, & in *Clem. Exivi*: §. *Porrò*, quos nos per extensum descripsimus *art.* 1. §. 3. & ibi videri possunt.

13 Quapropter exponere quidem possunt confidenter, & simpliciter personæ deputatæ, ad expendendum necessitates suas, piè tamen, & humiliter; at præcipere, verbisque dominium, vel appropriationem præseferentibus ordinare illi, quomodo, & qualiter pecuniam expendat, computúmque exigere de expensa, aliósque hujusmodi actus quoquomodo pecuniæ administrationem: vel appropriationem, vel prætensionem politicam suapte natura indicantes, illicitos sibi esse noverint.

14 Non solùm autem, sed & petere, vel exponere simpliciter, & humiliter, & quomodocúnque, ut sibi res superfluas, curiosas, ac pretiosas persona ipsa provideat, sive pro victu, sive pro alio usu; hoc quóque sibi penitùs interdictum meminerint, ex *d. cap. Exyt*: §. *Insuper nec utensilia*: & ex *d. Clem. Exivi*: §. *Hinc est etiam*: & ex communi consensu expositorum Regulæ, ajentium, quòd qui ad pecuniam recurrunt, vel eam, etiam absque recursu, & procuratione expendi permittunt pro usu superfluo, curioso, vel splendido prævaricantur altissimæ, quam Deo voverunt, Paupertatis Votum, & offendiculum Evangelio parant. Undè appositissimè Regius *supra citat. lib.* 10. *cap.* 4. media quædam proponens quibus Evangelicus, utatur Concionator ad animarum lucra promovenda ait: Quartò curet, ne aliquod offendiculum ponat Evangelio; sed quæ gratis accepit, gratis det: eleemosynæ verò, & expensæ, quas nobis alij largiuntur, non ad modum exactoris exigendæ sunt; immò si fieri potest, nec petendæ; & quæ ultrò offeruntur, moderatè etiam sunt accipiendæ, nisi adversa valetudo aliquid liberiùs peti, aut sumi concederet: semper tamen cavendum, ne quisquam propterea offendatur. Hæc ille.

Ubi tamen, ne scrupulus cui subrepat, 15 advertendum est, quòd hujusmodi necessaria cum discretione judicanda sunt, spectata necessitate accommoda, & secundùm usum moderatum Fratribus Minoribus licitum; quia (ut discretissimè declaravit Nicolaus III. *in d. cap. Exyt*: & *d.* §. *Insuper nec utensilia*:) interdùm personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circumstantiæ, plus, minúsve de rebus ad usum necessarijs provideri requirunt. Quædam enim verbi gratia necessaria erunt uni Prædicatori debilis & infirmæ valetudinis, ut Ministerium Verbi exerceat, quæ alteri sanæ valetudinis, & robustis viribus superflua reputanda erunt. Semper tamen hæc ita fiant, idest cum discretione præfata, & necessitate accommoda; quòd semper (ut loquitur idem Pontifex *ubi suprà*) in eis, & eorum actibus Paupertas Sancta reluceat; prout ipsis ex eorum Regula invenitur indicta. Sanè autem, cùm Sanctam Regulam professi sumus, toto tempore vitæ nostræ eam servare vovimus, & promisimus omnes. Ergò etiam tempore Quadragesimæ, seu prædicationis in discernendis necessitatibus nostris utique accommodis, & secundùm usum moderatum, non arctum & exilem, considerare debemus, qualis sit noster status, seu Professio, & vocatio nostra; & quæ sit nostra obligatio, nimirùm non sicut aliarum Religionum, aliorúmque Religiosorum, sed altissimæ Paupertatis, & humilitatis; ut optimè monet noster à Politio *ad cap.* 4. *Reg. num.* 19. Præterquam quòd Spiritus Evangelicæ libertatis laborantium in Verbo & Doctrina, est quidem posse uti quibuslibet cibis obvijs, seu præstitis cum gratiarum actione; sed in sensu suprà explicato. Undè etiam advertendum, quòd non dicitur Spiritus libertatis simpliciter; sed Spiritus Evangelicæ libertatis, idest Spiritus honestatis, temperantiæ, abstinentiæ, pœnitentiæ, virtutis, & Sanctitatis, non carni, sed animæ deserviens in ipso usu ciborum, aliarúmque hujus mundi rerum: quo utique spiritu ducebatur Apostolus,

Apoſtolus, inquiens de ſeipſo evangelizante: (*1. ad Corinth. capit. 9.*) *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne, cum alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

16 Hinc duplex coarguitur maximum inconveniens, & gravis error quorumdam forſan ex inadvertentia peccantium.

Primum eſt eorum, qui hanc temperantiæ auſteritatis, & ſanctitatis famam inordinatè procurantes ad hypocriſim deflectunt, ſic ſe habentes, ut à deputata ad ſibi providendum perſona tenuiſſimam victus proviſionem petant, & accipiant; ſed aliundè medijs, plerúmque illicitis, ad pecuniam recurrentes, ſibi pretioſa quæque, delicata, exquiſita, & ſuperflua provident ſecretò, eleemoſynis Miſſarum, vel alijs aliter procuratis, quandóque etiam clandeſtinè, & abſque Superiorum licentia. Hoc certè, ſi à quopiam fiat, turpem ſapit hypocriſim, & inaniſſimam fictæ ſanctitatis oſtentationem; dum abſtinentes videri, & prædicari affectant, prætextu ædificandi proximi, & in abſcondito opiparè, & delicioſè viuunt. Obeſt præterea proprietatem contra Regulam, & Paupertatis votum: cum talis proviſio (ubi præſertim per procurationem expenſionis pecuniæ fiat) ſit penitus per Regulam, & Statum Fratrum Minorum interdicta. Nam inter alias conditiones ad licitè procurandas proviſiones pro præſentibus, vel imminentibus neceſſitatibus, (ſive per recurſum, & procurationem expenſionis pecuniæ fiant, ſive non:) ex declarationibus Pontificum, & communi ſententia Expoſitorum Regulæ neceſſariò requiſitas, una, eáque præcipua hæc eſt: Quòd ſcilicèt tempore talis procurationis non adſint aliæ eleemoſynæ, quibus Fratres poſſint ſuæ ſatisfacere neceſſitati. Ita expreſsè Nicolaus III. *in d. cap. Exijt: §. Cæterùm:* ibi: *Ceſſantibus eleemoſynis, de quibus ſatisfieri tunc commodè non poſſit,* &c. Et quod vetitum eſt, quoad procurationem proviſionis per recurſum ad pecuniam, cùm adſunt aliæ eleemoſynæ pecuniariæ, etiam indifferentes, quibus ſatisfieri poteſt neceſſitatibus occurrentibus, idem omninò ob identitatem rationis interdictum cenſeri debet, quoad procurationem proviſionis, & ſi abſque recurſu, cum talis proviſio haberi poteſt, & præſto eſt per eleemoſynas jam exiſtentes, & quidem non indifferentes, ſed ad id ſpecialiter determinatas, ſive pecuniariæ ex ſint, ſive non; quomodo exiſtunt in caſu noſtro eleemoſynæ certæ, & determinatæ, pro neceſſaria ſuſtentatione Prædicatoris, & ſocij, in manibus deputatorum: ergo omninò illicita eſt procuratio alterius proviſionis, etiamſi fiat ſine recurſu ad pecuniam.

Quid dico: *Procuratio alterius proviſionis?* Cenſeo, nec poſſe recipi ſpontè oblatam, utpotè ſuperfluam; jam enim adeſt proviſio in manibus deputatorum pro neceſſitatibus Prædicatoris, & Socij ejus; ut dictum eſt. Atqui, ne me plùs æquo, rigidiorem judices in hac ſententia, lege, & benè expende omnia tam præcedentia, quàm ſubſequentia per *totum numerum* 19. 17

Dixi: *Quandóque etiam clandeſtinè, & abſque Superiorum licentia.* Quid verò, ſi dixerim, neque Superiorem poſſe talem licentiam, ſi petatur, concedere? Peccat enim mortaliter, ſi concedat; neque ei credendum eſt, ſi dicat, ſe poſſe talem licentiam concedere ad procuranda, vel etiam ſpontè oblata recipienda ſuperflua; ut benè tradit Lezana *tom. 1. Summ. capit. 6. numero* 13. cum Navarro, Thoma de Jeſu, Barthol. à S. Fauſto, & ex *declaratione Sac. Congregationis*, teſte Quaranta eam referente *in Sum. Bullar. v. Caſus reſervati, numero 6. pag. mihi* 157. Et ratio eſt, quia, ut diximus, illicita eſt proviſio, ſive ea procuretur, ſive ſpontè ab aliquo præbeatur. Vel enim eſt ad ſuperfluitatem & copiam in victu ipſius Prædicatoris; vel ſaltem ad theſaurizationem, & proviſionem in futurum. Quod ſic oſtendo: Vel enim Prædicator talem proviſionem aliundè procurat, aut ſpontè oblatam recipit, ut præter id, quod ſibi à deputata perſona prædicta ex pecunia Communitatis (quam ſuppono ſufficientem ad religioſam ſuſtentationem Prædicatoris, & ſocij) providetur, habeat undè lautiùs, & abundantiùs veſcatur: & ecce peſſimam ſuperfluitatem. Quam autem ob votum Paupertatis cavenda ſit ſuperfluitas, & pretioſitas rerum à Regularibus quibuſcúmque nedùm à Fratribus Minoribus, qui præ cæteris altiſſimam profitentur paupertatem; & alia ad hoc propoſitum vide apud Lezanam *citat. ab eo numero* 13. ubi diſertè de hac Religioſorum obligatione pertractat. Vel ideò procurat, aut ultrò exhibitam recipit, ut minùs expendatur de pecuniaria eleemoſyna Communitatis ad id deputata, & determinata; hócque ad eum finem, ut pro Fratribus Conventus, in cujus juriſdictione concionatur, poſt prædicationem præſtanda reſervetur ſumma, 18

quæ supereſt : & ecce afflictionem ſpiritus, per dictam ſollicitudinem de futuro, peſſimam avaritiam, & theſaurizationem contra Regulæ puritatem. Ergò talium proviſionum procuratio, ſive de licentia Superioris, ſive non; ſive per recurſum ad pecuniam, ſive non; eſt omninò illicita : cùm maximè pro pretioſis, ac delicatioribus, atque adeò non ad neceſſitatem, ſed ad ſenſualitatem, & ſuperfluitatem fieri plerúmque perbibeatur. Sed neque licet, ut dictum eſt; ultrò à quopiam oblatas proviſiones tales accipere; niſi fortè tempore ipſius prædicationis ab aliquo de populo, cui Prædicator concionatur; vel niſi parvitas materiæ, urbanitatiſvè cauſa excuſet : cùm nulla, ut oſtenſum eſt, præſens, vel imminens neceſſitas id requirat. Sat enim jam proviſum, vel providendum erit, ut ſupponimus, per Communitatis pecuniam, & eleemoſynam.

19 Verum quidem eſt, quòd ſi, ob Communitatis inopiam jam ſatis ab expertis aliàs compertam, vix ſibi & Socio ſuo ſufficientem proviſionem à perſona deputata ſubminiſtrandam fore Prædicator ipſe probabiliter pro certo haberet; vel aliqua fortaſſis ſpeciali re verè indigeret, quam perſonæ deputatæ, juxta religioſam prudentiam non decet exponere ſibi providendam: tunc libens concedo, quòd medijs licitis, & cum moderaminibus requiſitis, & rem illam procurare poſſit aliundè, & aliquam proviſiunculam ſibi comparare, vel ſpontè oblatam recipiendo, vel petendo. Eſt enim hæc rationabilis cauſa ita faciendi: ne ſcilicet proptet hujuſmodi expenſas gravati populi minùs Evangelium curarent ſibi nunciati. Nam & Paulus Apoſtolus, ne gravaret Populos, non eſt uſus poteſtate vivendi ex Evangelio, ſed labore manuum comparabat ſibi, & his, qui ſecum erant laborantes in Verbo, neceſſaria ad ſuſtentationem, ut ipſemet teſtatur 1. *ad Theſſalon. capit. tertio, & ſecunda, ad eoſdem capit. ſecundo*, & D. Lucas *in Act. Apoſtolor. cap.* 20.

20 Error alter eorum eſt, qui quali quali reſpectu, ſeu intereſſe eleemoſynam à Communitate uni ſubſtituto commiſſam, in aliam perſonam ſibi benè viſam transferunt, propria auctoritate, Depoſitarium ſeu ſubſtitutum Communitatis reſpuentes, & alium ſubſtituentes: contra Declarationem Nicolai III. *in d. cap. Exijt: & d. §. Cæterùm: & §. Et quia oportet*: ubi docet, ſubſtitutum, ſeu perſonam ſubrogandam à dante, & Domino pecuniæ, non eſſe ab ipſis Fratribus, ſi fieri poterit, nominandam, ſed ab eo potiùs juxta ſuum beneplacitum aſſumendam. Si tamen ipſe hoc nollet facere, vel non poſſet, vel quia receſſus ejus immineat, aut quia, quibus hoc velit committere, notitiam non habent fidelium perſonarum, ſeu quacúnque alia occaſione, vel cauſa : declarat, & dicit idem Pontifex, quòd tunc in nullo Regulæ puritas, infringitur, aut quomodolibet ipſius obſervantia maculatur, ſi Fratres ipſi alicujus, vel aliquorum illi curent dare notitiam, vel aliquos, ſeu aliquem nominare, aut etiam præſentare, cui, vel quibus, ſi eleemoſynam facienti placuerit, committi poſſit executio prædictorum, ideſt expenſio pecuniæ pro neceſſitatum Fratrum ſatisfactione; ac ipſius habeatur aſſenſus pro facienda : ſi opus fuerit, ſecunda, tertia, quarta &c. (uſque milleſimam, ut ait S. Bonaventura *in cap. 4. Reg.*) ſubrogatione, modo tamen prædicto, & cum proteſtatione; prout *ibi in d. paragrapho Et quia oportet*: Quomodo igitur? quo jure? qua auctoritate? quo Spiritu ductus præſumat Prædicator perſonam à Communitate deputatam, ſeu nuncium ejus reijcere, aliúmque pro ſuo libito eligere, pecuniámque in illum transferre, committere, & demandare? Certè, ſi ita ab aliquo Prædicatore fiat, aſſeverare non dubito, talem perſonam jure optimo videri poſſe, dici, & nominari, & eſſe potiùs ipſius Prædicatoris interpoſitam perſonam, œconomum, & Burſarium, quàm Communitatis nuncium, & ſubſtitutum, & talem depoſitam pecuniam jam non eſſe Communitatis; ſed fortè ipſius Prædicatoris, & in ipſum tranſlatum eſſe dominium, ac proprietatem, vel ſaltem ejus adminiſtrationem, aut diſpenſationem; cum jam non nomine, & auctoritate Communitatis, ſed nomine, diſpoſitione, & auctoritate Prædicatoris à tali perſona per ipſum, ut præfertur, electa pro ipſius arbitrio expendatur. En quale inconveniens, quàm gravis error ſequatur, niſi in hoc modos, & cautelas à prædicto Pontifice ordinatas percautè obſervet Prædicator? Præter ſcandalum, quod procul dubio haud leve apud ſcientes ſequi neceſſe eſt.

Quanta autem adhibenda ſit à Fratribus 21
Minoribus cautela in hujuſmodi vel ſimplicibus, & meris præſentationibus, vel nominationibus ſubrogandarum vel ſubſtituendarum perſonarum? ex eo etiam colligitur, quòd non licet eis nominare, aut præſentare dominis, aut eorum nuncijs ſubrogandas perſonas ſtolidas, aut qualeſquales, quæ ſcilicet neſciunt, aut nolunt pecuniam tractare & expendere,

expendere, nisi ad nutum, & dispositionem Fratrum; adeò ut doceri habeant à Fratribus, *Fac ita, vel ita: expende monetam hanc, vel illam, serva hanc*, &c. hujusmodi enim actus propriè administrationem dicunt, vel auctoritativam dispositionem pecuniæ, ejusvè usum per interpositam personam; quæ omnia Fratribus ex Regula interdicuntur. Ita docet, & monet à Politio noster *ad cap.* 4. *Reg. num.* 35. ex *Clem. Exivi*: §. *Porrò*: ubi Pontifex ait: *Quapropter præcipere, quòd, & qualiter pecunia expendatur, computúmque exigere de expensa, eam quomodocumque repetere, sive deponere, aut deponi facere; hos actus, & consimiles sciant Fratres sibi esse illicitos.* Ita Clemens. Immò, secundùm Petrum Joannem, neque possunt Fratres in prædicto casu nominandi, seu præsentandi, præsentare, seu nominare personam sibi in Conventu famulantem; ne videlicet appareat eorum interposita persona, vel Bursarius ad eorum mandatum, & nutum pecuniam expendens. Quod certè advertendum valdè est, saltem ratione scandali.

22 Atque hinc mihi non placet, quòd consuetudine, fereque communi praxi invectum est: quòd nimirum eadem semper certa persona nominetur, aut præsentetur. Inde enim fit, ut Fratrum Syndicus, vel Procurator communi existimatione reputetur; ut sæpe sæpiùs pronunciatum mihimet contigit audire cum rubore à plerisque, quos etsi de veritate rei sufficienter instruxerim, ægrè tamen certioratos remanere animadverti. Hæc autem communis existimatio ex eo roboratur, quòd cùm quis hujusmodi pecuniarias eleemosynas nolens ipse per se expendere, & quærens à Fratribus, cuinam possit illam dare expendendam pro ipsis, eandem personam nominant, vel præsentant, omissis cautionibus, & protestatione, de qua Nicolaus III. *in d.* §. *Et quia oportet*: nec dicunt depositanti, vel committenti illi, ut ipse specificet personæ, in quas res nomine suo expendere debeat pecuniam, &c. Quid verò, si pessimus accedat abusus sollicitè procurandi hujusmodi depositiones pecuniarum statim ac Missæ verbi gratiâ pro aliquo celebratæ sunt, vel ob alia quælibet præstita à Fratribus Ministeria? Cùm, & si quis ob Missas pro eo à Fratribus celebratas, aut etiam omninò gratis, & nulla ratione eo... tidori, dicat alicui Fratrum, putà Guardiano: *Ego volo facere eleemosynam tanta pecunia, dic mihi cuinam debeam illam dare, ut pro vobis expendat.* Tunc Frater, etiamsi Guardianus, non potest, juxta allatam supra declarationem Nicolai III. *in d.* §. *Cæterùm*: statim præsentare, vel nominare personam ullam. Adhuc enim non se declarat benefactor ille, an velit, vel possit per se pecuniam illam expendere, & providere de rebus utilibus, nec ne. Sed ita dicit, putans, Fratres habere Syndicum, vel Procuratorem, qui pecunias etiam sub ratione stipendij politici, & civiliter debiti, pro eis recipiat, & expendat. Quare tunc à Guardiano benefactori illi respondendum duxerim in hunc modum, vel similem: *Non me ingero in pecunia: fac de ea, quod tibi Charitas Dei inspirat: nos enim nullam habemus personam, Procuratorem, Syndicum, vel OEconomum, qui pro nobis recipiat, expendat've pecuniam.* Quòd si eleemosyna illa sit oblata pro Missis, &c. subdere etiam poterit: *Nos Missas celebravimus absque intuitu, & interesse temporalis mercedis: neque tibi ulla incumbit obligatio legitima, vel politica dandi caipiam pecuniam pro nobis, quam nec per interpositam personam recipere possumus, nedum per nos ipsos. Si tamen tu ex Charitate vis nobis pro illis aliquâ eleemosynâ gratificari, & pecuniam expendere; fac quod placet, & Deus inspirat.* Hi sunt termini, inter quos debet se continere Guardianus cum ita loquente, ut suprà.

Quòd si ille iterum dicat: *Ego volo hanc pecuniam pro vobis expendere, sed nolo, vel non possum habere curam illius expendendæ.* 23
Adhuc Guardianus non potest dicere: *Da tali, vel tali*, vel, *Da alteri, qui pro te expendat.* Esset enim id pecuniam deponi facere. Tantùm igitur poterit dicere: *Non me ulteriùs ingero, fac quod placet, tu tibi consule.* Si verò denique dicat: *Dabo ergò tali, qui eam expendat.* Tunc Guardianus assentiri poterit; sed debebit ei protestari, ut statuit Nicolaus III. *in d.* §. *Et quia oportet*: actum scilicet illum fore nomine ipsius dantis, & penès ipsum remansurum dominium pecuniæ, donec non fuerit conversa in rem Fratribus utibilem. Prudenter etiam aget, si ab ipso dante specificari curet res, pro quibus intendit eam expendi: hícque refricanda est Doctrina §. *præcedentis*. Quòd si fortè benefactor ille esset alienigena in eo loco, vel recessurus, ob idque non cognosceret, cuinam fideli personæ vices suas committeret pro expendenda pecunia, rogarétque, præsentari, indicari, vel nominari sibi à Guardiano aliquem aptum, &c. tunc licebit Guardiano præsentare, vel indicare personam fidelem

cum qua, facta ei commissione à dante, poterit se habere, sicut mox dictum est de persona ab illo propria electione deputata. Vides ergo, quàm cautè in hac materia incedendum: & quàm verum sit, quod docet S. Bonaventura *in qq. circa Regulam, quæst.* 25. nimirùm non fuisse intentionem Beatiss. Patris Francisci per prohibitionem receptionis pecuniæ, cùm per se, tùm per interpositam personam obstruendi Fratribus opportunitatem necessaria procurandi, eum scilicet procurare licet; & spontè etiam oblata per expensionem pecuniæ recipiendi, servatis cautelis, & moderaminibus requisitis, prout facilè servari possunt à Regulæ studioso, & cum advertentia circa ejus observantiam incedente, cùm nihil in ea incongruum, & inobservabile Ecclesiæ judicio perbibeatur. Undè benè concludit *ibi* Sanctus Doctor: *Ideò voventibus eam non est laqueus perplexitatis, licèt indigeant diligenti cautela, ne offendant contra eam, qui debent aliqua necessaria per pecuniam procurare;* (adde etiam, qui spontè oblatæ pecuniæ subsidium percipere volunt) *qua tamen cautela magni est meriti: quamvis illi tutiùs ambulent, qui se subtrahunt à talibus negotijs, qui ad ea ex officio non coguntur.* Ita egregiè S. Doctor, quem velim à Fratribus benè auditum.

24 Quæres, Quid ergo agendum, vel quomodo se gerere poterit Prædicator, si substitutus ille Communitatis infidelis fortè sit, aut negligens, aut incapax in providendo necessitatibus Prædicatoris?

25 Respondeo: Si infidelis sit, aut negligens, poterit Prædicator, secundùm Nicolai III. declarationem *in eo §. Caterùm: verf. Liceat,* &c. adeóque sine suæ Professionis offensione, illum charitativè, & piè admonere, exhortari, & inducere, ut fideliter in re commissa se habeat, & animæ suæ saluti in commissa sibi executione provideat: ita tamen, quòd ab omnibus verbis, vel factis abstineat, quæ juridicam pecuniæ expendendæ prætensionem, aut administrationem, seu dispensationem præseferre sint apta. Quòd si non se emendaverit, poterit Dominis, seu Gubernatoribus Communitatis, à quibus deputatus fuit, notificare cum prudentia, & sobrietate, qualiter res se habeat; ita tamen, ut proposita illis difficultate simpliciter, & purè, prout occurrit, infidelitatis scilicet, vel notabilis negligentiæ illius; Prædicator nihil aliud se velle præseferat, quàm ut ipsi Gubernatores invigilent, & provideant cum Deputato. Et cavere debet, ne dicat. *Substituite illum, vel illum, ex quo hic non est aptus;* &c.

Si verò fuerit incapax, poterit Prædicator, secundùm eundem Pontificem *ibid.* & salva, ac intemerata Regulæ puritate, specificare, & exponere illi confidenter singula, quibus indiget, in quantitate, & qualitate necessaria, ipsúmque rogare, quòd ita provideat, cum cautelis prædictis. Quòd si adhuc non benè ille se gerat in re commissa, poterit notificare, ut suprà. 26

Atque hæc, quæ licere Prædicatoribus, quoad Communitatum substitutos docuimus, intelligenda sunt à Fratribus etiam de quocúmque alio alterius dantis substituto; ubi tamen pecunia fuerit data specificatio rebus, in quas debet expendi. Nam ubi fuerit indifferens, recurrendum est ad doctrinam traditam *in §. præcedente,* ubi de hoc satis. Et de his hactenùs, tam quoad Fratres in communi, quàm quoad Prædicatores, dicta sufficiant. 27

---

§. XVI.

Recapitulatio doctrinæ traditæ pro solutione objectionis factæ §. 10. & Epilogus totius Consilij; Ubi de certitudine eleemosynæ in Ecclesia Dei, & præcepto illius.

Segmenti Primi

Summarium.

1 *Legatum annuum simplex Minoribus relictum instar Depositi est, vel Mandati.*

Depositum non est causa dominij translativa, ibid.

Depositarij officium quale sit, ibid.

Depositi definitio, ibid.

Mandati definitio refertur, ibid.

2 *Provisio deposita ab aliquo Devoto pro Minorum necessitatibus motu proprio, Fratribus non procurantibus directè vel indirectè, neque civiliter acceptantibus, neque alio pro ipsis, licita est, ut explicatur*, ibid.

3 *Minores an & quomodo resistere debeant spontaneæ depositoris, mandatoris, aut testatoris dispositioni circa provisiones, vel annua legata pro ipsorum necessitatibus.*

4 *Qualis provisio Regulæ Minoricæ repugnet.*

Non

Non omnis provisio, sicut non omnis receptio res pecunia comparata, Minoribus interdicta est, ut declaratur, ibid. & num. 5.

Manifesta non indigent probatione, ibid.

5 *Provisionis procuratio etiam diuturnæ rerum necessariarum non modò licita, sed etiam aliquando præcepta sub Mortali, salva puritate paupertatis Minoricæ.*

6 *Provisiones in casibus licitis pro necessitatibus Minorum, debent esse moderatæ, ut semper sancta paupertas reluceat, nec violetur per superfluitatem.*

7 *Provisiones depositæ pro Fratribus, sine Fratribus, non habent certitudinem repugnantem dependentiæ speciali à divina providentia, & paupertati Minoricæ.*

Idemque dicendum de Eleemosynis Morientium hæredibus commissis, n. 8.

8 *Legata annua Minoribus relicta quomodo ab ipsis acceptari possint salva Regulæ puritate.*

9 *Certitudo moralis provisionum seu eleemosynarum pro Minoribus relictarum, vel depositarum, ex parte hæredum, vel mandatariorum, non repugnat professioni Minoricæ paupertatis*, & n. 10.

10 *Merces debetur laboranti de jure divino & naturali.*

Votum paupertatis & heroicæ mendicitatis non tollit jus naturale, neque certitudinem moralem ex eo provenientem, ibid.

11 *Certitudo moralis eleemosynarum ex devotione Fidelium non repugnat voto paupertatis Minoricæ.*

1 Videar tibi fortè longiùs æquo ab instituto digressus in confutatione objectionis de acceptata provisione diuturna *decimo superiori paragrapho* instituta. Nihilominùs ea, quæ quatuor, vel quinque hisce ab hinc paragraphis elucidata sunt, non abs re esse comperies, ubi sedulò animadverteris, quòd, quæ de pecuniæ procuratione, acceptatione, & perceptione statuta sunt, eadem prorsùs statuenda quóque sunt de procuratione, acceptatione, & perceptione diuturnæ provisionis ab aliquo devoto depositæ: quæ autem de utriusque horum, eadem etiam adamussim statui oportere de procuratione, acceptatione, & perceptione annui legati simplicis ad Fratrum necessitatibus providendum relicti; sive demùm indè partialis, sive etiam totalis, & ad quodcúmque temporis spatium, vel in perpetuum, ejusmodi provisio Fratribus resultare perhibeatur. Siquidem legatum annuum simplex, est quodammodo depositum, vel mandatum; ut tradidimus *hic suprà §. 2 num. 19. & 20. & §. 3. num. 13. & §. 14. num. 16. allatis Iuribus, & Abbate.* Nam sicut depositor, vel mandator committit rem suam fidei depositarij, vel mandatarij ad eam custodiendam, & sibi reddendam, quoties pro suo libito repetierit; ut *in cap. Bona fides: extra, de deposito: & in l. 1. §. Si deposuero: ff. Depositi:* & cummuniter tradunt Doctores; vel ad eam alteri reddendam, seu præstandam (quæ est propriè ratio mandati) pro satisfactione suæ voluntatis: undè nec dominium, nec proprietas, nec possessio rei depositatæ vel mandatæ in depositatium, vel mandatarium transfertur, (nisi fortè in aliquo casu dominium utile) sed remanet apud depositorem, vel mandatorem; juxta *l. licet: §. res depositæ: ff. depositi, vel contra:* & ex *l. Si mandavero: §. si tibi centum: ff. Mandati, vel contrà.* Immò nec ullus rei depositæ, vel mandatæ usus depositatio vel Mandatario absolutè conceditur; sed potiùs uterque horum post acceptationem subit onus, atque obligationem fideliter custodiendi, & reddendi, sive præstandi aut depositori, aut alteri, cui mandator præstandum jusserit; ut commune est apud Theologus, Summistas, & Juristas. Ita & Testator fidei hæredis, vel executoris sui rem legatam ad custodiendum simul, & reddendum, sive præstandum legatario, legando credit, & committit, vel mandat. Hócque patet ex ipsis definitionibus Depositi, Mandati, & Legati. Sicut enim definitur Depositum, quòd sit id, quod alicui custodiendum datum est, ut integrum reddatur: ita ut, si sit reddendum eidem, qui dedit, dicatur propriè Depositum, & depositarius teneatur actione Depositi; si verò alteri Tertio reddendum, seu deferendum sit, propriè dicatur Mandatum, & Mandatarius teneatur actione Mandati; ut docuimus *suprà* §. 14. *num.* 16. cum *Pomponio*, & *Vlpiano*. Vide Rebellum *part. 2. de obligat. Iust. lib. 16. quæst. unica, numero 1.* Filliucium *tom. 2. part. 2. tractat. 33. capit. 1. numero 1. 5. & 21.* Hermannum *in Medulla Theol. Moral. lib. 3. tractat. 4. cap. 3. dub. 5. §. Depositum:* Sylvestrum *in Sum. v. Depositum numero 1. & l. 1. §. 1. & §. si te rogavero: ff. Depositi, vel contra:* & ibi Scribentes communiter. Sicut etiam definitur Mandatum, quòd sit imperium, quo quis aliquid jubet ad satisfactionem suæ voluntatis, nullâ datâ pecuniâ: vel aptiùs: quòd

sit officium ab eo, qui gratis suscepit, exequendum: ut verbi gratiâ præstatio rei, quam quis ab aliquo alteri præstandam, vel deferendam accepit: Et hoc est exemplum Mandati, causâ alterius tantùm. Vide *l.1.ff. Mandati, vel contrà: & Institut. de Mandato, §.1. & ult.* Filliuc. *tom.2. part.2. tractat.39. capit.1. numero 1.* Lezanam *tom.4. Sum. v. Mandatum quoad Regulares, numero 2.* Sylvestrum *in Sum. v. Mandatum, num.1.* Azorium, Accursium, Molinam, Bonacinam, & Layman apud Lezanam *cit.* & alios communiter. Ita & Legatum definitur donatio quædam ecce officium donationis exequendum à suscipiente) à Testatore, vel defuncto relicta, & ab hærede præstanda; vel ab Executoribus Testamenti; veluti à Mandatarijs. Vides ergo, quam conveniat Legatum cum Deposito, & præsertim cum Mandato; ut diximus.

2 Cùm igitur provisio aliqua, sive pecuniaria, sive alterius rei necessariæ in futurum, etiam in perpetuum, pro Fratribus Minoribus ab aliquo donatur, sive inter vivos, sive mortis causâ, sive etiam legatu, ita ut illam deponat, vel relinquat, & credat in manibus alicujus depositarij, aut Hæredis, vel Executoris suæ voluntatis; sufficit, quòd id spontè, seu motu proprio ab ipso fiat Fratribus non procurantibus, agentibus & inducentibus eum directè, vel indirectè ad id præstandum, & insuper quòd voluntariam hujusmodi largitoris provisionem depositam, vel relictam, Fratres non acceptent, agnoscant, vel acquirant civiliter, nec quisquam alius id præstet, specialiter pro ipsis Fratribus agens, aut se habens: ita ut quidquid indè Fratribus annuatim provenit, ipsis proveniat sine ipsis, gratis, & eleemosynaliter, ex nullo civili vinculo, aut certitudine. De cætero nihil aliud est, quod prohibeat, ne possint licitè annuatim, vel quacúmque alia temporum divisione, juxta largitoris voluntatem, & mandatum, capere, secundùm moderamina requisita, provisionem prædictam, & ad ipsam piè, & humiliter recurrere in necessitatibus suis, apud mandatarium, vel depositarium, substitutum, hæredem, vel Executorem; etiamsi omnes isti teneantur in cũscientia rem illam reddere, & præstare pro satisfactione voluntatis depositoris, Mandatoris, vel Testatoris legantis, & mandantis.

3 Ad resistendum autem spontaneæ hujusmodi depositoris, vel Mandatoris, aut Testatoris legantis dispositioni, nulla tenentur Fratres suæ ipsorum Professionis lege, sed tantùm de congruo, & ad majorem proximorum ædificationem. Hócque est, quod distinctè exprimitur *in nostris Constitut. cap.4.* illis verbis: *Et al tutto si guardino, che visitando alcun' infermo, non l'inducano direttamente, ne indirettamente à lasciarli cosa temporale.* Nota illa verba: *Et al tutto si guardino*, &c. per illa enim habes omnimodam prohibitionem procurationis legatorum; sicut & quarumcúmque aliarum provisionum diuturnarum, seu in futurum. Nota indè sequentia: *Anzi, volendo da se farlo, resistano, quanto giustamente possono*, &c. Ecce obligationem de congruo dumtaxat; & gratiâ ædificationis adimplendam. Preme denique & illa: *Ne accettino legati contra la dichiaratione di Nicolo III. e di Clemente V.* hoc est, vel non acceptent civiliter titulos immobiles legatorum; vel etiam, nec de facto recipiant legata, quæ receptionem usufructus legati importent; ut nos pro universâ hujus textus Constitutionum explicatione docuimus *Artic.1. §. 19. & 20.* & alibi.

Hoc igitur tenendùm: Verum quidem esse, aliquam provisionis habendæ, speciem repugnare speciali dependentiæ à divina providentia, ad quam tenentur Fratres Minores: eam scilicet, quæ fit à Fratribus ipsis immediatè, & per se mendicantibus, & congregantibus in horrea, & cellaria, apud se, vel apud alios, (ultra licita pro præsentibus, vel imminentibus necessitatibus) in futurum: vel ea etiam, quæ non quidem à Fratribus immediatè, & per se fit; sed ab alio, ipsis tamen agentibus, & procurantibus, veréque inducentibus, ut talis persona id faciat, quod est, id ab ipsis fieri per interpositam personam. Non indè tamen argumentari licet, & inferre: Ergò omnis provisio pro Fratribus Minoribus ordinata, vel facta ita est eis interdicta, ut nequeant de ea licitè recipere, secundùm indigentias suas, vel etiam ad eam piè, humilitérque recurrere, ubi noverint illam existere pro ipsis, sine ipsis ordinatam, & mandatam. Quemadmodum verum quidem est, aliquam receptionem rei pecuniâ comparatæ esse Fratribus Minoribus ex Regula prohibitam; cùm scilicet ab ipsis ejusmodi pecunia, vel pecuniæ expensio directè, vel indirectè procurata est; vel pecunia spontè quidem oblata est, & depositata apud substitutum; sed à Fratribus, vel ab alio ex parte ipsorum se habente civiliter tenetur, administratur, expenditúrque. Non indè tamen deducere per consequentiam licet: Ergo omnis receptio rei pecuniâ comparatæ est Fratribus interdicta, Hoc enim 4

sic

sic absolutè pronunciatum, est manifestè falsum. Manifesta autem, probatione non indigent; (ut tradit Gloss. *in l. si verò: §. qui pro: ad v. Evidentissimè: ff. Qui satisdare coguntur, vel jurat promittant: & in l. emptorem, ad vers. Quia manifestam, ff. de action. empti, & venditi*: & est *argum. in l. ea quidem, C. de accusationib. & inscriptionib.* ubi Gloss. *ad v. Necne notorijs*.) Siquidem distinguere oportet inter receptionem rei pecuniâ comparatæ, intercedente procuratione Fratrum, citra necessitatem, & licentiam Ministri, vel Custodis; & inter receptionem ejusdem rei sponte, seu motu proprio ab alio exhibitæ, & paratâ pecuniâ per se, vel per substitutum traditæ; ut patet ex dictis *in superioribus §§*.

5 Præterea neque omnis perceptio provisionis diuturnæ, etiam Fratrum procuratione verè interveniente, prohibita Fratribus perhibetur; sicut nec omnis perceptio rei pecuniâ comparatæ, vera etiam Fratrum procuratione intercedente, illicita ipsis deprehenditur: Nam sicut interdum ipsa procuratio rei pecuniâ comparatæ, vel comparandæ necessaria est, & sub mortali præcepta; ut Ministris, & Custodibus pro necessitatibus infirmorum, & pro induendis Fratribus, & pro alijs æquivalentibus necessitatibus; sive postea pecunia, pro hisce necessitatibus sublevandis procuretur per donationem, & eleemosynam alicujus amici spiritualis inter vivos donantis, sive mortis causâ; sive etiam per ultimam voluntatem, & legatum, (quoad procurandam tamen eleemosynam à Moriente, recole, & omninò tene, quod docuimus *art. 1. §. 20 num. 2.*) Ita interdum quoque licita est Fratribus procuratio provisionis diuturnæ rerum pro sustentatione vitæ necessariarum, verbi gratia, vini, vel hujusmodi, ubi nimirum, attento Ministrorum, & Custodum judicio, tùm simul, tùm separatim, cum consilio, & consensu Guardiani illius Conventus, duorúmque Discretorum Sacerdotum, & antiquorum Fratrum in Ordine, valdè credibile esset, quòd vitæ necessaria ex quotidianis mendicationibus, aut etiam spontè oblatis, commodè haberi non possent: dummodò tamen provisio hujusmodi moderata in diuturnitate, quantitatéque fiat quantùm necessitas patitur, & citra scandalum, quod semper valdè cavendum est. Nonranter tamen dictum est: *Ubi attento Ministrorum &c. valdè credibile esset &c.* Quia timor levis (quantò autem minùs anxia, & superflua sollicitudo) non excusat ad tales provisiones faciendas; sed tunc tantùm fieri poterunt, cùm experti valdè credibile judicant, quòd sine talium provisione non possent alio tempore vitæ necessaria inveniri, haberique.

Dictum est etiam, quòd provisiones hujusmodi fiant moderatæ, & sobriæ, quantùm necessitas patitur: Quia nunquam admittitur vitium superfluitatis, copiæ, & abundantiæ; sed solùm provisio futuræ necessitati, ut præfertur; secundùm statum nostrum, itaut semper Paupertas Sancta relucéat, prout nobis ex Regula indicta est, etiam in usu simplici rerum; & ut ait Nicolaus III. *in eo cap. Exijt: §. Insuper nec utensilia*, Ad necessitatem enim tantùm, est licitum mendicare; non autem ad superfluitatem, & copiam, vel ad thesaurizationem; quia sic esset accipere alienum, ut inquit Auctor Conformitatum *in Serena Conscientia*, & omnes Regulæ Expositores, teste Politio *ad cap. 6. Regul. num.* 81. Undè *in nostris Constitutionibus cap.* 6. Sanctissimum illud, aureumque monitum nobis datur, non solùm quoad mendicata, sed etiam quoad spontè oblata accipienda; videlicèt: *Per lo che sopra' l tutto avertano i Frati, che abbondando di limosine per favor de' Grandi, e per la divotione del mondo, non abbandonino la Santissima Madre Povertà, come non legitimi figliuoli del P. S. Francesco, mà si ricordino di quelle belle parole, ch'esso Serafico Padre era solito di dire con ardentissimo affetto d'amore, Io ringratio Iddio, che per sua bontà hò sempre servata la fede alla mia diletta sposa Povertà. Non fui mai di limosine ladro; perche sempre accettai manco di quello, che mi bisognava, acciòche gli altri Poveri della loro parte non fossero, defraudati, perche fare il contrario è furto appresso à Dio.* Hæc ibi. Et secundùm prædicta intelligendus est S. Bonaventura *in cap. 6. Reg. & q. 7 in qq. circa eandem Regulam*: (similiter & Hugo, cum quatuor Magistris, ubi de aliquorum provisione licitè facienda loquuntur, Vide Politium *cit.* 6

Recipere ergò, seu capere de spontè oblatis, & depositatis à quolibet in futurum pro Fratribus, sine Fratribus, sive depositara, vel commissa ea fuerint alteri à largitore vivente per donationem vel eleemosynam inter vivos, aut mortis causâ: sive à moriente per donationem, vel eleemosynam in testamento, vel ultima quacúnque voluntate; non solùm non habet annexam certitudinem repugnantem dependentiæ speciali à divina providentia, quam profitentur Fratres Minores; (modò ex parte Fratrum absit omninò civilis acceptatio, vel acquisitio tituli immobilis ad illa percipienda, vel petenda) quinimmò 7

immò,) ut benè Gallitius *in suo M. S.*) & spectat ad sæcularium pietatem, & misericordiam, & est effectus proprius ipsius divinæ providentiæ, qua Deus ità curam gerit de pusillo suo Grege Fratrum Minorum, movendo hujusmodi Depositores, vel Mandatores, ut præfertur; ad nobis pauperculis providendum. Quod enim fit à depositarijs, vel mandatarijs, hæredibus, vel commissarijs eorum, perindè est ac si ab ipsis fieret, excepta revocabilitate, ubi mors contigerit hujusmodi largitorum, nun revocata re maodata, deposita, vel commissa, quæ à depositarijs, mandatarijsve revocari non potest, neque ab hæredibus corundem largitorum; sed non obstante concedentium ipsorum morte, vel hæredum eorum contradictione, debet Fratribus ad satisfactionem voluntatum illorum fideliter erogari, & præstari; atque ad illos possunt Fratres recurrere; ut clarè declarat Nicolaus III. *in d. capit. Exijt: paragrapho Ad majorem autem &c.*

8 Et quod dicitur de Mandatarijs, vel Depositarijs mandantium, vel depositaotium in vita; à fortiori dicendum est de hæredibus, vel commissarijs, quibus à Morientibus hujusmodi eleemosynæ, vel donationes in ultimis voluntatibus præstandæ, reddendæque Fratribus mandantur, & committuntur. Undè benè arguit noster à Politio *cit. n.*56. ubi quærens, Num Fratres possint acceptare legata, scilicet simplicia, seu (ut ipse loquitur) particularia? est enim legatum annuum simplex, alimentorum præsertim causâ relictum legatum particulare in annos singulos, & quidem pro primo anno absolutum, pro futuris verò tot legata conditiunalia quot anni; ut alibi tradidimus, allatis Juribus, & Doctoribus, *artic.*1.§.24. *num.*2. *&* 3. & aliàs, ut ibi citatur. Respondet ille: Benè poterunt Fratres hujusmodi legata (si indigeant) acceptare: (sume ly, *Acceptare*, grammaticaliter prout tradidimus *artic.*1. §.17 *numer.*2.) est enim legatum donatio, vel eleemosyna quædam à Testatore relicta, & ab hærede, seu Executoribus testamenti post mortem Testatoris præstanda; ut colligitur ex *Instit. de legatis*: §. 1. Modò; si licitum est Fratribus à Viventibus eleemosynas necessarias quærere, & recipere; licitum ergò etiam erit eis, eleemosynas à Testatoribus relictas acceptare; dummodò talia eleemosynaria legata modo congruo, & licito nostro statui, & in quantitate moderata relinquantur. Quia sicut in illis à Viventibus largitis eleemosynis, sic in istis in ultimis voluntatibus relictis nullum nobis civile jus acquiritur. Hæc ille optimè. Modo autem incongruo & illicito nostro statui tunc relinquuntur legata, non cùm in annos singulos simplex legatum, præsertim ad alimenta, relinquitur; sed cùm legatum relinquitur, usum, vel usumfructum importans alicujus boni immobilis, ut domus, agri, vel vineæ; aut boni inter Immobilia computati, ut annui Census, vel reditus certi, & constituti; ut docuimus *artic.* 1. *pluribus in locis.* aut cùm relinquitur in fraudem hæreditatis, ideft cùm relinquitur hæreditas sub palliata forma legati; ut declarant Nicolaus III. *in capit. Exijt: paragrapho Ad hæc quia*, quoad primum; Clemens verò V. quoad secundùm, *in Clement. Exivi*, §. *Proindè*: *versicul. Nec licet eis &c.*

Quòd autem Certitudo moralis, quæ sola provisionibus, seu eleemosynis præfatis annexa est, ratione obligationis in foro conscientiæ existentis in depositarijs, mandatarijs, substitutis, hæredibus, vel gravatis, aut commissarijs hujusmodi largitorum, non repugnet statui, & Professioni prædictæ Fratrum Minorum, aliàs probavimus, & tenet Corduba *in superioribus* allegatus, quem sequitur Rodericus *item cit.* & alter quoque Rodericus *in Compend. Resolut.*88. *de legatis in testamento, paragrapho Tandem*, quòd talis *Frater &c.* 9

Et ratione etiam convincitur: Secùs enim non possent Fratres Minores vivere ex ijs, quæ per laboritium comparantur. Merces enim laboris debetur (secluso etiam pacto, & jure Civili) laboranti & operanti, de Jure naturali, & divino: reste enim, vel ut aptiùs loquar, Judice ipso Deo, & homine Christo Jesu, (*Matth. cap.* 10. *& Lucæ cap.* 10.) *Dignus est operarius mercede sua, cibo suo.* Licèt igitur Fratribus Minoribus laborantibus sive corporaliter, sive spiritualiter pro aliquo, non debeatur ab illo merces ex Jure, vel obligatione civili & politica; cum illi nequeant ex contractu locati & conducti inire civile pactum de sui laboris mercede cum eo, cui operam suam præstant; sed solummodò eis liceat (secundùm Regulam *cap.* 5.) humiliter, & piè eam expectare, vel etiam petere, & recipere; pro ea videlicet recipiendo necessaria corporis pro se, & suis Fratribus, præter denarios, & pecuniam: attamen inficias iri non potest, debere eis mercedem juribus prædictis, quæ utique moralem inferunt certitudinem recipiendi eam. Neque enim ipsi Fratres per votum Paupertatis, & heroicæ mendicitatis, tàm in communi, quàm in particulari, quo abdicarunt à se omne jus Civile, ejúsque omnes actus ad 10

res temporales, & corporales abdicasse quóque censendi sunt Jus naturale, quo scilicet cum sui puritate Voti, tùm ipsi alijs, tùm alij ipsis possunt esse obligati; ut docuimus *art. 1. §. 13. num. 13. & artic. præsenti §. 1. n. 14. & seqq.* & alibi.

Neque item possent Fratres vivere ex ijs, quæ eleemosynaliter petunt ab hominibus, qui sunt abundantes in sæculo; ab illis præcipuè, quos pios, misericordésque noverunt, atque ad opem pauperibus, aut sibi ipsis specialiter impendendam propensos. Hæc enim omnia profectò secum afferunt moralem admodùm certitudinem. Quid, quòd quantò majori Fratres angerentur necessitate, & opportuni subsidij destitutione, tantò minùs ipsis liceret eleemosynam petere, & capere ab ijs, qui obtinuerunt divitias, præcipuè ex Beneficijs Ecclesiasticis.

SEGMENTI SECUNDI SUMMARIUM.

12 *Divites, & præsertim Beneficiarij Ecclesiastici omni jure tenentur ad eleemosynam pauperibus faciendam.*
Eleemosyna est actus Misericordiæ & Charitas est in præcepto, ita & Eleemosyna. ibid.

13 *Pauper dicitur qui simpliciter aut mediocriter secundùm suam conditionem vivere non potest nisi ei subveniatur.*
Pauperum appellatione veniunt etiam Ecclesiæ, & loca pia, & Religiosi, præsertim Minores.

14 *Non una & eadem est obligatio Divitum subveniendi Pauperibus ob triplicem differentiam necessitatum Pauperum, & bonorum erogandorum Divitum.*
Pauperum necessitas alia communis, alia gravis, alia gravissima. ibid.

15 *Divitum bona alia dicuntur simpliciter necessaria ad vitam tolerandam, alia necessaria ad statum decenter conservandum, alia superflua.*
Bona Divitum superflua quæ dicantur. ibid.
Necessarium dicitur dupliciter ex S. Bonventura. ibid.
Eleemosyna ex quibus bonis fieri debeat ut satisfactoria sit. ibid.

16 *Eleemosynæ præceptum obligat singulariter Beneficiarios Ecclesiæ ab subveniendum Pauperibus in quacunque necessitate existentibus; quos etiam quærere debent.*
Eleemosynæ præceptum Fideles reliquos obligat tantum in gravi, vel extrema necessitate, ut per varia exempla declaratur. ibid.

17 *Beneficiarij Ecclesiastici ex quibus bonis, & ad quam usque quantitatem eleemosynam erogare teneantur.*

18 *Navarri doctrina refertur de obligatione Beneficiariorum Ecclesiæ erogandi pauperibus quæ ipsis superfunt, non obstante consuetudine contraria.*
Bona Ecclesiæ, bona pauperum sunt. ibid.
Bonorum Ecclesiæ verus Dominus est ipse Christus. ibid.

19 *Opiniones moderatoriæ & probabiles de obligatione Beneficiariorum de eroganda eleemosyna pauperibus, licet stare possint, Navarri tamen sententia tutior videtur, quæ adducitur & probatur.*
Bona Ecclesiæ, vota sunt Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia Pauperum. ibid.

20 *Beneficiariorum Ecclesiasticorum obligatio de Eleemosyna eroganda, est vera & specialis justitia, ex bonis Ecclesiæ.*
Et quid dicendum de bonis patrimonialibus? declaratur. ibid.
Beneficiarius non habens bona patrimonialia, vel quasi, an & quomodo seipsum inter Pauperes considerare possit, & bona sui beneficij sibi applicare. ibidem.
Et fructus beneficij malè perceptos, vel restitutioni obnoxios, sibi tanquam pauperi retinere. ibid.
Beneficiarius habens patrimonialia, vel quasi, non tenetur de illis vivere, & reditus beneficij pauperibus erogare. ibidem.
Beneficiarius quantum ex fructibus beneficij possit assumere ad decentem sustentationem. ibid.

21 *Laicorum, vel etiam Clericorum non beneficiatorum obligatio qualis sit circa eleemosynam pauperibus erogandam, & ex quibus bonis.*
Eleemosynæ denegatio præjudicium est damnandæ animæ. ibid.

22 *Divites tenentur etiam de bonis ad statum necessariis subvenire pauperibus in extrema necessitate existentibus; & quid in gravi?*

23 *Divites multi damnantur quòd pauperibus in gravi necessitate non subveniant de bonis ad statum necessariis: nec non eorum Confessarij.*

Superflua

Superflua ad statum conservandum nemo ferè habere fatetur. ibid.

24 *Eleemosynæ præceptum an obliget citra excusationem præter extremam necessitatem.* & num. 25.

Rosella, & Dianæ sententia refertur. ibidem.

26 *Eleemosynæ præceptum an & quando obliget, necne, ex doctrina D. Thomæ.*

27 *Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones, esse peccata mortalia, vel etiam venialia.*

Ioannis Gersonij Parisiensis Cancellarij doctrina refertur. ibid.

Mandata Dei plus iusto non sunt arctanda. ibid.

De conscientia erronea. ibid.

An opiniones benigniores probabiles in foro pœnitentiali sequendæ. ibid.

28 *Divi Thomæ doctrina & verus sensus aperitur circa eleemosynæ præceptum.* & num. 29.

29 *Contraria sententia reijcitur.*

30 *Laici, & Clerici Beneficiati habentes superflua naturæ, & statui tenentur de illis erogare in eleemosynam pauperibus in communi necessitate existentibus, vel patientibus quoad decentiam ipsorum status.* & num. 31.

31 *Pauperes necessitatem patientes quoad decentiam status, dicuntur esse in gravi necessitate.*

CErtum enim est, (ut paulò latiùs argumentum prosequamur rei nostræ
12 non dissonum) teneri divites, & præsertim Beneficiarios Ecclesiæ, Iure naturali, divino, & Canonico ad eleemosynam pauperibus faciendam; itaut Sylvester *in sum. versic. Eleemosynam, num. 9.* quæstionem excitet, Utrum pauperibus contra divites competat actio, ut eis subveniant? Respondet autem, cum Panormitano *in cap. Si quis: extra, de furtis*; quòd non; sed benè possunt implorare Iudicis, seu Superioris officium, ut eos cogat; & Ecclesia eos cogere potest; ut notat Gloss. *in cap. Sicut ij: 47. dist.* argumen. *cap. ad Apostolicam: extra, de Simonia.* Quod tamen verum ait ille esse, quando sunt in tali necessitate; & divites in tali abundantia, quòd eis subvenire tenentur divino præcepto. Et idem docet Navarrus *Tract. de Eleemosyna num.* 58. Lorichius *infra cit.* §. 10. & alij. Quòd autem teneantur primò Iure naturali, ut diximus, patet quia ratio naturalis dictat, ut quod nobis volumus, alteri faciamus; & quòd proximum nostrum diligamus non verbo tantùm aut lingua, vel solo affectu, sed magis opere & veritate; sicut nos ipsos. Et confirmatur, quia eleemosyna est actus Misericordiæ, & Charitatis: quare si Charitas est in præcepto, præsertim modò in Lege Gratiæ, etiam erit eleemosyna, quæ est ipsius actus mediatus, immediatus autem Misericordiæ, secundùm D. Thomam 2. 2. *quæst.* 32. *artic.* 1. quem sequuntur Filliucius *tom.* 2. *p.* 1. *tract.* 28. *cap.* 3. *numer.* 61. Coroniùs *lib.* 1. *Controvers. celebr. controv.* 7. *cap.* 1. *numer.* 2. & alij communiter. Quòd verò divino Iure teneantur, patet tùm ex particulari præcepto illius in Evangelio Lucæ *capit.* 12. ibi: *Date eleemosynam*, &c. tùm ex generali præcepto Charitatis proximi, naturali quidem, ut diximus; sed confirmato ab ipso Christo in Evangelio Matth. *cap.* 5. & *cap.* 22. Marci *capit.* 12. & alibi. Quid quòd iam olim *in Lege Moysis* aderat hoc Dei præceptum, ut bona temporalia habentes, ea cum egenis communicarent? Vide in Deuteronomij *capit.* 15. Eccles. *cap.* 29. Proverb. *cap.* 21. Tobiæ *cap.* 4. Et confirmatur; quia Matth. *cap.* 25. multi dicuntur damnandi ob omissionem eleemosynæ: at non damnatur quis ob consilia omissa: ergò &c. Certè autem quàm districtum sit hoc præceptum probant SS. Patres Basilius, Nazianzenus, Chrisostomus, & alij ex verbis Christi: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare.* &c. Hieronymus *in Ep.* 1. *ad Nepotian. in fi.* ex illo Ioannis *cap.* 3. *Qui habet duas tunicas, det unam non habenti* &c. & Augustinus (ex verbis illis: *Destruam horrea mea &c.*) *Homil.* 7. *ex* 50. Ille enim sic loquens reus fuit, non quòd aliena rapuerit, sed quia sua tenaciter retinuerit. Atque ad hoc affert idem *D. Augustin.* etiam Epulonis exemplum; dicens: Itaque utrumque est divitibus exitiosum: Vel si congregent opes, & abscondant; vel si profundant cum luxu, & voluptatibus, sine pauperum respectu. Plura vide apud Valentiam *in d. locum D. Thomæ, quæst.* 9. *p.* 4. & *Doctores cit.* Iodochum Lorichium *in suo Thesauro: versic. eleemosyna, paragrapho* 7. & alios communiter. Quòd demùm Iure etiam Canonico teneantur, patet ex dictis, quibus accedunt *cap. Duo:* 12. *quæst.* 1 & *cap. Aurum:* 12. *quæst.* 2. & *cap. Non satis:* 86. *dist.* ubi Glossæ *cum concordantijs.* Quid, quod accedit & Ius Civile: Facit textus, & Gloss. *in l. si laborante, paragrapho Cùm in eadem: in fi. ff. ad leg. Rhod. de Iactu.*

13 Constat ergò faciendam esse à Divitibus Eleemosynam, omni Iure, pauperibus & indigentibus. Pauper autem omnis ille est, qui vivere simpliciter, aut mediocriter secundùm suam conditionem non potest, nisi ei subveniatur

subveniatur; sive in hunc statum infortunio, vel culpâ suâ inciderit, sive spontè illum elegerit propter Deum; ut faciunt Religiosi, & præ omnibus Fratres Minores. Nomine etiam *Pauperis* veniunt Ecclesiæ, & loca pia, sive quia in ijs, & ex ijs pauperes sustentantur, sive quia illis desunt reditus pro vasis, & rebus necessarijs ad Dei cultum. Et Religiosi quidem, (præsertim Fratres Minores qui nullos habent reditus, undè vivant) sicut Moniales quibus subveniendum est, tanquam pauperibus, & non solùm quia ministrant spiritualia; ut improbabiliter existimavit Medina *cap de Eleemos. danda sanis, §. Quæret forte*: ut benè Lorca *in 2. 2. disput. 39. num.* 57. apud Dianam *p. 5. tract. 8. resol.* 18. & apud Cotonium *citat. numer. quarto, & quinto.*

14 Scio, non æqualem esse, quoad quaslibet pauperum necessitates, nec quoad quæcúnque sua ipsorum bona eroganda, divitum obligationem subveniendi pauperibus, ob triplicem nimirum tum pauperum necessitatis, tum divitum bonorum erogandorum differentiam, quam communiter assignant Doctores. Alia enim primò est pauperum necessitas communis; alia gravis; alia extrema. Communis & ordinaria ea est, quæ passim occurrit in pauperibus sive publicè & ostiatim, sive etiam secretò mendicantibus, vel quærentibus; qui etsi multis indigeant, à multis postulant, & passim eis subvenitur, adeóque vix contingere potest, ut necessarijs etiam ad statum deficiant. Gravis est eorum, qui indigent necessarijs, ad statum, vel conditionem propriam conservandam, vel eorum qui sub ipsorum cura sunt; ita ut nisi eis subveniatur, probabile incurrant periculum gravis & notabilis damni corporalis, ut proprium statum, vel conditionem conservent. Extrema denique eorum est, qui carent necessarijs ad vitam, ita ut probabiliter oporteat vitam aut omninò deficere, aut eos corripi v. g. amissione membri, vel sensus præcipui; vel gravi, ac diuturno morbo infestari, aut alteri ejusmodi miseriæ subjici, ex qua mors sequi possit; etiamsi in talem necessitatem non casu, aut malitiâ alterius, sed propriâ culpâ, voluntariè & ex malitia se conjecerint, sed postea non possunt illam evadere nisi subleventur: honestus tamen vir extremè indigere putatur quoties mendicare cogeretur, vel redigi in servitutem. Filliuc. *cit. num.* 62. *&* 67. Lorca *cit. ea disp.* 39. Diana *cit. resol.* 1. *&* 7. Cotonius *cit. n.* 6. & alij apud istos, præcipuè D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *artic.* 5. & Doctores ibi.

15 Item alia sunt divitum bona necessaria ad vitæ, seu naturæ propriæ, & eorum qui ad ipsos spectant alendi, & sustentandi, conservationem: Alia sunt necessaria ad statum, vel conditionem, cùm propriam, tùm suorum, decenter conservandam; v. g. Mercatoris, Nobilis, Comitis, Marchionis &c. Alia denique quæ nec vitæ seu naturæ, nec statui vel conditioni necessaria sunt; sed sunt superflua: sumitur autem hic superfluum non pro eo, quòd ad nihilum deservire potest, quódque opponitur utili: Sic enim nullus divitum haberet quidquam superflui; cum omnia bona ad aliquid conferant, alioquin bona non essent. Ubi etiam adverte cum D. Thoma *citat. art.* 6. quòd ea, quæ sunt necessaria ad statum, habent latitudinem; (ut ipse ait) multis additis, non potest dijudicari esse ultra tale necessarium; & multis subtractis, adhuc remanet undè possit convenienter aliquis vitam transigere, secundùm proprium statum. Concordat D. Bonaventura *in 4 sent dist.* 15. *artic.* 2. *quæst.* 1. *ad primum*, ubi de eleemosyna satisfactoria imponenda, vel assumenda, hæc pulchrè loquitur: Dicendum, quòd necessarium dicitur dupliciter; vel secundùm naturæ arctitudinem, vel secundùm communem usum vivendi: si secundùm arctitudinem, non tenetur quis assumere, vel acceptare, impositam, nec oportet ei à Confessario imponi eleemosynam; quia hoc est perfectionis illorum, qui totum victum expectant à Christo; sicut sunt Viri, qui sunt in statu perfecto: (talis sunt autem Fratres Minores, qui nihil possident in hoc mundo, neque in particulari, neque in communi, undè victum expectare possint; sed totum expectant à Christo, & ejus providentia, per misericordiam hominum, & ideò sunt subveniendi, ut pauperes Christi, qui ut Evangelicam ejus Mendicitatem exemplo prædicent, proximumque ædificent, & provocent pietatem, & ut vacent Deo libera mente, deposita omni sæculi sollicitudine, voluntariè & ex voto se vilificant, & humiliant mendicando, & vivendo ad misericordiam hominum; ut benè idem S. Doctor *in tractatu de Paupertate Christi supra citat.*) Et ideò si fiat eleemosyna, debet fieri de eo, quod superest huic necessitatio, & benè est satisfactoria. Alio modo dicitur necessarium, quod expedit homini, secundùm communem modum vivendi: de quo dixit Augustinus, quòd multa superflua habere probabimur, si sola necessaria teneamus; & de tali fit propriè eleemosyna satisfactoria; de superfluo verò non fit, quantùm est de rigore Justitiæ. Tamen credo, quòd divinæ misericordiæ benignitas

nigniras tanta est, quòd tutam acceptat, & pro nihilo saluat nos. Hæc Seraphicè Seraphicus Doctor. Vide D. Thomam *cit.* Filliuc. *citat. num.* 63. Coronium *cit. cap.* 2. *numer.* 22. Dianam *p.* 2. *tractat.* 16. *resol.* 26. §. *Quarto:* Granado *in* 2. 2. *controv.* 3. *tractat.* 11. *disput.* 2. *sect.* 1. *numer.* 3. Dianam iterum *supra citat. p.* 5. *tract.* 8. *resolut.* 20. & alios apud Filliucium.

16 Scio proindè, (quod ad pauperum necessitatem attinet) præceptum eleemosynæ obligare Beneficiarios Ecclesiæ ad subveniendum pauperibus in quacunque necessitate existentibus, vel communi duntaxat; ita ut teneantur pauperes quærere, si non compareant, quia tenentur plus quàm ex charitate, saltem si sint Curati. Reliquos verò Fideles obligari tantùm in re gravi, vel extrema, ad eis succurrendum re, vel opere, juxta eorum indigentiam, si tamen se offerant; cùm non teneantur eos quærere, ut Curati: v. g. Advocatum eis patrocinari; Medicum, & Chirurgum mederi, Pharmacopolam medicinam suppeditare; Divites eleemosynam rei suæ præbere &c. Et ita obligari, ut in extrema saltem necessitate ex justitia etiam obligati censeantur, ubi necessitas pauperis est pecuniæ, vel rei temporalis, pertinentis ad divisionem bonorum factam de jure Gentium; quia eo casu pauperes habere censentur jus ad illam rem: secùs verò, ubi necessitas pauperis versatur circa alterius industriam; ut si eum ignis v. g. comburit, vel aqua absorbet, vel bestia devorat, vel hostis aggreditur: nam pauper non habet jus ad alterius industriam, qua possit juvari. Undè ille alter tenebitur quidem ex Charitate, non tamen ex Justitia, si possit, pauperem in hujusmodi periculis adjuvare, ignem extinguendo, in aquam se mittendo, cum bestia pugnando &c. Vide Coronium *citat. cap.* 1. *numer.* 7. *& cap.* 2. *numer.* 16. *&* 17. Caietanum *in* 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. D. Thomam 2. 2. *q.* 118. *art.* 4. *ad* 2. Mendozam *disp.* 159 *sect.* 3. § 31. *& sect* 4. § 36. Sanchez, Dianam, & alios quos citat & sequitur Coronius.

17 Quod verò attinet ad bona eroganda, & eorum quantitatem: Scio etiam Beneficiarios, quoad bona patrimonialia, aut quasi, acquisita scilicet labore, industria &c. quoad Distributiones item, & quoad partem Beneficij ad congruam sustentationem pertinentem; teneri tantùm, ut tenentur reliqui, absolutè loquendo; ratione tamen status debent alios exemplo liberalitatis, & misericordiæ antei re; ut ait *Coronius* mox citandus, & multò striĉtiùs obligari personas Ecclesiasticas, quàm laicos, ob perfectiorem statum, in quo sunt; affirmat Filliucius *citat. numer.* 64. Quoad residuum autem Beneficij, tenentur totum erogare in extremis, & gravibus pauperum necessitatibus. Et hæc est communis opinio, ut testatur Coronius *capit.* 2. *citat. numer.* 19. Et idem dic, secundùm Coronium *citat. num.* 21. de Prælaris Regularium reditus possidentium; qui secundùm aliquos, ità tenentur etiam in necessitatibus communibus: quamvis secundùm Suarez *tom.* 4. *de Religio. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 26. *numer.* 13. hi, regulariter loquendo, teneantur in hujusmodi necessitatibus communibus ad aliquam tantùm eleemosynam faciendam, non tamen ad omne residuum erogandum; cùm meliùs sit ex eo amplificare, & meliorare Monasteria in vasis Sacris, cellis, reditibus &c. Alij verò Beneficiarij in indigentijs communibus, secundùm Coronium *citat. num.* 20. cum Granado *cit. disp.* 3. *numer.* 21. & Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 214. tenentur de grosso beneficij erogare ad minùs quartam partem, si sint Episcopi; in reliquis inferioribus sufficit, quinta, vel sexta pars. Reliquam autem portionem fructuum pro rationabili, & congrua sui sustentatione, suam propriam facere possunt, & quasi patrimonialem retinere, vel de ea disponere ad libitum; etiamsi habeant patrimonium, undè sustententur: ut benè Filliucius *tom.* 3. *tract.* 43. *de spolys Eccles. cap.* 3. *num.* 7. contra Redoanum, qui *in tractat. de spolÿs, quæst.* 3. *paragrapho primo, numer. secundo*, conatur pluribus ostendere, non posse de beneficio vivere, qui patrimonium sufficiens habet. Vide Filliucium *citat.* Azorium, & Covarruviam, quos ille citat.

18 At ne quæso prætereamus Navarrum, tametsi minùs blandientem, vel prurientem auribus nonnullorum fortè Beneficiariorum. Hic igitur *in Tractatu de reditibus Ecclesiasticis, per totum*, ex professo, egregiéque, ut sui moris est in omnibus, hac de re edisserit; & *quæst.* 1. *monito* 24. *num.* 1. sine ulla distinctione necessitatum, seu indigentiarum pauperum, necnon absque ulla limitatione quantitatis erogandæ, sic absolutè pronunciat: Vigesimoquartò moneo, ex prædictis inferri, non solùm Legibus humanis, verum & naturalibus: atque divinis, Beneficiarios erogare debere, quæ supersunt, pauperibus. Cui (subdit ille statim) consequens est, nulla consuetudine excusandos; quia illa nihil valet contra legem naturalem, vel divinam; *cap. quæ contra: cap. mala: cap. Frustra:* 8. *distinct. cap. in his:* 11. *distinct. cap. fin. de consuetud.* Ita ille, quem vide etiam

etiam *ibid. monito* 54. *num.*4. ubi nullam esse probat talem consuetudinem, & nullibi inveniri: quod si alicubi inveniretur, non esset consuetudo, sed corruptela; & ita nulla: allegátque Caietanum *in* 2.2. *q.*185. *artic.*5. Ratio autem illius primi pronunciati illa est, quam ipsemet affert *in eod. monito, numer.*2. Quia nimirùm Beneficia, & reditus quicúnque Ecclesiastici parari sunt cultui divino, & pauperibus: & in id dedicari sunt ab Ecclesia ea lege, (sunt ipsissima verba Doctoris,) ut deducta sustentatione honesta Ministrorum, divini cultus prædicationes, & Sacramentorum omnium, egentibus erogentur. Quòd verò Beneficiaria bona quæsita sint Ecclesiæ eo modo, & onere tacito, vel expresso, & intentione Fidelium offerentium; dandi scilicet superflua, ut præfertur, pauperibus, tradit idem Doctor *ibid. monito* 20. *num.*2. *& monit.*21. *numer.* 1. & subindè irrefragabiliter probat, & monstrat decem & septem rationibus *per totum illud monitum* 21. & per *duo sequentia.* Et *numer.*5. *moniti vigesimiprimi*, ait: Cum ergò hæc omnia sic se habeant, quis audeat dicere, non esse pauperibus plus juris in eorum reditibus quàm in bonorum sæcularium? Et *monito* 40. *num.* 11. *ibid.* ex Innocentio *in cap. cum super: de causa possessionis, & propriet.* ex Panormitano, & Decio, concludit, quòd ipsissima hujus rei veritas est illa, quòd bonorum Ecclesiasticorum verus & perfectus Dominus est Jesus Christus; Gubernatores autem, instat Procuratorum, & Tutorum, cum facultate se de illis alendi, sunt Beneficiarij; Pauperes verò Ecclesiæ, & opera pia, sunt creditores quidam, quorum sustentationi eorum reditus, deductis oneribus debentur. Hæc *Navarrus*, & plura alia in hoc proposito per *totum illum tractatum*, nusquam distinguens de pauperum indigentijs aut extremis, aut gravibus, aut communibus; sed absolutè docens, ut præfertur.

19 Videant ergò illum Beneficiarij; & qui legit, intelligat. Valeant tamen utcunque, & in sua maneant probabilitate moderatoriæ opiniones, & sententiæ prædictorum Doctorum, quæ & mihi valdè probantur, discretæque & rationabiles videntur: at non censeo explodendum Navarrum; quinimmò illi in primis assentior, atque adhærendum consulo, etiam à Regularibus possidentibus reditus in communi, nedum Beneficiarijs particularibus; nam eadem est intentio Dei, & Domini nostri Jesu Christi quoad bona omnia Ecclesiastica tam Regularium, quàm Clericorum sæcularium, ut tradit ipse Navarrus *in Propugnaculo Apologiæ præd. tractatus*, ubi *num.* 31. pulchrà Coronide resolutoria (quam & posuerat *quæst.* 3. *ejusd. tractat. mon.* 33.) rem hanc universam complectitur octo conclusionibus; inquiens: Coronis itaque resolutoria sit, quòd, quidquid blandiantur nobis Beneficiatij tàm sæculares quàm Regulares, Veritas consistit in his octo. Et *primò* quidem statuit, quòd omnium omninò bonorum hujus mundi verus, & summus Dominus est Deus Opt. Max. illa sua dispositione generali, qua ipsius est terra, & plenitudo ejus, tam quoad naturam, quam quoad usum; ut declarat D. Thomas 2. 2. *quæst.*66. *art.*1. *Secundò*, ex utróque Jure ostendit, quod bona Ecclesiastica sunt Dei singulariter, & speciali titulo, utpotè ipsi dicata, & Sacra per humanam oblationem. *Tertiò*, & *Quartò*, quod prædicta bona ita sunt Dei, ut solus ipse, & nullus homo singulariter, vel nulli homines universaliter, sit verus eorum Dominus; bonorum verò profanorum esse veros Dominos laicos, & Clericos sæculares, singulariter vel universaliter, ad quos ea humana dispositione ad id sufficienter pertinere perhibentur. *Quintò*, & *Sextò*, affert aliquas differentias inter Clericos Beneficiarios sæculares, & Regulares, & inter eosdem non beneficiarios, quoad ea, quæ singuli acquirunt; prout latè videre est apud ipsum. *Septimò* ait, quòd tam Papa, quam omnes alij, Beneficiarij, sive sæculares, sive Regulares, debent administrare prædicta bona Dei, tanquam administratores alienorum honorum, scilicet Dei secundùm voluntatem ejus declaratam per Sacras literas, Traditiones Apostolicas, & Canones Ecclesiasticos, Conciliorum Universalium, & Pontificum Maximorum. *Octavò*, quòd Voluntas Dei, & D. N. Jesu Christi declarata per præfata, est, quòd Papa, & omnes alij Ministri inferiores Beneficiarij, possint se alere decenter de reditibus suorum Beneficiorum, & quòd superflua naturæ, & decentiæ distribuant in pauperes, quos elegerint, sive mendicos, sive alios, indigentes tamen saltem ad se decenter sustentandum, vel in alia pia, vel justæ gratitudinis officia; & non thesaurizent ea, etiam ad mutandum statum inferiorem in altiorem, &c. Vide illum *ibi*, & *quæst.* 3. *ejusd. tractat. monit.* 34. ubi Confessarios, & Consultores Beneficiariorum instruit, quoad judicandum circa eorum impensas &c. & apud

ipsum post *monitum ultimum ejusd. quæst.* 3. Vide Epistolam, seu tractatiunculam *Francisci Turriani* ad Laodicensem Episcopum in hoc ipso subjecto, & post illam vide aliam Achillis Statij ad Navarrum ipsum; qui ambo celeberrimi Doctores pedibus eunt, ac manibus in ipsius sententiam; pro qua Statius *numer. decimotertio*, affert signanter apertissimam declarationem Concilij Aquisgranensis *cap.* 116. in quo sic est: Res Ecclesiæ, sicut à Sanctis Patribus traditur, & in Superioribus Capitulis continetur, Vota sunt. Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: Fideles namque fidei ardore, & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium, & cœlestis Patriæ desiderium, suis proprijs facultatibus Sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & Milites Christi alerentur, & Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Ita tamen, (docet ibi Statius *num.* 16.) ut pauperibus potiùs, quàm Sacris ædibus providendum sit. Vides ergò, quid de hac obligatione tenendum sit.

20 Atque hæc Beneficiariorum obligatio ad erogandum, ut præfertur, in eleemosynam pauperibus, est obligatio Justitiæ veræ & specialis ratione cujus duntaxat, & absolutè, secundùm omnes, Clerici Beneficiarij tenentur magis, quàm Laici ad eleemosynam erogandam pauperibus: nam titulo speciali sunt Eleemosynarij Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, ea lege constituti, ut se primùm ex suis Beneficijs honestè & decenter alant, & postea quæ superfuerint, distribuant pauperibus, vel alijs pijs operibus; ita ut, si secùs faciant, sacrilegi furti se reos efficiant. Cæterùm verò quoad obligationem erogandæ pauperibus eleemosynæ ex præcepto naturali divino Charitatis, de bonis patrimonialibus, vel quasi, Clerici tam Beneficiarij, quàm non, non plùs tenentur quàm Laici absolutè loquendo; nisi velimus dicere, quòd se habeant ad invicem, sicut excedentes, & excessi; ut palam esse potest consideranti circumstantias personarum, loci, temporis, facultatum &c. Cum hoc tamen stat, quòd ratione status, ut dictum est *suprà numero decimoseptimo*, cum Coronio, & Filliucio, strictiùs Clerici teneantur quàm Laici. Et de his videri potest Navarrus *in d. tractat. de redditib. Ecclesiast. quæst. secunda, monito* 7. *&* 19. *& quæst.* 1. *monito* 20. 21. 22. *&* 42. & alibi. In numero autem pauperum potest se ipsum computare Beneficiarius, qui non habet alia bona patrimonialia, vel quasi, sed duntaxat reditus sui Beneficij, ex quibus solvere queat debita sua; applicando scilicet sibi, tanquam pauperi superflua suæ sustentationis pro solvendis debitis, quandocunque quomodocúnque (etiam injustè,) & quocúnque intuitu contractis Navarrus *cit. q.* 1. *monito* 52. *num.* 4. *& q.* 2. *mon.* 26. *n.* 4. & in *Propugnaculo Apologiæ, num.* 13. & in *Manuali Confessar. cap.* 25. *n.* 132. & *lib.* 3. *Consil. de Regular. cons.* 14. *n.* 7. *& seqq. ex cap. pervenit: de fidejuss.* affirmans non solùm ita posse, sed & debere fieri; & testatur de stylo omnium Curiarum tàm Urbis, quàm Orbis. Atque hoc procedit etiam in debito, seu obligatione restituendi fructus aliquos Beneficij malè perceptos ob quamcunque causam; itaut scilicet, si cæteroquì sit pauper, & egeat illis fructibus, saltem ad se decenter sustentandum, satisfaciat, restituendo sibimet, tanquam uni ex pauperibus, quibus restituendo in casu talis obligationis satisfacit: Navarrus *lib.* 3. *Consil. de Voto, & Voti redempt. consf.* 23. *n.* 4. In hoc tamen casu ego adhibendum vellem consilium Confessarij, vel Episcopi, ut rectius esset judicium, & applicatio sincerior; juxta doctrinam traditam *suprà, art.* 2. *§.* 5. *n.* 13. *&* 14. cum Navarro ipso, & Roderico. Ex quibus colliges, posse Beneficiarium in tali casu restituere parentibus etiam vel alijs consanguineis pauperibus: & de hoc non dubito; modò illi sint indigentes, saltem ad se decenter sustentandum; ut dictum est *suprà hic, num.* 19. cum Navarro ipso.

Porrò obligatio prædicta Justitiæ veræ, & specialis se tenet tantùm, quoad reditus provenientes & titulo cujusque Beneficij, qui vulgò dicuntur *Certi*, seu *grossum Beneficij*; non autem se extendit ad provenientes aliundè puta ex industria Beneficiarij, vel etiam ob alia ministeria, & actus etiam Ecclesiasticos, & ex obligatione Beneficij præstitos; qui dicuntur proventus *Incerti*: Navarrus *cit. quæst.* 1. *monit.* 19. *&* 30. *num.* 3. *&* 39. *num.* 5. & alibi. Neque per ipsam fit, quòd Beneficiarij, non possint vivere, & totaliter sustentari, ut præfertur, de suis Beneficijs, & reliquare, vel servare, cui maluerint, alia sua bona, aut reditus, si quos habent patrimoniales, aut quasi tales dietim acquirunt. Navarrus *citat. quæst.* 1. *mon.* 32. contra Statium, & alios paucos; & idem ex professo sustinet etiam *libro tertio Consilior. de Præbendis, consil.* 65. se ipsum citans *in Manuali Confessar. c.* 25. *n.* 127. Vel etiam reliquare sive in totum, sive in partem, ea, quæ decenter impendere possent de reditibus suorum Beneficiorum; vivendo

vivendo ex patrimonialibus, vel quasi; disponendóque de reliquatis prædictis pro suo arbitratu, & placito, tanquam de patrimonialibus: Navarrus *cit. q. 1. mon. 43. & seqq* & in *Propugnaculo Apologia, numer.* 10. cum Francisco à Platea, & Joanne Bachono, & ex *cap. quia nos: de Testamentis.* Quò fit, ut Beneficiarius possit etiam justè tantundem sibi assumere de reditibus sui Beneficij, sibique facere patrimoniale, & de eo ad libitum disponere, quantùm impenderit de suis patrimonialibus, vel quasi, (quæ poterat sibi reliquare) in pauperes, vel alia pia opera, in quæ illi reditus poterant, & potiori jure debebant impendi: Navarrus *cit. quæst. 1. monito 27. num. 5. & quæst. 3. mon. 4. num. 3.* cum Francho *in rubr. de testamen. col. 32. & quæst. ead. mon. 32. num. 1.* & alibi. Quanta autem censenda sit portio redituum Beneficij assignanda, vel sumenda pro honesta, & decente sustentatione cujuscunque Beneficiarij, relinquitur arbitrio boni, ac prudentis Viri, attentis circumstantijs personarum, regionum, temporum, annonæ &c. ut cum D. Thoma tradit Navarrus *cit. quæst. 2. mon.* 18. quod etiam latiùs tradit *in comment. de Oratione, & Horis Canonicis, capit. vigesimosecundo, numero septuagesimoprimo, & seq.* tametsi *numero 74. versicul. Admoneo*: ita concludat: Admoneo autem pium Lectorem, quòd, meâ sententiâ omnis Beneficiarius volens rectè judicare, quot scutis annuis egeat unumquodque genus prædictorum Clericorum, ad se, cum sibi præscriptis necessarijs, alendum, potest multùm ad id juvari, reputando secum, quot scura daret ipse alicui, ut victum honestum, & necessarium unius anni administraret cuipiam sui ordinis, ad quem decenter alendum obligaretur ex aliqua ultima voluntate; vel contractu; aut suo filio, vel fratri, ex pietate paterna, vel consanguinitatis. Ita ille. Certè autem, cùm secundùm omnes, decentia status pro tali judicio ferendo non sit posita in indivisibili, benè datur locus arbitrio, ut suprà: consentiente ipso Navarro *cit. quæst. 1. mon. 45. num. 1.* quem vide pro prædictis omnibus etiam *in comment. de spolys Clericorum*, sparsim.

21 Reliqui porrò Laici, aut etiam Clerici non beneficiarij tenentur *primò* ad eleemosynam dandam pauperibus de supervacaneis vitæ, etiamsi necessarijs statui proprio, si pauperum necessitas sit extrema, vel quasi, seu gravis, & urgens. Nec tantùm divites, qui abundant superfluis; sed etiam mediocres, pro sua quilibet facultate; etiam pauperes, qui ex laboritio vivunt, tenentur aliquam eleemosynam pauperiori præbere. Hique ita tenentur, quando possunt, sciunt, & probabiliter putant, neminem subventurum; non tamen tenentur quærere pauperes; ut diximus *supra*, & confirmat Filliuc. *cit. c. 3. n. 77.* Et ità tenent Filliuc. *cit. n. 64.* & Coronius *cit. c. 2. num. 26.* Quibus ego libentissimè assentior propter doctrinam præsertim S. Bonav. suprà allatam, qua expressè docet, eleemosynam satisfactoriam fieri propriè de necessario, quod expedit homini, secundùm communem modum vivendi, quod est dicere de necessario secundùm statum, & conditionem. Addo ponderationem Cotonij *cit.* in finalis judicij sententiam ferendam à Christo Judice contra reprobos; ut habetur *Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi bibere &c.* Duo enim ex hoc loco colliguntur: *primum*, obligationem, cui satisfaciendum est per eleemosynam, esse gravem; utpotè quæ, ni satisfiat, excludit à Regno Dei, & gehennæ ignibus mancipat transgressores. *Alterum*, eam esse frequentem, & multis communem nec solùm ijs, quibus superfluunt necessaria ad decentem proprij status conservationem. Haud enim appositè hæc sola causa damnationis omnium assignaretur, si hoc peccatum esset rarissimum, & paucissimorum: eorum nempè, quibus superfluunt necessaria ad decentem proprij status conservationem. Ideò dixi, non teneri, ut præfertur, tantùm Divites, quibus abundant, & superfluunt necessaria prædicta; sed etiam alios quibus vix illa suppetunt, pro sua quemque facultate.

Hæc sententia, quoad necessitatem extremam, communis est cum D. Thoma 2. 2. *q. 32. art. 5.* Et quamvis Diana *p. 2. tract. 6. resol. 28. §. Quintò*: censuerit, in hac necessitate debere erogari tantum superflua statui; tamen *par. 5. tract. 8. resol. 7.* ex Mendoza *suprà cit. sect. 6. §. 56.* meliùs sentiens docuit, teneri Divites in tali necessitate erogare etiam de necessarijs statui, non tamen illum opprimendo, aut deijciendo, sed aliquod detrimentum patiendo. Multi alij multa dicunt conantes minuere hanc obligationem, ut Divitum aures mulceant. At ipsi viderint in Dei judicio, quæ fuerit sententia sequenda. Quoad necessitatem verò, quasi extremam, vel gravem, quòd habens superflua naturæ 22

Rr 2 quidem

quidem, non tamen statui, sed ei necessaria, teneatur erogare ejusmodi necessitatem patientibus: Filliucius *citat. eo numero sexagesimoquarto*, ait, omnes convenire, citatque Azorium *tom. secundo Instit. moral. lib. duodecimo, cap. septimo quæst. quinta*, ex communi. Et idem affirmat *ibid. numero sexagesimoseptimo*, convenire scilicet inter omnes, quòd teneatur: sed tantùm addit limitationem, Nisi (inquiens) ex mutatione status habentis superflua naturæ immineret grave damnum Reipublicæ, vel propriæ vitæ vel suorum; tunc enim non teneretur. At Cotonius *citat. numero vigesimoquinto*, refert Dianam, cui *part. secunda, citat. paragrapho secundo*: placuit, habentem superflua, ut præfertur, naturæ tantùm, non statui, non teneri; nec de superfluis quidem statui ipsi, si ea haberet: quæ fecit opinio etiam Gabrielis *in 4. distinction. decimasexta, quæst. quarta conclus. quinta*, attamen *in part. quinta, tractat. octavo, resolut. decimaquarta*, censuit cum Granado *citat. disp. 2. sect. 4. numero* 18. & concessit teneri de superfluis statui: *part. verò 5. citat. resolut.* 15. idem censuit probabilius. Et hæc doctrina non displicet Tamburino *lib. 5. in Decalog. capit. primo, paragrapho primo, numero decimoquinto*, Ideóque isti, & alij prurientes auribus docent, in necessitate gravi consulendos tantùm esse Divites, non in conscientia obligandos, subvenire pauperibus de necessarijs suo statui.

23 Verùm ipse à pronunciata sententia non recedo. Quis quid dicat: etiamsi dicat, eam esse rigidam, & ex ea sequi, quòd multi divites damnentur; quia multi eorum in gravi pauperum necessitate ijs non subveniunt, nolentes ullum detrimentum status proprij sustinere. Nam & Aragonius *in 2. 2. quæst. 32. artic. 5*. concedit hanc consequentiam. Quinimmo Bannez *in eandem locum D. Thomæ artic. 6. dub. 2.* non solùm ipsos, sed & ipsorum Confessarios damnari existimat. Sed Diana *loc. citat.* præsertim *tractat. 8. resolut. 41. in fine*, asserit cum Valentia, *tom. 5. disput. 3. quæst. 9. p. 4. paragrapho 2.* utrósque excusari posse; aut quia gravem proximi necessitatem non satis cognoscunt, aut quia probabiliter judicant ab alijs subveniendum; aut denique quia vix invenire sciunt superflua status. At quis est hic, & laudabimus eum, qui inveniat, & fateatur se habere superflua suo statui? Quid verò de superfluis dignoscendis cogitet, cùm teneatur erogare de necessarijs eidem statui, solis sibi reservatis necessarijs vitæ, & aliquibus etiam statui, ne illum erogando opprimat, aut dejiciat? Sed fortè vix quis invenietur, qui cognoscat & fateatur se habere necessaria statui; cui ferè omnes, cum non consistat in indivisibili, sed habeat latitudinem; ut concedunt communiter Doctores, Filliuc. *citat. numero sexagesimooctavo*, cum alijs; nullos noverunt præscribere fines: nam quò plura quis lucra facit, eò altiùs erigere prætendit statum suum, & meliorare; adeóque eo semper minùs dicit se habere superflua; quia proximior est statui altiori, & pro illo ea, quæ habet in præsenti, ait non esse superflua: quod magnum infert absurdum; ut benè advertit Cotonius *eo cap. 2. numero* 22: ubi hanc excusationem tantùm de eo admittit, qui verbi gratia eò tenderet, ut fieret Dux exercitus, Consiliarius Regis &c. ad cujus status conservationem decentem superflua præsentis status necessaria forent. An igitur excusationes hujusmodi valeant coram Deo, novit ipse Deus, noverint & ipsi eas producentes, cùm ad judicium venerint.

At petes, An saltem excusari possint 24
auctoritate *Rosella* docentis, præter extremam necessitatem non urgere præceptum eleemosynæ.

Diana *resol. 41. citat.* censet posse, secun- 25
dùm Bonacinam *disp. 3. quæst. 4. punct. 6. n. 8.* quia, secundùm ipsum, *Rosellæ* sententia probabilis est: at secundùm Mendozam *citat. sect. 4. §. 86.* non posse; quia nec probabilem, nec tutam existimat Rosellæ sententiam.

Quid quòd amplius ipsemet quæro: Ex- 26
cusat ne sententia D. Thomæ *ea q. 32. art. 5. cit.* agnoscentis obligationem hujus præcepti in extrema dumtaxat necessitate, & etiam in urgente & evidente, & cùm non apparet in promptu, qui ei subveniat, ut ait *ibid. ad* 3. & de superfluis tantùm, secundum exigentiam, & necessitatem status præsentis: in alijs verò necessitatibus, & de alijs necessarijs, vel superfluis solùm asserit esse consilium: Fateor auctoritatem D. Thomæ plurimi à me fieri semper, & etiamnum venerandam mihi esse.

Probè etiam scio, fateórque notabile illud Monitum Sapientissimi, pijssimique Viri Joannis Gerson Parisiensis Universitatis Cancellarij *in lib. quarto, part. tertia, de vita spirit.* aientis: DD. Theologi non debent esse faciles ad asserendum, aliquas actiones,

actiones, vel omissiones esse peccata mortalia; immò nec venialia; ubi non sunt certissimi de re. Nam per hujusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras, & nimis strictas in rebus universis (idest in opinionibus) nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs demerguntur. Hinc etiam generantur scrupuli inquietativi simplicium, ut eis sit solidum nihil. Demùm, quid prodest, immò quid non obest, coarctare plus justo Mandatum Dei, quod est latum nimis? Quid igitur expedit, amarius, graviúsque reddere illud Christi Domini jugum, quod suave est, & onus leve? Nam, si beatus est vir, qui semper est pavidus, & veretur peccata sua; observandum tamen est illud Terentianum: *Ne quid nimis*, &, *Ne in Scirpo nodum quaeras.* Haec ille. Neque item me latet sententia illa praedicti Angelici Doctoris, aeternâ memoriâ sepienda, qua *in quodlib. nono, artic. decimoquinto, in corpore*, dicit: quòd omnis quaestio, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expressè habeatur veritas, periculosè determinatur; quia actio humana, in qua creditur esse mortale, & non est mortale, ex conscientia erronea ligat ad peccatum mortale. Praecipuè autem est periculosum ubi Veritas est ambigua, ob diversitates opinionum. Sic *S. Thomas* Concinúntque hisce tantorum Doctorum monitis, & Doctrinis plures etiam utriúsque Juris Regulae, & Leges, quas cum aliorum Sanctorum Patrum sententijs refert Georgius Gobat *in suo Clypeo Clementium Iudicum, section. septima*, & alijs, ubi totus est in propugnandis Judicibus, praesertim fori Poenitentialis, qui benigniores, & clementiores sententias in judicando sequuntur; modò eae sint verè probabiles. Quid, quòd & concinit doctrina communis Fori Criminalis, in quo ad condemnandum requiruntur probationes luce meridiana clariores, districtissimę, apertissimę, legitimae, ex indicijs indubitatis, hoc est per duos testes contestes, & omni exceptione majores probatis; (immò nisi talia habeantur indicia in processu informativo, non potest Judex reum praetensum citare, vel examinare ac per consequens neque reus ipse praetensus, si vocetur, & examinetur, respondere tenetur, qua de re plura vide apud Card. de Lugo *t.2. de Iust. & Iure d.40. sect.1. n.14.* & apud Jo. Sancium *in selectis, disp.43. n.29.* si verò talia habeantur, adhuc ex his solis nemo condemnari debet) saltem apud nos Capuccinos, juxta nostrum Procedendi modum *in substantiali 3. c.2.* sed solum valent ad reum praetensum constituendum, seu examinandum, qua de re Clarus, Mascardus, Menochius, Marsilius, Farinacius, Gomez, & alij apud Bictum, & Elisaeum nostros quos vide, si lubet; non infirmae, nun dubiae, non obscurae & ut habetur ex *l. sciant cuncti: C. de probationibus. l. qui sententiam: C. de poenis in Rubrica. cap. sciant cuncti: 2. quaest. 28. c. Epiphanium: 5. q. 6. c. veniens: de testibus*: ubi Gloss. *ad v. Morum*, ait, quòd in crimine apertissimae debent esse probationes; quia ubi contra salutem hominis agitur, strictiùs & cautiùs proceditur. Itaut neque ex indulto Bonifacij VIII. aliter dici possit: nam *in Clement. saepè: de verb. signific.* edita ad explicandum Bonifacianum privilegium (siquidem Bonifacius regnavit ab ann. 1294. Clemens verò ab an. 1305.) habetur, quòd non omittantur legitimae probationes; teste Gloss. *ibid.* & ad praefatos text. & LL. cum *cap. at si Clerici, de Iudicijs*, ubi Gloss. *ad vers. legitima probatione*, ait quòd in criminalibus apertae debent esse probationes, & luce clariores. Ita & Clarus *quaest. 66. versic. Debent autem: & quaest. 21. versic. Vnus testis: & quaest. 22. versicul. Unum tamen*: cum Boverio *decisio. 316. num. 1.* Gomez *de probat. delict. capit. 12. num. 9. & 26.* Et de hoc dubitare nefas est. Ratio autem ex Bossio *tit. de convictis, num. 9.* est; quia ubi majus periculum, cautiùs est agendum: *l. 1. paragrapho Nam vel magis: ff. de Carbonario Edicto*: ubi Marginista allegat ad hoc etiam Gloss. *in cap. quoniam: paragrapho is autem: ad vers. Personaliter: de potest. Iud. deleg.* & est textus Clarus *in cap. Vbi periculum: de Elect. in 6.* ubi Gloss. Non solùm autem tractatur de magno periculo, quando agitur de vita hominis, sed etiam quando agitur de minimo vitae periculo, minima corporali poena, quae major omni civili causa censetur: *l. in servorum: in fin. ff. de poenis.* Idque multò magis dicendum, ubi de infamia agitur *l. prima, ff. de Iis, qui not. infam.* Gloss. *in leg. prima, paragrapho de qua: ff. de postuland.* Quae cum ita sint, & quàm à fortiori rationabilia sint monita praedictorum Doctorum, ubi agitur de judicando homine reo aeterni supplicij, ut fit cùm de mortali reatu judicatur. Haec omnia probè, inquam, scio, fateor, approbóque, ritè, ut decet, juxta suorum respectivè Auctorum mentes intellecta.

Sed audirem libenter, sicut ait & Cotonius *supra cit. eo num. 26.* responsionem solidam ad locum cit. Matthaei. 27

28 Ipse tamen in primis responderem ijs, qui ejusmodi sententiæ D. Thomæ nituntur, dicendo cum Caietano *ibi*, & cum Filliucio *citat. numero sexagesimosexto*, quòd duo illa, quæ ad obligationem hujus præcepti requirit S. Doctor, nempè necessitatem extremam, vel etiam evidentem, & urgentem, seu gravem, & superfluitatem, quoad necessaria status: non requiri conjunctim, ut præceptum obliget; sed alterum illorum, ubi solum adsit, satis esse. Ita ut sensim fit in præcepto dare eleemosynam de superfluo statui: & dare eleemosynam ei qui est in necessitate extrema, vel evidente & urgente, seu gravi, nec apparet in promptu, qui ei subveniat. Neque alia proindè suppetit Divitibus, vel babentibus undè subveniant, excusatio, nisi ubi eis non apparuerit urgens, vel gravis pauperum necessitas; vel si apparuerit, appareat simul in promptu alium, vel alios esse, qui eis subveniant. Sicque sibi velle indicat S. ipse Doctor *ibi*, *in fine corporis*, *& ad tertium*, illis verbis: Sic ergò dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto; & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. Hæc primo loco. Secundò verò loco ait: Ad tertium dicendum, quòd est aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cùm apparet evidens & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat. Ex parte verò dantis, cùm babet superflua, quæ secundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Hæc S. Doctor.

29 Contrariæ ergò sententiæ, vel excusationi eorum, qui illam in praxi aut consulunt, aut adhibent, non suffragatur auctoritas *Divi Thomæ*, quam malè intelligentes (ut ait Caietanus) usurpant: minùs verò eos excusat auctoritas *Rosellæ*; quia (nisi fortè loquatur, ut loquitur Divus Thomas, at perperam circumferatur,) nec probabilem, nec tutam censeo eum Mendoza; quidquid ei probabilitatis, minùs ipse probabiliter, tribuat Bonacina. Secùs enim vera etiam esset opinio Dianæ *part. secunda*, *tractat. decimoquinto, resolut. trigesimasecunda*, *& part. quinta, tractat. octavo, resolut. decimaseptima*, cum Armilla, & alijs, quos citat *ibid. resolut. vigesimaoctava*, docentis, in necessitatibus communibus nullam omninò esse obligationem faciendæ eleemosynæ de superfluis Statui. Quam sententiam ferè tenuit etiam Granadus *ubi suprà num. 26.* putans hanc obligationem tunc urgere solummodò sub Veniali.

Atqui dicendum est ampliùs, quòd Laici 30 prædicti, & Clerici non beneficiati tenentur *secundò* ex eodem præcepto, & quidem sub mortali, si habeant superflua naturæ, & statui, de illis erogare in eleemosynam pauperibus in communi etiam necessitate tantùm existentibus: vel eam patientibus quoad decentiam ipsorum status. Dixi, *de illis*, non, *Illa*: Quia non assero, quòd teneantur erogare omnia superflua prædicta, sed aliqua, saltem quinquagesimam redituum partem, vel majorem etiam, si largioribus quis abundet; aut tantam, ita ut, si tantundem daretur à singulis, omnes pauperum necessitates sublevarentur, & tollerentur; ut benè temperant hanc sententiam Lorca *in 2. 2. sect. 3. disp. 39. memb. 2. num.* 30. Coronius *cit. eo cap. 2. n. 28.* & Filliuc. *cit. num.* 74. Cæterùm hæc sententia est ad mentem D. Thomæ *art. 5. citat.* estque Coronij *cit.* Filliucij *item citat. num.* 65. *&* 73. Caietani, & Valentiæ *disp. 3. q 9. pu. 4. §. 2.* Azorij *tom. 2. lib. 12. cap. 7. quæst. 4. & 6.* & aliorum plurium apud istos: eamque tenet etiam Tamburrinus *lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 2. num.* 17. & communem, & probabiliorem appellat Filliucius *cit. utróque loco.* Et quidem Suarez *disp. 7. de Charitate, sect. 3. num.* 7. expressè ait, hunc actum: *Nolo erogare eleemosynam in communibus necessitatibus de superfluis status*: esse mortiferum. Probant hanc sententiam Doctores ex illo Christi mandato *Lucæ cap. 11. Quod superest, date Eleemosynam:* & ex alijs scripturæ locis, & Sanctorum Patrum auctoritatibus, & rationibus, ut videre est apud ipsos *locis citatis.*

Optima ratio illa est, quoad primam partem asserti: quia si in communi necessitate 31 proximi non tenerentur habentes superflua suo statui, dare aliquam saltem eorùm portionem necessitate illa laborantibus; jam pauperes omnes essent in extrema necessitate; quia posset contingere, quòd nullus quidpiam erogaret; & tunc pauperes fame perirent, adeóque proculdubio omnes tenerentur dare etiam de necessarijs statui: Ergò nisi in communibus necessitatibus esset obligatio aliquid saltem erogandi, statim fieret transitus ad extremam, & gravem; & id totum facilè potest sciri à plerisque. Quoad secundam verò ejusdem asserti partem, idipsum à fortiori patet; quia patientes necessitatem quoad decentiam status, dicuntur esse in gravi necessitate, nedum in communi; nam si v. g. ad se sustentandum Nobilis cogatur alteri famulari, & artifex mendicare, dicitur pati grave

grave damnum, & per consequens gravem necessitatem. At habens superflua statui, de ijs dare tenetur non solùm in gravi, sed etiam in communi necessitate, ut probatum est; ergò à fortiori tenebitur dare in gravi, hoc est pauperibus verecundis, necessitatem patientibus; quoad decentiam sui ipsorum status. Plura vide apud Doctores citatos, si cupis. Hæc pro præsenti satis, superque non tamen superflua, aut à nostro instituto dissentanea. Jam verò ad punctum, à quo digressi sumus, revertamur, & concludamus argumentum.

Segmenti Tertii
Summarium.

32 *Minores extremam paupertatem sustinere dicuntur: ratione cujus habent certitudinem plusquam moralem de recipienda à Divitibus eleemosyna: qua tamen certitudo professioni eorum non repugnat.*

33 *Religiosi de eleemosyna vivere dicuntur licet varijs modis offeratur, mittatur, legetur.*

Tria eleemosynarum genera dantur Minoribus, qua declarantur. ibid.

34 *Minores non debent recipere sponte oblata, vel quasita, cum proposito alienandi.*

Minoribus licitum est percipere ex diuturna victualium provisione ab alio facta, vel exhibita sine ipsorum procuratione.

35 *Hares qua ratione repræsentet personam defuncti.*

Mandatum suscipere liberum est, sed susceptum exequi oportet. ibid.

36 *Mandati suscepti exequendi necessitas libertatem non lædit.*

Necessitas ex proposito consurgens non officit liberalitati & munificentiæ. ibidem.

Fidei & Promissionis definitio. ibid.

37 *Hares non implens testatoris mandatum, culpam lethalem perfidia incurrit.*

Idémque est de alijs mandatarijs, depositarijs, substitutis, & commissarijs pro eleemosynis, alijsvè operibus exequendis nomine alterius. ibid.

Benefici aliquo modo dicuntur qui dant quod sibi retinere non possunt. ibidem.

Facere dicitur cujus authoritate & nomine aliquid fit. ibid.

38 *Promissio Christi Fratribus Minoribus facta omnem omnino certitudinem transcendit, qua tamen eorum statui maximè consentanea est.*

39 *Providentia divina est cura Dei ad res omnes.*

Quomodo concurrat cum causis secundis. ibid.

40 *Providentia divina non excludit humanam imò cum illa concurrit.*

Promissio Christi Minoribus facta de temporali subsidio, quomodo intelligenda. ibid.

Certitudo moralis & humana non tollit specialem dependentiam Minorum à divina providentia, ibid.

41 *B. Fidelis Minorita verba de divina Providentia singulari erga Fratres, referuntur.*

Vides ergo ex his omnibus, quantam habeant certitudinem præstandæ sibi à Fidelibus eleemosynæ, cùm eam petunt, Fratres Minores; etiamsi eos in communi dumtaxat necessitate constitutos dicere velimus: cùm tamen Innocentius IV. & Alexander IV. (ut testatur P. Joan. à Fano *in discursu de Minorica Paupert.* Sed & P. Albertus de Albertis *suprà cit.* §. 9. *num.* 33.) de Fratribus Minoribus dicant: *Vos, qui nomine Iesu Christi extremam sustinetis paupertatem.* Et Pisanus *in lib. Conformit. fructu* 16. expressè affirmet, Fratres Minores promittere extremam paupertatem. Cúmque hæc ita sint, consequens est, quòd quò majori vrgerentur Fratres Minores inopiâ & necessitate, eò majori & Divites sæculi præcepti præexplicati obligatione arctarentur ad eleemosynam ipsis erogandam; quò sanè fieret, ut Fratres ipsi eò pariter certiores essent ferè plùs, quàm morali certitudine de recipienda à Divitibus eleemosyna. Quare si certitudo moralis ex obligatione conscientiæ in dantibus pugnaret cum statu, & professione Fratrum, patet ratio adducta, & res esset implicatissima. Neque enim ullus alius superesset Fratribus licitus vivendi modus, quàm ex ijs, quæ spontè, & liberaliter offeruntur, vel mittuntur. 32

Atqui inter ista recensenda re verâ sunt ea, quæ à Morientibus legato, fideivè commisso legantur, seu mittuntur annuatim, etiam in perpetuum. Verè etenim spontè & liberaliter ab illis offeruntur, seu mittuntur; ut satis ex se patet, & alibi probatum est. Undè appositissimè D. Thomas 2. 2. *quæst.* 187. *art.* 4. *in corp.* certum esse inquit, Religiosos de eleemosyna vivere, qui viuunt ex facultatibus, seu possessionibus ex Fide- 33

lium munificentia collatis; sicut si vivant ex pane verbi gratiâ vel vino, vel pecunia identidem à Fidelibus ex eadem munificentia collatis, sive inter vivos, sive mortis causâ, sive per ultimam voluntatem. Videatur ille. Memineris tamen, quòd Fratribus Minoribus ex speciali suæ ipsorum Professionis, Mendicitatis, & status arctitudine interdictum est, hujusmodi facultates seu Possessiones, aut Census, vel reditus, etiam quoad simplicem usum, citra omnem proprietatem, vel administrationem, recipere, vel habere; ut constat ex *Clementina, Exivi: §. Proindè: versic. Cùmque annui reditus* & nos tradidimus *art.* 1. *§.* 16. *n.* 3. & alibi sæpiùs) Videatur etiam D. Bonaventura *in Libello Apolog. quæst.* 13. ubi respondens cuidam objectioni adversantium Ordini, ait: Tria eleemosynarum genera dantur nobis. Aliqua enim recipimus, quibus uti volumus, (scilicet in propria specie) ut victus, & vestitus, & libri nobis utiles, & similia, quæ non proponimus alienare ab Ordinis usu. Quædam autem dantur nobis, quibus nunquam in illa specie uti volumus; ut vestes sæculares, & libri nobis non apti, vel etiam aliqua superflua victualia, quibus fortè non indigemus ad præsens. Ista si nolunt Fratres recusare propter devotionem dantium, potest Procurator (idest substitutus dantium) ea, vice illorum, servare, sicut pecuniam pro Fratribus ei commissam, ut suo tempore indè provideat eis, quibus indigent, ex parte, (idest, nomine) illorum (scilicet dantium.) Quædam verò dantur nobis pro usu nostro, & ea per nos recipimus; & postmodùm aliquandò contingit, quòd ea volumus alienare. Si illa simpliciter vendimus, tunc fiet sicut dicitis, quòd illa pecunia nostra est, sicut res vendita fuerat antè nostra. Sed ne transgressores Regulæ nostræ simus, recipiendo pecuniam per interpositam personam, tres vias pro hac cautela tenemus. Aut enim rem illam, quæ vendi deberet, commutamus pro alia, qua indigemus, non interveniente pecunia, (idest æstimatione pretij) ut librum pro libro, oleum pro cera ad luminaria, & sic de similibus. Aut rem illam domus pro solutione debitorum; quantum res illa valet. Aut damus eam alicui, ut sua sit, & nobis pro ea de alijs, quibus indiguerimus, tantum acquirat, quantum res illa distracta valeret. Sive autem ille, qui sic eam recipit, postea vendat, sive reservet ut suam, nil ad nos: cum jam non sit nostra, sed ipsius: & ita non erimus præcepti illius de non recipienda pecunia, nec per nos, nec per interpositam personam, transgressores. Hæc S. Doctor, addens: Qui aliter facit, videat, quomodo conscientiam suam apud Deum justificet, & apud homines de scandalo se excuset. Digna sanè Seraphico Doctore responsio quamque hîc nos congruo epiphonemate excipiamus.

En igitur, quot ea in una traditæ hactenùs 34 à nobis doctrinæ confirmantur: *Primò* enim confirmatam habes doctrinam de non recipiendis rebus aut spontè oblatis, aut quæsitis, cum proposito eas alienandi, &c. ut tradidimus *art.* 1. *§.* 16. *num.* 10. *& seqq.* & aliàs. Habes *secundò*, licitum esse Fratribus percipere ex diuturna victualium provisione ab alio facta, vel exhibita sine ipsorum procuratione &c. itemque licitum esse recipere necessaria ex denarijs, vel rebus pecuniarijs oblatis, & eleemosynaliter datis, ex pretio scilicet illarum distrahendarum & convertendarum in usus Fratribus licitos, per Procuratores, vel substitutos dantium &c. Neque item teneri Fratres hujusmodi indicatas provisiones, aut alia oblata, recusare absolutè; ut docuimus *hîc supra à paragrapho undecimò, & seqq.* Denique habes etiam plura eorum, quæ tradidimus *artic.* 2. *paragrapho* 6. *& seq.* quoad temporalium rerum administrationem Fratribus concessam. Neque huic S. Bonaventuræ doctrinæ aliud addiderim, quàm modum à Nicolao III. *in cap. Exijt: paragrapho Quia verò libros*: provisum pro tuta alienatione rerum, quæ jam in Fratrum usum assumpta fuerant &c. hoc est de nominando Syndico, qui nomine Ecclesiæ vendat, commutet, &c.

Neque verò quoad principales dantes 35 tantùm, vel Dominos viventes, aut mortuos, dixerim spontè & liberè, & gratis præstari hujusmodi eleemosynas; verùm etiam quoad eorum substitutos, vel depositarios, aut mandatarios, hæredes, vel gravatos, aut executores, vel commissarios. Nam sicut hæres nunquam repræsentat defunctum, nec unquam fingitur eadem persona cum eo, nisi mediante facto suo, & nisi ex mera & propria voluntate sua; quia vult esse hæres; ut tradit Jason *super titul. de Actionibus, paragrapho Actiones autem: num.* 5. ita & mandatarius, & commissarius, & alij hujusmodi alienæ voluntatis, executores; quia (ut Juristæ communiter loquuntur,) voluntatis, seu libertatis est suscipere mandatum; necessitatis consummare susceptum: *l. in commodato, §. sicut. ff. Commodati, vel contra:* & *Institut. de mandato, §. penult.* ubi Gloss. cum *alys concordantijs.*

Quæ

36 Quæ tamen necessitas, scilicet suscepti mandati muneris, vel oneris, aut promissi, nec libertatem, nec liberalitatem vel munificentiam lædere dicenda est. Ut enim benè S. Bonaventura *in 3. sentent. dist. 20. artic. 1. quæst. 1.* Necessitas, quæ consurgit ex stabilitate propositi, & immobilitate dispositionis factæ, qua scilicet quis disposuit, vel promisit alteri aliquid se facturum, non arctat eum ad oppositum, sed determinat ad propositum; nec opponitur libertati voluntaris, ac per hoc nec gratiæ, nec liberalitati: diciturque, Necessitas immobilitatis, constantiæ, vel fidelitatis. Undè communiter Doctores docent Promissionem, quæ est datio fidei firma & spontanea (idest voluntaria) de re licita; esse actum liberalitatis: promissorum verò adimpletionem ad virtutem fidei, hoc est fidelitatis, spectare; quæ (auctore Tullio *lib. 1. de Offic:*) dicitur *Fides*, quia per eam fiunt dicta: & definitur, dictorum, conventorúmque constantia, & Veritas. Quapropter eadem virtus (juxta probabiliorem sententiam, quam tradit Cajetanus *in 2. 2. quæst. 113. ad fin. §. Quibus visis:*) à Virtute morali Veritatis non distinguitur; cum ejusdem moris videatur, Verum dicere, & Dicta verificare: illud siquidem est adæquari menti dicta, istud verò adæquare facta dictis. Undè eos, qui ita se gerunt, *Veraces*; qui verò contra, *Mendaces* appellamus. Consentit D. ipse Thomas *ibid. ad* 3. innuens, Fidem, per quam fiunt dicta, includi in Veritate; spectaréque ad voluntatem, non ad intellectum; sicuti ipsa veritas, in qua includitur, in voluntate existit; juxta eundem S. Doctorem *ubi suprà, quæst. 109. art. 3. ad* 2. ubi Cajetanus, afferens etiam Aristotelem. Concordat etiam S. Bonaventura *in 3. sent. dist. 38. art. 1. quæst. 3. ad 4. & dist. 39. art. 1. quæst. 2. ad* 3. & alibi sæpiùs. Vide Rebellum *part. 2. de obligat. Inst. lib. 18. quæst. 4. num. 1.*

37 Atque hinc, quamvis ex simplici promissione, qua ex honestate dumtaxat quis se obligare intendit, non oriatur per se, si violetur, nisi venialis culpa perfidiæ; lethalem tamen culpam incurret hæres, aut executor, & quidem ex genere perfidiæ, non implens testatoris ordinationem, & mandatum quod se impleturum spopondit, cùm acceptavit hæreditatem, commissionem, & tunc enim obligationem justitiæ in toto rigore erga testatorem assumpsit volens, libens, & consentiens; ut alibi docuimus *art. 1. §. 10. & 11.* Vide Caietanum *in primo loco cit.* & Rebellum *ibid. num. 2.* Et idem dic de substituris, depositarijs, vel mandatarijs viventium largitorum: Qui tamen omnes, etsi ita teneantur dare eas elemosynas Fratribus; & liberè, & aliquo modo ex gratia sua dare, possunt dici; ut benè Navarrus *tom mihi 3. in Comment. de datis, & promissis pro Iustitia, vel Gratia obtinenda, num. 51.* inquiens: Et qui dat bona debita dari alicui, dando ea benè facit; licèt non debeatur ei tanta gratia, quanta donanti. Non enim solùm qui donat, sed & qui solvit; & non etiam solùm qui donat propria, quæ sibi retinere potest, sed etiam qui dat publica, vel aliena de consensu, vel mandato Domini, quæ sibi retinere non potest, dicitur beneficus. Nam Justi qui faciunt justa, & debita, dicuntur boni, secundùm Tullium *1. de offic.* relatum à D. Thoma *2. 2. quæst. 58. art. 3.* quod etiam ex Arist. *5. Ethic.* satis colligit *lect. 2.* Et Principes Ecclesiastici, & sæculares conferentes beneficia Ecclesiastica, vel sæcularia, quæ sibi retinere non debent, dicuntur benefici in eos, quibus illa conferunt: *cap. Relatum:* juncta Gloss. *v. Liberaliter: de Prabendis, & Dignit.* Immò, & Eleemosynarij eorum sunt benefici, & habentur pro talibus, & gratiæ aguntur ijs, ab eis, quibus eleemosynam Dominorum largiuntur; ut palam est. Ita Navarrus. Undè benè hæc omnia percipiens Politius *ad cap. 6. Reg. num. 55.* Scripsit: Nulla videtur ratio differentiæ inter relictum in testamento per institutionem, & liberaliter oblarum. Etiamsi illud (addo) ab hærede præstetur legatario instituto. Nam qui agit de mandato alterius ad modum mandantis, aut præcipientis agere censetur; sicut is dicitur facere, cujus auctoritate & nomine res fit; ut *l. Ita tamen: §. gessisse: ff. de administrat. tutor.* & faciunt Regulæ utriusque Iuris, nempè 72. *Qui facit: de reg. Iur. in 6. & l. Qui jussu alterius: ff. eod. tit.* ut alibi ampliùs tradidimus. Et quod recipis contemplatione mea, mandato, vel ordinatione, ex me percepisse videris: *l. cùm aliquis, cap. de jure deliberandi: cap. Requisisti: de Testamentis:* & de hoc latè Barbatius *in l. cum acutissimi: in 8. col. C. de fideicommissis.*

Si cui verò nimia fortè adhuc appareat certitudo, quam admitto in assertis Morientium annuis eleemosynis ab hæredibus, vel gravatis ex obligatione conscientiæ, ut ostensum est, præstandis Fratribus Minori 38

Minoribus. Quæro ipse ab illo; Quænam major certitudo illâ est, quæ nititur promissionibus Christi? cujus utique promissis niti debet fiducia nostra, quòd non deficient eleemosynæ, & opera Misericordiæ in Ecclesia; quemadmodum Seraphico signanter Patri nostro Francisco ipsemet Christus promisisse legitur; ut habetur ex *Chronicis*, & testatur Gregorius IX. inter tria privilegia, quæ ab eodem Seraphico Patre audierat per ipsum à Deo obtenta: Quòd scilicet, quò plures essent Fratres in Ordine, quóque plùs eorum numerus augeretur, eò meliùs & abundantiùs eis ipsemet Christus provideret temporale subsidium. Vide *Chronic. P. P. lib.1. cap.85.* Conformitates *lib.1. fructu 9. Paragrapho septimò, Regula.* Atqui ista (inquies) est vera dependentia à Providentia Dei.

39 At quæro: Quomodo suâ hac verâ, & purissimâ providentiâ provisurum se Christum Dominum, ut præfertur, promisisse putas? Num panes, & vinum super Fratrum Mensas, atque in vasis multiplicando? Num personaliter ipse cibaria ferendo, & ministrando? Num Angelos suos semper mittendo? Num mirabilia hujusmodi operando? Apagè! Quamvis enim Providentia Dei sit cura ipsius ad res; prout eam definit S. Bonaventura *in cap.14. Sapientiæ*, ex D. Damasceno *de Orthodoxa Fide, lib.2. cap.29.* eámque Deus ipse habeat de omnibus rebus; prout de Fide tenendum ducent Theologi, Molina *quæst.22. art.2.* Coriolanus noster *quæst.22. memb.4. & 9.* & alij communiter: Et quidem de aliquibus generalem, quâ nimirum, modo communi, omnia etiam in particulari curat; de aliquibus verò specialem, quâ aliquibus creaturis modo speciali providet, &c. cum hoc tamen stante, quòd æqualiter sit ei, cura de omnibus; (ut dicitur *Sapient.cap.6.*) quatenùs scilicet, aut actus ipsius est idem unicus, & simplicissimus respectu omnium; aut Deus servat æqualitatem excludentem quidem acceptionem personarum, non ordinatam bonorum communicationem, ut benè explicat S. Bonaventura *in 3. sent. dist.32. art.1. quæst.3. in corp. & ad 1.* Quamvis, inquam, hæc ita sint, adeò ut Theologi, D. Thomas *part.1. quæst.22. art.3.* & alij communiter, dicendum doceant, Deum immediatè, & per se ipsum rebus omnibus providere: hoc tamen intelligendum esse, dicunt, quatenùs suo intellectu, & voluntate res omnes ordinat, & cum causis secundis immediatè concurrit ad earum effectus producendos, quantùm ad id, quod dicunt entitatis; ut communiter docent Philosophi & Theologi, præcipuè S. Bonaventura *in 1. Sent. dist.12. quæst.3. ad 1. & dist.45. art.2. quæst.2. & in 2. dist.10. quæst. ult. & dist.14. part.1. art.3. quæst.1. & dist.28. quæst. ult.* Quo fit, ut Providentia Dei, tanquam ratio universalis creatam providentiam non excludat; immò includat, & per causas secundas, ac media ab ipso constituta rebus provideat etiam providentiâ speciali.

Dicendum est igitur promisisse Deum, 40 provisurum se temporale subsidium Fratribus Minoribus; ut præfertur, non excludendo, immò includendo humanam providentiam; excitando videlicet Charitatis suæ spiritu modò unum, modò alium ex Fidelibus, & cum ipso cooperando ad providendum Fratribus de aliquâ eleemosynâ; atque huc benè evenit etiam per providentiam, quam modo speciali, non specialissimo, (ut in exemplis illis propositis) promisit Deus de Fratribus Minoribus se habiturum. Undè optimè Nicolaus III. *in cap. Exyt: §. Nec quisquam:* animadvertens, quòd velle se committere specialissimæ Dei curæ, & providentiæ, omnem omninò viam providentiæ humanæ contemnendo erroneum est, & præsumptuosa Dei tentatio, non majoris perfectionis æmulatio; hisce verbis dependentiam specialem à divina providentia, quam per omnimodam temporalium rerum expropriationem, profitentur Fratres Minores explicuit, & confirmavit: *Nec quisquam ex his insurgat erroneum, quòd taliter propter Deum, proprietatem omnium abdicantes, tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei, vivendi discrimini se committant. Sic enim se ipsos committunt divinæ providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant provisionis humanæ; quin vel de ijs, quæ offeruntur liberaliter; vel de ijs quæ mendicantur humiliter; vel de ijs quæ conquiruntur per laboritium sustententur; qui triplex vivendi modus in Regula providetur expressè. Profectò, si (juxta promissum Salvatoris) nunquam deficiet Fides Ecclesiæ, per consequens nec opera Misericordiæ subtrahentur: ex quo Christi pauperibus omnis ratio diffidentiæ cujuslibet videtur esse sublata.* Hæc Pontifex ille. Ubi Marginista quidam *ad illud verb. Subtrahentur:* addit, quod & nos notavimus *suprà* ex Sylvestro, & alijs; videlicet, quòd immò possent laici compelli officio Judicis eleemosynas

eleemosynas facere: Gloss. *cap.1. dist.1. cap. Domino Sancto: 50. dist. cap. Exigunt: 1. quæst.7.* Abb. *cap.1. de empt. & vendit.* Et *ad vers. Sic enim se ipsos committunt.* Idem Marginista videndum omninò indicat D. Thomam *2.2. quæst. 186. art. 3. & lib. 3. contra Gentiles, cap. 131. & aliquot seqq.* An non igitur cum hujusmodi fiducia, & spe, ac dependentia speciali à divina providentia certitudo humana, & moralis, eaque nec adeò levis, reperitur? Quid ergo ultra contendere juvat, & cavillari?

41 Hisce nihilominùs accedat authoritas B. Felicis nostri, de quo legitur apud Boverium *tom.2. Annal. anno* 1587. *num.* 88. quòd aliquando hanc ipsam Dei providentiam, Fratrúmque ab ea dependentiam commendans, in hæc verba prosilijt, juniores aliquos Fratres ferventiori spiritu allocutus: Quid altissima illa rerum paupertate pretiosius? quæ, cùm Apostolorum exemplo, universa vitæ necessaria abjecerit, rebus omnibus exonerata, Dei filium nudum, ac pauperem sequitur, Deum sibi Curatorem vendicat, & sui sollicitum præstat. Memini me aliquando dicentem Dominum à Concionatore audivisse: Respicite volatilia cœli; quoniam non ferunt, neque nent, neque congregant in horrea; & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Hæc quidem & ad cæteros pauperes; verùm ad nos maximè à Domino dicta esse, rerum ipsa experientia docet: qui omnem prorsùs mundò hujus hæreditatem respuentes, Deum nobis Patrem, & hæreditatem posuimus, ita ut quilibet nostrûm illud dicere valeat: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Nos, filioli, nos hæc cœli volatilia sumus; quos neque ferentes, neque in horrea congregantes Deus pascit; si nihil terrenum cogitantes, ad cœlestia semper animo, & cogitatione feramur. Quid de esca, ac veste solliciti sumus? An non cernitis, quàm abundè vitæ nobis à Deo necessaria suppeditantur? Quis, quæso, nobis panem ministrat? Quis vinum providet? Quis escam suo tempore distribuit? Quis cætera vitæ necessaria præbet? An non hæc nobis à Dei manu, ac providentia fluunt? Fortè hoc hominum opus suspicamini? At quis hominum animos, ad hanc singillatim erga nos pietatem excitat, movet, impellit? Equidem si rerum divinarum æqui æstimatores estis, non hoc hominum tantummodò, sed Dei potiùs agentis & providentis opus esse, æquum erit agnoscere. Quò fit, ut vilia illa panis frusta, quæ mensis nostris apponuntur, quandoquidem è divinæ providentiæ manu ad nos per Angelos feruntur, longè ijs pretiosiora, & jucundiora sint, quæ divitum mensis humana tantùm providentia ministrat, &c. Hæc, & alia hujusmodi Beatus ille Vir ardentiori paupertatis studio incensus interdum simplicissimo sermone Fratribus inculcabat, quo illos ad paupertatis amorem alliceret. Hæc ille, inquam, ad nostræ in præsentiarum interpretationis confirmationem. Videatur Boverius *loco cit.*

---

§. XVII.

Recapitulationis factæ atque Epilogi summa Coronis.

SVMMARIVM.

1 *Minores an possint totam & integram eleemosynam sibi relictam, vel depositam seu mandatam eleemosynaliter recipere per singulos dies, vel menses, successivè, si ex illa absque alia mendicatione possent habere suas omnes necessitates*, & num. 2. cum alijs seq.

2 *Ratio dubitandi affertur.*

3 *Ratio decidendi quod possint recipere, neque id tollat mendicationem, probatur*, ibid. & num. 4. & seqq.

4 *Promissio divina Minoribus facta, certior est omni provisione, vel promissione humana.*

5 *Dispositiones piæ in favorem Minorum sunt effectus divinæ providentiæ & promissionis factæ eisdem.*

6 *Dispositiones piæ Minoribus relictæ ipsos non eximunt à mendicitate, ut explicatur*, ibid.

7 *Minores possunt recipere provisiones depositas, vel sibi relictas, præsertim adhibita protestatione, & cum moderaminibus requisitis, salvo rigore sui status.*

8 *Minores mendicando ostiatim possunt petere eleemosynam ab iis qui tenentur vel ex testamentis, vel mandato providere necessitatibus illorum: modò humiliter petant, & recipiant per modum eleemosynæ, non per modum debiti, ut declaratur*, n. 9. 10. & seqq.

Ubi respondetur omnibus contrariis, usque ad num 16.

16 *Simplicitas amica legibus.*

Minores

Minores simplicitatem religiosam in omnibus sequi, & ab omni appropriatione abstinere debent, ibid.

17 *Simplicitati Columbæ prudentia serpentis adhibenda.*

18 *Minores studeant in primis habere spiritum Domini ad Regulam rectè servandam.*

19 *Minores Testamentum Seraphici Patris S. Francisci piè exequantur, & sanctam paupertatem sectentur, Authoris exhortatio.*

Sancta Paupertas est humilitatis mater, ibid.

Per observantiam altissimæ Paupertatis Ordo Seraphicus cæteris eminet universis, ibid.

1 ADerit profectò mihi pro hisce omnibus Crousers noster Antuerpiensis *lect. paranet. 6. ad cap. 6. Reg.* probatissimâ, utpotè censuris omnibus eribratâ doctrinâ. Excitat nimirum ille *loco cit.* quæstionem in terminis: Utrùm, si quantitas eleemosynæ Fratribus, quotiescúmque peterent, in perpetuum dandæ, vel ultrò deferendæ (ex mandato scilicet, vel testatoris legantis jam vitâ functi, vel cujuslibet alterius devoti, & largitoris viventis) tanta esset, quòd ex illa Fratres absque alia mendicatione possent habere omnes suas necessitates; utrùm Fratres possent illam totam eleemosynaliter petere, vel ultrò delatam acceptare, per singulos dies, vel menses successivè, juxta testatoris, vel alterius largitoris viventis ordinationem.

2 Videri posset, (inquit ille) quòd non. Quia hac ratione sublata esset Mendicatio, non quidem quotidiana, sed ostiatim facienda, in qua fundatus est Ordo noster. Deindè quia, sic faciendo, videretur esse consensus in provisionem, factam quidem per alios, sed in gratiam nostri; essetque uti provisionibus, quod alienum videtur ab instituto nostro. Rursùs; quia hac ratione Fratres non minùs essent certi de victu, & amictu, ac si reditus haberent, nec victitarent in spe Providentiæ divinæ, nec saltem modo, quo ex providentia divina pendent peregrini mendici, qui nobis *in Regula cap. 6.* assignantur in exemplum. Tandem quia, etiamsi usus ejusmodi provisionum per alios factarum in gratiam Fratrum non repugnet statui eorum, qui paupertatem, & Mendicitatem pro Christò elegerunt profiteri per totam vitam, viderentur tamen resilientes ab electa professione Mendicitatis per usum talem dictarum provisionum. Ex quibus omnibus argumentis multum probabilis videtur responsio hæc negativa ad propositam quæstionem. Hæc ille, qui tamen affirmativam tenens, & objecta solvens, subjungit:

Nihilominùs pro affirmativa dici posset 3
ad primam rationem, non fore per hoc sublatam Mendicationem; quia (ut suppono) Fratres statis temporibus, per septimanam, vel menses, eleemosynaliter peterent, seu mendicarent à testamenti executoribus, vel deputatis. Quòd verò tunc non mendicarent ostiatim, verum quidem est; sed non videtur necessarium; cùm ne mendicare quidem Fratribus videatur obligatorium, sed solùm (ut inquit S. Pater *in suo Testamento*) quando non daretur nobis pretium laboris. Cessare etiam potest obligatio mendicandi, quando sufficienter ex fidelium liberalitate Fratribus necessaria ultrò deferuntur. Neque etiam Fratres, petendo statis temporibus totam illam sibi sufficientem eleemosynam, censeri possent consentire in provisionem, vel uti provisionibus ab instituto suo alienis. Quia cùm dictam eleemosynam non procuraverint Fratres sic in gratiam sui relinqui, ut suppono, illa non habet respectu ipsorum rationem provisionis activæ, quæ sola disconvenit statui Fratrum; sed puræ eleemosynæ per testatorem illis provisæ; & consequenter eâ utentes non utuntur provisionibus sibi disconvenientibus.

Quòd verò dicitur, Fratres fore certos 4
de victu, & amictu, ac si haberent reditus: Respondeo, Fratres ex provisione, quam de tanta eleemosyna in gratiam illorum fecit testator, adhuc multò minùs certos esse de victu quotidiano, quàm ex promissione Dei illis facta, qui reliquerunt omnia propter ipsum: promissio enim Dei multò certior est omni provisione, vel promissione humana; cujus major certitudo si non obstat statui Fratrum Minorum, cur repugnabit alia, quæ est effectus promissionis, & providentiæ Dei, quo nimirùm ordo suæ ipsius circa Fratres providentiæ impletur? Aut quare dicerentur Fratres non victitare in spe providentiæ divinæ, petendo, aut recipiendo, sicut dictum est, absque ullo titulo civili, & immobili, simplicem eleemosynam, instar mendicorum; cùm ipsis constet, providentiâ divinâ factam esse illam qualemcúmque provisionem humanam per testatorem? Nonne & ipsi

ipsi peregrini mendici, qui nobis *in Regula* assignantur in exemplum, petunt humiliter, & recipiunt eodem modo eleemosynas, quæ pro ipsis signanter alendis, & sustentandis hic, vel illic, Xenodochijs vel hujusmodi pijs locis à Fidelibus relinquuntur?

5 Et sanè, si secundùm Augustinum *lib. de oper. Monach. cap* 27. tunc etiam Deus nobis providet de necessarijs, quando arte, & industriâ nostrâ illa nobis paramus; cur tunc eum non putabimus providere, quando per moribundos aliquid ejusmodi (sine arte, & industria nostra, sed ipsorum sponte, Deo ipso simpliciter inspirante) nobis relinquitur? Certè id nonnisi effectus specialis Dei promissionis, & providentiæ circa nos esse censendum est.

6 Neque propterea resiliunt Fratres à professione Mendicitatis, quam elegerunt: quia Fratres ejusmodi eleemosynas etiam mendicant, non alio titulo illas petentes, aut recipientes præstitas ab hæredibus, vel executoribus, etiamsi in conscientia obligatis eas ita præstare; quàm mendicitatis, & per modum eleemosynæ quotidianæ: & quamvis per diversas domus non vadant mendicantes, id Professioni suæ non repugnat; quia non ita profitentur id genus mendicitatis, quod aliter non possint vel per labotitium, vel ex liberaliter oblatis vivere, sive illa ab uno solo, sive à pluribus recipiantur: sed ita, quòd mendicare non erubescant, quando dictis modis sufficienter non est satisfactum necessitatibus suis. Hæc autem, quæ pro affirmativa parte adduximus, quamvis illam reddant valdè probabilem; negativa tamen pars magis consonat paupertati, & humilitati Fratrum Minorum. Hactenùs Crousers; cui utique ipsemet in hac novissima sententia subscribo: quatenùs tamen intelligatur, magis facere ad proximorum ædificationem, & paupertatis exercitium mendicare ostiatim, vel ultrò oblata à pluribus recipere necessaria, quàm ab uno, & eodem tantùm. Cùm tamen vix casus contingere possit, quo omnis omninò rei necessariæ Mendicatio tollatur.

7 Quare affirmativa sententia nullam mihi relinquit formidinem, quòd per ejus praxim lædatur rigor Minoricæ Mendicitatis. Aderit autem & proximi ædificatio, vel saltem omne aberit scandalum, etiam pusillorum, si Fratres adhibuerint Protestationem, de qua *suprà, art.* 2. §. 3. fideliterque servaverint moderamina requisita in recipienda ejusmodi eleemosyna, vel provisione. Sed vide omninò dicta, & sententiam Roderici ad hunc propositum, relatam *in præsenti artic.* § 6. *numero* 2. 3. 4. 5. & 6. cui pariter omnibus votis assentior.

Addo; quòd certum est etiam in sententia ejusdem Crousers, quòd Fratres Minores in mendicatione ordinaria per domos Civium, vel incolarum loci, in quo sunt, aut quæstuant, non tenentur cavere, eos prætereundo, ab eleemosyna petenda ab ijs, qui in testamento gravati sunt dare Fratribus eleemosynas necessarias in singulos annos, etiam in perpetuum, sicut non tenentur ultrò eas ab ijsdem delatas respuere, si ijs indigeant, nec sint superfluæ. Neque officit, quòd hujusmodi gravati dent eleemosynam illam ex legato, & ordinatione testatoris. 8

Si autem dicas: Hæredes illi, vel gravati non dant per modum eleemosynæ, sed per modum debiti; Fratribus autem integrum quidem est petere, & recipere eleemosynas, non tamen petere, aut accipere, quod est eis debitum. 9

Respondeo, neque id obstare, præsertim ubi adhibita fuerit à Fratribus Protestatio, de qua *suprà loco cit.* quia etsi per hoc, quod datur Fratribus, hæredes satisfaciant debito suo, & præcepto testatoris; illud tamen nullo modo habet rationem debiti, aut certitudinis civilis respectu Fratrum. Aliàs, si quia talis eleemosyna ab hæredibus, vel gravatis datur intentione satisfaciendi præcepto testatoris, illa non posset à Fratribus recipi, jam nullas Morientium eleemosynas possent Fratres per manus gravatorum, vel Executorum recipere; ut patet. Quid, quòd neque à Viventibus, præsertim opulentioribus, recipere eleemosynam possent? nam & hi dant, ut satisfaciant præcepto naturali divino Charitatis de eleemosyna eroganda de superfluis, ut probatum est *suprà*. Non ergo præceptum testatoris, sicut nec præceptum naturale divinum, efficit quominùs legata eleemosyna sit verè eleemosyna, neque ideò prohibentur Fratres ab illis eas piè, & eleemosynaliter, sicut etiam ab alijs quibuscumque, petere, vel delatas recipere. 10

Quinimmò dixerim, ad eos præ cæteris accedere posse Fratres, & ita decere, petendo humiliter, & piè; vel ab illis 11

illis oblata potiùs, quam ab alijs recipere. Sic enim fiet, ut cæteris, qui nulla testamentaria obligatione tenentur, tùm Fratres sint minùs molesti, tùm major restet copia eleemosynæ alijs pauperibus largiendæ.

12 Neque item obstat, quòd talis eleemosyna ab hæredibus, vel gravatis irrevocabiliter præstari debeat: Quia hæc conditio communis est omnibus Morientium eleemosynis, & ad rationem eleemosynæ se habet per accidens, nec quicquam præjudicat.

13 Neque tandem officit, quòd hujusmodi legata eleemosyna sit annuatim debita, & certò à Fratribus in perpetuum sit habenda: quia (ut suppono) operâ, & inductione Fratrum ea relicta non fuit, neque annuatim eis datur ex obligatione, aut rectitudine civili, sed tantùm morali, & in foro conscientiæ: de ratione autem mendicitatis non est, quòd non petant, aut recipiant ultrò delatum ab eo, quem sciunt Fratres ex voto, vel ex testamento, vel ex commisso à Vivente obligatum; sicut non repugnat statui mendicorum peregrinorum eleemosynaliter petere, & recipere illa quæ annuatim pro hujus conditionis hominibus relicta sunt in Nozocomijs.

14 Si dicas, hoc habere saltem speciem reditus annui, qui est Fratribus interdictus, absolutè negatur; & patet falsum ex dictis supra non semel. Nisi velis dicere, esse annuum reditum ex patrimonio amplissimo Paupertatis Fratrum Minorum proprio provenientem: id quod ultrò concedo. Et hæc satis, ad omnes cavillationes contra nostram doctrinam evacuandas.

15 Quòd si quis nihilominus hisce omnibus non acquiescat, & dissentire contendat; hic mihi parcat, si pro responsione dicto illo utar, quod olim protulit Cardinalis Zabarella *in Clement. Exivi*: *paragrapho Proindè*: obstruere intendens ora eorum, qui pervicaci nimiùm contentione usum simplicem facti conabantur Fratribus Minoribus calumniari; inquiens: Illa verò diversitas, quæ turbavit Mundum, videtur penitùs exigua, & nullius effectus, quoad Fratres Minores, an dicatur, &c. nec est conveniens in hac Religione, quæ in simplicitate fundata est, his insistere: Sufficit enim, quòd nihil sibi approprient, ut per hoc velint in judicio contendere. Hæc ille: qui etiam *ibid. paulò antè* dixerat: En denique, cùm multùm cogitavi, videtur, quòd dummodò Fratres Minores abstineant à proprio, ita quòd non habeant possessiones Immobilium, ex quibus fructus colligantur; nec insuper habeant mobilia, de quibus agant tanquam Domini contrahendo; sed habeant solum ad utendum, & quæ parati sint dimittere, ut proximè dixi, nihil refert, &c. Papè! quàm egregiè ad rem nostram loquitur! modò id, quod de immobilibus non habendis, ex quibus fructus, &c. intelligatur etiam quoad simplicem facti usum, vel potiùs usumfructum, & de ijs, quæ inter Immobilia computantur; ut sunt annui census, vel reditus, de quibus *in Clement. Exivi: eo vers. Cùmque annui*, &c.

16 Vides ergo, quomodo perfectio status, conditionis, & professionis paupertatis specialis Fratrum Minorum, non est tot sophismatum cavillis, atque inutilibus contentionibus obnoxia. Deum igitur Opt. Max. ex corde syncero, & tota virtute nostra quæramus; simplicitati, supra quam fundata est nostra Religio, toto nisu innitamur: Simplicitati, inquam, quæ vel ipsi Imperatori Justiniano in Legibus magis placuit, quàm difficultas; ut ipse loquitur in *Paragrapho Sed quia stipulationes: Instit. de fideicom. hæredit.* ubi Gloss. Simplicitatem amicam Legibus appellat; & idem affirmat idem Imperator *in paragrapho Cæterùm: Vers. Et hæc quidem: Institut. de legitima agnat. successione*; & in *l. manifestissimi: paragrapho primo, vers. tales itaque: Cod. de furtis, & servo corrupto.* Ulpianus etiam *in lege prim. in princip. digest. de dolo malo.* Et notat *Glossa citat.* intelligendum de simplicitate, quæ est contraria fraudi; non autem de fatuitate, quæ damnabilis est: *lege Tutor: paragrapho fin. digest. de suspectis tutor.* Laudabili igitur simplicitati Regulæ nostræ amicæ ipsiusque Domini Spiritui, sine quo verus Regulæ sensus haberi nequit, innitentes caveamus ab omnibus, quæ aut appropriationis, aut civilis juris, aut politicæ administrationis, vel terrenæ cupiditatis, sollicitudinis, atque anxietatis speciem aliquam apta sint præseferre, humiliterque de cætero ea omnia, quæ nobis necessaria sunt, & quoad usum licita,

licita, vel emendicemus, vel laboritio aliquo conquiramus, vel sponrè oblata, aut missa capiamus, sive ea missa sint à Viventibus, sive à Morientibus.

17 Huic tamen simplicitati serpentinam etiam adhibeamus prudentiam, ad proximorum ædificationem, quam nobis *in Constitutionibus* præscripsêre Patres nostri. Ut nimirùm, quantùm justè possumus, resistamus ijs, quos aliquid nobis legare velle noverimus: quòd si legare nihilominùs simplici legato, & sine expressione modi nobis illiciti maluerint, hujusmodi legata civiliter non agnoscamus, & quasi etiam naturaliter negligamus; recipientes simpliciter, & humiliter per modum eleemosynæ, si quid ex ejusmodi testamentaria ordinatione præstetur, nullam de eo sollicitudinem gerentes. Qui enim ita ambulat simpliciter, ambulat confidenter, & salvus erit; juxta divinum Oraculum, *Proverb. capite decimo & capite vigesimo octavo* & benè illa verba observat Domini Jesu (*Matth. capite sexto*) *Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Sic autem confidentibus, Deúmque ex animo quærentibus, Regulámque promissam perfectè observantibus neque eleemosynæ neque ad victum necessaria deficient. Id siquidem à Deo cum Minoribus Fratribus fœdus (B. P. Francisco reste) olim percussum est: (prout refert P. Boverius *tomo primo Annal. Capucc. sub anno* 1532. *numero trigesimo septimo pag.* 161.) Ut quandiù hi perfecti Regulæ cultores existerent, ijs Mundus, quæ victui necessaria sunt, administrare debeat: undè; si à Regulæ cultu exorbitaverimus, jam velut fœdere abrupto, Mundo liberum fiet ab hoc pacto resilire, ac propriæ nos providentiæ derelinquere.

18 Perfecti porrò totius nostræ Regulæ cultores facilè erimus, si primò super omnia studeamus habere Spiritum Domini, & sanctam ejus operationem, (juxta nobilem admonitionem Seraphici Patris *in capite decimo Regul.*) orare semper ad Deum puro corde, religiosis actibus sub Prælatorum obedientia fideliter pro suo quisque statu insistentes, nec nostrâ culpâ otiosam in Religione, ac inutilem vitam transigentes. Ideò enim à Fidelibus eleemosynæ victui nobis necessariæ conferuntur, ut liberius Orationi, cæterísque Ordinis exercitijs incumbere valeamus; & spe eorumdem nostrorum bonorum operum participandorum: undè, qui secùs ageret, illicitè eorum uteretur eleemosynis; quippè eosdem, quantùm est de se, hujusmodi fine, & spe turpiter ingratéque defraudans; ut optimè docent Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 187. *articul. quarto in corp.* & ibi Cajetanus; Ledesma *part.* 4. *quæst.* 15. *articulo octavo*, *folio* 135. *col. secunda.* Angles *in* 1. *part. flor. tractat. de Eleemos. quæstione nona de Mendicit. difficult.* 4. Valentia 2. 2. *disputatio. decima*, *quæstio. quinta*, *puncto tertio.* Quæ quidem ingratitudinis culpa lethalis esset, secundùm Cajetanum *citat.* & Cordubam *in capit. sexto Regul. quæstio. decima tertia* & juxta doctrinam Divi Thomæ *citat. quæst.* 107. *articulo tertio.* si formalis eleemosynarum beneficij contemptus interveniret; quem sanè interpretativè adesse putat Valentia *citat.* quando Religiosus ferè nunquam benefactorum memor est, notabiliterque in religiosis actibus & observantijs negligens existit, ita nullas, aut vix aliquas curet. Vide *DD. citat.* & Politium *in cap.* 5. *Reg. n.* 5. *& seqq.*

Secundò, si portionem illam selectissimam, quæ nos perducit in terram Viventium, altissimæ videlicet Paupertatis, hæreditaria nobis à Seraphico Patre in suo testamento possessione relictam diligentissimè custodierimus: ea siquidem humilitatis mater est, ex qua, & in qua cæteræ virtutes oriuntur, & radicantur. Undè Hugo ajebat: Cùm Paupertas ab omnibus colebatur, facilè absque interprete Regula servabatur: Per observantiam altissimæ Paupertatis (ait Crousers *lect.* 11. *ad caput sextum*) Ordo Seraphicus Ordinibus eminet universis; è contrario autem per ejus prævaricationem vilescit, & dejicitur infra omnes. Quemadmodum enim Familiæ illustres nequeunt diù splendorem, dignitatémque retinere, non conservatâ dominiorum, & possessionum hæreditate à Majoribus accepta; quæ si distrahant, vendant, pessundent, eorúmque instrumenta authentica à se abdicantes in alios transferant, confestim necesse est, ut obscurentur, & deleantur: Simili modo quandiù Seraphicus Ordo Paupertatis hæreditatem, certúmque patrimonium sibi à Seraphico Patre relictum conservabit, semper illustris erit, non obstantibus quorumdam par- 19

ticularium ruinis. Servemus ergò. Fratres Charissimi, Paupertatem, (ad cujus titulum, velut certi patrimonij, Ecclesia ipsa sacris nos Ordinibus initiat) si volumus à Paupertate conservari, ne cum ignominia lamentum Prophetæ (*Isa. Thren.* 5.) assumere cogamur: *Hæreditas nostra versa est ad alienos.* Quod avertat Deus Opt. Max. ad cujus laudem, & gloriam (ut sit ipse mihi Alpha, & Omega) Consilium istud, sicut exortus sum, sic absolvo; quod humillimè S.R. Ecclesiæ, ac mei Ordinis Superiorum censuris subjectum volo.

ABSOLVTI

ABSOLVTI CONSILII

APPENDIX PRACTICA

EX DVOBVS EIVSDEM

ARGVMENTI,

Casibus factis, non fictis, resolutis.

PRÆFATIVNCVLA.

DVos istos, quos absoluto Consilio subnecto ejusdem argumenti Casus, factos, non fictos nuncupo; quippè quos haud studij gratiâ mente confictos, sed in facti contingentia ab illustrioris notæ Viris propositos examinavi, & absolvi. Primus etenim à me expensus & resolutus fuit Venetiis anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, coram felicis recordation. Admodum Reverendo Patre Aloysio à Verona nostræ tunc temporis Congregationis Diffinitore Generali, simulque Provinciali in eadem Provincia; cùm eidem, utique pergratum habenti, atque approbanti, exaratum jam rudi scripto Consilium, quod molitus fueram, sanioris judicij causâ (memet quotidie ob ejus caligantes oculos perlegente) communicarem. Alterum verò, cum sua resolutione, ad me misit, Constantiâ, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo, Admodum Reverendus Pater Bonagratia Habsensis Alsata, in Provincia tunc Heluetica Diffinitor, scientiarúmque, & Observantiæ nostræ studiosissimus Cultor, cujus optima semper superit recordatio, nec laus plurima conticescet in egregijs Alumnis, quos Lector dedit non paucos eidem Heluetticæ, Austriæque Anterioris Provincijs; necnon in Summula selectarum Quæstionum Regularium, quas in specialem usum nostræ Congregationis collegit, typisque edidit; atque in alijs pluribus M. S. quorum nonnulla mihi, cùm speculativa, tùm moralia, per Epistolas insinuavit à se ipso parata, vel in præsenti legatorum, Morientiumvè Eleemosynarum materia; signanter verò specialem Tractatum de usu, & ratione administrandi bona temporalia, &c. sub titulo: *OEconomia Franciscana*, &c. quem in Capitulo Generali ejusdem anni millesimi sexcentesimi sexagesimi septimi, Superioribus censendum obtulerat; licet (ut ipse aiebat) absque intentione imprimendi. Hosce igitur absoluto jam Consilio subdere placuit sub titulo *Appendicis practicæ*; ut nimirùm Theorematì Praxis accedat.

Et quidem, quod ad secundum attinet, præcedet Resolutio integra ejusdem Patris Bonagratiæ; qui casum illum (ut scribebat) nuper apud se contingentem ita deciderat: cùm subiiciemus nostram, per modum potiùs Commentarij ad illam (paulò etsi dissentientem) quàm impugnationis: cùm denique syllogisticas aliquot obiectiones, iuxta Consilij doctrinam, cathegoricè dissolvemus.

CASUS PRIMUS.

LENTULUS PATER HABENS FILIUM Professum inter Fratres Minores Capuccinos, cessurus vitâ testatur; mandatque hæredi suo, ut certam eleemosynam in singulos annos præstet Fratribus Conventus, de cujus gremio, seu Familia pro-temporum vertigine fuerit Filius suus prædictus, donec vixerit: quo tandem vitâ functo, declarat, supremam suam mentem eam esse, ut eadem eleemosyna per prædictum hæredem tali determinato Conventui eorundem Fratrum quotannis in perpetuum exoluatur.

Quæritur, An quod, ex vi talis ordinationis testamentariæ hujusmodi respectivè Conventuum Fratribus exhibetur, & soluitur, possit ab ipsis salua eorundem Professione annuatim accipi, secundùm moderamina requisita.

§. I.

Resolutio Quæsiti, ejusque confirmatio.

SUMMARIUM.

1 *Casus, circa legatum annuum Capuccinis relictum & perpetuum, qui de facto contigit, proponitur, & resoluitur*, ibidem & numeris sequentibus.

Legatum annuum absque civili obligatione & certitudine Minoribus relictum, non importat annuos reditus propriè dictos, & ipsis prohibitos in Clem. Exivi: verf. Cumque annui reditus. de verb. fig. ibid.

Idemque procedit in Domibus professis Soc. Iesu. ibid.

2 *In materia legati annui æquiparantur Minores & Domus professa Soc. Iesu.*

3 *Sicut Minores legata & alia donata admittere possunt, ita & Societas Iesu, etsi intuitu alicujus Professi tantùm ea deferantur.* & num. 4.

4 *Quicquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio.*

5 *Legatum annuum ad vitam alicujus Fratris Minoris relictum, non est perpetuum simpliciter.*

6 *Legatum annuum Fratri Minori quandiu vixerit relictum, & post ejus mortem certo Monasterio ejusdem Ordinis, admittitur cum moderaminibus requisitis, nec repugnat paupertati Minoricæ.*

Certitudo moralis eleemosynæ annuæ & perpetuæ non officit paupertati Minoricæ, sed tantùm civilis & politica. ibid.

7 *Legatum annuum Minoribus relictum non est caducum vel pro non scripto habendum.*

8 *Legatum consanguineo Episcopo relictum, præsumitur intuitu personæ & consanguinitatis factum, non Ecclesiæ.*

Conjectura ex causa naturali proveniens, est fortior illa quæ ex accidentali nascitur. ibid.

Fallit, si Prælatus nihil proprium habere possit in particulari. ibid.

Legatum relictum Regulari qui proprium habere non potest, censetur relictum Ecclesiæ & Monasterio, & ad piam Causam. ibid.

9 *Legatum ad alimenta relictum pauperi, etiam consanguineo, censetur ad piam causam, & an gaudeat privilegijs piæ Causæ.*

Legatum pro Anima testatoris, dicitur ad pias causas. ibid.

10 *Legatum in dubio censetur intuitu Animæ,* potius

potiùs quàm consanguinitatis relictum. Quod declaratur, num. 11. & 12.

11 *Quid attendi debeat ad dignoscendum quando legatum censeatur pium, nécne.*

12 *Legatum consanguineo diviti relictum ad alimenta, an censeatur ad piam causam. Divitiealus qui ex bonis qua habet non potest vivere secundùm dignitatem natalium, dicitur pauper*, ibid.

13 *Legatum in dubio præsumendum est relictum ad piam causam & pro salute animæ testatoris.*

14 *Minores non magis prohibentur recipere legata annua modo licitè relicta & cum moderaminibus requisitis, quàm Domus professa Societatis Iesu:* & n. 15.

15 *Lex generaliter loquens, generaliter etiam intelligenda est.*

Sanchez cum sequacibus exploditur, dum vult, Minoribus speciali prohibitione interdictum recipere legata annua ex cap. Exiji: *ut declaratur*, ibid.

1 Respondeo affirmativè: dummodò in capiendo serventur à Fratribus moderamina requisita; atque id, quod annuatim capiunt, nullo modo eis proveniat ex civili certitudine, vel obligatione, & immobili titulo ad talem eleemosynam percipiendam apud ipsos, vel apud alium ex parte ipsorum se habentem existente. Ratio est; quia capere annuatim, quæ absque tali certitudine, & citra, ejusmodi obligationem, titulúmve proveniunt, etiamsi in perpetuum ordinata, non est capere, vel habere annuos reditus, vel proventus propriè dictos, qui *in Clement. Exivi: §. Proindè: vers. Cùmque annui reditus?* Fratribus Minoribus (spectata ipsorum conditione, & professione speciali) declarantur illiciti, non solùm quoad jus, sed etiam quoad simplicem facti usum, vel perceptionem. Et hoc patet ex latè dictis *in Consi. un. art. 1. §. 18. & 19. 23. & 24.* & alibi *per totum*. Ita in simili de Professis Societatis Jesu docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. de Votis simplicibus, cap. 9. num. 9. & tom. 3. lib. 8. cap. 17 num. 19.* Sanchez *in Decal. cap. 27. num. 25.* Castro Palao, Card. de Lugo, & omnes alij Scriptores ejusdem Societatis; ut testatur idem de Lugo. Et quod dicitur de Societate Professa, quoad capacitatem legati tam in particulari, quàm in communi, idem dicendum est etiam de Fratribus Minoribus; ut probatum est *in Consi. art. 3. §. 2.* & alibi.

2 Hanc eandem responsionem novissimè, disertéq; tradidit Hermannus Bussembaum, ex eadem Societate Jesu, *in sua Medulla Theolog. Mor. lib. 3. tract. 5. cap. 4. dub. 5.* optimè cognoscens paritatem rationis in subjecta materia inter Fratres Minores, & Domos Professas Societatis suæ, quam non perceperunt Sanchez, de Lugo, & alij. Cum tamen idem Sanchez *cit. cap. 26. num. 10.* expressè concedat, quòd sicut tota Fratrum Minorum Communitas capax est, ut ipsi legetur; sic quilibet Frater Minor est similiter capax; & in solis illis casibus, quibus illa est incapax, erit quoque hic. Ratio est (inquit) aperta; quia sicut quilibet Frater Minor est incapax proprij, & hæreditariæ successionis; similiter quoque est incapax tota Communitas: & ideò si capacitas legati esset contra paupertatem Fratris singularis, esset quóque contra paupertatem totius Communitatis. Præterea quia legatum est quædam donatio à defuncto relicta, & ab hærede præstanda, *§. legatum, Instit. de legatis:* At Frater Minor est capax ut sibi donetur: ergo ut legetur. Ita optimè ille, de Fratribus Minoribus loquens. De Professis verò, & Coadjutoribus formatis Societatis suæ loquens *eo cap. 27. num. 25.* quamvis ij sint omnis hæreditariæ successionis incapaces, ut docet *num. 24.* Non sunt tamen (inquit) legati incapaces; sed in eisdem casibus, & eodem prorsùs modo, quo Societas Professa est capax legati, sunt quoque ipsi capaces; ut de Fratribus Minoribus diximus *cap. præced. n. 10.* quia tantùm interdicitur, eos hæredes institui. Quod non excludit, posse esse legatarios: quandoquidem Religio Fratrum Minorum & ipsi nequeunt hæredes institui, at legari ipsis optimè potest. Hæc iterum ille, cujus doctrinam appositissimè adhibet in proposito Hieronymus Roderic. *in Compend. resf. 88. numero decimo vers. Ex dictis probat Auctor: in fine.*

At disertam Hermanni sententiam proferamus. Sicut Minores, & Capuccini legata, & alia donata admittere possunt, ita & Societas Jesu; etsi intuitu alicujus Professi tantùm ea deferantur. Affertque Laymannum *lib. 3. tract. 5. cap. 15.* cui addere potuisset ex sua met Societate etiam Castro Palao, & Pellizzarium à nobis *in Consi* allatos *art. 3. §. 2. & alibi.* Concordat Abbas, quem retulimus *in Consi. loco cit. num. 27.* 3

Atque ex his colligitur, responsionem traditam procedere, etiamsi Testator ille legasset filio in particulari, & non expressisset, dandam esse eleemosynam illam Communitati Fratrum illius Conventus, de cujus familia esset. Nam etiamsi id non expressisset, sed tantùm dixisset, præstandam esse eleemosynam filio, ubicúmque esset; illa nihilominùs 4

cederet in subsidium commune illius Conventus, ubi habitaret, vel de familia esset; ut benè advertit Sanchez *cit. num.*26. de legato facto particulari Professo Societatis; inquiens: Id autem legatum acquireretur Domui Professæ, aut Collegio, ubi Professus ille habitaret; sicut & alia ipsi donata, aut alio modo acquisita, non obstante Paupertatis voto. Ita ille. Hujus autem doctrinæ ratio est, quia quicquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio; ut famigeratum est in utroque Jure, & notat Gloss. *in Extravag. Quia quorumdam: §. Praterea: ad V. Reservatum:* & est textus clarus *in cap. Exijt: §. Ad hac cum Fratres:* Unde debet illud in commune conferre, nec potest illud sibi in particularem usum retinere, aut recipere, & dispensare, etiam in eleemosynam, vel pios usus, sine licentia Prælati, citra proprietatis reatum, immò & furti de rebus Monasterij; ut docuimus *in Conf. art.* 2. §. 7. *&* 8.

5 Sanè autem responsionem nostram inficiari quispiam non potest ex doctrina *Sanchez*, durante saltem vitâ illius Fratris, cujus contemplatione ab ipsius Patre factum fuit legatum. Vel ipse enim Sanchez, cæteroqui contrarius, quoad legata perpetua, & ad longum tempus, quantumlibet simplicia, & impropriè dicta; concedit, Fratres Minores esse capaces, quando legatum relinquitur ad vitam alicujus Fratris Minoris; quia (inquit, etsi sit perpetuum respectu illius Monachi, cui relinquitur, non est perpetuum simpliciter. Nec etiam dicetur fieri ad longum tempus; quia nihil certius morte, nec incertius ejus horâ: atque ita cum quotidiè possit vita illius Fratris finiri, & legatum quoad hoc extingui, non dicetur legatum ipsum, factum vel perceptum ad longum tempus. Et ita docet ille *eo cap.* 26. *num.* 40. cum Federico, Antonio de Butrio, & Abbate.

6 At neque inficiari illam potest in reliquo, in quo legatum illud sit perpetuum respectu determinati Monasterij, post mortem illius Fratris. Nam, ut statim post responsionem ipsam insinuavimus pro ratione, hujusmodi annuam eleemosynam admittere, & capere cum moderaminibus requisitis, nullatenùs opponitur voto Paupertatis altissimæ Fratrum Minorum, adeòque illius, quæ excludit non solùm jus omne, omnemque civilem titulum, dominium, proprietatem, &c. ad quidpiam recipiendum, vel habendum, aut utendum; sed etiam simplicem facti usum Bonorum immobilium, (præter expresse concessa ad habitandum,) vel inter immobilia computatorum à Jure. Neque ullatenùs repugnat statui Mendicitatis, quòd Fratres Minores annuam eleemosynam ab aliquo capiant eatenùs dumtaxat certam, quatenùs ille eam præstare tenetur quotannis ex irrevocabili obligatione, vel ex voto, quo tenetur Deo, vel ex mandato acceptato Testatoris, quo eidem ex justitia in toto rigore tenetur. Et ratio est; quia adhuc sic capientes Fratres, & de sic perceptis eleemosynis viventes etiam totaliter; verè dicendi sunt vivere de non suo, aut sibi debito, & certo civiliter, & politicè; immò de ijs, quæ spontè & liberaliter offeruntur, seu mittuntur à Moriente: verèque manent adhuc pauperes, & quidem in ea heroicæ Mendicitatis professione, quæ obligat eos vivere ad misericordiam hominum, & in perfecta abdicatione omnis actus politici, tam in communi, quàm in particulari; ut benè *Corduba*, & nos satis ostendimus *in Conf. pluribus locis*. Nam solùm jus, actúsque juridici, adeòque certitudo civilis ad res temporales faciunt propriè divites; non autem certitudo moralis annuarum eleemosynarum præstandarum ex obligatione conscientiæ; ut probavimus *in Conf.* sæpiùs.

Neque legatum illud, quatenùs perpetuum, censendum est irritum, prorsúsque caducum, & pro non scripto habendum; ut perperam contendit Sanchez *eo cap.* 26. *num.* 49. *& alibi*. Certum est enim, (ut latè *in Conf.* probatum fuit) illud esse pium, & per consequens omninò sustinendum, ita ut solvendum sit omni meliori modo, quo potest. 7

Neque obstat, quòd relictum sit intuitu Filij. Nam, licèt verum sit, quòd legatum relictum consanguineo Prælato, verbi gratiâ, Episcopo, præsumitur relictum non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, & consanguinitatis; ut habetur *in capit. Requisisti: de Testamentis:* & docent Mantica *de conject. lib.* 6. *tit.* 14. *n.* 16. *& lib.* 12. *tit.* 17. *num.* 30. Surdus *de alim. tit.* 5. *quæst.* 6. *num.* 8. & alij communiter, quos sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 12. *Miscell. resol.* 11. quia conjectura, quæ nascitur ex causa naturali, potentior est, quàm quæ nascitur ex causa accidentali; ut patet ex *l. qui habent: ff. de tutelis:* & *alijs legibus*. Nihilominùs hoc fallit, quando consanguineus ille Prælatus nil proprium habere potest in particulari; ut benè advertit Diana *cit.* ex Hunno *in Encyclopædia Iuris part.* 4. *tit.* 25. *cap.* 1. *num.* 33. & Menochio *de Præsumption. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 112. *num.* 10. Nam tunc censetur factum Ecclesiæ. Magis autem in terminis Mascardus *de probationib. vol.* 2. *concl.* 965. *num.* 23. & Mantica *de Conject. lib.* 8. *tit.* 7. *n.* 26. optimè docuerunt, legatum relictum Regulari, qui proprium habere, non potest, censeri relictum Ecclesiæ, & Monasterio. In confesso autem est apud omnes, le- 8

gatum

gatum relictum Ecclesiæ, vel Monasterio, dici factum in causam piam; ut notat Surdus *decis.*291.*num.*1.& alij communiter, subscribitque Diana *cit.* qui idipsum ex instituto docet *ead.part.*3.*tract.*6.*de Testamentis privilegiatis, resol.*29. allegans etiam Speculatorem, Baldum, & Romanum.

9 Præterquam quòd legatum relictum ad alimenta pauperi, etiam consanguineo, cognato affini, vel amico, censetur ad causam piam, cujusmodi est sola causa tum alimentorum, tùm paupertatis; ut latè nos docuimus *in Conf.art.*1.§.25.26.*&* 27.*& art.*3.§.6. *&* 8. *& alibi:* & optimè sustinet Diana *ult. loco cit.& resol.*30.*ibi seq.* Quamvis autem id controvertatur apud aliquos Doctores; & plerique,quos allegat Diana *utroque loco mox cit.& suprà*, asserant,quòd si aliquid legetur consanguineo pauperi, etiam ad alimenta, præsumendum est fieri ex naturali affectu sanguinis, & compassionis erga illum, magis quàm ob piam causam, & religionem erga Deum; ac proinde hujusmodi legatum licèt aliquo respectu videatur pium, quia tamen ea pietas non est propter Deum, ideò non gaudet privilegio a Jure concesso pijs Causis. Nisi fortè tale legatum consanguineo pauperi, expresse, & nominatim dicatur à testatore relictum pro Anima, aut etiam aliâ piâ causâ; ut quidam ajunt ex illis.Sunt autem Baldus, Alexander, Romanus Decius, Tiraquellus, & Sanchez. Et hujus sententiæ videtur fuisse Abbas etiam *in rubr. de Testamentis, num.*9. ubi ait, quòd relictum factum Religioso consanguineo,si amore Dei fit, dicitur ad pias Causas, nec detrahitur Falcidia; sicut nec in alijs ad pias Causas legatis. Cùm tamen priùs absolutè docuerit, quòd legatum, seu relictum pro Anima dicitur ad pias Causas; ut notant Glossa, & Bartolus *in l. si quis Titio: ff. de legatis* 2. & est argum. *in cap. Requisisti: de Testamentis:* atque ad hoc allegaverit Baldum *in l.*1.*C.de sacros. Eccles.* concludentem sine ullo addito, (ut ait Abbas) quòd relictum factum consanguineo pauperi dicitur ad pias Causas; secùs si consanguineo diviti: licèt dicat,quòd pro anima sua facit. Ex quo patet, Doctores ipsos hujus sententiæ variè fuisse locutos. At quidquid sit, hæc sententia magis communiter improbatur,& prior verior est,ut testatur etiam Diana *locis cit.* atque illam tenent cum multis Guttierez *consil.*26.*num.*8.& ex Molina Portel.*in Respons.part.*3.*cas.*21.*n.*7. itémque ex Paulo de Castro *in l.*1. *Cod. de sacrosanct. Eccles.* & Glossa 1.*c.*2. *extra, de sepult. in v. Decreverit:* Joan.Bapt.de Barbobus *de Filijsfam.quæst.*17. *n.*6. Sed vide omninò quæ ex D. Bonaventura tradidimus nos *in Conf.art.*1.*eo §.*25.*mox cit. num.*10.

Sed esto;maneat quæstio ista in dubio; sequenda adhuc est sententia,& Regula Sylvestri *in Sum.v.Legatum* 1. *quæst.*10. Sanchez *in Sum.tom.*1.*lib.*4.*cap.*11.*num.*35.Naldi *in Sum. verbo, Legatum n.*20.& Tiraquelli *in Præfat. tract.de privileg.piæ Causæ,vers. Sed si hoc omninò:* & aliorum, quam & nos tradidimus *in Conf.*3.*art.*3.*cit.§.*6.*num.*19. *& hic infrà*, §.5. *num.*11. Nimirum in dubio, an legatum aliquod sit factum intuitu Animæ, seu favore piæ Causæ, pietate erga Deum; an verò intuitu personæ, seu favore consanguinitatis, pietate erga sanguinem, censeri debere factum intuitu Animæ, & favore piæ Causæ, pietate erga Deum; cum maximè cæteroqui legatum non valeret, vel irritum ab aliquo prætenderetur. 10

Quin & Cordubensis,refutans contrariam sententiam,*in l si quis à liberis: §.Idem rescripsit:num.*77.*ff. de liberis agnoscendis, vel alen. parent.* tradit regulam, quòd ad dignoscendum,An legatum sit pium, necnè,non attenditur persona dantis, aut ejus intentio, quæ interna est,& mentiri potest; & pietas causæ non stat in nomine pietatis, quod falsò persæpè potest legato,vel donationi inscribi;sed in substantia sita est veritatis: sed potiùs attenditur qualitas illius,qui alimentis,seu legato donatur:*l.malo:ff.de alim.& cibar.leg.*&dicit Surdus *in tract. de alim.tit.*8.*privil.*1.*post num.*14. quòd ad dijudicandum legatum, an sit pium,semper inspicienda est persona legatarij, qui est pauper;non autem ipsius legantis; attendendáque est rei veritas,non legantis opinio. 11

Quare si consanguineo, vel amico diviti quis quid legato relinquat,etiamsi ad alimenta,& cum expressione,quòd relinquit amore Dei,vel pro anima sua, &c. non reputabitur relictum ad pias causas, sed magis præsumitur factum contemplatione consanguinitatis, vel amicitiæ, vel alterius non piæ causæ;ut tenent Gloss.Bartolus,Baldus, & Castrensis *in l.illud:Cod.de sacros. Eccles.* Abbas item *supra cit.*cum Baldo *in l.*1.*Cod,eo.tit.* Immola *in l. si quis Titio:ff.de legatis* 2.Lapus *allegat.*92.*in* 1. *dub.* Salicetus tamen, Alexander, Decius, & Alciatus *in l.*1.*Cod.de fideicom.* docent, quòd legatum ad alimenta expressum, sive pauperi,sive diviti sit relictum, semper habet pietatem annexam;quia semper respicit sustentationem vitæ, etiamsi fiat diviti, potest enim hic effici pauper.Dives autem dicitur hîc, & intelligendus est, qui satis dives est pro sua conditione,& ratione sui status,& generis. Si quis tamen satis quidem bonorum habeat,ut possit 12

possit vivere, non tamen secundùm conditionem, & qualitatem suæ personæ, aut habeat filias, quas non potest congruè pro sua dignitate, & conditione status matrimonio collocare, is pro paupere est habendus, cui à divitibus debetur, ex præcepto charitatis, & de eleemosyna facienda subsidium ex superfluis naturæ, & statui ipsorum; ut docuimus *in conf. art.* 3. §. 16. *à num.* 14. ob idque quod illi ea consideratione, & causa, est relictum, verè censetur relictum ad pias causas: Bartolus *in l.* 1 *in* 1. *q. in princip. Cod de sacrosanct. Eccles.* & ibi Baldus *vers. super quantitate: & in l si quis ad declinandum: vers. Circa tertiam: Cod. de Episc. & Cleric.* Barbatius *conf.* 56. *lib.* 1. Surdus *in tract. de alimentis, tit.* 8. *privileg.* 1. *n.* 10.

13 Undè rectè in tanta opinionum, & modorum dicendi varietate docuit Solorzanus *de Indiarum Iure tom.* 1. *lib* 2. *cap.* 24. quòd etiam in foro contentioso; si dubites, qua mente Testator reliquerit legatum, præsumas ad piam causam, idest pro Deo, & animæ salute reliquisse. Id igitur saltem ferendum judicij est in legato, de quo in præsentiarum, & de quibuslibet alijs, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur, etiamsi cum expressione modi ipsis illiciti; ita ut nunquam censeantur caduca, & hæredibus accrescentia; ut satis contra Sanch. probatum est *in Conf. art.* 1. §. 25. *& art.* 3. §. 6. *&* 7. & alibi. Atqui jam non sumus in ambiguis, ubi de legatis Fratribus Minoribus relictis agitur. Certo enim certius est, juxta doctrinas mox *suprà* allatas, quòd ea sunt ad pias Causas, etiamsi fiant ab aliquo, intuitu & contemplatione Filij, vel alterius consanguinei, aut amici inter Fratres Minores professi, vel etiam ipsimet directè filio, consanguineo, vel amico in particulari. Neque de hoc superest ambigendi locus ritè consideranti.

14 Porrò illa disparitas, quam circa hanc responsionem ferendam, adducere quis posset ex Sanchez *citat. cap* 26. *num.* 49. & de Lugo *tom.* 1. *de Iust. & Iure disput.* 3. *sect.* 5. *num.* 105. *& lib.* 4. *responf. moral dub.* 7. *num.* 3. inter Fratres Minores scilicet, & Domos Professas Societatis Jesu, cùm in communi, tùm in particulari, ex prohibitione (ut docent hi Doctores) speciali existente ex parte Fratrum Minorum, non autem ex parte Domorum Professarum dictarum; penitùs profectò inanis est, & commentitia; utpotè ex errore, & falsa cùm Sanchez, tùm de Lugo, & aliorum sequacium imaginatione assignata; (Nisi fortè intelligi voluerint de legato sub modo, & forma inferente usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati, Fratribus ipsis directè relictum) ut latè ostensum est *in Conf. art.* 3. §. 6. *&* 7. *& alibi.* Quid quod tam longè abest à veritate, quòd Fratribus Minoribus specialis incumbat prohibitio recipiendi ab hæredibus ex ordinatione Testatorũ aliquas eleemosynas annuatim, nisi (ut ajunt Sanch. & alij) agnoscant hæredes, se nullam habere obligationem solvendi, &c. ut immò possint Fratres intemerata suæ Professionis puritate, eos, si desides ac negligentes fuerint, de ipsorum obligatione conscientiæ commonere, & rogare, ut muneri suo satisfaciant, animarum suarum saluti consulentes: ampliùs autem, si illi adhuc negligant testatorum Voluntates implere, possunt etiam Fratres Episcopum certiorem facere de hoc, quod non in Testatoris defuncti tantùm, sed etiam in ipsorum injuriam resultat; utpotè quibus naturali obligatione debita talis eleemosyna est, seu portio testamenti; tametsi non possint eam judicialiter repetere, sicut civiliter suam, vel politicè sibi debitam: ut loquitur S. Bonaventura *in cap.* 4. *Reg.* & colligitur ex *cap. Exijt: §. Ceterùm: & §. Ad hæc, quia:* ubi de pecunia depositata in manu substituti, & de legatis per hæredes solvendis, &c. Sicque Episcopus ex officio procedens poterit (ut ei per Nicolaum III. *in d. paragrapho. Ad hæc, quia:* commendatur) compellere hujusmodi negligentes ad pias voluntates defunctorum adimplendas: integrúmque Fratribus erit eleemosynas ex tali debito, & compulsione extrajudiciali recipere, si, & quatenùs indigent.

Neque putes, quòd Nicolaus III. *locis citat.* loquatur de pecunia, vel legatis oblatis pro unica dumtaxat vice. Nam ibi Pontifex, seu ejus Lex non distinguit de pecunia, vel alia re depositata, vel legata, Fratribúsque præstanda unica vice, aut pluribus annuatim, ad paucos, vel plures annos, etiam in perpetuum. Ubi autem Lex, seu Legislator non distinguit, nec nos distinguere debemus, cùm nulla maximè distinguendi ratio subesse dignoscitur. Et lex generaliter & indeterminatè lata, generaliter atque indeterminatè pariter est intelligenda; ut pluribus probatum est, allatis Legibus, & Doctoribus, *in Conf. articul. prim. paragrapho quarto, à numero sexto.* Omninò igitur commentitium est, quòd Fratribus Minoribus speciali prohibitione interdictum sit recipere annuatim ex simplici legato aliquam eleemosynam ab hærede, vel gravato, nisi eidem constet, nulla se ad illam præstandam obligatione ligari; ut putârunt Sanchez, & de Lugo *citat.* Nisi 15

fortè eorum sensus fuerit de nulla obligatione civili, & in foro fori, sive Fratribus, sive Pontifici, Sedivè Apostolicæ ex parte ipsorum specialiter spectante acquisita: quem sensum libens concedo, & protestandum hæredibus, gravatisvè ipsis docui *in Conf. articul. secundo, paragrapho tertio.* Sed vide omninò dicta *in eodem Conf. artic. tertio, §.6.& 7.*

---

§. II.

Solvitur objectio quædam præfati admodum R. P. Aloysij à Verona.

SUMMARIUM.

Res communes quæ in nullius bonis sunt, cedunt primo occupanti, & numero 7. 11. & 12.

Iure Naturæ omnia sunt communia, ibid.

2 *Legata Minoribus relicta, donec fuerint eis præstita, manent in hæreditate seu bonis defuncti juxta ipsius voluntatem eroganda.*

3 *Bona hæreditatis jacentis, licèt ante aditionem non sint hæredis, non tamen cedunt primo occupanti.*

Hæreditas jacens repræsentat Defunctum, & loco domini habetur, ibid.

4 *Bona hæreditatis jacentis sunt in bonis testatoris seu in dominio hæreditatis ipsius.*

Omnes scire debent, quod suum non est, ad alios pertinere, ibid.

5 *Res legata inter hæreditarias censentur, & de manu hæredis capiuntur.*

Aliud est hæreditas, aliud res hæreditaria, ibid.

Res hæreditaria ante aditam hæreditatem est in possessione ipsiusmet hæreditatis, ibid.

Legatum in quo sensu dicatur delibatio hæreditatis, ibid.

6 *Legata Minoribus relicta manent in bonis Defuncti hæredi acquisitis quoad dominium utile, sed eroganda juxta ordinationem testatoris.*

Legata ad pias causas, sunt Dei, pro cujus amore relicta sunt, ibid.

Non licet auferre Religioso Minori panes quos in eleemosynam datos portat ad Monasterium, eo prætextu quod nullius sint & cedant occupanti, ibid.

7 *Multis modis res dicuntur esse nullius, qui referuntur, & explicatur quando cedant occupanti, nécne*: & num. 8.

8 *Res communes, quæ nullius sunt, sed alicujus esse possunt, cedunt primo occupanti.*

Res nullius quæ Deo oblatæ & dicatæ sunt, à nemine occupari possunt, ibid.

9 *Eleemosynæ Minoribus, vel alijs pijs causis relictæ, sunt Dei, vel Ecclesiæ, si non re saltem spe ex testatoris dispositione, nec ab hæredibus ullo modo retineri possunt.*

10 *Hæres censetur eadem persona cum defuncto fictione juris, nisi quod voluntatem ipsius revocare non potest, maximè in relictis ad pias causas*, & n.14.

11 *Iure Naturæ seu Gentium primævo, in quo sensu omnia dicantur communia, bene explicatur.*

12 *Res communis naturali ratione occupanti conceditur modò talis occupatio nemini præjudicet.*

Hæres non implens voluntatem testatoris, ipsi præjudicium & injuriam facit, ibid.

13 *Voluntas testatoris pro lege habetur, eámque tenetur hæres adimplere ex justitia propriè dicta erga testatorem.*

Etiamsi rem propriam hæredi legaverit, prout legare potest, ibid.

Hæres tenetur observare præcepta testatoris à jure non improbata.

Legata pia in testamento invalido relicta, sustinentur, ibid.

14 *Hæres licèt repræsentet personam defuncti, non est tamen ejusdem potestatis ubi de mutatione ejus voluntatis agitur.*

Mandatum testatoris hæres revocare non potest in præjudicium piæ Causæ, ibid.

15 *Legatum prophanum repudiatum à legatario, habetur pro non legato: secùs si ad pias causas relictum sit.*

Objicitur primò, ex *Institut. de rerum divisione: §. Terræ: cum seq. & §. Item lapilli*: Quod antè nullius, vel in nullius bonis est, id naturali ratione, seu de jure Gentium conceditur primo occupanti: undè etiam in his, probando apprehensionem, probatur directum dominium; ut tradit Jason *super tit. de Actionibus, §. Omnium: numero septuagesimo secundo*, & communiter Doctores: Sed res legato relictæ Fratribus Minoribus, præsertim pecuniæ, antequam, in eorum usum transierint, vel conversæ fuerint, nullius, seu in nullius bonis sunt: ergo naturali ratione, vel de jure Gentium conceduntur primo occupanti: ergo si illas occupet hæres, aut quilibet alius, hic jure optimo potest illas sibi retinere: ergo tunc solvere non tenetur; ut dictum est. Major est certa, & deducitur ex Jure etiam Canonico, *cap. Ius naturale: distinction.* 1. ubi dicitur, quod Jure naturæ omnia sunt communia;

munia: Ergo quod jure Civili, ante nullius, vel in nullius bonis est, id Jure naturæ est commune; adeoque toto Jure conceditur primo occupanti. Minor etiam patet; quia res illæ non sunt amplius Testatoris, qui vitâ cessit, & jure: Hæredis non sunt; ut vos vultis: Fratrum non sunt, neque Pontificis, Sedísvè Apostolicæ, vel cujuspiam alterius personæ ex parte Fratrum specialiter se habentis: prout vos item asseritis: ergo nullius, seu in nullius bonis sunt. Reliqua consequuntur.

2 Respondeo primò, hanc objectionem (cui tamen jam nos occurrimus *in Conf. art. 1. §. 15. n. 18. & 19.*) insinuari etiam à D. Bonaventura *in cap. 4. Reg.* per modum quæsiti, quod sibi facit, inquiens: Quòd si quæras, cujus sit pecunia legata? Quod etiam de quacúmque alia re Fratribus legata, donec eis non fuerit præstita, quæri potest? Et ideò cum ipso S. Doctore dico, res illas, præsertim pecunias, quidquid illæ sint, manere in defuncti hæreditate, juxta ipsius voluntatem & ordinationem delibanda: hoc est (ut loquitur S. Doctor) manere in bonis defuncti erogandis, non hæredibus reservandis, acquirendis, & accrescendis. Undè si Fratres illas omninò respuant, debent illæ alijs pauperibus erogari. Ita S. Doctor.

3 Quod ut clariùs intelligatur; sciendum est, quòd licèt res hæreditariæ, antequam aliquis hæres existat, (hoc est Hæreditas jacens, seu vacans) nullius in bonis esse dicantur; ut est textus expressus Pauli J.C. *in l. 1. §. 1. ff. de rerum divis. & qualit.* & notat Gloss. *in §. feræ igitur: Instit. de rerum divisione, & acquir. ips. domin. & in l. fin. Cod. Undè vi.* Id tamen casu contingit, non naturâ, aut facto, aut tempore: undè non habet locum regula: *Quod nullius est, occupanti conceditur*; ut benè Gloss. *ibidem*. Primò enim per retrotractionem Juris hæreditas quamtumvis jacens, à tempore mortis testatoris, fingitur fuisse hæredis, qui postea illam acceptat, & adit quocúmque jure, vel titulo; ut tradit Gloss. ipsa *ibid.* ita ut possessio hæredis postea acceptantis, & adeuntis non sit nova, sed vetus illa defuncti continuata, & translata, nequaquam extincta per mortem defuncti, licèt actus illius transferendæ sit fictus; ut benè Torniola *part. 1. consil. 106. n. 26. 27. & 28.* & Gloss. *in paragrapho Institut. de hæredibus instituendis.* Secundò hæreditas sit vacans, & jacens personæ vicem sustinet, non hæredis futuri, sed defuncti; ut est textus Justiniani *in paragrapho. Servus autem alienus: Institut. de hæredib. instituend.* ubi Gloss. rationem reddit; quia (inquit) defunctus est certus quis fuerit, sed non sic de hærede: nam etsi certus sit institutus, poterit esse, quòd non adeat hæreditatem; quia potest desistere multis de causis. Vide etiam Gloss. *in l. hæreditas: digest. de acquiren. rerum. domin. & paragrapho Institut. de stipulat. servorum; & l non minus: digest. de hæredib. instituend. & l. legant: paragrapho. Si servo: digest. de legatis 1. & l. hæreditas: digest. de reg. Iur. & l. mortuo: digest. de fidejussorib. & mandatorib.* cum Gloss. *loc. citat.* Ita ut Domini loco, vel Dominæ hæreditas ipsa habeatur: *l. cùm hæreditas: Cod. Depositi, vel contra: & argum. l. ob id, quod: ff. ad Legem Aquil. & l. si ante aditam: digest. de interrogatorijs actionib. & d. l. hæreditas: digest de acquir. rerum. domin. & l. denique: paragrapho quæsitam: digest. Quod vi, aut clam:* Hócque procedit tum quoad hæreditatem, vel institutionem; ut *d. paragrapho servus autem alienus: Institut. de hæred. inst.* tum etiam quoad legatum: ut *l. si tibi, & mihi: digest. de legatis 2.* Tametsi hoc fallat in aliquibus; in ijs scilicet, in quibus factum personæ per substantiam desideratur: ut per Marianum Socinum *in l. Gallus: paragrapho & quid si tantùm: ff. de liberis, & posthumis hæred. instit. num. 13.* & notat Joan. Bapt. Nicolaus *tom. 1. Regularum I. V. lib. 8. v. Hæreditas, pag mihi 566. & 569.*

Quapropter res hæreditariæ, etiam legato relictæ, quandiù vacantes sunt, & nulli hominum acquisitæ, in bonis testatoris dicendæ sunt existere, & in dominio hæreditatis ipsius; ita ut illas nequeat ritè quispiam occupare, & sibi retinere ad quem de Jure non pertinent. Atque hîc habet locum, quod statuit Justinianus *in d. l. fin. C. Unde vi:* hisce verbis: *Omnes autem scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere.* 4

Inter res autem hæreditarias censentur etiam res legatæ, quæ saltē quoad dominium utile, transeunt primò ad hæredem, de cujus manu, non propria auctoritate à legatario capiuntur; ut benè Joan. Bapt. de Barbobus *de Filijsfam. q. 26. n. 4.* cum Julio Claro *Variar. sentent. §. Testamentum, q. 38. n. 1. vers. Ne credas:* & communiter Doctores. Aliud enim est, hæreditas, aliud res hæreditaria: *l. 1. C. de Evictionibus:* & Torniola *consf. p. 1. consf. 103. n. 14.* sicque hæres solvens legatum, juxta testatoris ordinationem, non dicitur delibare hæreditatem, seu præstare legatario partē hæreditatis, propriè & formaliter loquendo; sed delibare rem hæreditariam, & ejus portionē legatario præstare. Et quamvis *in Conf. art. 1. §. 7. num. 3.* dixerimus cum Florentino, & alijs, Legatum definiri etiam delibationem, seu diminutionem hæreditatis: sumitur ibi hæreditas in vi concreti, seu materialiter, pro re videlicet hæreditaria; non in vi abstracti, seu formali- 5

ter, pro jure ſcilicet, vel titulo hæreditatis: quemadmodum etiam Legatum ſumi poteſt in vi abſtracti, ſeu formaliter; & in vi concreti, ſeu materialiter; ut docuimus *eo art.* 1. §. 12. Loquendo igitur de re hæreditaria ante aditum hæreditatem, certum eſt, illam non eſſe cenſendam vacantem quantùm ad poſſeſſionem; ſed ejus poſſeſſionem eſſe penès hæreditatem. Undè ingreſſus, & apprehenſio alterius, qui non ſit hæres, nullam illi tribuit poſſeſſionem: immò talis ingreſſus annullatur, & vitioſus redditur; ut allatis juribus de continuanda poſſeſſione, & ex Alexandro, Jaſone, Bartolo, Abbate, Decio, Ripa, Anguiſſola, Covarruvia, Tiraquello, & alijs ad ſatuitatem allegatis, tradit Torniola *ſupra cit. num.* 20. 24. *&* 33. Loquendo autem de re hæreditaria, etiam poſt aditam hæreditatem, adhuc tenetur hæres, & quidem ex contractu ſaltem cum Teſtatore in ipſa acceptatione, & aditione hæreditatis inito, ad rem ipſam hæreditariam delibandam, hoc eſt ad ſolvenda legata, præſertim pia, (ubi dies ceſſerit ſolutionis) juxta illius diſpoſitionem, & voluntatem expreſſam, quam non poteſt deludere; ut benè de Barbobus *cit. quæſt.* 4 *num.* 8. *ex l. ſi id quod: ff. de liberatione legata.* Quare non poteſt ſibi tutâ conſcientia retinere portionem illam, etiamſi nemo ad eam repetendam jus, titulúmque civilem acquiſierit, ita ut in illius bonis cenſenda ſit; prout contingit in rebus legatis Fratribus Minoribus, & pauperibus in communi.

6 Undè bene de his aiebat S. Bonaventura in tradita reſponſione, quòd manent in bonis Defuncti, hoc eſt in rebus hæreditarijs, hæredi quidem acquiſitis, quoad dominium utile, ſed erogandis, non ipſi revocandis. Quonam enim jure illas ſibi retineat hæres, ubi per Teſtatoris voluntatem expreſſam (quæ ut Lex habenda eſt, ut nos alibi docuimus *in Conſ.* & ait Gloſſ. *in §. in fraudem: Inſtit. Quibus ex cauſ. manumitt. non liceat*) conſtat non eſſe eas illi relictas, ut ſibi retineat, ſed ut eis privetur, præſtando, erogandóque eas in Eleemoſynam Fratribus Minoribus, pro anima ipſius Teſtatoris; vel (ſi Fratres omninò reſpuant) alijs pauperibus, vel alijs pijs Cauſis in communi? Licèt enim in nullius bonis eſſe videantur, quatenùs nulli puro homini quæſitum eſt jus, titulúsve civilis ad illas; non tamen deeſt Deus, cui illud quæſitum fuit per acceptationem actus Teſtatoris legantis; cujuſque proindè res illæ legatæ ſunt bona, quæ ob ejus amorem, & cultum, & pro bono animæ, & pauperum Chriſti ſuſtentatione à Fidelibus donantur, offeruntur, & relinquuntur; ut benè, & latiùs Navarrus *tom. mihi* 1. *in tract. de redit. Eccleſ. quæſt.* 1. *monito* 15. *numero primo & monito* 21. Quem vide præſertim *primo loco cit.* ubi præſenti affinem ſolvit objectionem, dicens, malè inferri, poſſe quem violenter auferre à Religioſo panes, quos in Eleemoſynam à Fidelibus datos portat ad Monaſterium, ſi dicamus, eum non eſſe dominum illorum, nec in eis habere uſumfructum, neque uſum; ea ratione motus, quòd ea, quæ in nullius bonis ſunt, occupantis fiunt: *paragrapho ſingulorum: Inſtitut. de rer. diviſ. & l.* 3. *ff. de acquir. rerum dominio.* Quæ illatio mala eſt, & ratio inepta. Hæc ille ibi ſolvens *eo numero primo*, illationem ipſam per interemptionem, & inſtantias plures, etiam ſpeciales, quoad Fratres Minores Capuccinos, & de Obſervantia, qui nihil poſſident tam in communi, quàm in particulari: & *numero ſecundo*, oſtendens ineptitudinem rationis prædictæ; prout & nos mox oſtendemus cum ipſo, & Jaſone *numero octavo, ſeq.* At præſtat illum omninò videre *loco cit. & ibid. monito* 40. *numero quarto, &* 13. *& monito* 41. *numero primo, & monito* 23. *n.* 1. *& in Propugnaculo Apologia, tractatus præd. n.* 31. *& quæſt.* 3. *monito* 33. *ejuſdem tract. verſ. ſecundò, quòd, &c.*

Hujus reſponſionis doctrinam enucleatiùs explico. Multis enim modis dicuntur res in nullius bonis exiſtere; ut notat Gloſſ. *in d. §. feræ: Inſtitut. de rerum diviſione: & in d. l.* 1. *ff. de rerum diviſ. & qualit.* & ibi Scribentes communiter. Et primò quidem *Naturâ*, ſeu qualitate ipſarum rerum; cujuſmodi ſunt feræ beſtiæ, & volucres: ut *in d. §. feræ:* Et in his habet locum Regula: *Quod nullius eſt, occupanti conceditur.* Secundò, *Facto*; ut omne id quod pro derelicto habetur, quod tunc eſt, quando Dominus ea mente quid abijcit, ut in numero rerum ſuarum illud eſſe nolit, quo fit, ut ſtatim ipſe deſinat eſſe ejus dominus; ut dicitur §. *penult. inſtit. de rerum diviſ.* Et hîc quoque habet locum Regula prædicta. Tertiò *Tempore*; ut Theſaurus, qui (ut ait Paulus *in l. nunquam: §. theſaurus: ff. de acquir. rer. domin.*) eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat: & facit *l. unic. C. de Theſauris:* Et hîc etiam habet locum eadem Regula; cùm hac tamen limitatione, ut cùm quis illam invenit in loco, vel fundo ſuo, totus ei acquiratur; ſi verò in fundo alieno, de æquitate dimidium domino ſoli reſtituatur; ut ſtatuitur *in § theſauros: Inſtitut. titul. citat. & d. l. un.* & Gloſſ. *cit.* Quartò, *Caſu*; ut in hæreditate iacente, quæ vicem domini repræſentat,

tat, nec subjicitur illi Regulæ; ut diximus *suprà*, & ait Gloss. *in d.§.feræ*. Quintò, *Censura*, sive judicio hominum; ut res sacræ, & religiosæ, & sanctæ; ut *l.1.ff.de rerum divis. & §. nullius: Instit. eod. tit.* Et in his non habet locum Regula prædicta; immò pœna imponitur usurpanti; ut *allatis ll.* tradit Gloss. *in d.l.1.* Et alijs modis; ut *culpa hominis, Iurisque naturalis constitutione:* ut quod commune est, seu Communitatis; siquidem in nullius hominis privati est; sed in his non habet locum regula prædicta: (exceptis Sylvis cæduis, & pascuis Communitatis) quemadmodum nec in legatis vacantibus, hoc est nemini in particulari acquisitis; ut pauperibus in communi relictis. Vide Glossas *cit.* & in *§. sanctæ res: Instit. tit. cit. de rer. divis.*

8 Atqui hos omnes modos ad duo capita reducunt Navarrus *eo monito 15. cit. num. 2.* & Jason *super tit. de Actionibus, §. Omnium:* & alij; nimirùm dicentes, Bona nullius duplicia esse: Altera, quæ nullius hominis puri, nec hominum, neque Dei per dispositionem humanam sunt; qualis est aër, solis splendor, mare, lapillique in litore maris inventi, vel etiam Insula de novo in mari detecta, vel inventa; feræ bestiæ, missilia, ut denarij qui projeiciuntur ad vulgus, ut fiant capientium, & alia hujusmodi: & de his intelliguntur Jura præcitata, & alia hujusmodi, quæ citari possunt: quòd scilicet primi occupantis fiant. Et de istis, ait Jason *cit.* ex *l. cum quærebatur: Cod. undè vi*: Sunt quidem quædam res, in quibus ex rei qualitate probatur, eas in nullius bonis esse: ut in lapillis inventis in litore maris: *§. item lapilli: Inst. tit. cit.* & in feris bestijs: *l.1. in fin. cum l. seq. ff. de acquir. rer. dom.* & in Insula nata in mari: *l. adeò: §. insula: ff. eo tit.* & in similibus. Et in istis clarum est, quòd probando apprehensionem, probo dominium rectum, per illam regulam Juris Gentium: *Quæ in nullius bonis sunt, primi occupantis fiunt.* Vide Filliucium *tom. 2. part. 2. tract. 31. cap. 6. num. 128.* ubi ad decem genera reducit res, quæ ritè fiunt primi occupantis; & de singulis latè edisserit. Altera sunt bona nullius, quæ licèt nullius hominis puri, neque hominum sint, sunt tamen Dei, (re, vel spe, ut ait Gloss. *in l.3. ff. de acquir. rer. dom.*) speciali hominis censura, sive dispositione quæsita, oblata, vel dicata, de quibus intelliguntur *§. sacræ: & §. Religiosum: Institut. titul. citat.* ut colligitur ex Gloss. recepta per omnes *in paragrapho singulorum: Institut. titul. citat. & in l.3. citat. ad v. Nullius.* Et hujusmodi sunt relicta ad pias Causas, ut pro Anima, pro Ecclesia, proptèr alimenta pauperum, &c. ut ex Gloss. *in d. paragrapho sacræ:* & per consequens etiam relicta pro Fratribus Minoribus. De his, & alijs, quæ non sunt primi generis, ait *Iason citatus*: At reliquæ aliæ res, in quibus ex rei qualitate non probatur, eas esse in nullius bonis, immò natura rei repugnat; non ita de plano conceduntur occupanti, qui nec ita facilè probare potest dominium: & in istis, si res non est mea, debeo credere illam esse alienam. Undè etiam Bartolus *in l. in rem: in princip. digest. de rei vendicat.* ait: Quia in istis difficile est probare, quòd in nullius bonis sint, per solam apprehensionem, seu occupationem non probatur dominium.

Cum igitur res Fratribus Minoribus in eleemosynam à Morientibus relictæ, sint vel reipsa in bonis testatoris, (ut ait *S. Bonaventura citat.*) vel Dei, aut Ecclesiæ, si non re, saltem spe, ex testatoris voto, censura, & ordinatione; quemadmodum & aliæ res, quæ relinquuntur pauperibus in communi alendis, vel pro Anima: constantissimè tenendum est, & docendum, non posse eas ritè, & tutâ conscientiâ ab hæredibus, vel gravatis retineri occupatas; sed solvi omninò debere, & erogari vel Fratribus, pro ipsorum capacitate, & placito, vel (ipsis omninò respuentibus ob quamcúmque rationem) alijs pauperibus, aut pijs Causis in communi, ut dictum est: & quidem integrè, sine ulla detractione Falcidiæ, vel Trebellianicæ; ut omnes docent. 9

Neque in consideratione habendum est hæredis præjudicium, vel gravamen; (ut benè factus fuit & ipse Sanchez *de Matrim. libro primo disputat. sexta, numero quinto, vers. Veritas tamen est:* sed immemor suæmet doctrinæ, cùm oportebat eam à fortiori adhibere *in Sum. libro septimo, capite vigesimo sexto, à numero quadragesimo nono*) censetur enim una, & eadem persona cum defuncto; (ut communiter tradunt Juristæ, & nos cum ipsis docuimus *in Conf. articul. primo, paragrapho octavo, numero decimo quarto, & paragrapho undecimo, numero duodecimo, & articul. tertio, paragrapho secundo, numero decimo octavo, & paragrapho decimo sexto numero trigesimo secundo, & alibi*; & videre est apud Gomesium ad saturitatem citans Jura, & Doctores, *super titul. de Actionibus, paragrapho Actiones: numero tertio*) cum hac tamen differentia, quòd voluntatem ipsius expressam revocare non potest, ut ipse poterat vivens. Facultas enim revocandi legata v.g. donationes, vel hujusmodi, non transit ad hæredes; ut docent idem Sanchez *primo loco cit.* Covarruvias *3. Variar. c.14. n.17.* Julius Clarus *lib. 4. recepta* 10

receptarum, *§. Donatio*, *quæst.* 13. *ad fin.* Molina *lib.* 4. *de primogen. cap.* 2. *num.* 77. Decisio Pedemontana 70. *num.* 9. & alij apud Molinam, teste *Sanchez cit.* Quare, si defunctus voluit se privare ea suæ substantiæ portione, quam legavit, & illâ etiam privari hæredem, debet & ipse hæres, ut eadem persona reputatus, ita velle, citra facultatem tamen revocandi; præsertim ubi agitur de dispositione testatoris defuncti pro bono animæ suæ & ad piam Causam.

11 Respondeo *secundò* eidem objectioni, dicendo, verissimam quidem in sensu explicato esse Majorem illam, ejusque probationem, adhuc tamen indigere modificatione, explicatione, & sano intellectu. Dico igitur ad utramque simul, quòd jure naturæ, seu Gentium primævo, omnia dicuntur communia partim negativè, partim positivè. Negativè quidem; quia rerum divisio, seu distinctiones dominiorum non sunt propriè inductæ, aut præceptæ Jure naturæ, seu Gentium primævo, quod fuit eo ipso, quòd Gentes esse cæperunt, mera naturali ratione directæ, absque aliqua constitutione; sed neque Jure divino: benè utique (hoc est justè, seu licitè, & expedienter, tum ad pacem hominum, tum ad meliorem rerum ipsarum administrationem, post corruptam originaria labe naturam, & conditionem humanam, cupiditatibus subindè, atque injustitiæ subjectam) jure Gentium secūdario tantùm; (quòd propriè Jus naturale appellari non potest) ut habetur in *cap. Lex Gentium: dist.* 1. *&* *in l. ex hoc jure: Institut. de Iust. & Iure*. Et de hoc nos egimus *in Conf. art.* 3. §. 1. *num.* 18. ex Decio, & alijs. Positivè verò dicuntur omnia Jure naturæ, seu Gentium primævo communia; quia Natura fecit omnibus, & singulis potestatem utendi quavis re, illiusque dominium capiendi; priusquàm tamen ab alio fuerit occupata, aut ejus possessio alteri non adferret incommodum: quod Jus etiam nunc durat, & confirmatum est à Jure Civili, & Canonico; ut vidimus *in præcedente responsione.* Illaque moderatio: *Priusquàm tamen ab alio fuerit occupata, aut ejus possessio, seu occupatio alteri non adferret incommodum, vel præjudicium:* nititur illi ipsius Naturæ præcepto *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Vide Lessium *de Iust. & Iure lib.* 2 *cap.* 5. *dubit.* 1. 2. *&* 3. Filliucium *cit. cap.* 5. *à num.* 110. Medinam, Molinam, & alios communiter hac de re scribentes.

12 Major itaque argumenti propositio prædicta sic debet modificari, & intelligi: Quod ante nullius, seu in nullius bonis est, id naturali ratione conceditur occupanti; dummodò hujusmodi occupantis possessio alteri non ferat incommodum, vel præjudicet. Modò veniamus ad Minorem: Sed res legato relictæ Fratribus Minoribus, &c. nullius, seu in nullius bonis sunt. Transeat: (non tamen concedo:) Atqui hoc non sufficit, ut Jure naturali, adstipulante jam & Civili, & Canonico, concedantur hæredi occupanti, & retinenti, ita ut tutâ conscientiâ illas possidere dicatur, & retinere: Siquidem hoc esset cum incommodo, præjudicio, & injuria propriè dicta Testatoris defuncti, qui legata illa instituit, erogarique voluit, & mandavit pro bono animę suę. An non enim præjudicatur alicui, ubi ejus justa voluntas impeditur? ut est argum. *in §. hunc autem: & in §. præterea: Instit de Actionibus:* & ibi Glossa? Certè hoc ita est, & ita quisque censebit. Undè etiam Abbas *in cap. in litteris: num.* 24. *de raptoribus*: ait, quòd hæres contumax in non satisfaciendo, facit præjudicium defuncto, qui in vita fuit negligens in restituendo; sive illam satisfactionem moriens ordinaverit, sive non. Et è contra honorat defunctum, eique prodest, qui voluntatem ejus adimplet, præsertim in dispositis ad pias Causas, & pro bono animæ ipsius; ut *in Authent. de Nuptijs, § sancimus: coll.* 4. Quid quòd præjudicium etiam afferretur, incommodum, & injuria Fratribus ipsis, quibus non quidem obligatione politica, propter ipsorum Professionem; sed benè naturali conscientiam devinciente debetur ab hærede tale subsidium, sive eleemosyna legata? Negantur ergo omnes omninò consequentiæ illius argumenti.

Quare id est tenendum, subesse scilicet legatas illas à Moriente eleemosynas (tametsi ex parte Fratrum politicè eas non acceptantium juris Civilis suffragio destitutas) ultimæ ipsius voluntati, & testationi mentis; quæ est Testamentum ipsius existens, & habens legitimam vim, (utpotè cui in hac dispositione nulla Lex, aut Civilis, aut Canonica resistit; ut ostensum est *in Conf. art.* 3. §. 1. *in fine num.* 25. *& art.* 1. §. 18. *num.* 6. *&* 27. *num.* 3.) & in quo superstes reputatur defunctus ipse; quódque proindè Lex censendum est, ut dictum est *suprà eam Gloss.* & iterum tradit Gloss. *in §. & unum hominem: Instit. de hæredib. instituend & Authent. de Nuptijs: § Disponat. coll.* 4. & facit textus *in l.* 1 *in fin.* ubi Gloss. *C. de testamento militis*; & est commune apud Doctores. Cumque hæres testamentariam legem acceptaverit adeundo hæreditatem, tenetur ex justitia propriè dicta erga testatorem ad observantiam dispositorum in illa, etiamsi testator legasset rem propriam 13

hæredis

hæredis; prout illam etiam legare potest: *l. unum ex familia: § si rem: ff. de legatis 2. & §. non solùm: Instit. de legatis:* & tradit Decius *consil.* 84. *in fin.* & in terminis consuluit Socinus junior *in consil.* 107. *col. fin lib* 2. allegans se ipsum *in consil.* 124. *col. fin. lib.* 1. & Parisium *consil.* 16. *lib.* 2. quos sequitur Torniola *part.* 1. *consil.* 96. *num.* 6. Hócque confirmat Marcus Anton. Peregrinus *in tract. de fideicommissis, art.* 36. *num.* 85. & 86. ubi docet, quòd hæres adiens hæreditatem tenetur servare præcepta testatoris Jure non improbata; & videtur consentire relictis à Jure non improbatis. Et *art.* 33. *num.* 9. ait, hæredem hujusmodi veram contrahere obligationem de observandu relicta, & contracta per defunctum: allegátque Baldum *in l. mutuum: §. Primò: ff. de acquir. hæred.* Curtium jun. *consil.* 120. *n.* 7. & Jasonem *cons.* 238. *incip. In præmissa vol.* 2. Consequens est, quòd omninò teneatur hæres ipse ad ea legata solvenda, neque possit tutâ conscientiâ ea sibi retinere, præsertim si sint ad piam causam; etiamsi à nemine fuerint civiliter acceptata; immò etiamsi ipse non adierit hæreditatem ex institutione, vel testamento; puta quia fuerit cassum, & irritum: nam testamentum potest valere, quantùm ad legata nedum pia, sed etiam profana, licèt non valeat quantùm ad institutionem hæredis; ut notat & tradit Gloss. *in l. maximum: §. cum enim: Cod. de liberis præteritis, vel exhared.* Et quamvis aliqui contradicant, quoad legata profana, ut notat *ibid.* Gloss. non valet tamen objectio, quoad legata ad piam Causam; ut patet ex dictis *in Conf. art.* 3. §. 1. & *alibi.*

14 Neque juvat dicere, quòd hæres sedere debet in sede defuncti testatoris, & esse in eo statu, & gradu, in quo erat defunctus tempore ejus vitæ, & mortis, illum in toto repræsentando, non solùm quoad hæreditatem, & jura, sed etiam quoad tenutam, & possessionem; atque adeò, quòd sicut tempore vitæ, & mortis, Testator legans erat in tenuta, & possessione rerum legatarum, ita ut posset legata ipsa revocare, sibíque retinere, vel hæredi accrescentia sinere, si voluisset; sic etiam in eadem tenuta, & possessione cum potestate revocandi, sibíque retinendi res legatas hæres eum repræsentare debet: ut posset argui ex ijs, quæ cum Bartolo, Paulo, Alexandro, Socino, Decio, Ripa, Tiraquello, Anguissola, Menochio, Covarruvia, & alijs latè allegatis, tradit Torniola *citat. num.* 34. Hæc enim vera sunt in ijs tantùm, in quibus, seu de quibus testator voluntatem suam minimè expressit; quàm si expresserit circa aliqua, non potest hæres revocare, ut poterat testator; ut docuimus *hic suprà num.* 10. ex Sanchez, & alijs, & tradidimus etiam *in Conf. art.* 1. *§.* 8. *num.* 14. & *alibi.* Et prætereà firmat Marcus Antonius Peregrinus *in tract. de fideicommissis, art.* 51. *num.* 56. ubi docet, quòd hæres non est ejusdem potestatis, cujus est (seu erat) Defunctus, ubi de mutatione voluntatis agitur, quæ sit in conditione, scilicet voluntatis ejusdem Defuncti: ergo id à fortiori (infero ego) verum est, ubi agitur de mutatione voluntatis absolutæ: & apertè idem Doctor *ibid. num.* 57. ait: Minor est hæredis potestas in revocando, quàm testatoris fuis veluti in mandato ad pias Causas: Nam licèt à mandatore, re integra, revocari possit; Alexander *in l. si pecuniam: §.* 1. *num.* 15. *ff. de condi. caus. dat.* quam retulit Didacus *eo loco, sub num.* 15. & 16. cùm tamen ad hæredes transitorium sit, hæres illud implere tenetur, nec negligere jure potest: Baldus *in l. mandatum: num.* 6. *Cod Mandati: & in cap.* 1. *in tit. Qui success. ten. ad finem, in usibus Feudór. & in Authent. Si qua mulier: col. pen. Cod de Sacros. Eccles.* Romanus *consil.* 119. & *in l.* 1. *num.* 19. *ff. Sol. matrim.* Alexander *in l. fundi venditor: col. ult.* & Aretinus *col.* 1. *ff. de acquir. possess.* Baldus Nuvell. *de dotib. part.* 6. *privil.* 52. Felinus *in cap. relatum: col.* 2. *de offic. delegati:* Quibus in locis adducunt textum *in l. Si ego: §.* 1. *ff. de jure dot.* & in *cap. Exijt: vers. In eo verò casu: de verb. significat. in* 6.

Neque officit, quòd repudiante, seu respuente legatario legatum, hæredis sit actio, perindè ac si legatum non esset; ut habetur *in l. Titio, & Sejo: & in l. nam sicut: ff. ad Legem Aquil.* & ibi Gloss. concludit, quòd videlicet repudiatum legatum pro non legato est: & est argum. *in l. si dominus servum: ff. eo tit & in §. penult. Cod. de caducis tollen. & in l. servum filij: §. si quis: in fin. & in l. si tibi homo: §. cùm servus: ff. de legatis* 1. Hoc enim dumtaxat valet in Legatis profanis; non autem in Legatis ad pias Causas, quæ nunquam cedunt, seu accrescunt hæredibus; ut ostensum est *in Conf.* sparsim, & ex dicendis ampliùs constabit. Unde benè ajebat S. Bonaventura, quòd si Fratres Minores pecuniam legatam (& idem dic de quacúmque alia re) omninò respuant, debet illa alijs pauperibus, vel in alias pias Causas erogari, pro bono animæ Testatoris. Et de hoc sunt omninò docendi à Conscientiarum moderatoribus hæredes, vel gravati, missis opinionibus in contrarium & rejectis *in Conf. art.* 1. §. 26. & 27. & *alibi.* 15

§. III.

Satisfit instantiæ ejusdem admodum R. P. Aloysij à Verona.

SUMMARIUM.

1 *Minores juxta quosdam Doctores sunt incapaces legatorum: quorum sententia refellitur,* num. 2.

2 *Incapacitas Minorum in recipiendis legatis qualis sit.*
Dispositiones ad pias causas non subjacent apicibus juris Civilis, sed fideliter servandæ sunt, & implendæ, ibid.

3 *Iura omnia favent & assistunt, aut saltem non resistunt, nec resistere possunt dispositionibus ad pias causas: ut probatur,* n. 4. & seqq.

4 *Bonorum abdicatio est consilium Christi Domini, cui jura omnia humana fasces submittere debent: & qui illud sequuntur, possunt quovis modo largiri pauperibus.*

5 *Nulla lex justa Spiritui Sancto homines ad meliora incitanti resistere, vel obsistere potest.*

6 *Lex humana non imperat pietati Christianæ volenti bona sua erogare ad pias causas.*

7 *Divi Augustini monitum,* Dona tibi de tuo, dum tuum est, *affertur & explicatur.*

8 *Salutis æternæ cura præcipuè habenda in mortis periculo.*

9 *Lex non est dicenda quæ justa non fuerit: & quantum habet de justitia, tantum habet de virtute legis.*
Lex humana à lege naturali discordans, non est lex, sed legis corruptio, ibid.
Lex est Sanctio sancta, præcipiens honesta & prohibens contraria, ibid.
Ad perfectam legis rationem quæ requirantur, ibid.

10 *Venetorum pietas laudatur in sustinendis & exequendis voluntatibus ultimis.*

11 *Iura Pontificia singulariter favent voluntatibus ultimis præsertim piis.*

12 *Summus Pontifex supremum divinitùs obtinet imperium in his quæ pertinent ad salutem æternam.*
Senatus Mediolanensis quo jure possit derogare legibus testatorum etiam religiosissimis, ibid. & n. 15.

13 *Iura Civilia summopere favent dispositionibus ultimis, ut hæres non possit condicere legata soluta ex solo conscientiæ debitæ testimonio.*

14 *Plinij authoritas consideratur in tacitis voluntatibus Defunctorum etiamsi deficerent legum solemnitatibus.*

15 *In legatis pijs non attenduntur solemnitates juris Civilis; sed secundum jus divinum, naturale, & Pontificium judicari debet.*
Iura Civilia in spiritualibus causis non valent nisi accesserit Ecclesiæ authoritas, ibid.

16 *Lex Falcidia cessat in legatis pijs, etiam de jure Civili: Et quid de Trebellianica.*

17 *Hæres sibi retinens legatum Minoribus relictum triplici scelere se obstringit, perfidiæ, injustitiæ, & impietatis,* & n. 18. 19. & 20.

21 *Hæres non solvens legata pia an incurrat sacrilegium,* & n. 22.
Animæ in Purgatorio detentæ cruciantur pœna accidentaria ob non impletam ab hærede piam dispositionem, ibid.
Hæredum negligentia in exequenda pia Testatorum voluntate; grave peccatum, ibid.

22 *Sacrilegij species est seu injustitia sacrilega & qualificata, non solvere legata pia.*
Oblationum appellatione veniunt omnia ad pias causas relicta, ibid.
Morientium eleemosynæ, sacrificia appellantur, ibid.

23 *Hæres sibi retinens legata pia tanquam caduca, vel aliàs per fraudem, an excommunicationem incurrat.*
Excommunicatio contra fraudatores legatorum piorum, non est comminatoria, sed ipso facto inflicta à Concilio Tridentino, & reservata, ibid.
Animæ defunctorum ex dilata legatorum piorum solutione grave detrimentum patiuntur, ibid.

24 *Hæredes, vel alij non solventes legata pia severissimo Dei judicio puniuntur, vel in hoc sæculo, vel in futuro,* & n. 25.

25 *Legata pia non solventes an incurrant casum reservatum.*

26 *Hæredes, & alij gravati legatis pijs, habentes aliquam exceptionem, audiendi sunt à judice competente: sibi tamen ea retinere non possunt.*

INstatur. Magni, & non pauci, nec necessariò allegandi, utriusque Juris Doctores, ac Theologi apertè asserunt, nullius roboris, ac valoris esse legata, quæ Fratribus Minoribus fiunt, propter ipsorum incapacitatem; 1
adeóque

adeóque habenda esse pro non scriptis. Ergo ritè illa cedunt; accrescúntque hæredibus, ab hisque tutâ conscientiâ retineri possunt.

2 Respondeo, juxta doctrinam *in Conf.* traditam *art.* 1. *locis supra citat. & artic.* 3. §. 2. *& seqq.* Doctores omnes ita asserentes, nisi in suo sensu ita abundent, ut exorbitare perhibeantur, cum Sanchez, qui dux est Recentiorum in eam euntium sententiam, quemque latè *locis cit.* refutavimus; id solùm sibi velle, quod & ipsorum rationes probant: Legata scilicet, seu testamentarias ordinationes pro Fratribus Minoribus factas nullam vim habere, quoad Fratres ipsos in causarum foro fulciendos; hocque propter ipsorum Fratrum incapacitatem, non cujuscúmque eleemosynæ in se, à Testatore relictæ, sed cujuscúmque civilis juris effectus, vel suffragij ad illas aut recipiendas, aut repetendas; ex vi nimirùm Mendicitatis, & omnimodæ expropriationis rerum temporalium, & abdicationis omnium actuum politicorum, quam tam in communi, quàm in particulari profitentur; non autem propter defectum aliquem, aut cassationem, seu irritationem, (ob Legem aliquam Civilem, vel Canonicam cassantem, vel irritantem) hujusmodi Morientium dispositionum, & voluntatum; quibus solis in legatis ad pias Causas (cujusmodi citra dubium sunt, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur,) omnia omninò jura religiosa pietate murem gerunt, adeóque eas in suo robore sinunt, nullatenùs resistendo, ut eæ solæ, etsi minùs solemni ritu expressæ, vel per nutum dumtaxat, ob idque nullo Juris civilis suffragio communitæ, adhuc tamen semper in foro saltem conscientiæ vim legis habeant, & fideliter servandæ, implendæque sint omni meliori modo, & proximiori ei, qui ab ipsis Morientibus expressus fuit, ut nos tradidimus *in Conf. art.* 3. §. 1 *& alibi*; & iterum ex sententia plurium utriusque Juris Doctorum, ac Theologorum profitetur Comitolus *lib.* 7. *Respons. Moral. quæst.* 6. *num.* 4. *&* 5. post D. Antoninum *in Sum.* 3. *part tit.* 10. *c.* 3. §. 14. & Sylvestrum *in Sum. v. Testamentum, tit.* 1. §. 7. *notab.* 4. ubi & ipse verba D. Antonini recitans, & sequens addit, Veritatem eam esse. Consule eundem Sylvestrum *ibi* §. 4. *&* 5. ubi ait, ea quæ ex Jure Civili, seu positivo solemnia requisita objici possunt, revocata esse, quantùm ad hoc; idest quantùm ad testamentum, & quamlibet ultimam voluntatem ad pias Causas. Vide etiam illum *in v. Legatum* 2. §. 7. *&* 8 *in calce*; & Comitolum *cit. quæst.* 14. *num.* 4 *vers. Negant igitur.* Et recole dicta *in Conf. locis cit.*

3 Quòd itaque Jura omnia legatis pijs, sive ultimis quibuslibet voluntatibus ad pias Causas quomodocúmque expressis, vel indicatis aut assistant, aut saltem non resistant; quinimmò nequeant illas, qua tales, ullo modo, eis resistendo, irritare, & pro non scriptis efficere; multiplici ratione perhibetur.

Prima est. Nemo ibit inficias, quòd Christi Domini Consilijs, & Juri Codicis Evangelici, quod est divinum, quoque cuilibet integrum fit, immò & consulitur, ut bona sua ad pias Causas leget; debent humana omnia Jura adstipulari; sed inter Christi consilia illlud est unum, quod datur cuicúmque volenti nomen dare militiæ ipsius Christi, & mori mundo; nimirùm: *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: Matth cap.* 19. Atque in Evangelico textu hæc sæpissimè jussa habenrur; videlicet: *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas similiter faciat: Lucæ cap.* 3. *Quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis: Lucæ cap.* 11. (opes autem nulli profectò magis superfunt, quàm morienti, seu mox morituro:) Et, *Vendite, quæ possidetis, & date Eleemosynam: Facite vobis sacculos*, &c. Lucæ cap. 12. & 14. *Cùm facis convivium, voca pauperes:* Et; *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: Lucæ cap.* 16. Immò & Apostolus ad Hebræos *cap.* 13. *Beneficentiæ in pauperes nolite oblivisci, talibus hostijs promeretur Deus.* Et alia hujusmodi. Quæ Jura & verissima sunt, & sanctissima, & multò quàm Justinianea, aliáque cùm Cæsarea, tùm Pontificia, antiquiora; quibus proindè parere debent homines ante factionem Testamenti, in factione, & post factionem, sive cum Juris humani solemnitatibus, sive sine illis agant: Ergo, si quis moriturus voluerit sua etiam omnia vel donatione mortis causâ, vel legato post mortem ipsius ab hærede solvendo, largiri pauperibus, & sequi Christum pia saltem ultima voluntate; per quamvis legem id ei facere licebit, atque hujusmodi dispositio sustinenda erit; aut positivè, tribuendo ei Juris effectum, aut negativè, non eam irritando, non ei resistendo, &c. 4

Secunda est. Nulla Lex justa Spiritui sancto, humanam mentem ad meliora & gratiora Deo incitanti, obsistere potest: Sed extra tempora testamenti, vel ultimæ voluntatis indicandæ potest quis à Spiritu sancto incitari ad buna sua in pias Causas eroganda ea ratione, quæ sibi magis divino beneplacito, animæque suæ saluti consona visa fuerit: ergo hæc ipsa ratio divinitùs injecta, nullo tempore, humana Constitutione resistente, licitè poterit impediri; ergo nec tempore testamenti, 5

testamenti, vel ultimæ voluntatis indicandæ.

6 Tertia est. Non imperat Lex humana Pietati; sed hæc illi præcipit, ac præscribit: ergo, si quis obsequens Pietati legat sua in eleemosynam pauperibus in communi, aut etiam Fratribus Minoribus, vel pro alijs quibuslibet pijs Causis, humana Lex, & politica sanctio obmutescere debet, nec resistere potest; eo præsertim tempore, quo humanæ Legi satisfacere ille non potest. Quid verò, (quod jam vidimus *in Consil. artic.* 3. §.16.) Leges omnes humanas Naturali divinæ de Eleemusyna cùm per Viventes, tùm per Morientes pauperibus elargienda, famulari & assistere, vel Ministrorum suorum (Judicium videlicet) officium nobile impertiendo?

7 Quarta est. Salutare D. Augustini monitum illud est: *Dona tibi de tuo, dum tuum est.* Quibus verbis (Comitolo etiam interprete *quæst.6.cit num.*2. hæc est subjecta sententia: ut nostra, dum nostra sunt, in egentes conferamus; ea enim ratione, nostra nobis manent, & conservantur, nunquam peritura: nam qui in manibus pauperum bona sua reponunt, hi profectò faciunt sibi sacculos, (juxta Domini monitum in Evangelio Lucæ *cap.*12.) qui non veterascunt, & thesaurum non deficientem in cœlo, quò, (ut ad impijssimum Tyrannum gloriosus Christi Martyr Laurentius ajebat) per manus pauperum bona ipsa eis erogata deportantur. Concinitque sententia D. Petri Chrysologi disertissimè super prædicta Domini verba loquentis *serm.*22.23.*&* 25. de terrenorum cura despicienda; illis verbis expressa: *Vendite*, inquit, *quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos*, &c. Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare; manere tibi tua voluit non perire; perpetuari, non vacuari; sacculos imperavit, jussit te transferre, non perdere. Hæc ille, apud quem plura in hoc proposito, tali digna Pontifice. Cùm igitur nullum sit tempus, quo magis audiendum, exequendúmque sit dictum hoc Augustini, sed & Christi monitum, quàm vitæ supremum, quod sequitur, quòd tunc maximè cogitandum sit de legatis pijs, & pauperum eleemosynis instituendis; nec Christiana pietas ferat, cui Jura omnia (ut diximus) humana famulantur, & obsequuntur, quòd hujusmodi institutiones Lege ulla, aut Doctoris ullius sententiâ pro irritis, & pro non scriptis pronuncientur.

8 Quinta est. Nostræ salutis instrumenta, & luendorum criminum piacula tunc nobis maximè comparare debemus, cùm maximè periclitamur; ut commune est Theologorum assertum: sed cùm jam vitæ exitus nobis impendit, tunc utique maximè periclitamor; nam & ab hoste iniquissimo potissima tunc pericula saluti nostræ intenduntur, & anteactæ vitæ conscientia animum quatefacit, ac viscera ipsa contorquet: ergo, cùm (divino teste Oraculo, *Danielis cap.*4.) peccata eleemosynis redimantur, & extinguantur: quod & communiter docent S. Bonaventura *in 4.sent.dist.*15.*artic.*1. *quæst.*4. D. Thomas, Scotus, & alij omnes, asserentes satisfactionem pro peccatis fieri jejunio, oratione, & eleemosyna, atque hisce omnibus reconciliari nos Deo per pœnitentiam: ergo, inquam, cum hæc ita sint, pijs legatis, & largitionibus tunc temporis id prorsùs facere pro sua quisque facultate valebit, nulla æqua Lege, hominumvè sententiâ, vel opinione Doctorum in hujusmodi dispositionibus nobis penitus adversante.

Sexta est. De humana Lege hæc verissimè; 9
ipsissimis hisce verbis tradit D. Thomas 1. 2. *quæst.*95.*art.*2. Respondeo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit, (*in p. de libero arb. cap.*5.*paulò post princ.tom.*1.) Non videtur esse Lex, quæ justa non fuerit. Non enim Jura dicenda sunt, vel putanda, ut ex eod. D. Augustino *lib.*19. *de Civitate Dei*, *cap.*21. confirmante quod dixerat *loco cit.* ait Comitolus *cit.quæst.*6.*num.*3.) iniqua hominum Constituta, cùm illud etiam ipsi Jus esse dicant, quod de Justitiæ fonte manaverit. Pergit modo D. ipse Thomas, *ubi suprà:* Undè in quantùm habet de Justitia, in tantùm habet de virtutè Legis. In rebus autem humanis dicitur esse aliquid justum ex eo, quòd est rectum, secundùm regulam rationis. Rationis autem prima regula est Lex Naturæ; ut ex supradictis patet. (*quæst scilicet ibid. præced. art.*1.) Undè omnibus Lex humanitùs posita in tantùm habet de ratione legis, in quantùm à Lege Naturæ derivatur. Si verò in aliquo à Lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio. Hæc ex D. Thoma, D. Augustino, & Comitolo citatis, cum communi Doctorum, cùm Theologorum, tùm Juristarum sententia: constatque ex definitione Legis, quam ex lege Græca, *ff.de Legibus, & Senatusconsultis:* & juxta *l.leges:* 2.*Cod.de Legibus, & constitut. Principum*, tradit Gloss. *in § Lex est: Institut.de Iure naturali, gentium:* & in *l. nam & Demosthenes: ff. de Legib. & Senatuscons.* inquiens: Lex est sanctio sancta, præcipiens honesta, & prohibens contraria. Hisce igitur, tanquam majori hujus argumentationis propositioni subijciamus nos modò pro nostro instituto Minorem; dicamúsque:

músque: Sed rectæ rarionis, & honestaris hæc est certa præscriptio; ut miseris opitulemur, ut auxilia ad ipsorum levamen disposita non impediantur: ergo legara pia, quæ non ad levamen dumraxar corporalis indigenriæ legatariorum, sed etiam ad spirituale suffragium Moricnrium leganrium ordinata sunt, nulla possunt æqua lege infringi, aut convelli, minùs verò privari cujuspiam Doctoris placitu, & sententiâ. Quòd si ab aliqua infringantur, aut convellanrur, jam non Lex, non justa sententia, sed legis curruptio, secundùm D. Thomam, appellanda erit, & effutita impietas; ut patet. Et firma est argumentatio. Confirmatúrque ampliùs ex D. Bonaventura *in opusc. Principium sacræ scripturæ, in princip. tom.*1. ubi ex D. Isidoro *lib.*5. *Etymol. cap.*21. air, probatissimam, perfectissimamque legem (idem dic suo modo de sententia privati Doctoris) debere esse honestam, justam, possibilem, secundùm naturam, secundùm Patriæ consuetudinem, loco, temporíque convenientem, necessariam, utilem; manifestam quóque, ne aliquid scilicet per obscuritatem in caprionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi Civium utilitate conscriptam. Hæc S. Doctor. Ex quibus omnibus patet, non fore probam, ac perfectam legem, minúsvè privati Doctoris senteutiam, quæ justas Morientium voluntates, præsertim ad pias Causas, quas ipsamet honestas, pieras, & natura servandas docent, infringeret, adeóque pro oon scriptis habeodas adjudicaret.

10 Hicque prætereundum non est, quàm maximè hac in re Veneti Gubernij Pietas, religióque elucescar. Serenissima hæc enim, pijssimáque Respublica, Divi Marci Procuratoribus (qui supremæ Dignitatis penès ipsam sunt, feréque duces, ubi contigerit Principem suum obire, declarari solent) præcipuum hoc munus coufert, ut subditorum ultimas voluntates summa fide tueantur, ac colant, exequendásque in primis curent; ut haberur *in statut. Venet. lib.*6. *cap.*21. ex statuto Laurentij Teupulo Ducis *anno* 1267. & ex Parte *M. Cons.* 20. *February* 1322. Quorum hoc in munere fides adeò eluxit, ut eriam apud exteras Gentes plerique Principes Viri, ac fœminæ Tutores eos esse rogarint; Sic Viridis Scalana; sic Dominicus Malatesta Ariminensis Princeps; Sic Regina Daciæ; ut refert Egnatius *libro sexto, cap.*6. apud Laurentium Beyerlink *in suo Magno Theatro Vitæ humanæ tom.*3. *v. Fidelis, Fidelitas, &c. pag. mihi* 91. *col.*1.

11 Atqui jam Jura omnia ultimis voluntatibus, prælertim pijs, omninò favere ostendimus *in Cons. art.*3. §.1. Sed & adhuc ampliùs osteodo. Adeamus igitur primò Jus Pontificium. Beatus Gregorius, 13. *quæst* 2. *cap. ultima voluntas*; jubet hisce verbis: *Vltima voluntas Defuncti modis omnibus conservari debet.* Ubi Gloss. Vltima Voluntas defuncti pro lege servanda est; ut *in Authent. de Nuptijs, §. disponat: coll.*4. Et si quis eam non servat, hoc ipsum, quod ei est relictum, ab eo aufertur; ut 11. *quæst.*1. *cap. Sylvester:* & hoc intelligas, cùm Voluntas est rationabilis. Idem B. Gregorius *lib.*3. *Epist.*9. Jaouario Caralitano Episcopo scribens, ait: Admonere te volumus, ne piæ vivorum, aut defunctorum voluntates tua (quod absit) remissione cassentur. Et habetur 16. *quæst.*1. *cap. Admonere:* Ubi Glossam: Immò ad Episcopum spectat exequi voluntatem defunctorum; ut *extra, de testamentis: cap. si hæredes:* Vide eandem Gloss. *in d. cap. Sylvester: in fin.* ubi Marginista observat, hoc intelligi à quibusdam in relictis ad pias Causas; ur patet in eo, quod legitur, & notatur *extra, de Testamentis: cap. Tua: vers. Cum igitur: & cap. Nos quidem: in fin.* ubi Archidiaconus. Et Gregorius IX. *in cap. indicante: extra, de Testamentis:* ira decernit: *Cognovimus, R. referente, quòd moriens uxor redempti concham argenteam nudis verbis jussit venundari, & suis dari libertis; & scutellam argenteam cuidam Monasterio reliquisse; in quibus voluntatem ejus per omnia volumus impleri.* Alia loca ex Jure Pontificio adducta vide *in Cons. loco cit.*

Nec mirum videri debet, quòd sacræ sanctiones Ecclesiæ, summorúmve Pontificum, quibus velut ancillæ ac pedisequæ Civiles, sæculíve Leges, præstò esse ac servire alacriter debent; adeò pijs Moricnrium voluntatibus obsequantur, ut eas integras servari velint, ac jubeant, vel sæculi repugnantibus Institutis. Id enim cùm Ecclesia, vel summus Pontifex præstat, suo (ut diximus *loco citat.*) jure præstat, & jubet: quia cùm pia legata ad divinum cultum, & Religionem, ad egentium miserias necessitatésque levandas, ad solarium & suffragium ipsorummet defunctorum instituta sint, ea perire nulla debet ratione tolerare. Quandoquidem ad Romanum spectat Pontificem, utpotè qui in cunctos Christianos Principes, velut in filios, jus divinitùs obtinet, & imperium, quatenùs ad animas, cùm ipsorum, tum ipsis temporali ditione subditorum, dirigendas pertinet in viam salutis æternæ, omnia removere impedimenta, quæ Pietati, Religioníque vltimarum voluntatum utcúmque possent, aut viderentur officere. Quòd si de Senatu Mediolanensi legitur, derogare eum posse legibus 12

Testato

Teſtatorum, quamvis religiuſiſſimis; id ſanè, ſi de ſpectantibus etiam ad pias Cauſas intelligatur, nonniſi ex ſpeciali auctoritate, & privilegio Apoſtolicæ Sedis Conſcriptorum tantorum Patrum Senatui collato procedere cenſendum eſt: tametſi id non indicet I. C. quidam, qui eruditiſſimum edidit Conſilium, quo probat ex Mediolanenſis Senatus prædicti facultatibus & prærogativis, Senatorem illius gremij præſtare Præſidi Summariæ, qui fuit de Sacro Conſilio Neapolis.

13 At Iura Civilia inſpiciamus, & videbimus oppidò quàm hac in re Eccleſiaſticis ſanctionibus morigerentur. Primò enim hæredem, qui conſcius eſt quomodocúmque juſtæ voluntatis defuncti circa legata, vel fideicommiſſa quæcúmque; & ſi minùs ſuffultæ ſolemnitatibus Iuris, adeóque minùs validæ in foro fori, ſolo conſcientiæ teſtimonio hujuſmodi voluntatis implendæ neceſſitatem habere, ſi ſua ſponte agnoverit, & acceptaverit, ſcilicet ſolvendo ſciens voluntatem illam in foro fori non valere; ita ut, ſi ſolvat, benè teneat is, qui accipit, nec ille poſſit repetere: perſpicuis verbis habetur *in l. non dubium: verſ. Illud etiam: C. de teſtamentis: l. & ſi inutiliter: C. de Fideicommiſſis:* & eſt *argum. in l. fin. C eo. tit.* & Imperator Iuſtinianus *in Authen. de Nuptijs, §. diſponat: coll. 4. Diſponat itaque* (inquit *unuſquiſque in ſuis, ut dignum eſt; & ſit Lex ejus voluntas:* & poſt pauca: *Uti legaſſet quiſque de ſua re, ita jus eſto; nullo valente citra illius voluntatem:* (ſcilicet diſponere; ut ſupplet *ibi* Gloſſ.) Conſtantinus etiam Magnus Imperator *in l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.* (quod ad pias Cauſas attinet) ita ſancivit: *Habeat unuſquiſque* (habilis ſcilicet ad teſtandum; ut ſupplet *ibi* Gloſſ.) *licentiam ſanctiſſimo catholico, venerabilique Concilio* (ſive Monachorum, ſive Clericorum: ut *ibi* Gloſſ.) *decedens bonorum, quod optaverit, relinquere; & non ſint caſſa judicia ejus: nihil enim eſt, quod magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis, poſtquàm jam aliud velle non poſſunt,* (morte ſcilicet ſuperveniente, ut *ibi* Gloſſ) *liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.* Hæc ille de hiſce ultimis voluntatibus, vel diſpoſitionibus cùm in ſcriptis, tum ſine ſcriptis; ut notat *ibi* Gloſſ. *ad v. ſtylus:* & ad *v. Arbitrium.* Horum autem præſto eſt ratio *ex § per traditionem: Inſtit. de rerum diviſione:* ibi: *Nihil enim tam conveniens eſt naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi:* ubi fuerit legitima, hoc eſt legibus non contraria, ut notat *ibi* Gloſſa.

14 Hinc Plinius ipſe ex Ethnicis *libro ſecundo in Epiſtol. ad Annianum:* Ego, inquit, propriam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamſi deficerent, (nempè minùs ſubnixæ legum ſolemnitatibus) quaſi perfectas tuerer. Et *lib. 5. in Epiſt. ad Calviſ.* Mihi, ait, Defuncti voluntas antiquior Iure eſt. Quapropter, cum Sabina Romana (ut refert Fulgoſus *lib. 7. cap.* 8. apud Laurentium Beyerlinck *in Magno Theatro Vitæ humanæ tom. 3. V. Fidelis, Fidelitas: pag. mihi* 91. *col.* 1.) in teſtamento ſcripſiſſet: Modeſto ſervo meo, cui ut libertas daretur, ordinavi, talem rem lego. Et cum, eâ mortuâ, ſcriptum nihil eſſet inventum, neque teſtes apparerent, qui liberationis Modeſti fidem aliquam facerent; Plinius ſecundus inter præcipuos hæredes voluit, ut Modeſtus libertate donaretur, legatúmque à Sabina relictum acciperet: Sabinæ enim voluntatem, quàm expreſſa ipſius voluntatis verba, quæ non inveniebantur, ſequi ſatiùs duxit. Sed & Caligula (referente Suetonio apud Beyerlinck *cit.*) legata ex teſtamento Tiberij, quamquàm abolito; necnon & Liviæ Auguſtæ, quod Tiberius ipſe ſuppreſſerat, cum fide, ac ſine calumnia repræſentata perſolvit.

Vide Covarruviam *in Comment. cap. Relatum: 1. de teſtamentis: num. 9. verſ. ſeptimus hujus Capitis intellectus:* & Molinam *in 1. volum. de Iuſt. & Iure diſput.* 134. *col. extrema, verſ. Utrumverò diſpoſitio:* & Comitolum *ſupra cit. & quæſt.* 14. qui etiam *quæſt.* 16. *ejuſdem lib. 7. num.* 17. *verſ. Idem Bartolus:* affert Bartolum probantem, & inculcantem, quòd in ijs, quæ ad pias Cauſas relinquuntur, ceſſat omnis Iuris ſolemnitas, & legibus tantùm naturalibus divinis, & Canonicis judicari illa debent; neque fas eſt Imperatoribus Iura condere huic libertati contraria: ac deniquè eundem Doctorem ita concludentem inducit: Ex quibus concludo, quòd non obſtante aliqua Lege communi, Municipali, vel Imperiali, facta, vel fienda; relicta ad pias Cauſas debeant judicari ſecundùm Canones, & Iura divina, & naturalia, ſeu Gentium, & non ſecundùm Leges, ſecundùm quòd ſupradictum eſt. Ita Bartolus *in Comm. in l. 1. de ſacroſ. Eccleſ. col. extrema,* quem, & Iaſonem, & Abbatem, cum alijs Legum prudentum (ut loquitur Modeſtinus *in l. ſcire oportet: §. Aliud autem: ff. de excuſat. tutor.*) Coryphæis ſequitur eruditiſſimus Tiraquellus *in tract. de privilegijs piæ Cauſæ, privil.* 164. quem vide ad hoc, etiam *privil.* 163. & antè, *privil.* 1. ac paſſim *in toto illo opuſculo,* ubi docet, quòd Iudex non tantùm in foro Eccleſiaſtico, (ut fatentur omnes Catholici, teſte Tannero *lib. 2. defenſ. Eccleſiaſt. cap.* 8. & Georgio Gobat 15

in

in sua Praxi Clementium Iudicum, decade 6. coroll.1.) Sed etiam in Civili, seu Laico, tenetur de dispositionibus ad pias Causas factis judicare, secundùm Sacros Canones, & non secundùm Leges, aut statuta sæcularium Magistratuum. Quia Leges factæ super rebus pertinentibus ad pia, vel pijs usibus deputata non valent, nisi authoritate Ecclesiæ fuerint confirmata; ut tradit Alexander *consil.209 num.1. lib.2.* patétque ex *cap. Ecclesia: de constitut.* In his enim, quæ spiritualia sunt, Jura Canonica cæteris Legibus prævalent; ut ait idem Alexander *ibid.* ex *l. Privilegia: Cod. de sacros. Eccles. & cap. fin. de præscript.* Sicque confirmatur, quod diximus hic, *suprà num.*12. de prærogativa illa Senatus Mediolanensis, derogandi scilicet legibus Testatorum, quamvis religiosissimis. Videantur Gobat *citat. & coroll.1. ibid.* & alij *citat.*

16 Cæteroqui tamen sæculi Leges adeò ultimis voluntatibus ad pias Causas disponentibus favent, ut in pijs Legatis nullum locum habere velint Legem Falcidiam, ut communiter tradunt Doctores, teste Abbate *in cap. Raynaldus, de testamentis:* quem conscientiæ casuum explicatores omnes sequuntur, ut affirmat Comitolus *citat. quæstion. decima,* Vide etiam Sylvestrum *in Sum. v. Legatum 4. quæstion. sexta,* Tabienam item *in Sum. v. Legatum 2. numero sexto,* Angelum *eo titul. secundo, numero quinto,* qui idipsum censere videntur etiam de Trebellianica, afferentes hujus sententiæ Patronos Bartolum, & Baldum, quamvis secùs visum sit Joan. Andreæ, alijsque nonnullis. Cum tamen Bartoli, Baldique sententiam magis piam esse, atque adeò tenendam unanimiter asseverent allegati Doctores. Vide dicta de hoc *in Conf. Articul. primo, paragrapho decimo, numero trigesimo octavo, & seqq.* cum Carena, Pelliciolo, Tiraquello, & alijs.

17 Ex hisce igitur omnibus meridiana jam luce clariùs patet, quòd si ab hæredibus, vel gravatis legata pia, consequentérque etiam Fratribus Minoribus facta, negligantur, & sibi illa ipsi retineant, triplici scelere devinciuntur.

18 Primò, Infidelitatis, seu perfidiæ in re non levi fidem defuncto Testatori datam in acceptatione, & aditione hæreditatis fallunt: grave autem est fidem fallere; ut *l. 1. in princip. digest. de constitution. pecun.* & omnes omninò ita docent Theologi, & Juristæ.

19 Altero, Injustitiæ; quia non persolvunt quod debent ex justitia commutativa, & civili erga Testatorem, Juribus omnibus in ejus favorem adstipulantibus: immò quod ex eadem justitia debent legatarijs Juris capacibus: Fratribus autem Minoribus (ubi de illis agatur) non ex civili, sed ex naturali dumtaxat obligatione, & conscientiæ vinculo: quo modo posse & Fratres ipsos alijs, & alios ipsis esse obligatos, probatum est *in Conf. articul. tertio, paragrapho primo,* & alibi cum Politio.

Tertio, Impietatis; nam Testatoris, putà 20 Patris, aut Matris, alteriúsve consanguinei, vel affinis animæ, & bono felicitatis, quo anhelant, quantùm in se est, desunt, & absunt. Præterquàm quòd contra Christianæ pietatis & misericordiæ officium faciunt, cùm eleemosynas quas jussu domini legantis solvere debent, in præteritis habent, easque sibi nequissima cupiditate inique retinent. Legata siquidem pia genus esse eleemosynæ, (Morientium nempe) quo & suis ipsorum animabus ij, qui legant; & eorum, quibus legant, necessitatibus opitulantur; nemo, ut opinor, intelligens Theologus dubitaverit; at simplex quisque homunculus ita judicabit. Vide Comitolum *citat. quæst.14. num.7.* Atque hic spectat, quod refert Gregorius Turonensis *lib. de gloria Martyr. capit.* 11. quendam scilicet febri quartana fuisse punitum anno integro, quòd piam cujusdam voluntatem, qua opera pietatis commendaverat, non explevisset. Quanta autem sit hujus peccati gravitas ampliùs ex dicendis constabit.

Etenim in controversiam vertitur à Conscientiæ Casuum Explanatoribus, An omittens solutionem piorum legatorum, eorum maximè, quæ ad Ecclesiarum, vel sacrorum Collegiorum, seu Communitatum usum fiunt, præter malitias infidelitatis seu perfidiæ, injustitiæ, & impietatis, ut mox ostensum est, malitiam insuper contrahat sacrilegij. Et quidem affirmativam sententiam tradit Hermannus *lib.3. Medull. Theol. moral. tract.1. cap.1. dub.2. vers. Tertiò, reale sacrilegium:* ex Suarez, Filliucio *tom 2. tract.24. cap.9.* & Reginaldo *tom.2. lib.19. cap.4. n.57. vers. Pertinet sextò:* qui ibi expressè asserit: In quorum numero (scilicet usurpantium bona deputata sustentationi Ministrorum Ecclesiæ, vel personarum divino cultui dicatarum) esse censendi sunt, qui pecuniam legatam Ecclesię non solvunt. Hęc ille. Quod autem de pecunia dicitur Ecclesiæ legata, quidni & de quacúmque alia re asseratur Ecclesiæ (vel etiam sacro Clericorum, vel Monachorũ Religiosorumvè Collegio, quod utiq; venit nomine Ecclesiæ, ut ex dictis patet; *l.1. C. de sacros. Eccles.*) usibus deputata, vel legata? 21

Cæterùm illud refrico, quod alibi dixi, & tradit etiam Navarrus *in cap. magna: de pœnit distinct.* 1. *num.*16. ubi ait, quòd animæ exiſtenti in Purgatorio, & reſcienti per aliquem Angelum, vel aliam animam illuc euntem, quòd hæres ejus non curat agere pro illa debita ſuffragia, vel implere pia legata, quæ utique ſunt ſuffragia eleemoſynarum ſibimet à Moriente ordinata; augetur pœna, non quidem eſſentialis, ſed accidentaria, quam de illa omiſſione concipit. Immò (addit ille) animæ exiſtenti in Paradiſo, & beatæ aliquid diminuitur de præmio accidentali, quandò ipſius pia legata opere non implentur. Voluntas enim teſtatoris legantis, (inquit ille *ibid. num.*23.) & jubentis, ut aliquot Miſſæ pro anima ſua poſt mortem ejus dicantur, non reputatur pro facto: quia licèt quoad præmium eſſentiale Viſionis Dei, & gaudij, ſive fruitionis de eo, tantum proſit ei legatum, ſive juſſio ſine illius executione, quantum illa executa; non tamen, quoad præmium accidentale, quod ex opere operato illarum Miſſarum provenit; iuxta doctrinam Divi Thomæ communiter receptam *in 4. lib. ſentent. diſt.*45. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. ab ipſo etiam Navarro dilatatam *in Enchiridio de Oratione, cap.*19. *num.*62. *&* *cap.*20. *num.* 39. Ex quo ſequitur, (inquit ille) gravem eſſe negligentiam hæredum, qui huiuſmodi legata, & juſſiones debita cum diligentia non adimplent. Quod ipſum dicendum eſt de alijs precibus, præſertim *Pater noſter*, & *Ave maria*, & Horis Canonicis, quæ à Miniſtris Eccleſiæ aguntur, quas operari aliquid ex opere operatu, affirmat idem Navarrus *cit.* cum Gabriele *in Canonem Miſſæ, lect.* 57. *col.*2. Idque item ipſum dici poſſet de pijs legatis, eleemoſynis, & debitorum ſolutionibus, quoad bona opera, preces, vel benedictiones, quas facerent legatarij, pauperes, & creditures, quibus illa impertirentur. Quod parùm aliquot hæredes, magis ſui, quàm mortuorum curam habentes, perpendunt. Hæc Navarrus. Vide etiam Seraphicum *in* 2. *diſt.*40. *art.*2. *per totum*, & D. Thomam 1.2. *quæſt.*20 *art.*4.

22 Cum his ſentit Azorius *par.*1. *Inſtit. moral. lib.*9. *cap.*27. *verſ. Nonò quæritur*, & Comitolus *lib.*7. *reſponſ. Moral. quæſt.*16. *num.* 19. A quibus nec nos diſſentiendum putamus, propter ea vel maximè, quæ diximus *in Conſ. articulo tertio, paragrapho ſexto, n.* 17. *& ſeq.* ubi ex Sanchez diximus, Promiſſiones, & donationes ad pias Cauſas factas valere ut Vota; niſi expreſsè pateat in contrarium intentio promittentis, aut donantis. Et quamvis non deſint Patroni pro negativa ſententia: ut ſunt Tamburinus *lib.*2. *in Decal. capit. ſexto, paragrapho tertio, numero decimo*, cum Caſtro Palao, & Leſſio, quos ipſe allegat: attamen Layman *libr. quarto, tract.* 10. *capit. ſeptimo, numero decimo quinto*, per plura Canonici Juris loca, & rationes ſuſtinet tanquam certum, eos, qui legata pia iniquè detinent, vel defraudant, &c. non ſimplicem injuſtitiam committere, ſed qualificatam; (nempè ſacrilegam) quæ qualitas neceſſariò in confeſſione explicanda eſt. Vide 13. *quæſt.*2. *c Qui oblationes*: ex Concilio Carthagin. IV. *capit. nonageſimo quinto*, & iterum *quæſt. ead. cap. Qui oblationes*: ex Concilio Vaſenſi I. *capit. quarto*, & *ſeq. cap. Clerici, vel ſæculares*: ex Conciliu Agathenſi, *capit. quarto*, ubi hujuſmodi fraudatores, vel detentores, Necatores pauperum, & ſacrilegi raptores, ab Eccleſiâ eijciendi nuncupantur. Nomine autem *Oblationum* hujuſmodi, omnia etiam legata pia ſignificari ſolent; ut benè obſervat Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.*5. *num.*3. ex *Canonib. ſup. cit.* Sunt enim Morientium eleemoſynæ, quæ à D. Auguſtino *in lib. de octo quæſtionibus ad Dulcitium, quæſt.*2. *in fin.* Sacrificia eleemoſynarum appellantur. Concordat etiam Navarr. *in tract. de redditibus Eccleſiaſt. quæſt.*1. *Monito* 40. *num.*4. *&* 13. *& Monito* 41. *num.*1. juxta doctrinam D. Thomæ communiter recepti *in* 2.2. *quæſt.*99. *art.* 1. *&* 3. quem vide, etiam *Monito* 23. *numero primo*, *& in Propugnaculo Apologia tractatus prædicti, numero* 31. ubi pulchram ponit Coronidem reſolutoriam ejuſdem totiùs tractatus, & Propugnaculi.

Cùmque hæc ita ſint, caveant fraudatores, vel detentores hujuſmodi, ne excommunicationis vinculo irretiantur, Romano Pontifici Reſervatæ, à qua nec abſolvi poſſunt, niſi quod legatarijs ſubtractum eſt, integrè ſolvant; prout, *argum. Concil. Trident. ſeſſ.*25. *capit. duodecimo, in Decreto de Reformatione*, docet Comitolus *quæſt.*16. *numero* 19. *citat.* Sed adhuc clariùs *ſeſſ.*22. *capit.*11. *de reform.* ubi excommunicatio contra prædictos uſurpatores, fraudatores, vel detentores, non eſt comminatoria, ut *in primo loco citat* Sed ipſo facto inflicta, & reſervata, ut *ſuprà.* Sanè autem inflictam illis à Jure Excommunicationem prædictam expreſsè aſſerit Homobonus *tractatu undecimo*, *capit. undecimo*, *quæſtion. prima*, *verſ. Confeſſarij partes:* ubi gravitatem peccati hæredum, vel gravatorum, aut executorum, commiſſariorumvè non ſulventium legata pia, hiſce verbis exaggerat: Cujus peccati gravitas ex eo oſtenditur, quòd non ſolùm qui Oblationes, ideſt ea, quæ ſunt relicta Eccleſijs, negant; ſed qui 23

difficulter

difficulter, & imperfectè reddunt, & tradere demorantur, tanquam egentium necatores à Sacris Canonibus judicantur, nec Dei judicium credentes habendi sunt. In signum enim futuræ resurrectionis, mortuis pietatis opera impendimus, & pro separatarum animarum redemptione apud Deum preces fundimus: Arcbidiaconus, & Turrecremata *in cap. qui oblationes: 1. & 2. 13. quæst. 2.* Et certum est, ex piorum legatorum dilatione Defunctos notabile detrimentum pati; non quidem, ut pro bujusmodi retardatione puniantur; sed quia eis, qui ultricibus Purgatorij flammis cruciantur, remedium subtrahitur, dum suffragia differuntur: (idest sacrificia eleemosynarum; ut loquitur D. Augustinus *suprà citat.*) & constat, (nisi tempus à Testatore appositum sit) legatum statim, eo defuncto, cùm primùm fieri potest, in foro interiori solvendum esse. Grassius *libro primo, decision. cap. 26. numero decimo sexto*, Bellarminus *tomo primo, Controverſ. de Purgatorio, libro secundo, capit. decimo sexto*, Carbo. *de restitution. quæstion. quinta*, Sotus *in 4. distinction. 45. quæstion. secunda, articul. tertio*, Molina *tractatu secundo, d. ultim.* Petrus de Navarra *libro tertio, cap. 4. numero 166.* & Naldus *in Sum. v. Legatum, num. 17.*

24 Quare sciant, quotquot hujusmodi sunt, severissimum sibi imminere judicium Dei, juxta illam D. Jacobi sententiam *in sua Epist. Canon. cap. 2.* ajentis: *Iudicium sine Misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Et, ad boc, Antonius Monacbus, *tom. 4. in Biblioth. Sanctorum Patrum*, considerans historiam, quam S. Lucas *in Actis Apostolorum* commemorat de Anania & Saphira punitis ob defraudatum pretium agri; ait: Si qui ex prædijs proprijs suppilârunt, talem reportârunt ex furto exitum; quantò atrociùs illos manet supplicium, qui ex alieno compilant, & arrodunt peculio? Noverint insuper, & pro certo babeant, severissimas pœnas contra se exigi ab ipsis mortuis, quibus, ipsorum eleemosynas; & pia vota jussáque non solvendo, infideles, & impios sese exhibent; ut testatur D. Vincentius Ferrerius *serm. 2. in die Animarum*, hisce verbis: Quando sunt negligentes, (idest hæredes, vel executores) nec curant adimplere; petunt (idest Animæ Testatorum defunctorum) à Deo justitiam contra illos. Ideò caveant Manumissores, & bæredes; quia Deus faciet illis justitiam, qui sunt in majori pœna, quàm si hîc cum corpore, & anima comburerentur; quia ille ignis est majoris activitatis. De boc dicit Scriptura: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte? & patientiam babebit in illis? Dico vobis, (ait Cbristus Dominus) quia citò faciet vindictam illorum. *Luca cap. 18.* Quòd si tardaverit Deus, hæredum infidelitatem, crudelitatémque in suos Defunctos ulcisci in hac vita; caveant, ne quales erga suos Defunctos fuerunt ipsi hæredes viventes, tales ipsi quóque, cùm defuncti fuerint, justo Dei judicio bæredes babeant; juxta illud Cbristi: (*Matth. capite septimo.*) *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Hæc S. Vincentius Ferrerius.

Vides ergo, quàm districtò cùm Ecclesiæ, tùm Dei judicio subjaceant bujusmodi negligentes, fraudatores, vel detentores piorum Legatorum, Morientiumvè eleemosynarum, sive bæredes sint, vel gravati, sive commissarij, vel Executores testamentorum. Undè etiam appositissimè observat Franciscus Pellizzarius *tomo secundo, Manual. tractatu octavo, capit. septimo, section. prim. numero vigesimo quarto, vers. Addo obiter:* Quòd si non solutio legati pij in aliqua Diæcesi reservetur, Casum reservatum incurrit commissarius testamenti, sicut & hæres, vel gravatus, qui intra tempus præscriptum non solvit legata pia in testamento relicta. Et ratio est; quia Lex reservationis loquitur generaliter, ut supponimus; Lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi: Præterquàm quòd eadem in boc est culpa commissariorum, ac bæredum, vel gravatorum; immò illorum culpa videtur minùs excusabilis, cum ipsi, ex legatorum solutione nullum patiantur damnum. Ita Pellizzarius. 25

Unum tamen concedam cum Gloss. *super cap. Qui oblationes: 1. citat.* quòd, si qui bujusmodi gravati, vel commissarij fatentur, quòd debeant; sed exceptionem aliquam proponunt, quare dare non debeant, aut non possint; audiendi sunt, & à Judice competente (scilicet Ecclesiastico) difficultas solvenda; *ut digest. de legatis 1. l. si domus: paragrapho qui confitetur:* & *extra, de officio, & potest. Iudic. deleg. cap. ex parte: secundo.* Quapropter non rutè audiunt privatos Magistros, & Doctores, quos fortè consulunt, prurientes auribus, & à veritatis intelligentia auditum aversum babentes; dum legata, vel Morientium eleemosynas, quas Fratribus Minoribus illicitas contendunt, alijs saltem pauperibus, pijsvè Causis pro eorumdem Morientium animabus erogandas non judicant, sed posse ab hæredibus tutissimâ conscientiâ retineri; utpotè ex ordinatione 26

Testatoris, ut ajunt, nulla, & pro non scripta habenda. Quòd falsum omninò esse, ostendimus *in Conf.* sæpiùs, & ex hic dictis patet.

---

§. IV.

Quæ aliæ objectiones contra Casus præsentis resolutionem expediuntur.

SVMMARIVM.

1 *Legata annua Minoribus relicta, an & quomodo valeant, nec repugnent paupertati minoritica*, & n.2.

2 *Legatum annuum etiam perpetuum Minoribus relictum non importans usumfructum, &c. validum est; etiam absque renunciatione.*

3 *Legatum annuum perpetuum Civitati relictum centum annorum decursu finitur: juxta Bartolum.*

4 *Legatum annuum perpetuum Ecclesiæ, vel Causæ piæ relictum, perpetuò debetur.*

Legatum annuum perpetuum, & legatum ususfructus, diversa sunt, ibid.

Ususfructus Civitati relictus centum annorum spatio finitur: non sic legatum annuum & perpetuum, ibid. & n.9.

5 *Dictio*, perpetuò, *an excedat centum annos.*

6 *Legatum annuum perpetuum, & legatum ususfructus differunt in ratione legis falcidiæ ineunda.*

7 *Legatum annuum perpetuum, & ususfructus, in quo conveniant, & distinguantur*, & n.8.

8 *Ususfructus Civitati relictus cur finiatur centum annorum spatio*, & n.4.

Ususfructus legatus Titio & hæredibus, non excedit primos hæredes: secus in legato annuo perpetuo.

9 *Dictio*, perpetuò, *omnem tollit temporis definitionem.*

10 *Usumfructum Civitati relictum centum annis finiri: quomodo intelligendum.*

11 *Prandium, vel quid simile quolibet anno Minoribus præstandum, perpetuò debetur à gravatis.*

12 *Legatum annuum pro Anima relictum semper durat, & sententia eorum qui asserunt extingui post decem annos, tanquam impia & scandalosa rejicitur.*

1 OBjicies secundò, ex nostro à Politio *ad cap.6. Reg. numero 66.* ex Sanchez *alibi cit.* & alijs, quòd legatum annuum nullatenùs à Fratribus Minoribus percipi potest, ratione videlicet modi ipsis illiciti ei adjacentis, quòd scilicet annuatim Fratribus proveniat. Ergo neque de facto simplici, & seclusa omni proprietate, & juris civilis titulo, adeóque nec per modum eleemosynæ possunt illud Fratres percipere.

Respondeo, sententiam illorum Doctorum 2
veram esse de legatis annuis usumfructum importantibus; seu perceptionem Ususfructus alicujus boni immobilis; vel inter Immobilia computati; Id quod & nos asseruimus *in Conf. art.1. §.25.* Cæterùm, quod ad annua legata simplicia attinet, eáque de facto simplici, citra juris titulum, & obligationem politicam, & per modum eleemosynæ, in foro tantùm conscientiæ debitæ, provenientia, hæc nullam habent cum Statu, & professione Fratrum Minorum repugnantiam ex eo, quòd annuatim, sive ad breve, sive ad longum tempus, etiam in perpetuum, ordinata sint, & proveniant; ut pluribus ostensum est *in Conf. art.1. & 3.* Quam utique doctrinam noster ipse à Politio *ubi suprà, n.45. & 46.* benè insinuat; tametsi frustra exigat actum renunciationis per publicum Notarium nomine Fratrum confectum: qua de re *in Conf. art.2. §.1.*

Objicies tertiò. Legatum annuum Reipu- 3
blicæ, Civitati, Ecclesiæ, aut Collegio perpetuò relictum, ad centum dumtaxat annos restringendum est; ut docet Bartolus *in l. annua: §. à Titia: ff. de annuis legatis:* ergo etiam Legatum Fratribus Minoribus relictum centum saltem annorum decursu extinguitur, atque adeò tunc saltem cedit hæredibus. Probatur antecedens à Bartolo ea ratione: quòd legatum annuum, & ususfructus paria sortiantur jura: *l. in singulos: ff. de annuis legatis:* Sed ususfructus legatum Reipublicæ relictum centum annis tantùm durat, *l. si Ususfructus Municipibus: ff. de usu, & usufructu per legatum:* ergo legatum itidem annuum Reipublicæ, Ecclesiæ, vel Collegio relictum, etiam hoc expresso, quod perpetuò duret, centum annis finitur. Ita Bartolus *in d. l. si ususfructus:* quem secuti sunt Alexander *in l.3. §. ult. ff. ad legem Falcidiam; & consil.60. lib.1.* & alibi; Lancellotus, Decius, Ancharanus, Barbatins, Annanias, Cardinalis Zabarella, Bologninus, & alij, quos latè allegat, & cum illo respuit Covarruvias *tom.2. lib.3. variar. resolut. cap.9. n.10.*

Respondeo, Bartoli opinionem (cujus 4
etiam meminit Abbas *in cap. de his: de testamentis: numero quinto*) falsam esse, nec sequendam in hac re; ut benè docet Covarruvias *cit.* illam refutans. Primo enim obstat expressus textus *in l. annuam:* ubi Modestinus decernit

fideicom

fideicommissum quotannis in perpetuum Reipublicæ præstandum esse. Ubi Gloss. *ad v. In perpetuum:* Plus ergo est, inquit, in hoc legato, quàm in usufructu legato; quia tempore finitur: & adducit loca legum ad hoc. Obstat etiam textus clarus Scevolæ *in l. annua: §. item quæro:* & Marcelli *in l. cùm quidam: & in l. cum erat: ff. de annuis legatis:* quibus definitum est, legatum annuum Ecclesiæ, vel Sacerdotibus ejus, aut Reipublicæ relictum perpetuò deberi. Et iterum Gloss. *in d. l. cum erat: ad v. Perpetuam:* Aliud (inquit) in usufructu Reipublicæ relicto, qui finitur centum annis: ut clarè determinat Gajus *in d. l. si ususfructus Municipibus:* ubi Gloss. *cum concordantijs.* Quare patet, falsam esse Majorem illam propositionem *Bartoli* pro sui Antecedentis probatione. Quòd scilicet annuum legatum simplex, & ususfructus legatus, paria sortiantur jura. Neque in illa lege *In singulos annos:* æquiparatur annuum legatum simplex ususfructui legato, nisi in eo, quòd legatum annuum finitur morte privati legatarij, nec transit ad hæredes, sicut & ususfructus privato item legatus. Non ita tamen evenit in legato annuo relicto Reipublicæ, vel Ecclesiæ vel hujusmodi Communitati perpetuo duranti; cui legatum ipsum perpetuò debetur; cùm sit onus honorati; nec inutiliter gravati. Atqui ususfructus legatus Reipublicæ, Ecclesiæ, &c. centum annis finitur, ita Lege statuente, secundùm æquitatem; quia videlicet nulla unquam utilitas nudæ proprietatis proprietario proveniret, semper abscedente usufructu, cum semper duret Communitas usufructuaria: undè Gajus *in d. l. si ususfructus Municipibus:* centum, inquit, annos observandos esse placuit; qui finis vitæ longissimus est.

5. Quòd si dicas, ly *Perpetuò*, intelligendum esse usque ad centum annos: profectò ea interpretatio inepta est: minimè enim convenit aut Legislatoris, aut Testatoris orationi, & verbis. Nam si legatum annuum privato relictum à testatore sit, ita quidem, ut ejus etiam hæredibus debeatur, in infinitum, & perpetuò durat, ultra centum annos; ut statuit Imperator Justinianus *in l. in annalibus: Cod. de legatis.* Ibi: *Eorum exactionem omnibus hæredibus, & eorum hæredum hæredibus conservari pro testatoris voluntate præcipimus.* ubi Gloss. ad *v. Conservari*, ait: etiam in infinitum. Et observat, propter æquitatis rationem suprà allatam, secùs esse in usufructu legato *tibi, & hæredibus:* nam, de primis, inquit, intelligitur; ut *digest. de usu, & usufructu legat. l. antiquitas:* Ne videlicet inutilis perpetuò esset proprietas; ut *digest. de conditionibus, & demonstrationibus: l. Titio: paragrapho Titio:* Ergo idem à fortiori dicendum est, si Reipublicæ, vel Ecclesiæ, aut Communitati Religiosorum annua verbi gratiâ decem legentur in perpetuum solvenda: siquidem in his, quæ ad privatorum legata, his viventibus debita, & morte eorum finitura pertinent, non ita plena, & ampla fit interpretatio, sicuti in legatis temporalibus Reipublicæ, vel Communitati perpetuò duraturæ relictis: *l. hæreditatum: digest. ad l. Falcidiam:* Igitur legatum annuum Reipublicæ, Ecclesiæ, vel Collegio relictum, hoc præsertim expresso, *ut perpetuum sit, & solvatur*, non erit ad centum annos restringendum, & post illum terminum concedendum hæredibus.

Refellitur secundò ratio illa *Bartoli* per textum clarum Venuleij *in d. l. hæreditatum: vers. sic denique:* & per textum *Pauli* ex sententia Marcelli *in d. l. 3. paragrapho item, si Respublica: digest. ad l. Falcidiam:* ubi Glossæ, & Doctores. Ibi enim legatum annuum Reipublicæ relictum, ad rationem Legis Falcidiæ, dissimili modo æstimatur, cùm scilicet agitur de illo (redimendo, seu extinguendo, solvendo ejus æstimationem, pro una vice tantùm, legatario) quàm legatum ususfructus: (cùm tamen in relictis pijs nulla Falcidiæ, aut Trebellianicæ ratio habeatur; ut dictum est *suprà, paragrapho præcedente num. 16.*) Nam legatum annuum æstimatur usque ad quantitatem, quæ ejus ratione legatario viginti quinque annis solvenda est; legatum vero ususfructus ita quidem æstimatur, ac si Respublica non ampliùs, quàm triginta annis duratura sit. Undè constat inter simplex legatum annuum, & legatum ususfructus Reipublicæ maximum esse discrimen; cùm si legatum annuum Reipublicæ relictum centum annis finiretur, ejus fieret æstimatio eo pacto, quo fit in legato ususfructus, juxta *d. l. hæreditatum:* non autem ea ratione qua fit *in d. paragrapho Item si Respublica:* Ita Covarruvias *citat.* 6

Refellitur tertiò; quia quamvis longissimum tempus vitæ sit centum annorum *l. ult. C. de sacros. Eccles.* & quod in privatis morte extinguitur, in Republica centum annis, non ulteriùs duret; *d. l. si ususfructus:* & legatum annuum privato relictum morte ejus finiatur: *l. 4. ff. de annuis legatis; & l. si in singulos: ff. eo. tit.* Tamen id obtinet, ubi datur à Jure tanta annui legati, & ususfructus similitudo, ut nulla valeat differentiæ ratio constitui. Fateor 7

etenim, simplex legatum annuum, & legatum ususfructus paria esse, quoad hoc, ut morte finiatur utrumque; prout dictum est *suprà*: at dissimilia sunt, quantùm ad reliquos extinctionis modos; cùm etsi legatum ususfructus capitis diminutione pereat, non sic perierit legatum annuum: *d. l. si in singulos:* Quò fit, ut cùm circa extinctionem ipsam hæc duo legata dispari jure tractentur, præterquàm quoad mortis effectum, minimè quoad alia paria censeri debeant.

8 Refellitur quartò; quia, si cum Bartolo dicatur, quoad extinctionem legatorum idem efficere in Republica centum annorum limitem, quod in privato mors ipsa: *d. l. si ususfructus:* Considerandum, respondendúmque est, id procedere, nisi manifesta discriminis ratio detur inter usumfructum, & simplex legatum. In usufructu etenim legato Reipublicæ ideò statutum est, quòd centum annis finiatur, ne proprietas apud hæredem sit inutilis; ut dictum est *suprà*: non sic autem est in simplici legato annuo, cum proprietas bonorum Testatoris omninò sit apud hæredem utilis, & integra, cum eo dumtaxat onere annuæ pensionis, seu portionis legatæ solvendæ. Qua item ratione fit, ut si ususfructus Titio, & ejus hæredibus legetur, is tantùm pertineat ad primum Titij legatarij hæredem: *l. antiquitas: ff. de usufructu:* At si annua decem legentur eidem Titio, & ejus hæredibus, legatum hæredibus, & hæredum hæredibus debetur absque ulla temporis præfinitione: *d. l. in annalibus:* ubi Baldus, & alij apud Covarruviam *cit.* & nos etiam mox *suprà* tradidimus.

9 Refellitur quintò; quia demùm Bartoli sententiæ obstat Communis, quæ docet, quòd annuum legatum potest absque ulla temporis præfinitione relinqui: *l. si cum præfinitione: ff. quando dies legator. cedat.* Et per dictionem, *Perpetuò*, quælibet temporis definitio tollitur: *l. purè: §. ult. ff. de doli mali except. l. eum debere: ff. de servitutib. urbanor. prædiorum.* Quare ex hisce omnibus clarè deducitur, falsam esse *Bartoli* sententiam objectam; atque adeò simplex legatum annuum perpetuò relictum Reipublicæ, & præsertim sacro Religiosorum Collegio, vel Ecclesiæ, vel cuilibet alij pro Anima, nullum habere temporis limitem, sed durare donec ipsa Respublica, vel Collegium, vel alia causa finiatur. Quam sententiam contra Bartolum sustinent Barbatius, Jason, Socinus, & alij multi apud Covarruviam *citat.* apud quem plura vide, si lubet. Vide etiam M. Antonium Peregrinum hanc eandem sententiam egregiè defendentem *in tract. de fideicommissis, art. 30. num. 10. & 11.* Cui concordat Bonacina *tom. mihi 2.* ubi *de contractibus, disput. 3. quæst. 17. punct. 8. §. 6. n. 2.* allegans etiam Raminaldum *consil. 259.* & Decium *cons. 66.*

10 Favet etiam Castro Palao *part. 7. de Iust. & Iure, disput. 6. de Iust. commut. punct. 2. num. 5. in fin.* ubi explicat Legem Regiam 26. *titul. 31. part. 3.* asserentem usumfructum relictum civitati, vel villæ, centum annis finiri: dicens: eam legem intelligendam esse, cùm decurionibus ipsis, qui præsentes sunt, conceditur, vel legatur ususfructus; ut constat ex verbis ipsius legis. *Porque en tiempo de los ciento annos pueden ser muertos quantos eran nacidos el dia, que fua otorgado el usufructo.* Ita ille, sanè insinuans ipsum etiam legatum ususfructus, si fiat, non Decurionibus præsentibus; sed Civitati, ut sic, non finiri centum annis, sed perpetuò durare: ergo à fortiori id insinuat de annuo legato simplici. Ipse tamen non discedo à sententia *suprà* tradita ex Jure, quòd legatum ususfructus centum annis finiatur, si relictum sit Civitati simpliciter. Nec obstant, sed favent verba Legis citatæ.

11 Magis autem ad propositum nostrum favent Petrus de Samprana, & Gulielmus, quos affert, & sequitur Abbas *in d. cap. de his: de testamentis: num. 5.* dicentes, legatum factum Ecclesiæ, vel Fratribus de certa re, quolibet anno; deberi perpetuò, & in æternum: & ponunt exemplum, si verbi gratiâ dixerit testator: *Lego Fratribus quolibet anno prandium,* &c. Ita Abbas *cit.*

12 Quid, quòd propositio asserentium, annuum legatum pro Anima relictum (cujusmodi profectò sunt ea, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur, ut ostensum est *in Cons.*) non durare plus, quàm per decem annos; damnata & prohibita fuit, ad minimum, tanquam scandalosa; ita ut sub pœna excommunicationis à nemine doceri, defendi, edi, aut de ea etiam disputativè, publicè, aut privatim tractari possit, nisi forsan impugnando: & insuper in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione divini judicij vetitum, ne quisquam eam ad praxim deducat; ut habetur in Decreto Generalis Congr. Inquisitionis coram S. D. N. Papa Alexandro VII. *sub die 18. Maij 1666.* Quare de mente Pontificis concludendum est, legata pia perpetua, etiam Fratribus Minoribus relicta, perpetuo deberi; ut dictum est.

§. V.

§. V.

Expediuntur reliqua ad præsentem Casum spectantia.

SVMMARIVM.

1 *Legata perpetua Minoribus relicta cur fuerint applicata Fabricæ S. Petri?* & num. seqq.

2 *Pontificis potestas in commutatione ultimarum voluntatum, quomodo intelligenda.*

3 *Pontificis potestas absoluta potest quidem æquare quadrata rotundis validè, non tamen semper licitè.*

Dispositiones pias Morientium commutare non semper expedit, ibid.

4 *Quando liceat vel expediat piam dispositionem commutare.*

5 *Summus Pontifex potest validè & licitè pro suo libito commutare legata Minoribus relicta; etiam sine causa, in alios pios usus.*

6 *Testator non potest prohibere ne Summus Pontifex, vel etiam Episcopus se intromittat in executione suæ voluntatis, præsertim circa legata pia, data hæredis negligentia.*

7 *Episcopus an possit commutare pias testatorum dispositiones*, & n.8.

9 *Legata annua perpetua Minoribus relicta, non sunt caduca, nec cedunt hæredi, etiam quando Fratres sunt incapaces:* & num.10.

10 *Legata pia etiam incapacibus relicta, sunt sacrificia eleemosynarum pro anima testatoris, quæ omni meliori modo præstanda sunt.*

11 *Eleemosyna uni pauperi determinato legata, si ipse moriatur ante solutionem legatè, debet erogari alteri pro anima testatoris.*

12 *Legata Minoribus relicta quorum capaces sunt, an ex obligatione justitiæ debeantur, vel charitatis tantum.*

13 *Prælati Minorum quomodo possint commutare legata pia sibi relicta in alium usum*, ibid.& n.15.

14 *In commutatione ultimarum voluntatum quæ circumspectiones ab Episcopis adhibendæ.*

15 *Legata, vel donata Minoribus ad certum usum, an & quomodo converti possint in alium.*

16 *Minores sunt capaces legatorum annuorum quatenus possunt illa recipere tanquam eleemosynas sibi à defuncto missas.*

17 *Eleemosyna annua Minoribus relicta non repugnant altissimæ eorum paupertati.*

Quamvis hæres solvat illas ex obligatione justitiæ erga testatorem, n.18.

18 *Quando duo exæquantur per legem antiquam, quicquid lex nova disponit in uno, censetur etiam disponere in altero.*

PORrò nec nostræ officit præsentis resolutioni Casus, quòd in Statu Ecclesiastico annua legata perpetua Fratribus Minoribus relicta exigantur à Ministris, & Commissarijs Ven. Fabricæ S. Petri in Urbe; ut ostensum est *in Cons.art.* 3.§.4. Quamvis enim ritè illud, & jure optimo fieri fatendum sit, ut benè innuit Card. de Lugo *lib 4.respons.Moral.dub.7.num.7.* cum prædictæ Fabricæ fuerint à Summis Pontificibus Julio II. Leone X. Clemente VII. Paulo III. Pio V. & alijs (ut diximus *loco cit.*) applicata legata omnia pia, quæ in propria specie impleri non possunt, quacúmque ex causa hoc eveniat: attamen quare, quando, & quomodo id in praxim ducatur circa legata, quæ Fratribus Minoribus relicta sunt, satis ostendimus *loco citat.* nostræque ibi sententiæ, & responsioni favet ipse de Lugo *cit n.6.circa medium.* Atque ex ibi dictis constat, quàm justa, piáque de causa Summi Pontifices commutaverint voluntates, & dispositiones Testatorum in illud opus; etiamsi, quoad Fratres Minores, ipsæ Testatorum voluntates justè, & honestè impleri ab hæredibus, vel gravatis possint, si velint, non ex Jure, titulóque civili, ex parte Fratrum acquisito, sed de facto simplici, & ex sola obligatione conscientiæ; cum iidem Fratres justè, & honestè admittere possint debitas, eo modo, præstitásque eleemosynas de testatorum mandato; ut dictum est *loco citat.* 1

Hic tantùm addere placet, (ad cujusdam sententiam, quam mox infrà adducam, refellendam) quàm jure optimo possint hujusmodi legata, quæ etiam juxta Morientium voluntates impleri possunt, ut dictum est; ex dispensatione Summi Pontificis sic commutari, Fabricæque prædictæ usui applicari; ut docent Molina, VVadingus, Diana *p.1.tit.17.resol.28.& part.8.tit.5.resol.63.* & communiter Doctores, quos ipse agglomerat, quibusque novissimè adstipulatus est Hermannus *in Medull.Theol.Moral.lib.3.tract.5.cap.4.dub.4.§. Quæres 3.* quibusdam etiam eorum, (ut Vasquez, & alij,) dicentibus, posse hujusmodi commutationem voluntatum testantium fieri, etiam ex dispensatione 2

Episcopi, in opus tamen æquale, vel melius. Qua de re videri potest Prosper Fagnanus *in part.1. Tertij Decretal.cap.Nos quidem: de Testamentis:* ubi post omnes cit. Doctores, latè sustinet cum Paulo de Castro *consil.* 288. *lib.*1. posse Papam de potentia, seu potestate absoluta validè auferre dominium, & jus quæsitum Ecclesiæ, sola voluntate, & arbitratu suo, nulla subsistente causa; licèt sine causa facere id non debeat; ita ut, si faciat, illicitè facit, injustitiam committit, & peccat; ut benè etiam prosequitur, quoad utrámque partem, Filliuccius *tom.*3. *tract.*44. *cap.*3. *à num.*37. cum Dominico *in cap.Si gratiosè, de rescriptis:* Barbatio, Franco, & alijs, quos sequitur Navarrus *in Comment. de spolijs Cleric.* §. 3. *num.*8. *&* 9. quem vide pulchrè docentem, quomodo, & quando aliqua alienatio rei Ecclesiæ per Papam facta sit justa, & valida; aliqua valida, sed non justa; aliqua verò nec justa, nec valida. Vide etiam dicta *in Conf.art.*1. §.15. *n.*8.

Quapropter à fortiori, vel saltem à pari dicendum est, posse Papam de potestate absoluta (qua nimirùm potest æquare quadrata rotundis, & rotunda quadratis; ut diximus *in Conf.art.*1. §.10. *num.*40. cum Hostiense, & Abbate) validè quidem, at non licitè, legata uni pio usui à Testatoribus applicata, sine causa ad alium convertere; ut tradit Filliuccius *cit. num.*43. *ex l. si quis ad declinandam: §.sin autem in personam certam: C.de Episc.& Clericis:* ubi Jacobus Butrius; ex *l. legatum:* ubi textus, & Bartolus, *ff.de administratione rer.ad civit.pertin.* & ex *l.libertis:§.largius:ff. de ann. leg.* & Guido Papeus *decis.*556. Ait enim ibi Filliuccius, non posse id fieri, quin injustitia committatur; quia quoties de re alterius aliter sine causa disponitur, quàm ille expressè mandavit, & voluit, injustè fit; ut per se patet, & habetur, §. *furtum: & §.placuit: Institut. de obligationibus:* Et *num.*45. *&* 47. ait, injuriam fieri disponentibus, quorum res contra ipsorum voluntatem aliter, quàm justè statuerint, attrectantur: itémque lædi utilitatem publicam, & cultum Religionis imminui; cum indè revocentur homines à studio pietatis, & similibus pijs legatis faciendis; videntes enim, eos, qui præcesserunt, in suis voluntatibus defraudari, rationabiliter idem sibi timere possunt: quod totum colligitur (inquit) ex *l.inter omnes:§.rectè:ff. de furtis:* ubi Bartolus, & Doctores. Atque hanc rationem tangit etiam Alexander Papa VII. *in sua Bulla*, quam ad hoc propositum retulimus per extensum *in Conf. art.*3. *§.*4. *n.*23. *& seqq.*

4 Hæc tamen doctrina limitanda est, secundùm eundem Filliuccium *ibid. num.*45. *vers. limita tamen:* Nisi talium relictorum conversio, & translatio esset in minimis, aut in æquivalentibus. Nam eo casu, licèt sine causa ad certum quid relicta aliò convertantur, sine cujuspiam injuria convertuntur: quia non curant Jura, quid in æquipollentibus fiat: *l.fideicommissa: §.si cui:* & ibi Bartolus, *ff. de legatis* 3. *l.* 3. & ibi Bartolus, & Baldus, *C.de institutionibus, & substitut.* Speculator, *de Sententia: §.6.vers. Et nota: de Donationibus.* Proindè disponenti non fit injuria, cùm quod in unum usum præcepit impendi, in alium convertitur, sed æquipollentem. Ita Filliuccius *cit.*

Cùm igitur in Legatis, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur, quæcúmque illa sint, nihil juris acquiratur ipsis, vel ex parte ipsorum; &, si acquireretur, Pontifici, tanquam ipsorum Patri, ac Domino speciali; vel Apostolicæ Sedi acquireretur, juxta ea, quæ tradidimus *in Conf.art.*1.*§.*15 *num.*48. *& seqq. &* §.22. *per totum*; constat, posse Papam, jure optimo, & sine ulla cujuspiam injuria, etiam sine causa, pro suo libito, commutare illa in alios pios usus æquipollentes, pro animabus Testatorum. Non obstante quòd Testator, vel disponens prohibuerit, ne Summus Pontifex, aut Episcopus immutet suam dispositionem: Hujusmodi enim prohibitio, tanquam turpis, habetur pro non scripta; ut benè, allatis juribus, Fagnanus *supra citat. num.*30. *& seqq.* Quantò ergo rationabiliores censendæ sunt commutationes prædictorum legatorum à Summis Pontificibus factæ, applicando ea Fabricæ prædictæ cum conditionibus, quas perpendimus *in Conf.articul.*3. *eo* §.4. ex quibus constat, Pontifices illas fecisse cum causa, & quidem ne piæ Testatorum voluntates fraudentur; data hæredum, vel executorum negligentia? 5

6 Equidem autem Barbosa (quod ad hoc attinet) *de off.& potest.Episcopi, p.*3. *allegat.*82. *num.*17. allegans ad saturitatem Jura, & Doctores, expressè docet, Non posse Testatorem prohibere, non solùm ne Summus Pontifex, sed etiam ne Episcopus, data hæredis, vel executoris negligentia, valeat se intromittere in executionibus ultimarum voluntatum, maximè piorum legatorum: Semetque citat *ibid. allegat.*75. *num.*9. *&* 10. Si enim Testator (inquit) ita ordinaret, esset talis conditio reijcienda, ut turpis, & à Jure prohibita. Atque hoc tradunt post Lambertinum, Palatius Rubeus, & Bernardus Diaz, Paul. Duran. *in tract. de Condition.& modis impossibil. part.*2. *cap.*1. *num.*107. faciunque ad hoc ipsum ea, quæ docent Abbas *in cap.requisisti: de*

*de testamentis: & in cap. cum dilectus: num.*4. *de Consuetudine; & in cap. ad audientiam: sub num.*13. *de Ecclesijs ædifican. vel reparand.* & alij quos allegat idem Barbosa *d. allegat.*75. *num.*9.*& d. allegat.*82.*num.*29. Constito enim legitimè de negligentia executorum, vel hæredum, non solùm potest, sed etiam tenetur Episcopus Testatoris mandata exequi; ut optimè ex verbis *cap. Nos quidem:* & juxta doctrinam D. Thomæ 2.2. *quæst.*88. *art.*1. & Soti *de Iustit. & Iure lib.*7 *quæst.*1.*art.*2. ostendit idem Barbosa *d allegat.*82.*num.*26. & probat etiam ratione. Videatur ille, maximè per *totam d. allegat.*82. Quod autem disposuerunt Pontifices, ut præfertur, circa legata annua Fratribus Minoribus relicta, applicando illa eo modo Fabricæ D. Petri, &c. profectò nihil est aliud, quàm curam ex officio gerere, ut piæ Testatorum voluntates impleantur omni meliori modo; ut patet ex dictis *in Conf. loco cit.* Quod utique officium Episcopis etiam, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, & juxta sacrorum Canonum statuta *cap. tua: & cap. Ioannes: de testamentis:* specialiter committit Concilium Trident. *sess.*22. *cap.*8. *de Reformatione:* Et quod attinet ad legata Fratribus Minoribus relicta illud ipsis committit, & commendat Nicolaus III. *in cap. Exijt:* §. *Ad hæc, quia:* ut in *conf. art.*1.§.3. *num.*3. & alibi sæpiùs.

7 An verò Episcopus commutare possit legata à Testatoribus relicta, ita ut uni pio usui destinata applicare alteri queat: Negat novissimè V Vadingus *tract. de contract. disput.*4. *dub.*3.§.6.*num.*3. & latè probat, id tantùm licere Summo Pontifici ex rationabili causa; immò ex justa, necessariàque dumtaxat, ex Concilio Trident. *sess.*22.*cap.*6. *de Reformatione.* Et hanc sententiam probabiliorem, & tutiorem asserit Diana *part.*8.*tract.*5.*resol.*63. allegans pro ea etiam Aufretium Carpium *de execut. testam. lib.*3. *cap.*4. *per totum*, & Merollam *tom.*3.*disputation.*7.*dubitat.*15. *per totum.*

8 Non desunt tamen, qui hanc facultatem Episcopo etiam concedant, justa, & rationabili causa id exigente; ut Compilator Indicis in Felinum, *V. Legatum:* Vasquez, & Comitolus, & nos cum ipso, & alijs *in Conf. art.*2. §.5. *num.*14. *& alibi:* novissimè verò Baunius *in Theol. Morali, tom.*3. *lib.*2. *tract.*9. *quæst.*31. Mordicùs eam sustinet, & respondet ad argumenta contraria; quem refert Diana *cit.* & ejus solutiones. Immò nec deest Felinus, qui *in cap. cum accessissent: de Constitutionib. num.*17. docet, id licere Episcopo, quando difficultas tantùm est in executione legati, juxta intentionem testatoris. Quod tamen non placet Dianæ *citat.* nec mihi; quia nimis laxat jura, & limites Tridentini cit. requirentis causam justam, & necessariam illis verbis: *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa, & necessaria causa fieri debent, Episcopi, tanquam delegati Sedis Apostolicæ, Summariè, & extrajudicialiter cognoscant: priusquàm commutationes prædictæ executioni demandentur.* Quibus verbis vix ipse percipere queo, quòd Episcopis facultas fiat faciendi commutationes hujusmodi; sed potiùs dumtaxat cognoscendi causas illarum à Summo Pontifice concessarum, antequam executioni demandentur. At sequendo sententiam alibi traditam *loco cit.* ut hic *suprà*; profectò non quælibet difficultas in executione legati juxta intentionem Testatoris, sufficiens censenda est; ut Episcopus commutet illud in alium usum à Testatoris mente alienum; sed ea debet esse tanta, quòd æquipolleat morali impossibilitati, & necessitati; ut videtur intelligere Covarruvias *in cap. tua nobis, de testamentis:* Semperque excepto, quando acquisitum est jus legatarijs; quia jus quæsitum non potest tolli. Videatur Diana *cit.*

Hinc minimè mihi probatur sententia 9
Anonymi cujusdam Auctoris asserentis, quòd si Fratres Minores sunt incapaces annuorum legatorum perpetuorum, ejusmodi legata nequaquam pertinent ad Ecclesiam, neque sub ejus dominio cadunt; sed sunt caduca, & pro non scriptis habenda. Ex quo infertur, (subdit ille ipse) spectare ad hæredes aut ex testamento, aut ab intestato; nec posse Papam applicare illa Fabricæ S. Petri in Urbe. Additque iterum idem Auctor: Nota; si fuot incapaces; si enim sunt capaces, habentur pro scriptis, & debentur Fratribus, non ex debito justitiæ, sed charitatis, pietatis, misericordiæ, & gratitudinis. Ita ille: qui tamen mihi (pace ipsius, ac reverentia inoffensa) ineptè admodum videtur esse locutus.

Et primò quidem, quoad illud, quòd si 10
Fratres Minores sunt incapaces annuorum legatorum perpetuorum, ea sint caduca, & pro non scriptis habenda; & ad hæredes spectare; nec posse Papam applicare ea Fabricæ, &c. Improbandi autem ratio mihi est illa: quia, esto, quòd legata id genus sint, quorum Fratres Minores per omnem modum incapaces sunt; prout *in Conf. art.*1. §.25. cùm tamen Testatores ea legantes, & disponentes principaliter intendant ejusmodi eleemosynarum sacrificia relinquere pro bono animarum suarum, & ad Dei honorem, in usum, & subsidium Fratrum Minorum; cùmque in hujusmodi

hujusmodi legatis nulla Lex resistat ordinationibus, & dispositionibus Testatorum, illas irritando, & cassando, sed tantummodò habeatur Lex resistens, seu prohibens Fratribus per omnem modum receptionem eorum; ut patet *in textu* Nicolai III. *in cap. Exijt: §. Ad hac, quia*: consequens est, quòd si legata ipsa impleri nequeunt in usum Fratrum, & eo modò, quem Testatores expresserunt, (quocùmque, ut dictum est suprà, impedimento, vel causa id eveniat) non ideò censenda sint caduca, & irrita, & pro non scriptis habenda, ob idque cedant hæredibus; sed arbitrio etiam Episcopi, (nedum Summi Pontificis) immò & Executorum, seu Hæredum, cum consilio, & licentia Episcopi, vel Apostolicæ Sedis, ad aliam piam Causam, vel pium usum applicanda sunt; ita tamen semper, ut quoad fieri potest, defunctorum testatorum voluntates ultimæ modo ijsdem proximiori impleantur: sic tradunt Molina *disp.* 249. Bonacina *disp.* 3. *de contract. q. ult. punct. ult.* Barbosa. & alij, quos affert, & sequitur Hermannus *suprà citat.* Quod & disertè sustinet Comitolus *lib.* 7. *respons. moral. quæst.* 9. cum Sylvestro, Angelo, Tabiena, Armilla, Petro Perusino, Antonio Buttio, Ludovico Romano, & alijs. Vide illum, si plura; & etiam per nos dicta *in Conf. art.* 2. *§.* 5. *& alibi* in hoc proposito.

11 Quòd porrò ita faciendum sit, ex eo etiam confirmatur; quòd si quis Testator legaverit aliquid pauperi determinato; hic autem ante solutionem legati ab hærede factam moriatur, tenetur hæres in conscientia alteri pauperi legatum illud erogare; quia nimirùm præsumitur legatum pium factum à Testatore principaliter in beneficium Animæ suæ, quæ causa nunquam corruit: undè designatio illa pauperis in testamento, vel codicillo facta, demonstrativè, non taxativè facta fuisse censenda est; nisi tamen aliud expressè constet, vel ex circumstantijs, & conjecturis probabiliùs colligatur de Testatoris intentione, & voluntate: id quod utiliter passim admoneri à Conscientiæ Casuum explanatoribus, ex Bartolo *in l. liberto: §. Lucius: ff. de annuis legatis:* notat Comitolus *cit. n.* 3. Et ita etiam docent Molina *tom.* 1. *de Iust. & Iure, disp.* 249. *num.* 10. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 11. *num.* 35. & Franciscus Bardi *disccept.* 6. *de conscientia dubia, cap.* 10. *§.* 5. quos etiam allegat, & sequitur Hermannus *citat.* Favet etiam noster à Politio in simili *ad cap.* 6. *Reg. num.* 60. in eo scilicet, quod superest de eleemosyna pecuniaria Fratribus Minoribus relicta: Hoc enim (inquit ille) non debet accrescere hæredi, sed pro Defuncti anima in aliam Fratrum necessitatem converti debet; ut *l. legatum: ff. de usufructu legato: & l. fin. ff. de operibus publicis.* Jure ergo optimo potuit Summus Pontifex ex officio procedens, legata annua Fratribus Minoribus relicta, cùm illa, quorum Fratres ipsi sunt omninò incapaces, & respuere tenentur; tùm illa, quorum quidem per modum simplicis eleemosynæ capaces sunt, atqui ab hæredibus, vel executoribus negliguntur solvi; deputare Ven. Fabricæ D. Petri de Vrbe; falsáque omninò est illius Auctoris contraria sententia; quæ

Secundò non mihi usquequaque sapit quoad dictum illud, Quòd, si Fratres Minores sunt capaces prædictorum legatorum, habentur pro scriptis, & debentur ipsis non ex debito justitiæ, sed, &c. Illud nimirùm non mihi sapit: *Non ex debito justitiæ:* quia reverà hæredes debent ea Fratribus signanter solvere, (intellige legata simplicia) juxta Testatorum ordinationes, & mandata, ex obligatione justitiæ commutativæ, non qua Fratribus ipsis civiliter teneantur, sed qua Testatoribus defunctis, ratione datæ fidei; ut patet ex dictis *hic suprà §.* 3. & *in Conf.* passim, & iterùm clariùs demonstrabitur *in Casu seq. §.* 6. 12

At, quod ad Summi Pontificis potestatem attinet commutandi ultimas voluntates Defunctorum circa legata Fratribus Minoribus relicta, quorum ipsi capaces sunt, ut præsertur, per modum eleemosynæ; illud etiam testificare placet, quod tetigimus *in Conf. artic.* 2. *§.* 6. *num.* 21. ex eadem nimirùm potestate factum esse, ut Sixtus IV. concesserit Fratribus Minoribus, idest Prælatis illorum, quòd possint commutare legata facta locis ejusdem Ordinis, relicta ad unum usum, in alium usum; dummodò hoc fiat sine scandalo illorum, ad quos pertinet solutio talium legatorum; ut ex *Compen. Privil. Mendic. v. Legatum*, tradit Portel. *tom.* 1. *dub. Reg. v. Legatum num.* 1. qui etiam notat, quòd hujusmodi concessio non dicit, ut petatur licentia ab illo, qui debet solvere; sed solùm ut non scandalizetur. Undè (inquit) si certò constet, quòd non sciet, & proindè non scandalizabitur, potest fieri, &c. Ita Portel. *citat.* qui *ibid. in Addit. num.* 1. affirmat, Leonem X. ampliando hanc concessionem, eisdem Minoribus facultatem fecisse, ut idem possent facere etiam de rebus à Viventibus donatis; ut scilicet datas pro uno usu possint commutare in alium usum, cessante pariter scandalo. Et habetur (ait ille) concessio *in Bullario Roderici fol.* 733. *col.* 2. *in fin.* Ipse tamen id non facerem sine licentia, saltem probabiliter præ- 13

sumpta,

sumpta, eorum, qui debent solvere res legatas prædictas; prout docui *in Conf. loco cit.* cum communi Expositorum Regulæ sensu. Etenim in commutatione ultimarum voluntatum maxima opus est circumspectione.

14 Quæ autem circumspectiones, etiam ab Episcopis, hac in re adhibendæ sint, latè tradit Barbosa *in Collectan. in Concil. Tridentinum, sess. 22. de Reformat. cap. 6.* ubi Doctores de hoc agentes, & videndos allegat, Covarruviam *in cap. tua nobis: §. cùm igitur: de testamentis:* Navarrum *in Manual. cap. 7. num. 38.* Suar. de Paz. *in praxi tom. 2. præl. 2. num. 45.* Spinum *in specul. Testam. gloss. 1. rub. num. 24.* Emmanuelem Rodericum *qq. Regul. tom. 2. quæst. 125. artic. 9.* Aloysium Ricc. *in Collect. decis. part. 3. Collect. 558.* & in *decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. decis. 171. part. 4.* Franciscum Leon. *in Thesauro fori Eccles. part. 2. capit. 2. num. 50.* Marcum Antonin. *variar. resol. lib. 1. resol. ult. casu 40.* Monetam latè, agentem *in tractat. de commutat. ultimarum voluntatum cap. 5. cum tribus seqq.* Valenzuel. *consil. 130. num. 54. tom. 2.* Perez de Lara *de Anniversf. & Capell. lib. 1. cap. 14.* Gabrielem Pereiram *de Manu Regia, part. 1. cap. 16.* Michaëlem de Reynoso *in observat. Iuris, observ. 7.* Ciarlinum *controvers. forens. cap. 5. num. 16. cum seq.* Franciscum Carpanum *de execut. testam. lib. 3. cap. 4. num. 4. cum seq.* & demum semetipsum allegat *de offic. & potest. Episcopi, part. 3. allegat. 83.*

15 Atque hinc est, quòd Lezana *tom. 1. Sum. c. 18. n. 49. & tom. 2. c. 19. n. 47.* valdè dubitans de subsistentia, & valore prædictorum privilegiorum, seu concessionum Sixti IV. & Leonis X. quæ & ipse allegat ex Rodericо *tom. 2. qq. Regul. quæst. 125. art 9.* & ex Henriq. *lib. 7. de Indulgent. cap. 22.* necnon alterius ejusmodi Concessionis Julij II. quam allegat ex Peyrino *tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 2. Iulij II. §. 26. n. 72.* eo quòd primæ duæ Concessiones, Sixti scilicet, & Leonis, minùs (ut inquit) solidæ videantur: quippè quæ aut vivæ vocis Oraculo, quæ his temporibus contenduntur, aut non authentica sunt; ut fatetur Casarubios *in Compen. Privil. Mendicant. v. Commutare, n. 1. & 2.* Tertia verò illa *Iulij II.* satis obscura est, & limitata: Hinc, inquam, ille valdè de ijs dubitans, *primo loco cit.* concludit hisce verbis: Casu tamen, quòd circa hoc sit aliquod privilegium; (quod non video) ad minus tamen legitima causa talis commutationis necessariò requiritur: allegátque Bejam *4. part. Casuum, Casu 22.* ipsúmque Peyrinum *cit. n. 74. & 75.* Cumque idem Lezana *secundo loco cit.* neget, jure communi commutari posse à Prælatis prædictis legata, ut præfertur: (solus enim, inquit, Papa potest ultimam Testatoris voluntatem alterare,) memorans tamen *ibid.* quòd aliqui Docti putant, legatum relictum pro indumento Fratrum Minorum, posse converti in cibum ipsorum, etiam stando in Jure communi, neque ijs assentitur propter prædicta, nisi in casu talis necessitatis, in qua prudenter existimari possit, voluntatem Testatoris eam fuisse. Ita ille. At certè Fratres Minores prædictam licentiam dantium, vel hæredum, aut executorum petere tenentur in legatis, vel eleemosynis, à Viventibus etiam depositatis ad certum usum, vel pro certa Fratrum necessitate deputatis. Cæterùm, cum ea, quæ Fratribus Minoribus utibilia in sua specie pro uno usu à Morientibus relinquuntur, aut à Viventibus dantur, censeantur relicta, & data ad alimenta, quorum nomine, secundùm Jura, veniunt victus, vestitus, & habitatio, & alia hujusmodi; ut alibi diximus *in Conf.* eáque semel tradita Fratribus, in dominio existant deinceps Apostolicæ Sedis; subscribo eorum sententiæ, qui (teste eodem Lezana) putant, legatum pro indumento verbi gratiâ Fratrum posse commutari, & converti in rem pro alio usu, puta pro Fabrica, vel pro victu, si occurrat necessitas. Quæ quidem commutatio rerum, intellecta de illis, quæ jam semel à Fratribus acceptæ sunt in proprium usum, & non ea intentione, ut distrahantur, est de Iure communi, ut patet *in cap. Exyt: §. Quia verò libros:* ubi Nicolaus III. concedit, eam fieri posse per Ministros Generales, & Provinciales, vel de horum licentia à Guardianis, & alijs, immediatè; si fiat sine æstimatione pretij: si verò eum æstimatione, per Procuratores nomine Ecclesiæ; prout *ibi in textu:* & de hoc nos egimus *in Conf. art. 2. §. 6. num. 13. & seqq.*

Atque hæc pauca obiter in confutatione 16 anonymi illius Auctoris, contra quem etiam disputat quidam F. Paulus ex Ordine Minorum strictioris Observantiæ, *per integrum tractatum typis editum Tarvisij anno 1634.* quem à se ipso visum testatur mihi Gallitius noster *in quodam M. S. mihi obvio*, dum hæc scribo. Atque in *dicto tractatu* Auctor iste (eodem referente Gallitio) ait quidem, necessariam esse sententiam, quòd legatorum perpetuorum quorumcúmque solvendorum certis, & determinatis temporibus sint incapaces Fratres Minores: at statim etiam fatetur, quòd omnes consentiunt, (juxta nostram doctrinam) hanc incapacitatem intelligi, in quantum ex vi legati oritur obligatio personalis, vel realis, & actio civilis; undè nulla obligatio propriè dicta, aut juris acqui-

ritur Fratribus, aut Papæ, aut alteri ex parte ipsorum specialiter se habenti, ex vi legati. Ita ille, (& benè) ex Bartolo *lib. 1. Minoric. qq. dist. 5. cap. 2.* & Corduba *ad cap. 6. Regul. quæst. 11.* Quapropter concludit etiam Gallitius *in illo M.S.* hisce verbis: Itaque Fratres dicuntur capaces, quatenùs possunt recipere legata, tanquam eleemosynas sibi à defuncto missas: non enim refert, quòd quis det eleemosynam vivens, aut proximus morti, aut quòd relinquat eam alicui dandam post mortem, &c. Undè tenetur hæres dare eo titulo, quo teneretur quis dare, si accepisset ab alio multa bona, ut daret aliquam partem Fratribus Minoribus. Hæc S. Gallitius.

17 Neque per hunc modum percipiendi oblatas hujusmodi eleemosynas, violari, vel minimum censenda est obligatio Fratrum, qua nimirùm tenentur vivere ex mendicitate, subque spe Dei, & eum incerta hominum; ut arguit *F. Paulus prædictus.* Tunc enim solùm violarent Fratres Mendicitatis statum, & professionem, ac dependentiam specialem à divina providentia, si solutas, sibique præstitas Morientium ipsas eleemosynas perciperent ex certitudine, vel obligatione civili sibi ipsis, aut Pontifici, vel alteri cuipiam personæ ex parte ipsorum specialiter se habenti acquisita; ut sæpiùs probatum est *in Consil.*

18 Quinimmò neque officit, quòd hæres, vel gravatus solvat eleemosynas illas ex obligatione justitiæ, & quidem propriè dictæ, erga Testatorem: adhuc enim non sunt Fratribus civiliter certæ, sed proveniunt ex incerta hominum spe. Nam cùm id, quòd non est politicè nostrum, nobisque, aut cuipiam alteri ex parte nostri specialiter se habenti civiliter debitum, possit invitis nobis, à nobis semper auferri, aut negari; sic possent hujusmodi eleemosynæ, invitis Fratribus, iisdem negari. Etenim, si Petrus verbi gratià ex obligatione sola mandati, vel commissi erga Joannem, deberet dare Fratribus Minoribus certam Eleemosynam annuam, posset sine eorumdem Fratrum consensu, sed ex solo consensu Joannis illam ampliùs non dare. Quòd autem in casu nostro hæres, vel gravatus non possit non dare in conscientia, provenit ex eo, quòd Testator donans mortuus est, nec potest ampliùs suam voluntatem, & dispositionem revocare; quod est per accidens ad rationem eleemosynæ, vel doni; commune tamen, & proprium omnium largitionum, & eleemosynarum in ultimis voluntatibus ordinatarum. Et, si Testator à mortuis resurgeret, posset, invitis iisdem Fratribus, revocare mandatum. Ita pro ejusmodi eleemosynis annuis Domui Professæ Societatis Jesu relictis ratiocinatur, & benè, Card. de Lugo *supra citat. n. 6.* quem vide, & nostrum à Politio *ad cap. 6. Reg. n. 59. & 60.* Cum autem per ipsum de Lugo, & per Sanchez *in Cons.* citatos *art. 3.* adæquentur in professione Paupertatis, & ædificationis annuorum redituum Domus Professæ Societ. Jesu, & Conventus Fratrum Minorum, consequens est, quòd benè utrimque prædicta ratiocinatio adhibenda sit. Adæquatorum enim eadem est Juris dispositio: *l. 1. ff. de legatis 1.* Et quando duo adæquantur per Legem antiquam, quidquid lex nova disponit in uno, censetur etiam disponere in altero: Bartulus *in l. 2. circa fin ff. de legatis 2.* & de similibus idem est judicium: *l. fin.* ubi Salycetus, *Cod. de constit. pecunia:* Et ubi eadem ratio militat, idem quóque Jus statuendum est; ut habetur ad *text. in l. illud: ff. ad legem Aquiliam, & in l. si postulaverit: §. 2. ff. ad legem Iuliam, de adulteriis, & stupro:* & decidit Baldus *consil. 324. incip. Omissis: in fin. lib. 9.* Ideóque ubi ratio est eadem, eadem Lex comprehensivè adesse dicitur per Gratianum *disceptat. forens. cap. 818. num. 76.* & per Surdum *decis. 876. num. 8.* & idem Jus, ubi eadem æquitas: ut est textus *in l. fin. Cod. ad l. Falcidiam*, & ex eo tradit Gloss. *in l. licèt orationis: Cod. de excusat. tutor.* Et communiter omnes omninò Juristæ, Canonistæ, ac Theologi.

Quæ cùm ita sint, stat firma responsio tradita ad præsens quæsitum. Et hæc sufficiant. 19
Plura, si cupis, habes *in Consilio præcedentes* sed & *in Casu seq.*

CASVS ALTER.

DOMINVS IOACHIM, DVM VIVERET, curavit ſingulis ſeptimanis in certo Sacello legi Miſſam unam per Capuccinos: quibus propterea dedit hebdomadatim eleemoſynam carnis, aut piſcium. Ut eadem Miſſa poſtmodùm perpetuò diceretur, moriens teſtamento firmavit, aſsignans celebranti annuatim viginti Florenos; cum his conditionibus:

1. *Ut hujus Miſſæ fundatio nulli unquam alteri Beneficio incorporetur.*
2. *Curatores hujus fundationis curent, quantùm fieri poteſt, Miſſas illas legi per Capuccinos; quibus idcircò detur eleemoſyna pro rata pecuniæ, quæ Miſsis illis aſsignata eſt.*
3. *Quòd, ſi Capuccini Miſſas tales nolint, aut nequeant dicere, Magiſtratus conſtituat alium, ſeu alios Sacerdotes exemplaris vitæ, qui eas perſoluant.*
4. *Applicatio Miſſarum ſemper fiat, juxta Fundatoris intentionem.*

QVÆRITVR, QVID IN præfato Caſu Capuccinis liceat.

§. I.

Reſponſio R. Patris Bonagratiæ.

SVMMARIVM.

1 *R. P. Bonagratiæ Reſponſio ſuper fundatione Miſſæ per Capuccinos celebrandæ ſingulis hebdomadis, aſſignata eiſdem eleemoſyna annuatim ſoluenda.*
Ad Quæſtionem de annuo legato Minoribus relicto reſolvendam, duo attendi debent, ſtatus Ordinis, & Modus legandi. ibid. & num. ſeqq.

2 *Regula Minorica c 6. refertur, quo omnis appropriatio Minoribus interdicitur, &* cap. 4 *præſertim denariorum.*

3 *Minores debent vivere tanquam peregrini, ut deſcribitur.* ibid.

4 *Annui reditus inter Immobilia à Iure computati paupertati Minoricæ repugnant:* & num. 5.

5 *Clementina* Exivi: §. Proinde, & §. licèt, & §. cúmque annui reditus, *conſideratur.* & num. 6.

6 *Rota Rom. authoritas adducitur ad evincendum FF. Minores eſſe incapaces annuorum redituum etiam ſub onere Miſſarum &c.*
Mendicitas Minorum in quo conſiſtat. ibid.
Eccleſia ſeu Sacriſtia Minorum an poſſint annui reditus relinqui. ibid.

7 *Modus legandi, ut legatum Minoribus relictum valeat, nec ne; conſiderari debet.*
Minoribus tripliciter legari poteſt, ut declaratur ibid. & num. ſeqq.

8 *Legatum Minoribus relictum rei cujus ſunt incapaces, & ſub modo illicito, non valet neque quoad rem, neque quoad æſtimationem:* & num 9.

10 *Legatum incapaci relictum an habeatur pro non ſcripto, tam in foro poli, quàm fori.*

11 *Minores nullius rei dominium habent, neque jus ad aliquid petendum tanquam ſibi debitum civiliter.*

12 *Minores poſſunt recipere & petere ad vitam neceſſaria per modum eleemoſynæ.*

13 *Legata perpetua ſive gratuita, ſive pro Miſſis, ſi importent obligationem civilem, repugnant paupertati Minoricæ.*

14 *Minores an & quomodo, præmiſſa proteſta-*

tione, eleemosynas sibi testamento relictas ab hærede recipere possint.

15 *Legatum annuum Minoribus relictum sub onere Missarum ab ipsis celebrandarum, nullam inducit obligationem; licèt quoad hoc testator conscientiam Executorum oneraverit.*

Rodriguez reprobatur existimans Minores posse procurare tales fundationes, ibid.

Qui vult antecedens, vult necessarium consequens, ibid.

16 *Executores tenentur Sacra fieri curare, in Ecclesia, Altari, & tempore à Testatore designatis, non tamen præcisè per Capuccinos in Casu proposito: sed per illos, vel alios sacerdotes pro suo arbitrio.*

Legatum caducum pertinet ad hæredem sub onere tamen implendi onus licitum ei adjunctum, ibid.

Voluntas testatoris expressa, vel tacita, attendi debet & impleri omni meliori modo, ibid.

17 *Minores Capuccini ut eleemosynam Missarum recipere possint, debent Executores testamenti certiores facere de nullitate obligationis primitus constituendi Capuccinos pro illis celebrandis.*

18 *Capuccini præmissa declaratione nullitatis obligationis prædictæ, possunt celebrare Missas, & eleemosynam Executoribus testamenti commissam recipere, si ab illis assumantur ad illas dicendas.*

1 AD resolvendum hunc, & similes Casus, duo semper præ oculis haberi oportet. *Primum*, Ipsum *Statum* Capuccinorum fundatum in altissima Paupertate, quos S. P. Franciscus voluit totos pendere à Deo, & solis illis, quæ amore Dei sibi traderentur; per incertam victitare mendicitatem; ut colligitur ex ejus *Regula*, & ex ejus *Declarationibus*, quæ habentur *in cap. Exijt: de Verbor. signif. in 6.* & *Clement. Exivi: eod. tit.* Secundum, *Modum*, quo quippiam legatur Ordini. Siquidem (ut ad mentem dictarum Decretalium advertit Baldus in *auth. ingressi: num. 58. & 59. Cod. de sacros. Eccles.* communiter receptus) legata, seu relicta Minoribus substantiam capiunt ex modo, sic, ut ratione solius modi ijs liciti capaces eorum reddantur. Ut ambo clariùs innotescant, & ex fundamento Casus ejusmodi resolvi queant, refero in primis *Regulæ* textum, & factas idcircò *Declarationes* summorum Pontificum, præsertim Nicolai III. & Clementis V. *in dictis Decretalibus, Exijt: & Exivi*, &c.

Fratres (ait Regula *cap. 6.*) nihil sibi appro- 2
prient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: Sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter, &c. Ita quidem, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam, uti priùs eadem Regula *cap. 4.* præcipiebat firmiter universis Fratribus.

Sicut ergo peregrini nihil, ubi peregri- 3
nantur, fixum, seu stabile habent, ita Fratres Minores neque loci, neque illarum rerum possessionem habere possunt; sed nec usum, (licèt proprietas sit penès alios) nisi tantùm hortorum pro necessarijs hortalitijs, & ad eorum recreationem; ac domorum item ad habitandum, dummodò sint competentes, & Paupertatem nostram non excedant; ut apparet ex *Clement. Exivi: §. Licèt verò:* Atque sic rerum aliarum quarumcúmque pro necessitate tantùm ad vitæ sustentationem, & officiorum sui Status executionem, (ut habetur *in cap. Exijt: §. Nec quicquam:*) præter pecuniam, quam, ut dixi, Fratres nullo modo recipere, multò minùs uti possunt, vel per se, vel per interpositam personam. Nomine *Possessionum*, non tantùm agri, vineæ, viridaria, & domus; sed omnia, quæ successivè fructificant, intelliguntur; ut armenta ovium, vaccarum, jumentorum, &c. ut habet P. Politius *in cap. 6. Reg. num. 44.* Undè nec vaccas, nec oves, nec jumenta, nec sues, nec apes, nec columbas, nec gallinas, & cætera hujusmodi Fratres habere possunt. Gallinas tamen aliquas nutrire, ad habenda pro infirmis ova recentia, nostræ paupertati non videtur derogare: dummodo moderata sit provisio; hoc est, quòd non ad superfluitatem, sed tantùm ad necessitatem fiat: & ad tempus; durante scilicet necessitate, quæ tunc legitima censebitur, quam commodè per mendicationem haberi non poterunt; & quòd scandalum caveatur.

Cúmque annui reditus (ait *ibid.* Clemens V. 4
§. Proindè:) inter Immobilia censeantur à Jure, ac hujusmodi reditus obtinere, Paupertati, & Mendicitati repugnet; nulla dubitatio est, quòd prædictis Fratribus reditus quoscúmque, sicut & Possessiones, vel etiam eorum usum, cum eis non reperiatur concessus, recipere, vel habere, conditione ipsorum considerata, non licet. Annuos reditus intellige perpetuos, quales in Jure censentur, quicúmque decennium attingunt, etiamsi annui propriè non sint, sed alternis tantùm annis, vel tertio quoque dentur: sicut è contra modicum tempus durare putantur;

putantur, licèt quotidiè, vel tertio quoque mense, vel anno præstentur, modò finiantur intra decennium, & in quantitate non excedant, quæ omninò Mendicitatem tollat, sed ex parte tantùm sublevet, ut ex communi docet Sanchez *lib.7. Moral.cap.26. num.36.* & ex nostris, P.Sorbus *in Compend. Privileg. v. Legata, vers. Si verò aliquid annuum non perpetuum:* & P. Politius *infrà* citandus.

5 Addit porrò Pontifex, probibitos esse Census, sive reditus quoscúmque, &c. qualescúmque nimirùm sint, sive de terra, sive è fructibus, sive ex animalibus, &c. cùm similes reditus reputentur omnes inter bona stabilia, sive loquamur de reditibus formalibus, qui babent jurisdictionem, seu juridicam actionem, sive virtualibus, quando non habentur propriè reditus, sed usus illorum tantùm; ut si quis ordinaverit reditum perpetuum, quo in aliqua Civitate, seu loco, sustentarentur Fratres, hæredes in hoc gravando, ut quotannis necessaria Fratribus subministrent. Vel, si reliquerit aliqua territoria, vel vineas, de quorum fructibus per culturam, & industriam, vel eorumdem fructuum pretio Fratrum necessitatibus per hæredes singulis annis provideretur: ut ex *Clement. Exivi: paragrapho Licet verò:* deducit P. Politius *in capit. sexto, Regul. numero quadragesimo tertio.*

6 Sacra Rota *in una Romana computorum*, 10. *Aprilis* 1630. quam affert Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. disput.11. quæstion. prim. conclusion. secunda*, ex eadem *Clement. paragrapho Cùmque annui reditus:* similiter infert, Fratres Minores non esse capaces annuorum redituum perpetuorum, etiamsi illi relinquantur, adjecto onere perpetuo Missarum. Ut, si hæres jubeatur à Testatore largiri quotannis Fratribus Minoribus certam quantitatem, ut Sacra, vel alia divina Officia fiant pro Testatore. Eò quòd nihil magis artissimæ Paupertati Minorum repugnet, quàm reditus annui, qui sunt certi, & determinati, & sapiunt nimiam proprietatem, atque inter Immobilia connumerantur *in d. Clement. & paragrapho:* ubi etiam contra Sylvestrum, Rodriguez, & alios dicentes, ejusmodi legata non esse contra Instituta Minorum, nisi quando possidentur tanquam reditus, & proprietas, exigendo in judicio; secùs, quando per modum eleemosynæ petuntur extra judicium. Probat etiam, quoad talia, dictam Conclusionem procedere, cùm reditus ex eo quòd debitus intuitu Missarum, non desinat esse annuus reditus, qui semper Minoribus est interdictus. Siquidem verò Mendicitas Fratrum Minorum, in eo versetur, ut quotidie ex pietate Christi Fidelium alimenta mendicent; quorum nomine veniunt solùm corpori necessaria; ut eorum potus, habitatio, vestes, &c. *l. legatis: digest. de aliment. & cibar. legatis; l. verbo victus: digest. de verbor. & rer. significatione:* Eadem Sac. Rota tertio loco concludit, legatum annui reditus perpetui factum Fratribus, seu potiùs Ecclesiæ, & Sacristiæ Fratrum Minorum, non ad ipsorum victum; ut ad frumentum, vel vinum necessaria materiæ Consecrationis, oleum pro lampadibus, ornamenta Altarium, Calicésque, &c. omninò sustineri, neque ulli-bi repetiri prohibitum; quòd Fratrum commoditates non concernat, sed cultum divinum; undè relictum dicitur, non Fratribus, sed sacris Ædibus, & Templis: atque aliud est Ecclesia, aliud Monasterium. Quicquid contra senserit Azorius *Instit. Moral. lib.12. cap.25. quæst.15.* negans, sustineri simile legatum, &c. quem sequitur noster P. Sanctes *in cap. sexto, Regul.* dicens opinionem alteram non esse satis securam, & contra declarationem Clementis V. asserentis, quòd simus incapaces annuorum redituum, non solùm quoad victum, sed etiam quoad res ad Ecclesiam pertinentes; & in effectu illud *perpetuum* nimiùm repugnare Statui nostro pauperi, & mendico. Verùm, quia Clemens V. neque victus, neque rerum Ecclesiæ expressè meminit, sed annuorum redituum absolutè tantùm, priorem sententiam amplectuntur duo nostri Ordinis Generales probatissimæ vitæ, ac doctrinæ, P. Sorbus *in Compend. Privileg. v. legata, vers. Federicus tamen:* & P. Politius *in cap.6. Regul. numero septuagesimo primo*, modò nullum prætendatur jus, aut Civilis actio, sed humiliter, & eleemosynaliter recipiantur; securius est abstinere: neque enim negari potest, dictum Clementem V. aliquem etiam babuisse respectum ad Ecclesias, & Ecclesiastica paramenta; qui *paragrapho Quamvis*, superfluitatem, aut nimiam pretiositatem in bis, seu alijs quibuscúmque negat posse convenire nostræ Professioni, vel statui. Cúmque idem Pontifex absolutè sine distinctione dicat, Minoriticis esse interdictos annuos reditus, non caret scrupulo, si quis eos velit restringere ad aliquos certos reditus, ut tenet Azor. *cit.* quem tamen malè sensisse pronunciat Sac. Rota: fortè quia *ibid.* ratio, cur annui reditus prohibeantur, redditur, quòd paupertati, & mendicitati repugnent: & Mendicitas, ut suprà memini, solùm commoditates Fratrum concernit, neutiquam verò divinum Cultum.

Xx 2 Alterum,

7 Alterum, quod circa legata considerandum præmonui, est *Modus*: Num scilicet fiat conformiter nostro statui? Pro quo sciendum, tripliciter posse Fratribus Minoribus legari. *Primò*, explicando modum licitum, ac ipsi juxta eorum Constitutiones permissum; ut si legetur illis vinea, vel res alia immobilis, Census annuus, &c. explicando, ut ea vendantur, ac pretium in necessitates Fratrum convertatur. *Secundò*, quando explicatur modus ipsis illicitus; ut Vinea ad colendum, res immobilis, Census annuus, &c. ut ea retineant. *Tertiò*, quando absolutè legatur res immobilis, nullum ipsius usum explicando. Legatum primo, & tertio modo factum valere, & res vendendas esse, ut Fratribus æstimatio detur, deciditur expressè *in cap. Exyt: paragrapho Ad hac, quia Fratribus:* A legato facto secundo modo, & ejus receptione debent Fratres Minores per omnem modum abstinere; ut *ibid.* dicitur, & tradunt omnes.

8 Dubitatur, Utrum legatum secundo modo factum, cujus Fratres Minores sunt incapaces, nihilominùs valeat; quòd hæres, aut Hospitale, aut quicúmque alius gravatus à Testatore teneatur in foro conscientiæ implere voluntatem Testatoris, solvendo Fratribus Minoribus pretium rei, quando hæc Fratrum usui non convenit, vel est legatum perpetuum quotannis; & Fratres possint ea petere, vel saltem recipere.

9 Quando Fratres vel directè, vel indirectè per fideicommissum hæredes instituuntur, certum est, testamentum istud non valere, & hæreditatem pertinere ad cohæredem, vel substitutum, si habet, vel ad venientes ab intestato; ut per *l. 1. Cod. de hæredibus instituend. & l. 1. paragrapho primo, Cod. de caducis tollen.* communiter ab Expositoribus *Regula* teneri docet P. Sorbus *in Compend. Privileg. v. Hæreditas:* Ubi etiam contra Bartolum tenet, nec illius æstimationem deberi Fratribus, nec per eos illud debitum posse recipi; licèt testamentum fiat cum clausula: *Quòd si non valet jure Testamenti, valeat jure Codicilli, & omni meliori modo, quo valere potest*, &c. eo quòd Fratres *in Clement. Exivi:* pronuncientur, successionum, quæ ex natura sui indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia se extendunt, considerata sui puritate Voti, nullatenùs esse capaces. Si nullatenùs? Ergo nec æstimationis earumdem; nam unus modus percipiendi successionem, est, ejus æstimationem recipere: *argum. l. si domus: paragrapho confitetur: digest. de legatis* 3. Unde si Fratres talium hæreditatum æstimationem recipere non possunt; nec ergo ad eam dandam tenebuntur hæredes, vel ij, ad quos hæreditas devenerit.

Idem de legatis docet Navarrus *libro tertio, consil. octavo*. Quòd relictum incapaci à Testatore, habeatur pro non scripto, per *l. si in metallum: digest. de his, quæ pro non script. hab.* ex quo Fratres nullum habent jus exigendi, consequenter nec capiendi. 10
Contra Navarrum tenet Rodriguez *tom. 1. qq. Regul. quæst. 127. articul. secundo*, hujusmodi legatum valere, hæredésque ad ipsum solvendum singulis annis sub pœna peccati mortalis in foro conscientiæ adstringi, etiamsi à Fratribus minimè petatur; & per consequens ad illius solutionem in foro exteriori posse compelli per Episcopum, & alios Judices, ad quos de Jure spectat ultimas voluntates facere executioni mandari. Per maximè verò, si fiat in stipendium Missarum, & divinorum Officiorum celebrandorum, quæ ut fiant, tenentur hæredes curare, & pro his debita persolvere stipendia; & sic tale legatum non reputari, ut legatum Fratribus, sed ut stipendium debitum pro celebratione Missarum. Quod proindè Fratres licèt in judicio petere minimè possint, possunt tamen recipere, sicut alij Religiosi, & Ecclesiastici: ad hoc etiam inducere Fideles, ut hujusmodi Anniversaria in suis Monasterijs constituantur; cùm per hoc inducant ad aliquod bonum, cujus ipsi sunt capaces, quantùm ad recipiendum per viam eleemosynæ. Hanc posteriorem opinionem Sanchez, *ubi suprà, numero quadragesimo nono*, vocat probabilem; at priorem, & meritò, probabiliorem, ob singularem dispositionem *cap. Exyt: paragrapho Ad hac, quia Fratribus:* ubi, cùm Pontifex jubeat Fratres Minores ab hujusmodi legati receptione per omnem modum abstinere, satis indicat, tale legatum esse prorsùs inutile, nullámque illius obligationem adesse.

In hac interlocutoria quæstione, *Primò*, 11
certum est, cum Fratres nullius rei habeant dominium, nullum etiam illos habere jus tale quid petendi in judicio, vel etiam extrajudicialiter, tanquam sibi debitum, maximè si res pecuniaria sit; ad quam etiam recurrere nunquam licet, nisi pro necessitate præsenti, vel imminenti, manente semper dominio penès ipsum dantem.

Secundò, certum est, Fratres posse recipere, 12
atque etiam petere sibi necessaria per modum eleemosynæ; non obstante, quòd jubeantur divinæ se committere providentiæ.

Sic

Sic enim se ipsos committunt divinæ providentiæ in vivendo,(ut habetur *in cap. Exyt : §. Nec quicquam :* ut viam non contemnant provisionis humanæ; quia vel de his, quæ offeruntur liberaliter; vel de his, quæ mendicantur humiliter; vel de his, quæ conquiruntur per laboritium;sustententur: qui triplex vivendi modus providetur *in Regula* expressè.

13 *Tertiò*, certum est, legata perpetua sive gratuita, sive pro Missis, si sint in se valida, & obligantia ad solutionem, expressam habere cum statu nostro, & mendicitate repugnantiam; ut cum Bartolo tenet P. Sanctes *in cap.6. Reg. versicul. mà se il legato perpetuo &c.* quia in tali modo Fratres non viverent simpliciter confidendo in Dei providentia, ob spem dictorum legatorum. Et possent hæc legata adeò multiplicari, ut tolleretur omnis mendicitas. Undè in statutis Generalibus Barchinonensibus Regularis Observantiæ *capit. tertio, paragrapho quarto*, decernitur, & præcipitur, quòd quotiescunque relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus personis, sive Hospitalibus, vel alicui Reipublicæ, & alijs Domibus, ea lege, quòd teneantur Fratribus præstare singulis annis certam eleemosynam, sive omninò gratis, sive ut ipsi Fratres dicant certa Officia, & Missas; Guardianus faciat protestationem ei, qui Testatoris voluntatem implere tenetur, quòd ad illas eleemosynas nullum jus habent Fratres ex vi legati, nec possunt obligari ad illa Officia, & Missas. Atque hanc protestationem esse necessariam, juxta doctrinam *S. Bonaventuræ* ne ab ignorantibus nostrum Institutum, Regulæ nostræ transgressores judicemur. P. Politius *capit.sexto, numero quadragesimoquinto*, ultra protestationem prædictam requirit insuper actum renunciationis per publicum Notarium, aliumvè legitimum Ministrum, per quem Fratres omni Juri super dictis legatis, seu eleemosynis eis quotannis dandis renuncient, tanquam borum incapaces ex Regulari Professione, & Declarationibus Summorum Pontificum. P. Cyprianus tamen *in idem caput sextum, lect. quinta*, putat actum illum renunciationis coram publico Notario necessarium esse in eo casu tantùm, quo aliter sinistra opinio de Fratribus vitari non possèt. P. Sanctes demùm *ibidem*, versicul. *Et caso, &c.* negat, Fratres posse talem actionem facere; cùm Renunciatio, secundùm Juristas, sit juris proprij spontanea refutatio, & quædam Juris acquisiti alienatio: Tusch. *lit. R. conclus.* 160. Iis ergò solùm convenit, qui rem aliquam civiliter, & juridicè possident. Sufficere proindè, ut Fratres monstrent verbis simpliciter, quòd talium legatorum sunt incapaces.

Quartò, facta protestatione si hæres ex 14 libera sua voluntate voluerit dare illas eleemosynas, & committere Fratribus dicta Officia, & Missas, tunc Fratres tutâ conscientiâ possunt eleemosynas hujusmodi recipere, atque etiam sicut ab alijs purè eleemosynaliter petere absque ullo Jure; cum per illam protestationem, qui fuerant gravati eleemosynis quotannis solvere, liberi, & absoluti ab hoc onere reddantur, nec ullo modo civiliter ad id compelli possint; sed in eorum sit arbitrio, & libertate eas dare Fratribus mere eleemosynaliter, & non dare; prout eis libuerit. Et insuper quòd legata prædicta, in parva, & non magna fiant quantitate relicta; ut per hoc mendicitas tollatur, sed tantùm quòd in aliquo sublevetur paupertas; uti superiùs dictum est.

His ità prælibatis, ad principalem quæ- 15 stionem,

Dico *primò*, legatum initio propositum, quoad eam partem, qua disponitur, ut Missæ primùm offerantur dicendæ Capuccinis, nullam inducere obligationem; quidquid in hoc Testator oneret conscientias Executorum legati: Ratio constat ex dictis; quia si obligatio vim haberet, necessariam subinferret solutionem stipendij faciendam ipsis Capuccinis; & sic naturam perpetui reditus induceret, qui cùm certi sint, & determinati, sapere nimiam proprietatem, atque inter Immobilia connumerari *in suprad. Clementin. Exivi: §. Cùmque annui:* declarat S.Rota sæpiùs allegata. Quamobrem à tali legato, & ejus receptione Fratres per omnem modum abstinere jubentur *in cap. Exyt: §. Ad hæc, quia Fratribus.*

Absit ergò illa opinio Rodriquez, quòd ad ejusmodi fundationes Fratres possint homines inducere: licèt enim in se bonæ sint, quoad persolutionem Missæ, ac stipendij; non tamen respectu Fratrum, qui hac ratione possent sibi procurare in perpetuum certas ac determinatas eleemosynas, perpetuos reditus, eósque in tantum multiplicare, qui superabundarent ad alimenta, & vitæ sustentationem, ut apertè ditescerent. Quod esset magnum absurdum statui nostro, qui in arctissima paupertate fundatus est, omninò repugnans; ut perpendit Navarrus *suprad. consil.* 8. *numero* 6. Ratio est

manifesta; quia qui vult antecedens, videtur velle necessarium consequens: Alexander *consil.*157.*col.*5.*num.*14.*lib.*2. ubi, quòd si quis vult civilitatem, censetur velle onus annexum civilitati: & *consil.*158. *Circa primum, &c. in princ. lib.*5. ubi ait, quòd qui consentit in antecedenti, censetur coosentire in consequenti necessario etiam cognito: Barbosa *axiom.*30.*num.*3.

16 Dico *secundò*, Executores, quibus id legati unus relictum est, tenentur ea Sacra facere celebrari in Ecclesia, Altari, ac tempore à Testatore designatis: at non tenentur ea fieri curare per Capuccinos; sed pro suo libitu poterunt eligere vel Capuccinos, vel sæculares habentes conditionem à Testatore requisitam. Primam partem tradunt Navarrus *cit.* & Sanchez *supertus allegato loco,n.*50. ex *l.*1.*§.pro secundo: Cod.de caducis tollen.* ubi deciditur, legatum caducum pertinere ad hæredem; at tunc teneri implere onus licitum ei adjunctum. Apparet etiam expresse, sic esse testatoris voluntatem: intentio autem testatoris primum locum obtinet in ultimis voluntatibus; &, si de ea apparet, illa tenenda semper: Tusch. *lit. M.concl.*199. *num.*25. ubi hoc ostendit in omni ultima voluntate cujuscumque qualitatis, sive sit directa substitutio, sive fideicommissaria, sive conditio, sive testamentum, sive codicillus; ut primo loco attendatur voluntas, & mens disponentis, sive expressa, sive tacita, sive conjecturata. Secunda pars constat ex asserto primo, nullam esse obligationem illius legati, quantùm ad hoc, quòd testator onerat conscientias Curatorum fundationis, ut faciant illas Missas dici per Capuccinos, si velint, ac possint. Quare juxta Navarrum *citat.num.*10. Si Curatores hujus fundationis Missas illas volunt committere Capuccinis, cum tanta libertate procedere debent, cum quanta possent sua sponte facere celebrari alia similia divina Officia, quæ vellent pro aliqua sancta, & pia Causa, non quidem animo solvendi legata illa prædictis Fratribus, sed animo exonerandi se onere, quod ipsis evenit ex eo, quòd illa legata facta fuerunt cum onere tali Missarum.

17 Dico *tertiò*, quòd si Capuccini oblatas illas Missas persolvant, ut eleemosynam inde provenientem tutâ conscientiâ recipere valeant, debent Executores legati certiores reddere de nullitate obligationis primitus constituendi Capuccinos. Rationem hujus singularem (præter superiùs adducta) reddit Sanchez *citat.num.*51. Nisi enim id præstent, reciperent eleemosynam, tanquam debitam ex legato perpetuo: nam executor eam solveret ac daret, non liberè, sed ex errore, quo se obligatum putat circa constitutionem Capuccinorum. Confirmatur; quia cùm legatum illud sit in favorem ipsorum Capuccinorum, tacendo, consentirent: per *regulam Iuris* 43. *in* 6. Canis. *ibid.* Undè in illos quoque quadraret superiùs allatum axioma: *Qui vult antecedens, videtur velle necessarium consequens.*

Dico *quartò*, Facta commonefactione de nullitate prædictæ obligationis, possunt oblatas Missas acceptare legendas, & pro ijs deputatam eleemosynam non solùm recipere, verùm etiam petere, servatis aliàs servandis in quæstu eleemosynarum, necoon, & ad ipsam pecuniam recurrere cum requisitis conditionibus in *declarationibus Pontificiis.* Probatur; quoniam, sublata illa obligatione constituendi Capuccinos, hujusmodi eleemosyna certa civiliter non est, nec omninò stabilis, cum Executorum voluntates possint in contrarium mutari. Et licèt prædictam eleemosynam, quasi certò sperent assequi, dum eleemosynaliter petitur; hoc tamen nihil obstat, quin licitè postuletur, eodem modo, quo illicitum nobis non est ab eo eleemosynam mendicare, qui præ cæteris probabiliùs creditur daturus, ob devotionem ad Ordinem, vel aliam quamcúmque legitimam causam, modò absque obligatione civili id fiat. Neque etiam obstat, quòd postquam lectæ sunt Missæ, teneatur Executor dare constitutam eleemosynam: sufficit namque, quòd sublata fuerit obligatio prima denominandi, quæ est radix alterius. Non secùs, quàm si Fratres recipiant eleemosynas annuas, quas à Principibus aliquando Ministri eorum, alijvè famuli jubentur Fratribus Minoribus quotannis dare; quas licitè capiunt, quòd ea largitio sit omninò liberalis ex parte Principis jubentis, ab ipsóque ad nutum revocabilis, quamvis famulus ex Principis præcepto teneatur dare; ut cum S. Antonino, & alijs tradit Sanchez *loco cit.* ubi porrò *num.*54. advertit, quamvis ex consuetudine solvendi liberè aliquid Ecclesiæ, aut piæ Causæ decennio inducta præscribatur jus cogendi in posterùm ad solutionem nullo alio probato, aut allegato titulo: per *cap. veniens:* 1. *de Testib.* id tamen fallit in Fratribus Minoribus: quamvis enim centum annorum spatio aliqui annui reditus eis solvantur, non præscribunt; quòd nullum jus, aut possessionem acquirant; sed illius sint incapaces. Sic in casu nostro, quantumcúmque perseverent Executores Missas illas dicendas committere Capuccinis, nihil inde juris accrescit Capuccinis, manebúque semper 18

per

per libera disponendi voluntas penès Executores. Hactenùs P. Bonagratia.

§. II.

Responsio nostra.

SVMMARIVM.

1 *Authoris Responsum super eodem Casu proposito Annui legati Minoribus relicti sub onere Missarum ab eis celebrandarum.*

Minores Capuccini possunt acceptare Missas celebrandas, cùm ab Executoribus exhibentur eisdem, & eleemosynam à testatore fundatam recipere cum moderaminibus requisitis.

2 *Minores sicut à testatore vivente eleemosynam pro Missis celebrandis, vel aliter recipere poterant; ita & eo mortuo ab executoribus testamentarijs.*

Pauperes, quibus eleemosyna distribuenda est ab Executoribus electi, censentur ab ipso testatore nominati, ibid.

3 *Declarationes S. Congregationis Ven. Fabricæ S. Petri de Vrbe, allegantur, quibus decisum est Minores esse capaces annuorum legatorum simplicium perpetuorum, & cum oneribus Missarum, &c. per modum eleemosynæ*, & n. 4.

5 *Declarationes S. Congregationis prævalent decisioni Rotæ Rom. maximè quando posteriores sunt, si concordari non possint.*

6 *Rotæ Rom. authoritas maxima est, & præfertur opinioni communi, & communiori; sed extra Curiam solùm se habent decisiones ipsius tanquam responsa prudentum.*

Rotæ decisiones non sunt canonizatæ à S. Pontifice, & ideo jus non constituunt, sed quod est declarant, ibid.

Rotam aliquando rotari, quid sit? ibid.

Rotæ decisiones ubi contrariæ reperiuntur, standum est ultimis, ibid.

7 *Declarationes S. Congregationis, si ad concordiam revocari non possint, posteriores prævalent prioribus.*

8 *Declarationes S. Congregationis an habeant vim legis obligantis? sententia affirmativa adducitur.*

9 *Declarationes S. Congregationis, licèt maximæ sint authoritatis, nec ab eis recedendum sine firmissimo fundamento, non tamen habent vim legis obligantis in utroque foro, juxta aliorum DD. sententiam*, & num. 10.

11 *Declarationes, vel Decreta S. Congregationis, ut vim legis in utroque foro obligantis habeant, quæ requirantur*, & numero 12.

13 *Declarationes S. Congregationis non qualificatæ nec vim legis habentes, non faciunt argumentum necessarium.*

14 *R. P. Crousers Antuerpiensis* ad cap 6. Regulæ Minoricæ, *doctrina aperitur, estque conformis menti & sententiæ Authoris.*

Nostra verò sententia, unicâ, eáque cathegorica ad quæsitum in Casus expositione factum responsione, hæc est: Licitum esse Capuccinis Missas illas legere, si velint legendas acceptare, cùm ab Executoribus exhibentur; (de horum porrò obligatione exhibendi eas primitùs Capuccinis, juxta ordinationem Testatoris, dicemus infrà) eleemosynamque pro rata pecuniæ, quæ illis Missis assignata fuit à Testatore, per hæredes, vel Curatores hebdomadatim præstitam recipere, cum moderaminibus requisitis in quocúmque eleemosynarum quæstu; quemadmodum licitum ipsis erat recipere à Testatore, dum viveret, cùm Missas legendas, cùm eleemosynam pro illis: Modò nullus inter ipsos Fratres, & hæredes, seu Curatores contractus fiat, seu acceptatio politica, aut stipulatio intercedat per conventionem, aut instrumentum publicum: Immò Protestationem faciant Fratres, quam ab ipsis in hujusmodi casibus, juxta doctrinam Seraphici Doctoris, faciendam docuimus *in Conf. art. 2. §. 2. & 3.* Ratio est; quia Fratres ita procedentes non percipiunt annuos reditus sibi interdictos hoc est propriè dictos, neque quid fixum ipsis relictum, quòd usufructus, vel de facto simplici in Jure censeri possit; juxta à nobis tradita *in Conf. art. 1. §. 23. 24. & 25. & alibi.* 1

Confirmatur; quia, si Fratres poterant procedentes, ut præfertur dicere illas Missas, & recipere illam eleemosynam, Testatore vivente; nulla videlicet conventione, vel pacto intercedente; ita possunt recipere ab Executoribus ejusdem Testatoris, eâdem cautione servata. Factum enim Executorum in hoc casu perinde est ac si esset factum Testatoris; ut probatum est pluribus *in Conf. art. 3. §. 16 num. 34. & alibi*, & ampliùs tradit Bartolus *quæst. 13 num. 9. in opponen. & in corp. quæst.* inquiens; quòd pauperes nominati ab Executoribus, quibus Testator mandaverit bona sua inter pauperes distribuenda, quos ipsi elegerint, vel nominaverint; videntur nominari in ipso Testamento Testatoris; ut *ff. de legatis 2. l. unum ex familia: in princ. §. si* 2

Falcidia: & ff. de heredib. instituendis, l. asse toto, &c.

3 Favent præterea huic nostro responso plures declarationes Sac. Congregationis Ven. Fabricæ S. Petri de Urbe, quas affert P.Franciscus de Torano *in suo Brevi Compendio ad Generalem Ministrum totius Ordinis S. Francisci, &c. titulo, de legatis Fratribus Minoribus relictis.* Hujusmodi siquidem declarationibus expressè decisum constat, juxta doctrinam S.Bonaventuræ à nobis allatam *in Conf.art.2.§.3.& art.3. §.4.* Fratres Minores esse capaces annuorum legatorum, simplicium, etiam perpetuorum & cum annuis oneribus Missarum; Officiorumve, &c.per modum tamen (ut inquiunt) eleemosynæ, seu impropriè dictorum; prout per nos ostenditur *in Conf.art.1.paragrapho 12.&23. & 28.*

4 Recensentur autem ab eodem Doctore inter prædictas Decisiones duæ ad rem nostram usquequaque quadrantes Prima scilicet emanata *die 31. Decembris, anno 1639.* qua eadem Sac. Congregatio *in una Anconitana;* ad ejusdem Fabricæ Commissarium declaravit, & scripsit, Fratres Minores illius Civitatis capaces esse per modum eleemosynæ legati quinque annuorum scutorum,cum onere celebrandi Officium,& triginta Missas. Secunda *die 28. Iuly 1640.* qua ad Commissarium item suum eadem Sac. Congregatio scripsit super legata quadraginta Florenorum annuorum relictum Conventui Fratrum Minorum S.Joannis Campi Bassi. Alias vide apud *cit. Doctorem,* qui testatur eas haberi autheuticas in Registro Procuratoris Generalis in Ara Cœli *ab anno 1637.lib.1.n.139.& lib.2. n.70.89.90.91.98.107.169.& 174.* Sed vide omninò per nos dicta *in Conf. artic.3. eo §.4.* ubi alias ejusmodi Declarationes recensuimus, etiam pro nobis specialiter Capuccinis.

5 Quæ cum ita sint, jam frustra à quopiam allegabitur in contrarium decisio Sac. Rotæ *in una Romana Computorum, sub die 10. Aprilis 1630.*quæ est *in ordine, 365.part.5. recentior.* quia hæc emanavit *anno prædicto 1630.* Decreta autem præallegata nobis faventia emanarunt post illam; & quidem à Congregatione, ad quam specialiter res ista attinet, utpotè cui à pluribus Summis Pontificibus speciale jus collatum fuit ad legata annua exigenda, quæ in Statu Ecclesiastico Fratribus Minoribus relinquuntur; cum moderaminibus tamen, & circumstantijs de quibus *in Conf. §.4. cit.* ideoque Decreta illa robustius argumentum faciunt, quàm decisio allata S. Rotæ: quæ præterea cum Declaratione etiam consimili Urbani VIII. *in Constit. Militantis, &c. sub 1. Octobris* 1641. pro Reformatis intelligenda est in sensu, quem ostendimus, & probavimus esse etiam Clementis V. (cui & innititur) *in Clem. Exivi: eo §.Proindè: Vers. Cùmque annui reditus:* prout *in Conf.art.1.§.18.& seqq.* Vel scilicet de annuis legatis simplicibus propriè dictis; vel de annuis legatis, quæ annuum usumfructum, saltem de facto simplici, à Fratribus perceptum inferunt, si percipiantur, etiam sine jure, & titulo civili.

6 Quid, quòd si de valore objectionis, ex allata decisione Rotæ, vel alijs hujusmodi utcùmque in contrario etiam sensu apertè abundantibus, deductæ loquamur, haud mihi negotium facessit; Siquidem Decisiones Patrum in Rotæ Auditorio Conscriptorum, tametsi maximæ alioqui authoritatis sint (ita ut, etiamsi non approbatæ sint à Pontifice, præferendæ sint opinioni communi, & communiori; ut tradit Ascanius Tamburinus *de Iure Abbatissarum, in Præfat.* post Cævallos, Gratianum, & alios apud Coratium, teste mihi Georgio Gobat *in suo Clypeo Clementium Iudicum, sect.13.num.196.& 200.*) haud tamen solent, præcipuè extra Curiam Romanam, legis vim & potestatem nancisci, Jusvè constituere, aut facere authoritatem, seu argumentum necessarium; sed solùm se habent, ut responsa prudentum, & opiniones probabiles, contra quas judicare, & opinari cuiquam licet, ubi rationes in contrarium vigent; ut communiter tradunt Doctores *in cap.1.de Constitution.* Decius, & Ripa, & Moderni *in Rubr. ff.si certum pet.* apud Marcum Antonium Cuccum *Institut. Mai. lib.1.tit.1.num.20.* & post Felinum,Jasonem, Decium, Dominicum, & alios docent Mascardus *de probat. vol.1. consil.484.* & Geminianus *consil.143.num.2.* & alij Doctores Juristæ, quos allegat, & sequitur Marcus Vidal *in Arca salutari, tit. de Matrim. Sacram. Inquisit.2. num.23. & 24.* ubi etiam testatur, hoc etiam existimasse Cardinalem Alexandrinum, & Pavinum qui fuerunt Auditores Rotæ, apud *Mascardum.* Id autem suadetur, (inquit Vidal) primò, quia tales Decisiones non sunt approbatæ (idest Canonizatæ) à Summo Pontifice. Secundò, quia Rota aliquando rotari dicitur; ut notant Menochius *consil.1050.num.38.*post alios apud ipsum, & Alexander Galvanus *consil.49. num.47.* allegans Peccanum, & alios. Rotari autem dicitur; quia aliquando alias alijs ab ipsa emanatis Decisiones profert è regione contrarias; ut observat Joan. Franciscus de Pavinis *in prælud. ad Extravagantes cùm Ioannis XXII.*

tum

tùm communes, verſ. Deciſiones &c. eum Cardinali *in cap. Paſtoralis : de Fide inſtrum. in ultim. quæſt.* Et eſt regula (iuquit Pavinus *ibid.*) quòd ſi reperiantur contrariæ, adeò quòd per diſtinctionem non poſſunt concordari, tunc ſtabitur ultimis, ſecundùm Doctores in ſimili, *in cap. 1. de Conſtitution. lib.6. & in cap contingit : de jurejurand. eod. lib.* Tertiò probat Vidal. *citat.* quia Rota aliquando definit contra Jura ; ergò non facit legem, ſed opinionem. Quare nec Judex ſecundùm eas tenetur judicare ; ut benè Pavinus *citat.* ex not. per Gloſſ. *de poſtulat. Prælat. cap. 1. in gloſſ. Nota, quòd &c.* Neque idcircò recipiuntur in toto Orbe, neque in omnibus Academijs ; ut ait Navarrus *lib. 5. conſil. de ſentent. excommunicat. conſ. 15 num. 1. ad finem quæſt. 1.* quem ſequitur Portel *in dub. Regul. verſ. Cardinalis,* allegans Delrio, Vegam, & Sanchez ; poſt quos idem docet noſter ipſe Bonagratia *in Iſagoge ad ſuam ſummulam quæſt. Regular. §. 8. num. 23.* addens, quamplures alios referri à Diana *p. 1. tract. de legibus 10. reſol. 29.* Caſſaingh, & Barboſam, cæteroquì contrarium, (quoad declarationes Sac. Congregationis Cardinalium) permagnóque Doctorum apparatu ſuffultum, *Iuris Eccleſ. lib. 1. cap. 4. num. 81.*

7 Hanc eandem doctrinam omninò adbibendam cenſerem, ſi objiciantur declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium, etiam Concil. Trident. Interpretum ; ut ſcilicèt, ſi contrariæ hinc inde adſint, illas allata diſtinctione legatorum concordare curarem ; ſin minùs concordari valerent, ultimas præpollere concederem, adhuc tamen ut opiniones duntaxat, ſeu ſententias Doctorum, non ut facientes Jus, & argumentum neceſſarium ; niſi fuerint qualificatæ, ut dicam infrà.

8 Etenim ſcio, controverſum valdè eſſe, an eæ vim legis habeant obligantis ; necne. Et quidem pro parte affirmativa ſtat Rodericus *tom. 1. qq. Regular. quæſt. 11. art. 2.* cum nonnullis alijs, aientibus, Cardinalium Declarationes, conſulto Sanctiſſimo, factas, etiam ad alicujus inſtantiam, ſeu in caſu particulari ; non ſolùm habendas ut probabiles, & doctrinales, ſed etiam ut authoritativas & neceſſarias, tanquam ſi ab ipſo Papa editæ fuiſſent, ità ut habeant vim obligandi in utróque foro, non ſolùm pro illis perſonis, ad quarum inſtantiam fiunt, ſeu in illo caſu ſpeciali, cui Congregatio reſpondet ; ſed ut leges generales in ſimilibus omnibus, & ut Jus obligans in utróque foro tenendas eſſe. Probant hi ; quia interpretatio legis, facta à legiſlatore, vel Succeſſore, vel Superiore, habet vim legis ; ſed Congregatio (Interpretum præſertim Concilij Trident.) inſtituta eſt à Papa, & interpretationes, ipſo priùs conſulto, eduntur : ergò &c. Item ; quia eadem Sac. Congregatio hoc ipſum ſaltem bis decrevit, teſte Garzia *in Præfat. ad tract de Benef.* apud Jo. Angelum Boſſium *in ſuo tractat. de triplici Iubilæi privilegio, ſection. 3. caſu 2. paragrapho ſeptimò, verſicul. ſecundò, nec Declarationes:* juxta Compendium Joannis Andreæ, Cermenati *in d. tractat.* Atque hanc partem per magno, ut tetigimus *ſuprà*, Doctorum apparatu propugnat Barboſa *citat.* audaciæ etiam notâ ſugillans Theologos ſibi contrarios ; ut teſtatur Bonagratia *citat.*

9 Pro negativa tamen ſententia pugnant Diana *p. 1. tractat. de legibus, reſolut. 29.* & alij præſtantiſſimi Theologi, atque in Romana Curia celeberrimi, præſertim Navarrus *loco ſuprà citat.* ità conſtanter tenens, quòd ſcilicèt eæ non ſint deciſivæ, vim legis habentes, & facientes Jus obligans in utróque foro, ſed tantùm declarationes doctrinales, immò nec plerúmque opiniones probabiles, (ut ait Cermenatus *in Compend. citat.*) etiamſi aditus ſit Papa, qui tunc ſe habet, ut Doctor, nec adhibet conſilium Cardinalium. Magis tamen placet modus loquendi Dianæ *citat.* aientis, quòd etſi maximi ſint ponderis, & ab ijs non ſit recedendum ſine firmiſſimo fundamento ; vim tamen legis non habent. Quinimmò (ait Peyrinus *de ſubd. Relig. quæſt. 1. cap. 25.*) ſenſus ipſiuſmet Congregationis videtur eſſe, quòd nolit, ſuas Declarationes communiter haberi pro legibus ; nam cum certum ſit de eſſentia legis, ut obliget, eſſe promulgationem, ut dicitur *cap. 1. de Poſtulat. Prælat. paragrapho verùm* : & docet D. Thomas *prima ſecundæ, quæſt. 9. artic. 4.* & Navarrus *tom. 1. conſ. de Conſt. conſ. 1. numer. 2. verſicul. Quintò dies* : tantùm abeſt, ut dictas Declarationes promulget Sac. Congregatio, ut eas nolit neque manuſcriptis, neque impreſſis libris publicari, & libros promulgantes prohibet ; ut conſtat ex decreto Congregationis *anno 1621. die 19. Aprilis*, & alio ſimili Congregationis Indicis *ſub die 9. Iunij ejuſdem anni* : Hæc Peyrinus : quæ tamen nec latuerunt Barboſam *citat.* neque valuerunt illum temperare, quin *num. 83.* hujus ſententiæ Theologos graviter carperet, quòd hac de re tam audacter loqui non debuiſſent. Immò ad fundamentum ipſorum de promulgatione reſpondet cum Roderico *citat.* ſeu potiùs cum Sala *de legibus, diſputat. 21. ſect. 12.*

sect.12. coroll. 5. (ut observat Bonagratia *citat.*) cujus ista verba sunt propria; dicens: Id procedere in legibus, quæ novum Jus condunt, non autem quæ antiquum declarant; Declarationes autem, cum ipsa lege à principio inesse. Sed hoc responsum nec ipsi Salæ (cæteroquì ejusdem cum Barbosa sententiæ) placet. Nam, (ut ipse loquitur) licèt in non festis declarationes legibus insint, & ex se, sine alia promulgatione, obligationem afferant; secus tamen videtur in dubijs, quia tales Declarationes sunt veluti novæ leges; undè, cùm efficiuntur, promulgari jubentur, non secùs ac leges aliæ novæ &c. Hanc *Sala* pro exclusione illius responsionis doctrinam verbotenùs amplectitur Cassiaingh *de Privileg. Regul tract.1.cap.1.prop.3.* ubi etiam probat, sententiæ huic non obstare assensum Pontificis; quòd confirmatio Papæ novum jus rei, quæ confirmatur, nullatenùs conferat, adeòque neque Decretis Cardinalium apposita: *argument. capit. cùm dilecto: de confirm. util. & inutil. & capit. examinata: ibid.* ubi Gloss. & ità (inquit ipse) patet, quòd confirmatio nihil vel modicum operatur; quia si aliquid invenit, confirmat illud; aliàs nihil operatur. Ità ille. Vide etiam Lezanam *tom.3. sum. vers. Sacra Congregatio, num.12.*

10 Verùm in hac controversia, & opinionum conflictu, in quo alij (ut vidimus) priorem partem sequuntur; alij posteriorem, alij verò (ut ait Lezana *cit. num. 6.*) rei decisionem à Sanctissimo expectandam dicunt, alij denique varijs distinctionibus utuntur: subscribere mihi placet sententiæ Bossij, & Cermenati *in Compendio citat.* quæ etiam est Lezanæ *citat. num. 10. & 11.* Bonagratiæ item *citat.* & Coriolani nostri *de Cas. reserv. p. 1. sect.1. art.21. num.5.* & aliorum passim, qui utcunque Barbosæ videantur locuti audaciùs, vel parùm liberales in dictam Sac. Congregationem; (ut ait Lezana *citat.num.6.*) sine crimine tamen sunt, vel (ut loquitur Bonagratia *cit. in fi.*) veniam merentur, atque etiam sequelam: quandoquidem ex una parte talium Decretorum, absolutè loquendo, ipsius quóque Sac. Congregationis judicio, adeò imminuta est fides, & authoritas, ut alia alijs quandoque contraria proferantur ab ipsa; ut benè advertunt Bossius, vel Cermenatus, Pavinus, & Bonagratia citati, & experientiâ patet: ex alia verò nec desunt efficacia fundamenta, & inveterata plerúmque secundùm antiqui Juris observantiam, consuetudo; ut ait Bonagratia *citat. in fine.* Videantur Diana *citat. & p.5. tractat.2. resol.96.* Zerola *in praxi Episc. part.1.* Barbosa iterum *in Collect. Bullar. vers. Congregatio pro interpr. Conc. Trid.3.* Merolla *in disp. Theolog. tom.2. disp.4. dub.12. num.175.* Bonacina *de legib. disp.1. quæst.1. pu.8. num.4.* Suarez, & alij apud eosdem.

Horum ergò Doctorum sententias, variásque limitationes collectim sequendo, & ejusd. Sac. Congregationis pluribus in hoc proposito Decretis, & Declarationibus, quæ ab ijsdem Doctoribus respectivè afferuntur, inhærendo, 11

Dico, quòd, ut prædictæ Declarationes, vel Decreta, seu Decisiones faciant Jus decisivum, & authoritativum, ità ut vim legis habeant obligantis in utróque foro, non sufficit, ut sint signatæ solito sigillo ipsius Congregationis, & in authentica forma subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ; prout decretum fuit ab eademmet Sac. Congregatione *die 2. Augusti 1631.* in Decreto authentico per Eminentissimum Cardinalem Ubaldinum Præfectum & Franciscum Paulutium Sac. Congreg. Secretarium subscripto, & in Typographia Camerali impresso; cujus meminêre Barbosa *in Collect. cit.* & Lezan. *cit. n.10.* & alij; cuíque concordat aliud Decretum ejusdem Sac. Congr. ex speciali jussu Urbani VIII. *die 11. Augusti 1632.* apud Lezanam *cit. n.5.* sed insuper requiritur, quòd vel Papa per Breve jubeat, vel Auditor Cameræ sub Censura mandet illas servari; ut tradit ex Garzia *cit.* & stylo Curiæ, teste Valero, Bossius, & Cermenatus *cit. v. verum, ut &c.* Quinimmò nec adhuc obligant omnes; (quidquid dicant Rodericus, Barbosa, & Garzia citati) sed tantùm illos, quibus authenticè notificantur. Ut autem omnes obligent, & habeant vim legis, requiritur, ut ad instar legis, solemniter, in debitis locis, adjectâ pœnâ, publicentur, & promulgentur, & acceptentur. Ità Valerus, & Ledesma *1.p. sum. tit de pœnis, cap.13. dub.7. ad 3.* apud Bossium, & Cermenatum, *cit.* Bonagratia item *cit.* & Lezana, Bonacina, & alij ab his relati, ex *c.1. de postul. Prælat. §. Verum:* & cum D. Thoma *1.2. q.90. art.4.* & alijs Theologis communiter: immò ex mente ejusdem Sac. Congreg. ex eo, quòd (ut ait ipse Lezana) præcipit, ut non adhibeatur fides, nisi illis, quæ dicto modo sigillatæ, subscriptæ, & munitæ fuerint, quia illæ solùm publicantur in Curia, & in locis ordinariè ad id designatis. Atque hic recole, quod de Sac. Congregatione Cardinalium Conc. Trident. Interpretum diximus cum Fuliensi, *in Censur. an. artic.3. §.2 n.26. in fin* quod peculiare est de eadem Sac. Congregatione, utpotè ad hoc specialiter

cialiter à Pio IV. per *const.* 81. *incip.* Aliàs nonnullas 4. *Non. Augusti* 1564. primò instituta, amplificatáque maximè à Sixto V. per Bullam, quæ incipit: *Immensa æterni Dei &c.* sub *Kal. Februar.* 1588. tùm semper ab eorum successoribus approbata, & confirmata.

13 Cum igitur hujusmodi Declarationes, quæ responsioni nostræ objici possunt, non ità sint qualificatæ, nec vim legis obtineant, non faciunt argumentum necessarium nec convincunt, sed habentur ut contrariæ sententiæ aliorum Doctorum, præsertim cùm aliæ in oppositum, adeóque nobis faventes referri possint. Quòd si aliquæ vel Sacræ Congregationis Decisiones ità qualificatæ, vel Summorum Pontificum Declarationes per Bullam editæ objiciantur; eæ sunt intelligendæ, quemadmodùm intelligendam docuimus Clem. *Exivi:* §. *Proindè: eo vers. Cumque annui reditus &c.* prout in *Conf. loco suprà cit.* Cujus intelligentiæ veritas (qua & contrariæ quæque in hoc subjecto concordantur sententiæ) necessariò, evidentérque convincitur ex Ordinationibus Vallisoletanis Patrum de Observantia & statuto particulari S. Bonaventuræ in Capitulo Generali Narbonæ, de quibus *in Conf. art.* 1 §. 20. *n.* 18. *& seqq.* & ex protestationis formula explicata *ibid. art.* 2. §. 2. *&* 3. cum doctrina ejusdem Seraphici Doctoris.

14 Neque item aliter intelligendus est Croufers Antuerpiensis noster *lect. paranet.* 6. *ad cap* 6. *Reg. vers. ex dictis constat.* ubi ex præcedentibus à seipso dictis colligit, Fratribus Minoribus illicitum esse anniversaria recipere, pro quibus constituitur aliquid annuatim persolvendum in perpetuum. Ibi enim loquitur de annuis hujusmodi solutionibus, proventibus, vel reditibus, qui habentur ex politica constitutione, & conventione, ac titulo civili, ad modum possessionum rerum immobiliùm; ut patet ex *contextu ipsius, ibid.* in quo ipsemet cæteroqui fatetur, onus Missarum Officiorum, seu Anniversariorum non esse ex se Opus, quod non repugnet statui, & professioni Fratrum: neque item prohibitum esse iisdem Fratribus habere, vel recipere rem aliquam sibi relictam cum ejusmodi onere; modò Fratres (supple; & quilibet alius ex parte ipsorum specialiter se habens,) in ejus receptione caveant ab appropriatione sibi facienda, vel ab acquirendo jure aliquo in rem, quæ ipsis datur, vel relicta est à Testatore, intuitu oneris, quod suscipiunt. &c. Nihil (inquit) videtur in susceptione ejusmodi oneris, quod repugnet statui Fratrum. Hæc ille: per quæ patet, illum potiùs nobiscum, quàm contra nos, in præsenti casu, sentire.

§. III.

Occurritur cuidam alteri Objectioni.

SUMMARIUM.

1 *Minores eleemosynam pro Missis non recipiunt tanquam debitam politicè, & ex justitia commutativa.* & num. 2.

2 *Minores eleemosynam in omni casu recipiunt piè, humiliter, & titulo liberalitatis, absque ullo pacto civili.*

Donatio antidoralis & ex gratitudine beneficij accepti, procedit ex instinctu naturæ, nec repugnat paupertati Minoricæ. ibid.

Donatio antidoralis differt à pacto etiam nudo ibid.

3 *Donatio certæ quantitatis ex una parte, & promissio tot Missarum ex altera, an stare possint, secluso pacto.*

4 *Religiosi Soc. Iesu prohibentur recipere stipendium seu eleemosynam compensativam pro ministeriis Societatis: Secùs gratuitam, etiam occasione ministerij præstitam.*

Quod cautè fieri debet, ut monetur. ibid.

5 *Religiosus an possit sine licentia Superioris promittere Sacrum alicui sub pacto quod stipendium præstet suo consanguineo.* & num. seqq.

6 *Votum paupertatis Iesuiticæ non violatur absque acceptione, retentione, vel distributione stipendij pro ministerio exhibito.*

7 *Secùs est in Minorica, ratione pacti de quo sup.* num. 5.

8 *Religiosi Soc. Iesu per votum biennij, quod simplex dicitur, remanent capaces acquirendi & contrahendi: si tamen sine Superioris licentia de aliqua re disponant, violant votum paupertatis.*

Et similiter si aliquid acquirant. num. 9.

10 *Voti paupertatis violatio fit non solum per admissionem stipendij pro Sacro, sed maximè per pactum de illo distribuendo ad arbitrium Religiosi.*

11 *Minores Capuccini in provincia Brixiensi prohibentur Missas celebrandas recipere sine licentia in scriptis à R. P. Provinciali obtinenda, & declaratione talis receptionis Superiori localis facienda.*

Votum paupertatis non violatur si secluso pacto

pacto & acceptione stipendij pro Sacro, rogetur ille qui sponte vult donare, ut donet consanguineo, vel alteri pauperi. ibid.

12 *Votum paupertatis manet illæsum si Religiosus alicui obligato aliqua Sacra facere, spondeat se gratis facturum, & de facto faciat absque Superioris licentia.* & num. 13.

14 *Votum obedientiæ an & quando violet Religiosus Sacra gratis concedens sine licentia Superioris.*

1 NEque in hoc casu, procedentibus Fratribus, ut dictum est in responso nostro, censendum est, intervenire receptionem stipendij pro Sacris illis, quæ per Fratres fiunt, juxta primariam Testatoris illius voluntatem in ea fundatione; quæ fit contra votum Paupertatis, immò contra peculiare præceptum formale Seraphici Patris *in cap. 4. Reg.* ad quod & illud aliud refertur, quod ab eodem Beatissimo Patre sub verbis præcepto æquipollentibus (quamvis non numeretur in æquipollentibus declaratis *in Clement. Exivi: § Item. quia:*) statuitur *in cap. 5.* ibi: *de mercede vero laboris pro se, & suis Fratribus corporis necessaria recipiant, præter denarios, vel pecuniam: & hoc humiliter, sicut decet servos Dei, & Paupertatis sanctissimæ sectatores.* Non enim recipiunt Fratres (ut supponimus) eleemosynam illam carnis, vel piscium pro rata pecuniæ, quæ Missis illis à Testatore assignata est, ex contractu, seu pacto juridico justitiæ commutativæ dati, & accepti, aut locati, vel conducti operis, vel laboris, inter se ipsos & Testatorem, vel ejus hæredes, aut Commissarios: quod solùm propriè est recipere stipendium contra votum, & præcepta prædicta, ut benè explicant Petrus à Navarra *lib. 3. de restitut. cap. 1 p. 3. dub. 2 num. 170 cum seq. in nova edit.* Emmanuel Rodericus *tom. 3. qq. Regul. q. 29. art. 13.* Sanchez *in Decal. lib. 7. cap. 18. numero 6.* Suarez *tom. 4. de Relig. tractat. 10. libr. 4. cap. 8. num. 10.* & post hos doctissimus Ferdinandus de Castro Palao *p. 3. tract. 16. disp. 1. pu. 11. à num. 4.* & prout nos tradidimus *in consil. art. 3. §. 15. n. 4. & 5.* juxta nostras Constitutiones, in quibus *cap. 3.* habetur statutum, quòd celebrentur Missæ ex mera charitate, néve intentionis oculus ad rem aliquam temporalem in ijs celebrandis à Fratribus habeatur &c & *cap. 9.* idem Statuitur, quoad Concionatores, ne videlicèt pro Concionibus quidquam recipiant, aut quærant, quod sapiat stipendium &c.

2 Recipiunt igitur tantùm, juxta Seraphici Patris mandatum *eo cap. 5. Reg.* necessaria corporis humiliter, & piè, titulóque duntaxat gratitudinis, seu gratificationis, & eleemosynæ, sine ullo respectu, ac dependentia promissionis, vel pacti, aut nudi, aut solemnis, atque adeò obligationis justitiæ civilis, ultrò, citróque; sed ad summum solius fidelitatis, & antidori; id quod licere affirmant Rodericus *citat.* & alij hac de re agentes, & patet ex dictis per nosmet *in consil. art. 3. §. 1. num. 16. & seqq. & §. 9. num. 5. & §. 15. num. 4. & 5.* & alibi, de Jure, & obligatione naturali, quæ Fratrum Minorum statui non repugnant, sive obligatio activa sit, sive passiva, ex fidelitate, vel antidoro. Ea autem est vis beneficij collati, ut naturalem quandam pariat obligationem in eo, cui tribuitur; omnis enim creatura movetur ad benefaciendum ei, qui sibi benefacit; & talis obligatio ex instinctu naturæ procedit, & non est illa talis donatio, quæ ex nudo pacto nascitur: nam illa est efficacior, utpotè cùm non sit donatio, si id, quod per pactum nudum naturaliter debetur, solvatur; ut in *l. hoc jure: §. si quis servo: ff. de donationibus:* Si autem, quod instinctu naturæ debetur, solvatur donatio est sine dubio, quæ nomen assumit remunerationis, ut tradit Gloss. *in l. sed & si: §. consuluit: ff. de petitione hæredit. ex l. si verò non remunerandi: & l. si remunerandi: ff mandati, vel contra:* Et idem tradit Gloss. *in cap. cum in officijs:* (quod est Concilij Lateranensis, sub Alexandro III.) *in vers. tenecamur: de Testamentis:* & est commune apud omnes Doctores.

Atqui isthæc sunt verba Roderici *citat.* 3
Si tamen alter centum argenteos liberè daret, secluso pacto, & ego gratificandi gratiâ centum Sacra promitterem, sine dependentia unius promissionis ab altera, licitum esset.

Sed & Castro Palao *citat.* ubi agit de pro- 4
hibitione, quoad hoc, in sua Societate, sic ait: Notanter dixi, Receptionem stipendij pro Ministerijs Societatis sub votu comprehendi: nam si gratis detur eleemosyna, quæ aliàs posset esse stipendium; tametsi occasione ministerij specialis exhibiti donetur, benè potest recipi: Quia solum stipendium, seu eleemosyna in compensationem prohibetur: constátque ex *Constitut. 6. part. capit. 2. numer. 6.* Cavendum tamen est, (subdit ipse) ne sub prætextu eleemosynæ gratuitæ compensatio fiat. Ità ille. Atque hoc ipsum monitum advertere benè debent etiam nostri Ordinis Guardiani, vel alij Superiores, ne scilicèt sollicitos, anxiósque se se ostendant de Missarum celebrandarum, vel celebratarum,

bratarum, Concionúmve factarum eleemosynis, anxiè perquirentes, quorę illæ sint, procurantésque eas solùm modis incongruis suæ Professioni, & rationem quærentes quomodò sint expensæ &c. Hoc enim ipsum est illud quod everruncare intendunt Patres nostri *in Constitutionum locis cit.* necnon *in repetitis super hoc statutis, & ordinationibus Capitulorum Generalium.*

5 Hinc obiter minimè assentior Castro Palao in eo, quod *loco cit num.* 7. asserit, & putat verius contra Sanchez, & alios citatos: Posse nimirum Religiosum absque voti Paupertatis violatione obligari verbi gratia, Titio faciendi Sacrum, sub ea conditione & pacto, ut suo consanguineo stipendium concedat. Jam enim (ut sonant ipsiusmet verba) non gratis Religiosus ille Sacrum facit, neque gratis, sed ex conditione, ex pacto, conventione, & contractu stipendium illud, seu Eleemosynam acquirit, & insuper suo illi consanguineo concedit, absque voluntate, & licentia sui Superioris: ergò in utróque bonorum peccat contra votum Paupertatis; ut patet consideranti.

6 Ad rationem autem, quam affert, quòd scilicet nullatenùs violari possit votum Paupertatis absque acceptione, retentione, vel distributione stipendij, seu pecuniæ: in casu verò posito nulla interveniat pecuniæ acceptio, retentio, aut distributio: neque enim (ut supponit casus) illam recipit Religiosus, sed ejus consanguineus, cui Titius illam tribuit, non nomine Religiosi, sed ob Sacrum, vel Sacra ab illo facta; atque adeò ob eam tantùm causam; sicuti si eam ipsi tribueret ob Religiosi ejusdem intercessionem: ergò &c.

7 Dico, eam sanè apud me nihil probare, quoad tollendam violationem ejus, quam ex solemni voto ipse profiteor. Minoricæ paupertatis, an verò minimè violetur Paupertas Jesuitica, viderit ipse, alijque ex eadem Societate Doctores, ad quos spectat. Ego tamen censeo, quòd violetur, præsertim quæ est ex voto solemni: Ea enim expressè violatur per pactum, & conventionem illam, quam supponit Casus descriptus, quippè cum sit actus politicus, quem voventi interdicit ipsa Paupertas; quia & Religiosus sic contrahens, pactúsque ità se prorsùs habet, ac si nomine suo stipendium illud daretur à Titio ipsius consanguineo.

8 Sed esto, quòd Paupertas Jesuitica ex voto tantùm biennij (quod simplex est, non solemne) minimè violetur per pactum, & conventionem prædictam; cum nec tollat dominium habitum, nec incapacem reddat hujusmodi Professum in acquirendo, & contrahendo; ut tradit idem Castro Palao *cit. pu. 2 num.* 3. & alij ejusdem Societatis Scriptores, ex Bulla Gregorij XIII. *Ascendente &c.* & ex *Societatis constit. p.* 4. *lit. E.* Attamen adhuc peccabit Religiosus ille, etsi votis biennij duntaxat adstrictus in Societate, contra tale Paupertatis votum. Et ratio est; quia absque sui Superioris consensu, & facultate (ut suppono ex Casu posito, in quo de obtenta hujusmodi facultate nulla fit mentio) titulo, seu via renunciationis disponit de stipendio illo sibi ex contractu, & pacto acquisito, & civiliter debito; esto non possit illud ipse recipere, stante prohibitione speciali: Hócque ad hominem contra citat. Doctorem sic probo: Nam, ut ipsemet *loco citat.* ait, ex vi voti, scilicet Paupertatis, obligantur illo dominio non uti absque voluntate Superioris. Et *numero sexto*, ait Religiosos Societatis disponentes de bis rebus, de quibus dominium retinent, non conscio, & approbante Superiore, si dispositio sit alicujus momenti, peccare mortaliter; quia votum Paupertatis boc specialiter respicit, ne bi Religiosi re propriâ, tanquam propriâ, utantur. Ex quo fit, (subdit ipse) Religiosum viâ testamenti, renunciatione, donatione de suis bonis disponentem, Superiore non approbante, etiamsi dispositio sit in pauperes & alios, mortaliter peccaturum: quia, licèt Constitutio liberum cuilibet pro sua devotione reliquerit modum de suis bonis in pia opera disponendi, casu, quo permitteretur disponere: *Exam. capite quarto, & part. tertia, Constitution. capite primo, à numero septimo*, Non tamen reliquit liberum, ut dispositio fieret inscio Superiore, sed potiùs illo approbante: sic expressè deciditur in Congregatione V. Generali *canon. septimo, & Decret. septimo, & trigesimonono*, & tradit Suarez *tom. quarto, de Religion. tractatu decimo, libro quarto, capite sexto, numero tertio.*

9 Quid verò, si dixerim, Religiosum illum peccare etiam, contrahendo de stipendio illo, illudque acquirendo? Sanè autem id convincitur per ea, quæ tradit idem Castro Palao *loco cit. n.* 5. ubi ait, Religiosos Societatis prohibitos esse ex vi voti Paupertatis dominium cujusvis rei acquirere absque vo-

luntate Superioris; quia nullus usus est ita proprius rei, sicut illius acquisitio. At per votum Paupertatis prohibentur omnes Societatis Religiosi uti re independenter à voluntate Superioris: Ergò &c. Videatur ille.

10 Neque juvat, quod, ut oppositam rationem solvat, Castro ipse Palao pronunciat, dicens: quòd voto Paupertatis non obligatur Religiosus ille Sacrificia utcúnque gratis facere; sed itâ gratis facere, ut ipse ob illorum causam stipendium non admittat: in admissione enim (inquit) stipendij stat Paupertatis violatio. Hoc, ut dixi, non juvat; quia Paupertatis violatio potissimùm stat in pacto inito; ad quod ineundum, scilicèt pro illo stipendio, nullus Superior, nec ipse Præpositus Generalis Societatis dispensare potest, (ut ex Sanchez documus *in Conf. art. tertio, paragrapho nono, numero quinto*,) adeóque nec licentiam dare sine Voti ipsius violatione: sed tantùm potest concedere, ut eleemosynam illam, quam ob Sacri facti gratificationem voluerit Titius dare, secluso pacto, & liberè Religiosus ille respuat; & supposito, quòd jam velit aliquid dare, roget ipsum, ut det suo consanguineo indigenti &c. ut benè post Petrum de Navarra, Sanchez, Fagundez, & Gesualdum nostrum *p. 3. tractat. 25. cap. 3. num. 21. & 22.* tradit Bassæus item noster *tom. secundo Florum: versic. Paupertas religiosa, numero decimosexto.*

11 Addo, quòd apud nos Capuccinos, in hac saltem nostra Brixiensi Provincia, adest peculiare statutum novissimè in Capitulo nostro Provinciali *hujus anni* 1672. Sancitum per Reverend. P. Stephanum à Cæsena ministrum Generalem præsentem, quo absolutè prohibetur sub præcepto S. Obedientiæ, omnibus Fratribus, qui actu Superiores non sunt, ne à quoquam sub quocúnque prætextu Missas celebrandas recipiant, sine licentia in scriptis à P. Provinciali obtinenda, & manifestatione talis receptionis Superiori locali facienda: multò autem magis sub eodem præcepto interdicitur receptio, vel dispositio, tametsi per tertiam personam, Eleemosynæ oblatæ pro dictis Missis, cujuscúnque speciei, qualitatisvè ea sit, absque eadem licentia P. Provincialis. Et huic interdicto adijcitur etiam pœna, prout *in Ordinationibus* legitur *titul. Circa Seraphicam Paupertatem.* Certè autem procedit de Missis celebrandis, & Eleemosinis exhibitis citra pactum, & conventionem stipendij, sed omninò gratis. Quapropter multò minùs à nostris Fratribus audiendam censeo refutatam Castro Palao sententiam, quæ de stipendio Missarum ex pacto, & conventione procedit.

Cæterùm, quod dictum est *numero præced. in fin* confirmatur ex Bonacina *tom. mihi 1. in Tractationib. variar. disput. 3. de largit. muner. Regularibus utriusque sexus interdicta per Clementem VIII. punct. primo, propos. prima, numero quarto*, ubi docet, posse Religiosum citra violationem voti Paupertatis, & Clementinæ Constitut. *de largitione munerum &c.* rogare illum, qui sibi, vel Monasterio aliquid donare vult, ut donet illud consanguineo suo, vel alteri v. g. pauperi: modò non acceptet expressè, vel tacitè Religiosus ille rem oblatam, vel jubeat, seu mandet alteri donari; jam enim si itâ se haberet, censeretur acceptasse occultè, seu tacitè; quia jussio indicat jubentem acceptasse actionem super rem, & necessitatem imposuisse. Tacitè etiam acceptare videtur, si offerenti gratias agat de re oblata, deindè roget illum, ut det alteri, ut *suprà*. Ita ille citans Caldam, Baldum, Covarruviam, & alios ex Sanchez, Scortia; & Bartholomæo à S. Fausto. Concordat Diana *p. 1. tractat. 6. resolut.* 8. plures alios allegans Doctores, & hanc sententiam sustinens, tanquam probabiliorem. Vide etiam Cardin. de Lugo *tom. primo, de Iust. & Iure disput. tertia, sect. octava, num.* 166. qui hanc ipsam tradit sententiam, & testatur de communi omnium Doctorum. Quinimmò Diana *citat. resol* 29. contra Turrianum, & alios sustinet, posse Religiosum prædictum citra voti violationem, ut suprà, absque Superioris licentia, (modò non acceptet tacitè, vel expressè) accipere, hoc est naturaliter tantùm, rem illam oblatam, etiam pecuniam (hanc tamen excipe in Fratre Minore saltem ob periculum scandali) ut ipse illam disponat, & distribuat v. g. pauperibus nomine dantis, & Domini. Affirmátque hanc sententiam tanquam probabiliorem, tenendam esse, utpotè quam novissimè tenuerunt Barthol. à S. Fausto *in Thesauro Relig. lib. 8. quæst.* 109. *numer.* 2. Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 7. cap.* 30. *num.* 4. & multi Viri docti suæ Religionis, & Societ. Jesu; séque ipsum ita sæpius in praxi consuluisse testatur. Et ratio est; quia Religiosus sic se habens, est simplex internuncius, neque rem illam administrat nomine proprio, aut jure aliquo perperam assumpto. Vide Dianam *citat.* & quæ nos quóque diximus *suprà in Conf. artic. 2. §. 7. numer.* 32. Vide etiam Bassæum *tom. 2.*

tom.2. *versicul. Paupertas Religiosa, numer.* 15. & 16.

12 Faciliùs tamen admitto aliam, quæ apud eundem Castro Palao legitur doctrinam;qua nimirum *loco citat. num.* 8. dicit,Religiosum non violaturum Paupertatis votum, si Titio verbi gratia, obligato aliqua Sacra facere ob stipendia recepta, spondeat se gratis Sacra facturum, & de facto faciat, absque alia sui Superioris licentia. Ratio est; quia hujusmodi Religiosus sic promittens, seu spondens, Sacráque faciens, nullum de stipendio pactum init, nec stipendium ullum recipit, neque de eo disponit, concedendo, seu renunciando illud Titio; sed solùm liberat eum ab obligatione, quam habebat: ex quo fit,ut justè deinceps ipse retineat stipendium,quod jam acceperat. Neque Sacra à tali Religioso facta, & Titio gratis concessa, sunt propriè titulus,ob quem formaliter Titius ipse retineat jam acceptum stipendium; sed tantùm conditio sine qua non potest justè retinere. Titulum namque formaliter jam concessit, qui stipendium ei dedit sub onere Sacra faciendi.

13 Et hoc confirmat idem Auctor ex eo, quod admittit etiam Sanchez *citat. num.* 18. posse scilicet Religiosum gratis Sacra facere loco hæredum, legatariorum, Capellanijsve obligatorum Sacra facere &c. Quia (inquit Sanchez) hujusmodi hæredes, legatarij, aut Capellani titulum jam habent accipiendi scilicet hæreditatem, legatum, & reditus Capellaniæ,& actu fortè jam perceperunt; ac proinde suis Sacris sic gratis factis non acquirit illis Religiosus prædictus stipendium, aut titulum; sed eo jam acquisito, liberat eos ab obligatione dicendi Sacra,qua tenebantur. At idem prorsus est in eos qui stipendia accepta habet; ut in casu posito: quia ea jam habet ex titulo donationis onerosæ: neque Religiosus Sacra pro illo gratis faciens stipendia ipsi acquirit; sed ijs jam acquisitis, liberat eum ab obligatione, suscepta ob stipendiorum præcedentem acquisitionem. Hæc Castro Palao, qui & testatur, hunc modum dicendi probatum fuisse à P. Michaële Vasquez Primario Theologiæ Professore in Salmanticensi Collegio, & à doctissimo Joanne de Salas in Vallisoletano Collegio similiter Primario Theologiæ Professore, à se ipso consultis. Hisque addi possunt Diana *part. prima, tractat. sexto, resolut. nona*, & Cotonius *controvers. celebrar. libr. quarto, controvers.*6.*cap.*3. *numer.* 107. Quibus utique faciliùs assentior, & subscribo; juxta traditam cum eodem Cotonio doctrinam, *in consil. articul.*2. *paragrapho* 7. *numer.* 14. nequè enim in hoc casu obstare arbitror, quoad nos, allatam sub sanctæ Obedientiæ præcepto prohibitionem specialem de non recipiendis Missis celebrandis &c. Siquidem præceptum illud procedit de Missis, quibus, etsi gratis, & sine pacto stipendij ullius ad celebrandum receptis, titulo tamen gratificationis aliqua responsura est eleemosyna; ut patet ex *ipso ejusdem Ordinationis contextu.*

Quòd si verò de alijs etiam Sacris ad celebrandum non recipiendis, quibus eleemosyna nulla correspondet, procederet præceptum illud; (quod pendet ab intentione præcipientis) puto, quòd præceptum cogeret: nam per votum obedientiæ Religiosorum, Prælati præcipientes Jus habent in voluntates eorum; ut commune est apud Doctores. Tunc autem Religiosus sua sacra gratis concedens huic, vel illi contra tale præceptum, nullatenùs Paupertatis, sed obedientiæ voti violati reus constitueretur: nisi dicamus, illum peccare proprietate spirituali, scilicet voluntatis; qua nulla alia pejor in Religioso; tametsi non sit reservata; ut docuimus *suprà, loco mox citando.* Nam sacra illa non sunt materia voti Paupertatis; ut docuimus *in consil. articul. secundo, paragrapho septimo, numero decimoquarto*, cum nostro à Marsalia. Vide omninò ibi dicta, si plura cupis. Hic ista sufficiant pro confirmatione præsentis responsi, quod certè ampliùs constare arbitror, & suppono ex dictis *in Cons.* & in *responso ad casum præcedentem.* 14

§. IV.

Expenditur jam per singula ejus effata Responsio R. P. Bonagratiæ ad præsentem casum primo loco relata: & primò, quoad eius fundamenta.

SEGMENTI PRIMI

SUMMARIUM.

1 *R. Patris Bonagratiæ consultatio suprà relata expenditur.* & num. seqq.

2 *Status altissimæ paupertatis Minoricæ, in quo consistat: & triplex victitandi modus Minorum Capuccinorum refertur.*

3 *Modus legandi præcipuè attendi debet in eleemosynis Minoribus relictis.*

Intellige, quoad ipsos Minores, ut sint ca-

paces legati, nécne, ex modo legandi dignoscitur: sed legatum in se quatenus ad piam causam spectat, semper est validum. ibid. & infrà num. 16.

Modus leg andi Minoribus illicitus qualis sit. ibid.

4 *Reditus annuus propriè dictus in sensu Iuristarum, Minoribus prohibetur, non tamen legatum annuum impropriè, & per modum eleemosynæ relictum, citra ullam obligationem politicam.*

Statutorum verba propriè intelligenda sunt. ibid.

Reditus propriè dicti secundùm Iuristas quales dicantur. & num. 5.

5 *Reditus propriè dicti, an debeant esse perpetui ad hoc ut repugnent paupertati Minoricæ.*

6 *Reditus annui etiam impropriè dicti in quo sensu sint Minoribus prohibiti.*

7 *Rota Rom. decisio allegata suprà.* § 2. n. 6. *in causa legati annui Minoribus relicti, quomodo interpretanda, admittenda, vel reijcienda.*

8 *Legata annua simplicia, qualia describuntur hic, non sunt contraria paupertati Minoricæ.*

9 *Tamburini doctrina in materia legatorum annuorum Minoribus relictorum reijcitur.* & num. seqq.

10 *Reditus annuus qualiter sit Minoribus interdictus, nécne.*

11 *Minores tribus modis victum sibi quærere possunt, ex laboritio, spontanea oblatione Fidelium, & mendicatione.*

12 *Sacristia Minorum non admittit reditus annuos certos & propriè dictos.*

Rota Rom. decisio circa legata annua Ecclesiæ seu Sacristiæ Minorum relicta non videtur admittenda. ibid.

13 *Azorij sententia in materia legati annui perpetui Ecclesiæ Minorum relicti, retinenda.*

Rota Rom. decisio de annuis legatis Ecclesiæ Minorum relictis intellecta de simplicibus & impropriè dictis sine ulla obligatione & actione civili, admittitur. ibid.

Idemque est de legatis annuis ad victum Minorum relictis simpliciter & modo licito. num. 14.

14 *Constitutio aliam interpretans intelligitur in terminis interpretata.*

15 *Ecclesiæ Minorum non minùs sunt fundatæ in paupertate, quàm ipsi Minores.*

1 IAm verò superest, ut Responsionem R. P. Bonagratiæ primo loco relatam, per singula ejus Pronunciata, expendamus. In qua quidem expendenda, explicando potiùs, seu commentando, quantùm fieri poterit, quàm impugnando, (ut diximus in Præfatione hujus Appendicis) ob reverentiam tanti Patris, procedemus: cum tamen non possimus non ab ipso in aliquibus dissentire, in quibus illum plus æquo Sancheizantem cernimus. Ab ipsius autem fundamentis exordiemur.

Ait igitur Doctissimus ille primò, *nu-* 2
mer. primo, quòd ad resolvendum hunc, & similes casus, duo semper præ oculis habere oportet. *Primum*, ipsum statum Capuccinorum fundatum in altissima Paupertate, quos S. Pater Franciscus voluit totos pendere à Deo, & solis illis, quæ amore Dei sibi traderentur, per incertam victitare Mendicitatem; ut colligitur ex ejus *Regula*, & ex ejus *declarationibus*, quæ habetur *in cap. Exiit: de verb. significat. in 6. & Clem. Exivi: eo tit.* Benè, optimè hoc dicit; sed ità intelligendum est, quòd scilicet Capuccinorum status in altissima Paupertate fundatus, eorúmque Paupertas ipsa, incertæque mendicitatis professio (juxta voluntatem Seraphici Patris, ex communi interpretatione Expositorum Regulæ, S. Bonaventuræ, Cordubæ, Politij, Crousers, & aliorum, quos retulimus *in conf. art. 1. paragrapho 13. & 22. & artic. 2. paragrapho 2. & 3 & art. 3.* passim) eos obligat ad victitandum de non fixo, quòd scilicet importet usum, vel usumfructum, etiam de facto simplici, alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati; & de non suo, seu sibi debito, aut certo politicè; hoc est de proveniente citra obligationem politicam, seu civilem, vel etiam ex nudo pacto erga ipsos, vel erga quemcunque alium ex parte ipsorum specialiter se habentem; sive deindè id ipsis proveniat per ipsosmet conquisitum per laboritium, sive mendicando ostiatim comparatum, sive spontè à Fidelibus viventibus, vel morientibus oblatum; non obstante quacunque alia obligatione, aut certitudine; (præter politicam, seu civilem) sive naturalis ea sit, sive divina, & in foro conscientiæ, putà ex voto, vel etiam ex mandato, & ordinatione Morientis, volentis aliquam eleemosynam quotannis ijsdem Fratribus erogari per hæredes suos, vel alios Executores suæ voluntatis, etiam in perpetuum; prout satis ostensum est *in conf. locis cit.* & alibi sæpiùs. Atque hos tres vivendi modos Fratribus Minoribus ex *Regula* relictos docet cum Nicolao III. *in cap. Exiit.* §. *Nec quicquam*: idem P. Bonagratia *num. duodecimo* idque tanquam

certum supponit, non obstante,(ut ipse ait) quòd jubeantur divinæ se se committere providentiæ.

3 Alterum, quòd *eodem numero primo*, præ oculis semper habendum notat; est *Modus*, quo quippiam à Moriente legatur Ordini. Et hoc equidem notatu dignissimum; quin & in primis necessarium, siquidem verissimum est, quod pro ratione subjungit, ad mentem dictarum Decretalium *Exyt: & Exivi*: cum *Baldo* communiter recepto: Legata nempè, seu relicta Minoribus substantiam capere ex Modo, ità ut ratione solius modi ijs liciti capaces eorum reddantur. Atque hisce verbis optimè insinuat, quod & nos de hoc ipso *Baldi* dicto docuimus *in conf. artic.* 3. §. 8. quòd scilicet legata, seu relicta Minoribus substantiam capiant ex modo, quoad ipsos Fratres duntaxat; non autem in se, & quoad piam Causam, ut sic, & in communi. Vndè, etsi sint invalida pro Fratribus in particulari, non sunt tamen absolutè & in se invalida, sed convertenda in aliam piam Causam. Vide dicta *in consil. articul.* 1. *paragrapho* 26. *& articul.* 3 *paragrapho* 8. *citat.* quod attinet ad hanc Baldi auctoritatem. Quisnam verò censendus sit modus legandi Fratribus illicitus, juxta mentem Nicolai III. & Clementis V. *locis cit.* satis ostensum est *in consil. art.* 1. *paragrapho* 4. 5. 24. *&* 25. *& alibi*: ubi probavimus, non esse modum Fratribus illicitum percipere quippiam annuatim, ex vi simplicis annui legati impropriè dicti, seu per modum simplicis eleemosynæ, etiamsi hæredes, vel gravati, aut alij Executores voluntatis Testatoris teneantur in foro conscientiæ ex fidelitate, & justitia propriè dicta erga Testatorem, talem eleemosynam Fratribus ijsdem quotannis præstare. Sic enim optimè servatur à Fratribus illud Seraphici Patris præceptum *in Reg. cap.* 6 *Fratres nihil sibi approprient &c. sed tanquam peregrini, & advenæ &c.* Verè etenim sic, quemadmodum Peregrini nihil, ubi peregrinantur, fixum seu stabile habent, ità & Fratres Minores nullum habent usum, aut usumfructum (vel de facto simplici) boni immobilis, vel inter Immobilia computati: exceptis Ecclesia, Domo, & horto; ut vult idem Doctor *ibid. num* 2. *&* 3. cum Clemente V. *in Clem. Exivi*: §. *licet verò &c.* Vide dicta *in Conf. Art.* 3. §. 17. *n.* 2. 3. *& seqq.* cum Crousers.

4 Achilles verò ille, quem *num.* 4. in aciem mittit, ex *d. Clem. Exivi*: §. *Proindè*: *verf. cumque annui reditus*: jam satis exclusus est, ostensúsque inermis contra nos *in conf.* sæpè, & præcipuè *art.* 1. §. 18. *&* 31. quinimmò pro nostra militat secunda conclusione *in eod. conf. art.* 1. §. 25. Vidimus enim §. 18. *&* 31. *cit.* Clementem V. *in ea Decretali* locutum fuisse in sensu proprio Juristarum, atque adeò de annuis reditibus, censibúsve sive formaliter, sive materialiter sumptis, propriè dictis; non autem de impropriè dictis; atque in eo sensu usurpari adducíque textum illum communiter à Doctoribus. Quòd autem ità intelligi debeat, præterquam quòd ostensum est rationibus, & argumentis pluribus, ex contextu ejusdem Decretalis, *locis citat.* est etiam regula generalis apud Juristas, quòd statutorum verba propriè intelligenda sunt: *l.* 3 §. *haec verba*: ubi Bartolus, *ff. de negotijs gestis*: & tradunt Decius *in reg.* 6. *ff. de reg. Iuris, n.* 6. Jason *super tit. de Actionibus*, §. *omnium*, *n.* 18. Joannes Oinotomus *super lib.* 4. *Inst. Imperial. tit.* 6. *de Actioni*[*b*]*us* §. *Actio*: *n.* 20. & communiter Juris Consulti, & Scribentes notant *in l. quidquid adstringendæ*: *ff. de verb. obligat.* Quod verò annui reditus materialiter sumpti (cum secundùm propriam naturam non dicantur immobiles, nec inter immobilia computentur; ut ex Baldo *in l. jubemus*: 2. *C. de sacros. Eccl.* & Ruyn. *conf.* 82 *col* 2. *lib.* 2. tradit *Torniola* mox citandus) ij tantùm inter Immobilia computentur, qui ex re immobili ad id specialiter obligata, vel ab eos percipiente possessa proveniunt: tradidimus *in conf. art.* 2. §. 23 *&* 31. ex Schradero, Oinotomo, Barbosa, & alijs communiter; & idem tradit Christophor. Torniola *conf p* 1. *conf.* 14. *n.* 22. ex *d. l. jubemus*: ex Bartolo, & Doctoribus *in l. sciendum*: *in princ ff. qui satisdare cogantur* & Alexandro post Angelum *in l. si constante*: §. *fin. ff. soluto matrimonio.* Atque hi dicuntur venire in consequentiam directi dominij, vel Juris oblati, ut ex re fructus importantque usumfructum: tametsi in directo ipso dominio, vel Jure oblato principaliter non agatur de annuis reditibus, sed de dominio ipso, vel de Jure; ut ait idem Torniola *cit. num.* 23.

Ad illud porrò, quod prædictus Pater, 5 & Doctor *eodem numero quarto*, subjungit ad insinuata *Clementinæ* verba nimirùm: *Annuos reditus intellige perpetuos; quales in Iure censentur, quicumque decennium attingunt, etiamsi annui propriè non sint, sed alternis tantum annis, vel tertio quoque dentur. Sicut è contra modicum tempus durare putantur, licèt quotidie, vel tertio quoque mense, vel anno præstentur, modò finiantur intra decennium & in quantitate non excedant, quæ omninò mendicitatem tollat, sed ex parte tantùm sublevet; ut ex communi*

muni docet Sanchez libro septimo, moral. &c. Ad hanc, inquam, doctrinam patet sententia nostra in contrarium *in conf. artic. 1, paragrapho 25.28. & alibi*: Neque enim desunt Doctores, qui annuos census, vel reditus propriè dictos, ut suprà, etiam ad modicum tempus, infra decennium, inter Immobilia censeri contendant; ut dictum est *in consil. articul. 1. §. 18. & 31. citat.* Quinimmò annuos hujusmodi reditus, etiam pro unico anno, vel una duntaxat vice provenientes repugnare expressè mendicitati Fratrum Minorum, etiamsi non sint ad ipsorum sustentationem, sed pro divino cultu, vel alijs, nos probavimus *in consʃ. art. 1. §. 25. & alibi.*

6 Ad illud quod *num. 5.* dicit: *Addit porrò Pontifex, prohibitos esse Census, sive reditus quoscúnque &c. Qualescunque nimirum*; &c. ut *ibi*. Dico, declarari à Clemente Fratribus prohibitos reditus quoscunque, etiam impropriè dictos, & ad modicum tempus; adeóque annua legata quæcúnque etiam impropriè dicta, & ad breve tempus; quæ tamen important usum, vel usumfructum legatum, etiam de facto simplici, alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati; cujusmodi sunt legata, quæ à Nicolao III. *in cap. Exijt: §. Ad hæc quia*: appellantur legata facta cum expressione modi, secundùm quem Fratribus non licet ea percipere; ut ostensum est *in conf. locis hic supra ad hoc ipsum intentum citat.* & §. 25. *mox citat.* Quidquid dicant alij minus benè exemplificantes hujusmodi legata, juxta mentem illius Pontificis, & Juris, legitimè amussim, quam enucleavimus *eo §. 25.*

7 Ad illud, quod *num. 6.* ex Tamburino cum Sac. Rota adducit: Dico, Sacram Rotam intelligendam esse *in sua decisione*, quemadmodùm intelligendum probavimus Clementem V. *in eo vers. Cùmque annui reditus: Clement. Exivi*; cum præsertim ejusdem *Clementinæ* authoritati innitatur ipsa *Rota* Decisio. Quòd si fortè Patres illi in Rotæ Auditorio conscripti in suo sensu plus æquo abundantes, alium ab eo, quem diximus, eidem *Clementinæ* intellectum adhibuerint, illos humillimè revereor, sed eorum Decisionem non audio, nisi ut opinionem Doctorum adversariorum, & Sancheizantium, adeóque ut minimè mihi probabilem, nec veritati conformem. Hócque cum venia mihi liceat pronunciare propter dicta *hic suprà, §. 3 n. 6. & seqq.* quæ omninò refricanda sunt. Sanè autem ratio, quæ ex Tamburino ipso affertur, non probat, nisi de legatis annuis, vel simplicibus quidem, sed propriè dictis, vel importantibus ex modo legandi à testatore servato usum, vel usumfructum legatum alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati; etiamsi impropriè dictis, juxta nostra principia. Ait enim: *Eò quòd nihil magis arctissimæ paupertati minorum repugnet, quàm reditus annui, qui sunt certi, & determinati, & sapiunt nimiam proprietatem, atque inter immobilia connumerantur &c.* Si sapiunt proprietatem; ergò loquitur de propriè dictis, qui sunt certi, & determinati civiliter, & ex obligatione politica debentur: vel de importantibus usum &c. ut suprà.

Cæterùm legata annua simplicia, quæ non important usum, vel usumfructum boni immobilis, vel inter Immobilia computati, impropriè dicta, quæque nec sunt in fraudem hæreditatis, nec in quantitate excessiva, nullam habent cum Minorica paupertate, & mendicitatis statu repugnantiam; cum nullum neque de jure, neque de facto simplici inferant Fratribus actum politicum ex illis quinque quos ab iisdem Fratribus tam in communi, quàm in particulari abdicat altissima Paupertas, & Mendicitas, quam profitentur; ut patet consideranti, & liquet ex dictis *in conf. articul. 1. paragrapho 23. & 24.* & alibi sæpiùs. 8

Quapropter potuisset, debuissétque Tamburinus audire, & bene intelligere, quos immeritò refutat, Sylvestrum, Rodericum, & alios dicentes, ejusmodi legata non esse contra Instituta Minorum, nisi quando possidentur tanquam reditus, & proprietas, exigendo in Judicio; secùs quando per modum eleemosynæ petuntur extra judicium, aut oblata, seu præstita ex mera ordinatione Testatoris, & obligatione conscientiæ ex fidelitate mandato debita, recipiuntur cum moderaminibus requisitis. Loquuntur autem de annuis legatis simplicibus, non de annuo usufructu legato; ut patet in exemplis quæ ab ipsis afferuntur. Atque eorum doctrina procedit æquè benè de legatis hujusmodi cum onere Missarum, vel Officiorum, ac de omninò gratuitis; modò hujusmodi eleemosynæ pro Sacris faciendis relictæ præstentur Fratribus citra politicam obligationem ultrò, citroque ex pacto, etiam nudo, nedum stipulatione, vel publico instrumento firmato; ut cautum est in responso nostro *hic, paragrapho 2. numer. 1.* Optimè sentit in huc proposito, cum Sylvestro, Roderico; & alijs, Ferdinandus de Castro Palao *p. 3. tract. 15. disput. 3. punct. 9. num. 16.* 9

*num.*16. ubi prædicta catenùs tantùm repugnare docet Fratribus Minoribus, quatenùs supponunt certitudinem civilem, & actionem in foro. At maluit Tamburinus suos audire Sanchez, de Lugo, & alios, qui quæstionem hanc optimè decidunt pro Dominibus Professis Societatis suæ, quas pares Minoritis prædicant in Paupertatis professione; nihilo tamen minùs dispari judicio, quoad ipsos Fratres, usi sunt; sed immeritò, & falsò innixi fundamento specialis prohibitionis ex parte Fratrum, ut ostensum est *in Conf. art.*3.§.6.*&* 7. & alibi.

10 Non igitur valet ratio Tamburini relata à prædicto Doctore *eo num.*6.*vers.Probat etiam,* &c. ajentis: *Cum reditus ex eo, quòd debitus intuitu Missarum non desinat esse annuus reditus, qui semper Minoribus est interdictus.* Non enim interdicitur annuus reditus Fratribus Minoribus, nisi talis sit, vel taliter ipsis proveniat, quòd aut supponat debitum, & certitudinem civilem, adeóque actionem in foro ex parte ipsorum competentem, aut usum, vel usumfructum, etiam de facto simplici, importet alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati. Cæterùm, quòd annua illa eleemosyna utique sit debita Fratribus intuitu Missarum, tanquam merces laboris jure ipso naturali,& divino debita; hoc non efficit, quòd ea sit annuus reditus Fratribus interdictus: nam & Seraphicus Pater disertè *in cap.*5.*Reg.* concedit suis Fratribus, quòd de mercede laboris recipiant necessaria corporis; & hoc humiliter, ideft citra civilem obligationem in dantibus ex pacto, &c. tametsi cæteroqui teneantur, ut dictum est, de jure naturali,& divino eam solvere, & etiam ex obligatione conscientiæ, ex justitia, & fidelitate erga Testatorem; ut *suprà* dictum est.

11 At transeat cum venia, frivola hæc ratio *Tamburini*, minùs callentis obligationem *Regulæ*, quam non erat professus. Transeat item alia, quam statim subdit, inquiens: *Siquidem verò Mendicitas Fratrum Minorum in eo versatur, ut quotidiè ex pietate Christi Fidelium alimenta mendicent*; *quorum nomine veniunt*, &c. Transeat, inquam; quia, si ejus sensus sit, quòd Minoritarum Mendicitas eos obliget ad mendicandum ostiatim alimenta, &c. fallitur omninò; ut patet ex dictis *in Conf. art.*1. *§.*13.*num.*18.*&* *§.*14 *num.*15.*& seqq.* & *art.*3. *§.* 5.*num.*8.*& seqq.* & alibi. Si verò ejus sensus exponatur esse, quòd eos obliget ad vivendum ad misericordiam hominum; quod est, actu, vel habitu saltem mendicando, vivere de non sibi civiliter certo, aut debito, triplici illo modo provenien-te, quem ex Regula iisdem Fratribus expresse relictum testatur Nicolaus III. *in cap. Exiit*: *§. Nec quicquam*: videlicet vel per Fratrum laborantium, vel per spontaneam oblationem Fidelium, vel per actualem mendicationem: germana est intelligentia tantæ Mendicitatis. Quòd si ita est, quid jam interest, quòd eleemosynæ spontè oblatæ offerantur à Viventibus, vel à Morientibus per ordinationem ultimæ voluntatis? Vide dicta ad hoc *in Conf. art.*3.*§.*16 *à num.*30. & *in Casu præced.*§.5. *in fin.* cum Gallitio.

Cum autem hujusmodi Paupertas, & Mendicitas servanda sit à Fratribus non in iis tantùm, quæ ad ipsorum alimenta, corporisvè necessaria spectare cernuntur; sed etiam quoad ea, quæ ad certum divini cultus usum, putà pro Sacristia, vel pro Ecclesia: quamvis enim aliud sit Ecclesia, vel Sacristia, aliud Conventus Fratrum; semper tamen Ecclesia, & Sacristia ipsa, cum cæteris ad illas attinentibus Fratrum usui deputantur, quibus utique interdicitur vel simplex facti usus, qui non sit conformis altissimæ Paupertati, & Mendicitati, ut ex *Clem. Exivi*: & ex Testamento Seraphici Patris docuimus *in Conf. art.*1.*§.*25.*&* 28.& alibi quâ in re nobiscum sentit etiam P. Bonagratia *eo num.*6.*vers. securius est.* Ideò non assentior opinioni ejusdem Sac. Rotæ *in prædicta decisione* tertio loco (ut dicitur ab ipso P. Bonagratia *eo num.*6. *vers. Eadem Sac. Rota*, &c.) concludentis, *Legatum annui reditus perpetui factum Fratribus, seu potiùs Ecclesiæ, & Sacristiæ Fratrum Minorum, non ad ipsorum victum, sed ad certum divini cultus usum, ut ad frumentum, vel vinum, necessaria materia Consecrationis, oleum pro lampadibus, ornamenta Altarium, Calicésque, &c. omninò sustineri, neque ullibi reperiri prohibitum: quòd Fratrum commoditates non concernat, sed cultum divinum. Undè relictum dicitur non Fratribus, sed sacris Ædibus, & Templis; atque aliud est Ecclesia aliud Monasterium: quidquid contra senserit Azorius*: Ita Sac. Rota *ibid.* quam tamen, ut dixi, minùs adhuc audio, neque tutè audiri posse arbitror à professore Minoricæ paupertatis; (salva reverentia Illustrissimis illis Patribus, alioquì debita) loquitur enim de legatis annuis propriè dictis, quæ idcircò possunt à Fratribus (ut insinuant, explicantque Navarrus, Sayrus, Sanchez, & alii, quorum sententiam rejecimus *in Conf. art.*1. *§.*28. *à n.*5.) per Syndicos, vel Procuratores Ecclesiæ in judicio exigi. 12

Sequor igitur Azorium, quem immeritò explodit Sac. Rota *in ea Decisione*, & malè sensisse pronunciat; ut ait P. Bonagratia *eo* 13

num.6. Præitque mihi in hac Azorlj ſequela P.Sanctes Romanus *in cap.6.Reg.*dicens,opinionem alteram quæ ſcilicet eſt & Sac. Rotæ cit. non eſſe ſatis ſecuram;inimò eſſe contra Decretalem Clementis V. aſſerentis, quòd ſumus incapaces annuorum redituum, (propriè dictorum intellige,vel uſumfructum importantium, etiam de facto ſimplici, boni immubilis, &c.) non ſolùm quoad victum, ſed etiam quoad res ad Eccleſiam pertinentes, &c. Atque ob hanc conſiderationem: quia videlicet Clemens V. neque victus,neque rerum Eccleſiæ expreſsè meminit, ſed annuorum redituum abſolutè tantùm; optimè duo illi noſtri Ordinis Generales Miniſtri, quos *ibid.* affert idem Auctor, *à Sorbo* ſcilicet, & *à Politio*, allatam Sac. Rotæ ſententiam amplectuntur, intellectam tamen de annuis legatis impropriè dictis; *modò*(ajeotes) *nullum prætendatur jus, aut civilis actio, ſed humiliter,& eleemoſynaliter recipiantur.* Quibus & ipſe ſubſcribo: loquuntur enim de annuis legatis ſimplicibus, non de importantibus uſumfructum legatum, atque adeò annuum cenſum, vel reditum, ſaltem de facto, habitum, vel receptum, ubi vel ſine juris, aut civilis actionis prætenſione à Fratribus Minoribus haberentur, vel reciperentur.

14 Quòd ſi hujuſmodi legata ſimplicia impropriè dicta, ſeu humiliter, & eleemoſynaliter recipi à Fratribus poſſunt pro certo divini cultus uſu, ob prædictam conſiderationem; quid eſt, quò minùs eodem modo recipi poſſint, cum moderaminibus requiſitis, etiam relicta pro victu, & ſuſtentatione eorumdem Fratrum? Sanè ſi eadem eſt utrimque Pontificis prohibitio, vel prohibitionis declaratio, eadem quoque utrimque adhibenda eſt ejuſmodi prohibitionis, vel declarationis interpretatio, ſeu intelligentia,& acceptio. Nam Conſtitutio interpretans aliam intelligenda eſt in terminis interpretatæ; ut tradit Navarrus *in tract. de redit. Eccleſiaſt. quæſt.3. monito 2.num.7.* ex *Authent. Hæc Conſtitutio: §. Hæc igitur: & cap. Cum in officijs: de teſtamentis.*

15 Ad rationem porrò, quam *eo num.6.in fin.* adducit Doctor ille in favorem Sac. Rotæ, dicens: Fortè, quia ibidem (ſcilicet *in Clement. Exivi: eo verſ. Cùmque annus reditus*) ratio, cur annui reditus prohibeantur, redditur; quòd paupertati,& Mendicitati repugnent; & mendicitas, ut ſupra memini, ſolùm commoditates Fratrum concernit, neutiquam verò divinum cultum. Hæc ille. Ad hanc, inquam, rationem dico, eam minimè valere apud Minoritas, quibus de mente Seraphici Patris Bonaventuræ, & Clementis V. omniúmque Regulæ Expoſitorum ſenſu, & communi noſtri Ordinis praxi æquè indicta eſt Paupertas, & Mendicitas, quoad illa, quæ divinum cultum, ac quoad ea, quæ ipſorum Fratrum ſuſtentationem concernunt. Quidquid ſit, valueritque illa utcúmque apud alios Mendicantes, juxta jus antiquum, ante diſpenſationem Tridentini *ſeſſ.25.de reform.cap.3.* Quemadmodùm etiam ante idem Concilium apud alios Mendicantes valuerunt peculiares aliquæ conceſſiones, habendi modicos quoſdam annuos reditus ad ipſorum ſuſtentationem relictos; & propriè dictos, quibus Mendicitas non omninò tolleretur, ſed tantùm ſublevaretur; quæ tamen conceſſiones non fuiſſent acceptandæ à Minoritis puritatem ſuæ ipſorum Mendicitatis, & Paupertatis affectantes. Qua de re vide *in Conſ. art.3.§.5.* Benè ergò Pater ipſe Bonagratia *ibid.* ait: *Securius eſt abſtinere*, &c. & *Non caret ſcrupulo, &c.* Hactenùs, quæ ad primam attinent conſiderationem P. Bonagratiæ pro ſua reſolutione. Deinceps, quæ ad ſecundam.

SEGMENTI SECVNDI SVMMARIVM.

16 *R. P. Bonagratiæ conſideratio ſecunda circa modum relinquendi Minoribus legati, expenditur.*

17 *In legato Minoribus relicto ſub modo illicito, præmiſſa proteſtatione, poterunt hæredes ſeu Executores aliquid eis erogare,& Minores ipſi recipere per modum eleemoſynæ cum moderamine requiſito.*

18 *Hæreditas Minoribus relicta, vel legatum ſub modo illicito, ſemper valent in ſe ratione piæ Cauſæ, nec fiunt caduca, licet Fratres ſint incapaces*, & n.19.

19 *Legata Minoribus relicta quorum ſunt incapaces, non accreſcunt hæredibus, ſed proximè ad mentem Teſtatoris piè impendi debent.*

20 *Incapacitas accipiendi relictum in teſtamento, duplex eſt, altera per quam lex incapacibus reſiſtit, altera per quam eis non aſſiſtit ſed non reſiſtit, quales ſunt Minores.*

21 *Teſtamentum Religioſi factum ante ingreſſum ſeu profeſſionem, non rumpitur per Monachiſmum: & aſſignatur ratio*, ibid.

22 *Concilij Tridentini decretum* ſeſſ.25.c.16. de Regular. *declaratur.*

Novitius licèt non poſſit donare inter vivos, vel renuntiare ante duos ultimos menſes novitiatus,

novitiatus, potest tamen quovis tempore testari, & ratio differentia assignatur, ibid. & n. 23.

24 *Novitius in quacumque Religione semper durante novitiatu testari potest, etiam sine Superioris licentia.*

25 *Novitius in Religione Minorica an teneatur bona sua distribuere pauperibus quando vult professionem emittere.*

26 *Religiosus professus, si à Religione licitè recedat, an bona alienata ea de causa recuperet*

Religiosus professus potest declarare suum testamentum quod fecit ante professionem, ibid.

27 *Legata pro alimentis relicta deportatis, alijsvè id genus incapacibus, non habentur pro non scriptis. sed debent præstari.*

Legata Minoribus relicta semper sunt alimentaria & eleemosynaria, atque adeo licita ut declaratum est, ibid. & supra.

28 *Minores longè differunt à servis pœnæ: errantque toto cælo qui hanc æquiparationem induceunt.*

29 *Obligatio naturalis potest stare inter dominum, ejusvè hæredem, & servum.*

Obligatio naturalis activè & passivè non repugnat mendicitati & statui Religionis Minoricæ, ibid.

30 *Legatum pium semper validum est ratione piæ Causæ, nec fit caducum licèt non acceptetur.*

31 *Legatum Pauperibus incertis relictum sustinetur ratione pietatis, nec vitiatur propter incertitudinem.*

Aliud est, esse juris institutionis incapacem, aliud esse incapacem de jure, ibid.

32 *Obligatio naturalis excludit jus accrescendi: Et qui non admittitur ad partem de rigore juris, de æquitate naturali facit partem.*

33 *Legatum servo proprio sine libertate relictum, sustinetur ex æquitate, licet non valeat de rigore juris.*

34 *Legatum Minoribus relictum ratione pietatis causæ non debet haberi pro non scripto.*

16 At igitur *num* 7. Alterum, quod circa legata considerandum præmonui, est *Modus*. Num scilicet fiat conformiter nostro Statui? Pro quo sciendum, tripliciter posse Fratribus Minoribus legari. Primò, &c. ut ibi: Ad quæ nihil mihi occurrit aut addendum, aut explicandum, nisi ad illud ultimum, quod dicit: *A legato facto secundo modo, & ejus receptione debent Fratres Minores per omnem modum abstinere: ut dicitur in cap. Exiit: §. Ad hæc, quia: & tradunt omnes.* Loquitur autem de legato facto cum expressione modi illiciti; quodnam autem tale censendum sit, indicavimus *supra, in hoc ipso §. vers. Alterum: num.* 3. ex *Cons. art.* . § 4. 5. 24. & 25. Dico igitur, illud ita esse intelligendum; ut Fratres teneantur tale legatum penitùs respuere, manifestando hæredibus, vel executoribus; illud, quoad se ipsos, utpotè capiens substantiam ex modo, non valere; valere tamen quoad piam causam in communi, & pro Anima testatoris omni meliori modo, & proximiori intentioni ipsius, esse in pauperes, vel alias pias Causas erogandum; prout latiùs *in Cons. locis cit. & art. 3. & in Casu præced.* sed & hic mox ostendemus. Qua cautione, & protestatione (juxta dicta *in Cons. art* 2 §. 2.) servata, & præstita; si hæredes, vel executores, vel alij quique, ad quos spectat, spontè sua maluerint præ alijs pauperibus, ipsos Fratres Minores eligere, quibus legatam illam eleemosynam pro Anima testatoris elargiantur, vel aliquam illius partem; poterunt ipsi Fratres oblatum subsidium recipere, juxta indigentias suas, cum moderaminibus requisitis; prout dictum est etiam de hæreditate, vel hæreditatis æstimatione ijsdem Fratribus relicta, *in cons. art. 1. paragrapho 29. 30. & 31.*

Ex hac nostra notatione, clariùs autem ex *locis Consilij in ipsa citatis*, clarè patet resolutio interlocutoriæ quæstionis, quam statim *ibid. num* 8. excitat P. Bonagratia. Dubitatur (inquiens) Utrùm legatum secundo modo factum, cujus Fratres Minores sunt incapaces, nihilominùs valeat, quòd hæres, aut Hospitale, aut quicúmque alius gravatus à testatore teneatur in foro conscientiæ implere voluntatem Testatoris, solvendo Fratribus Minoribus pretium rei, quando hæc Fratrum usui non convenit; vel legatum perpetuum quotannis; & Fratres possint ea petere, vel saltem recipere. Ego enim huic dubitationi affirmativè respondeo, quoad utramque partem, modò à Fratribus fiat protestatio prædicta, quam in hoc casu necessariam omninò censeo. Ea enim facta; Hæredes, vel Executores verè manent liberi ad eligendos, vel non eligendos Fratres ad percipiendum de tali erogatione. 17

Ad illud verò, quòd *num.* 9. idem Pater subjungit, patet intelligentia, & responsio ex *allatis locis cons. art. 1. §. 29. 30. & 31.* Paucis autem dico, hæreditatem, (sicut etiam legatum cum modo illicito) quæ Fratribus relinquitur, etiam cum clausula: *Quòd si non valet jure testamenti, valeat jure codicilli, & omni meliori modo, quo valere potest,* 18

test, *&c.* non valere quidem quoad Fratres ipsos institutos & nominatos;at valere in se,& quoad piam Causam in genere: (quæ ex se etiam sola gerit vicem hæredis,& legatarij) ut dictum est supr.*hic §.4.n.3.& in cons.art.3.* §.8.ad *Baldi* dictum. Undè non pertinet ad succedentes ab intestato, tanquam non scripta absolutè; ut tradunt multi,quos retuli *locis in cons.cit.* & post illos Gabrielius *lib. 4. commun. conclusionum.tit.de hæredib. institut. concl.1.num.1.2. 3. 5. & 6.* affirmans de communi cum Bartolo, Baldo, Ancharano,Aretino, Cardinali, Abbate, Romano,Imola, Felino, Guillelmo Benedicti, & alijs. Minùs verò pertinet ad cohæredes, nisi à Testatore fuerint substituti; ut dictum est *ubi suprà, in Consilio.*

19 Hinc minimè consentio doctrinæ Navarri, quam ille Doctor *n.10.*assumit, inquiens: Idem de legatis docet Navarrus &c. quòd relictum incapaci à Testatore habeatur pro non scripto : per *l.si in metallum:ff.de his,quæ pro non scrip.hab.*Ex quo Fratres nullum habent Jus exigendi,consequenter nec capiendi&c. minimè,inquam, huic doctrinæ consentio, quam toto cœlo alienam censeo non à pietate tantùm, sed ab ipsa naturali æquitate,& veritate. Nisi intelligatur,secundùm distinctionem mox *suprà* traditam, & *alibi in cons.*ad dictum *Baldi* : Quòd scilicet relicta, quorum Fratres Minores sunt omninò incapaces,habeantur pro non scriptis , quoad ipsos, non autem in se absolutè,& quoad piam Causam in communi. Atqui iste non est sensus Navarri,& aliorum, sequacium , dum illa adjudicant hæredibus accrescentia : immò loquuntur etiam de annuis legatis simplicibus, quorum propriè dictorum tantùm incapaces sunt Fratres Minores , seu ex titulo civili legati: Omninò igitur illam reijcio, velut paralogisticæ innixam ratiocinationi; ut pluribus ostensum est *in cons.art.1.2. & 3.* & iterum sic ostendo.

20 Debuisset enim Navarrus , & quisquis illi aut facem prætulit, aut adstipulatus fuit, distinguere Incapaces in duplici differentia : in alios scilicet , qui tales sunt ob Juris communis dispositiunem , seu prohibitionem, quibus videlicet lex resistit ratione aut turpitudinis natalium , aut delicti , vel propter capitis diminutionem;quales sunt servi pœnæ , deportati , ad metallum damnati &c. & in alios , qui solummodò incapaces sunt juris ob Paupertatis votum ; quibus quippè ex propria electione, & heroïca virtute abdicantibus à se per solemnem Professionem omnes actus politicos, omnéque civilis juris suffragium,lex quidem non assistit , sed nec resistit. Atque adeò debuisset advertere, quòd leges,quæ relicta incapacibus pro non scriptis habenda decernunt , ita ut ritè cedant hæredibus , vel alijs succedentibus ab intestato , vel alio modo;loquuntur de Incapacibus primi generis, ut nos ipsi notavimus cum Gloss.*in consil. art.1.paragrapho 18. & 30. & artic.3. § 1. & 2.* non autem de secundi generis, quales sunt Fratres Minores, tàm in communi, quàm in particulari.Hócque optimè etiam observavit Marcus Antonius Peregrinus *in tract.de Fideicommissis,artic.11.num.100.*

Hoc confirmatur per id , quod ex *Imola* tradit Felinus *super cap. in præsentia : de probationibus , num. 54. col.*407. de Testamento Monachi facto ante ipsius professionem : quòd scilicet, licèt ille Monachus videatur capite minui;quia transit in potestatem Monasterij ; tamen , quia diminutio non contingit per actum vitiosum , non vitiatur testamentum, nec rumpitur , aut revocatur ullo modo , vel Jure resistente ; sed firmum omninò manet ; sive Religiosus ille professus fuerit in Religione incapaci succedendi, adeóque & rumpendi, sive etiam capaci, cui nihil relictum sit ; sive etiam tempore testamenti cogitaverit de ingressu, sive non. Et ità docet Sanchez *lib.7. in Decalog.cap.3. num.34.* huic sententiæ , tanquam multò , ut ipse ait,veriori adhærens , cum Speculatore, Baldo , Antonino , Abbate, Parisio, Beroio, Additionatore ad Decium,Mantica, Franco, Aretino, Alciato , Viglio, Horioto , Angelo, Sylvestro , Tabiena , Armilla, Gregorio Lopez, Navarro , Sarmiento, Julio Claro,Molina,Mattheatio,Tapia,Azorio,Vega,Roderico,& alijs , quos ad saturitatem allegat, etiam *num.seqq.* 21

Atque hæc sententia vera est , non solùm attento Jure antiquo ante Tridentinum,sed etiam post Tridentinum, non obstante ejus Decreto *sess.25. cap.16. Nulla quoque renunciatio &c.* Quia, ut refert Joannes Guterius *in repet.in cap. quamvis:de pactis,§. dum nuptui tradebatur,num.4.* non de fuit quidam satis acuti ingenij Jurisperitus, qui prædictum Decretum intelligendum docuerit in renunciatione,& obligatione, quæ fit inter vivos,secùs verò in testamento , quod ingrediens Monasterium potest ante ingressum jure facere, testando de omnibus bonis suis, prout voluerit ; neque ingressu Monasterij testamentum, rumpi ut *in Authent. de Monachis,§. illud : & in §. nunc autem : & in authen.si qua mulier : C. de Sacros. Eccles. & in auth. nunc autem : C. de Episcopis, & Clericis: & in c.si qua mulier : 19.quæst.fin.*Undè,cum 22

Sacrum

Sacrum Concilium tantùm loquatur de renunciatione, & obligatione, quæ quidem inter vivos fiunt, non debet extendi ad Testamentum, quod est actus Morientis, & deambulatorius usque ad mortem; (ita ut nec possit ipsemet Testator eam sibi legem in testamento dicere, quòd ab illa dispositione recedere non possit: *l. si quis: in princ. ff. de legatis* 3. & ibi communiter Doctores) cum per hunc intellectum evitetur legum correctio: & quod nun mutatur, quare stare prohibetur? ut *in l. jubemus: Cod. de testamentis: & in l. præcipimus: Cod. de appellationibus.* Certè autem hujus Jurisperiti intellectus videtur verus Guterio *cit.* tametsi ipse non audeat (ut ait) illum affirmare, eò vel maximè, quia sunt diversæ opiniones inter Gloss. & Doctores *in Iuribus supra allegatis*, An Monachus ante ingressum possit condere Testamentum, præcipuè attenta Lege 17. *tit.* 1. *partita* 6. quæ post ingressum prohibet testari: de cujus Legis intellectu, ultra Greg. *ibi Gloss.* 1. videndus est Covarruvias *in cap.* 2. *n.* 5. *ad fin. de Testamentis.*

23 Nihilominùs sententia, seu interpretatio illius Jurisperiti ad Concilij Decretum prædictum, jam communis est inter Juris utriusque Consultos, & Theologos, quin & canonizata per declarationem Pij V. sanctæ mem. & Sac. Congregationis Cardinalium ejusdem Concilij Tridentini Interpretum; ut constat ex nostris Constitutionibus (*cap.* 2. *vers. Eperche:*) confirmatis ab Urbano VIII. ibi: *Ma tale alienatione de proprij beni, se non l'haveranno fatta avanti l'ingresso della Religione, dopò che haveranno preso l'Habito, non si permetta farsi avanti il tempo determinato dal sacro Concilio di Trento, con le conditioni contenute nel cap.* Nulla quoque renunciatio, &c. *Per il quale però non s'intende esser prohibito à Novitij il poter fare testamento, quando loro parerà; si come è stato dichiarato da Pio quinto di santa memoria, e dalla Congregatione de gli Eminentissimi, è Reverendissimi Deputati à tale Ufficio.* Hæc ibi.

24 Concordant Lezana *tom.* 1. *Sum. cap.* 24. *numero* 35. allegans Navarrum *comm.* 2. *num.* 50. *de Regular. & lib.* 3. *Conf. in* 2. *edit. tit. de Regular. consf.* 83. & Azorium *tom.* 1. *Instit. Moral. lib.* 13. *cap.* 9. *quæst.* 2. & Sanchez *cit. num.* 3. & apud ipsum Covarruvias, Grassus, Gutierez, Valdes, alios referens, Tapia, Molina, & alij. Et post hos omnes Diana *part.* 8. *tract.* 6. *de Donationibus, resol.* 86. apertè docet, donationem ex ultima voluntate, seu causâ mortis, factam à Novitio post ingressum Religionis, validam esse in utróque foro, non obstante Decreto *Conc. Trid.* citato Nam ex tali Decreto non carent (inquit) Novitij facultate condendi Testamentum, seu Codicillum, seu aliter donandi causâ mortis; seu ex ultima voluntate, etiam non petitâ Superioris Religionis licentiâ: si tamen aliàs sint capaces donandi; liberéque, non coactè id faciant, & donent de suo. Ita ille ex Bartholomæo de Vecchijs *in Praxi recipiendi Novitios, disp.* 8. *dub.* 10. *n.* 3. testante de prædicta declaratione Sac. Cõgregationis *sub die* 22. *Ianuarij* 1598. Vide etiam Homobonum *in Consultat. Moral. resol.* 2. *part.* 6. *respons.* 80. Et quod dictum est: *Etiam non petitâ Superioris Religionis licentiâ:* asserit etiam Sanchez *cit. eo num.* 3. & *num.* 4. ait: Quòd quidem verùm est, etsi Novitius ille sit Ordinis Minorum, quia in illo quoque militant rationes propositæ: & ita docet Francbus *in Rubrica de Testamentis, in* 6. *num.* 67. Navarrus *numero præced.* allegatus.

Nec obstat, quod docet Corduba *super Reg. Minorum, cap.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 2. dicens, Novitios Ordinis Minorum volentes in eo profiteri, teneri distribuere bona sua in pauperes. Nam Manuel *qq. Regul. tom.* 3. *quæst.* 16. *art. ult.* id reprobat, probans optimè, solùm esse consilium. Sed hac de re videndus est omninò Politius noster *in cap.* 2. *Reg. num.* 58. *&* 59. ubi hoc Christi consilium quidem ait esse, sed quicumque ad mentem hujus Regulæ professor esse voluerit Evangelicæ Paupertatis, ad sua eroganda bona pauperibus teneri videtur; nisi aliqua rationabili causa excusetur, adeóque ei liceat illa parentibus, vel amicis relinquere; putà quia litigijs essent involuta, vel ad evitandum scandalum, de quo posset probabiliter timeri, vel ad magis attrahendum eos ad Dei servitutem, vel ad Religionis amorem, & devotionem; vel alia quavis rationabili causâ. Ob id enim etiam Seraphicus Pater ait: *Quòd si facere non poterint, sufficit eis bona voluntas.* Et habemus ex Chronicis, quòd ob hujusmodi rationabilem causam ipsemet Sanctus Pater concessit Joanni simplici, ut parentibus suis indigentibus, & alioqui ægrè nimis ferentibus, scandalúmque patientibus, bovem hæreditarium relinqueret. *Chronic. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. At, quidquid sit de hoc puncto; utrumque fieri per testamentum potest; sive nimirùm bona distribuantur pauperibus, vel distribuenda legentur; sive relinquantur parentibus, vel amicis, ut patet ex praxi. 25

Verum quidem est, quòd nulla existente, aut sequente Professione, nulla quoque censetur donatio facta à Novitio; ut ex Hostiense, Joanne Andreæ, & Abbate *in cap. quod à te: de Cleric. conjug.* ubi docent, quòd Monachus 26

Monachus Professus, si licitè à Religione recedit, recuperat bona Ecclesiæ collata contemplatione ingressus in Religionem: tradit Diana *citat.* & videri potest etiam Natta *in Conf.*181 *num.*1. *& seq.* Ubi obiter etiam hoc nota; quòd Regularis post emissam Professionem potest declarare, seu interpretari dispositiones dubias, & obscuras, quas fecit ante Professionem; ut benè Cæsar Carena *resol.*197.*n.*6. allegans Rodericum, Sanchez, Molfesium, Joan. Mariam Novar. & Cyriacum; & ita docet noster ipse Bonagratia, cujus expendimus sententiam, *in Summula qq. Regul. V. Novitius*, cum nostro item Bassæo *tom.*1. *v. Novitius, num.*30. Vides ergo ex hac confirmatione, quomodo Religiosi, etiam Fratres Minores, ob solemnia Vota non ita fiunt incapaces, ut Leges eis resistant. Quòd si Jura non resistunt eorum dispositionibus testamentarijs, & legatis per ipsos alijs relictis, etsi capite minui videantur per Professionem; minùs resistere censenda sunt dispositionibus Fidelium, qui pietatis causâ legata ipsis relinquunt. Incapacibus enim primi generis *suprà* explicati æquè Jura resistunt in uno, ac in alio. Sunt igitur Fratres Minores incapaces secundi generis, neque ullo Jure irritantur testamentariæ quæcúmque dispositiones pro ipsis factæ; adeóque utcúmque sint earum recipiendarum incapaces ipsi Fratres, sustinendæ omninò sunt eædem dispositiones, & ultimæ voluntates in se, & pro Causa pia in communi, habendæque pro scriptis.

27 Ampliùs addo, quòd relicta etiam Incapacibus primi generis, & quantumvis capitis diminutionem patientibus, si sint ad alimenta, (qualia profectò censenda sunt ea, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur, quippè qui ad alimenta tantùm recipere possunt necessaria, modo licito, & cum moderaminibus requisitis) & ad necessariam vitæ sustentationem, cujus nomine veniunt cibaria, vestes, habitatio: ut alibi dictum est; sustinentur à Legibus, & pro scriptis admittuntur; ut *in Conf. art.*1.*§.*16.*& art.*3.*§.*2. allatis Juribus, ostensum est.

28 Sed vide, pro hisce dictis contra Navarrum, ejusque sequaces in hoc proposito, vide, inquam, Jasonem *in l. ex facto: §. Iulianus: num.*9.*&* 10.*ff. de vulgari, & pupillari substit.* ubi affert, approbátque Aretinum, qui reprehendit Joannem de Imola in eo, in quo Fratres Minores æquiparat servis pœnæ; quin & inferioris (ut ipse ait) efficit conditionis, quoad capacitatem legatorum sibi relictorum, etiam ad alimenta, &c. Ratio autem reprehendendi, Aretino est; quia Fratres (inquit) Minores non sunt effecti incapaces ex delicto; prout servi pœnæ: sed remanent liberi homines; prout tenet Baldus *in authen. ingressi: circa princ. C. de sacros. Eccles.* & sequitur Petrus de Ancharano *in Clem. Exivi: in ultim. col.* Quare etiamsi ipsi Fratres sint incapaces jure actionis (Nota germanum modum exprimendi incapacitatem Fratrum, quoad legata annua simplicia) eorum, quæ sibi relinquuntur sine expressione modi illiciti; ea tamen haberi debent pro validè scriptis, & sustineri de facto. Ita ille.

Immò idem Aretinus *in l. planè, §. conjunctim:* quem refert ipse Jason *in l. si fundum: §. si Titio, & Mævio: numero* 11. *ff. de legatis* 1. docet, quòd legatum factum servo proprio sine libertate, valet, inspecto Jure naturali, seu Jure Gentium primævo: undè oritur obligatio naturalis inter servum, & hæredem; quæ obligatio naturalis potest esse inter servum, & Dominum; ut *l. si id, quod: in princ. ff. de condit. indebiti: & l. quibus diebus: §. Dominus: digest. de demonstration.* nec repugnat Mendicitati, vel Paupertati Fratrum Minorum, quòd ea etiam sit inter ipsos, & alium quempiam tam activa, quàm passiva utrimque; ut tradidimus *in Conf. artic.*3. §.1. cum Politio, & alijs Regulæ Expositoribus communiter. Quare, cùm hujusmodi legatum valeat saltem respectu, & ex vi naturalis obligationis, (quæ secundùm eundem Aretinum, etsi non secundùm Jasonem, ut mox dicemus, impedit jus accrescendi) non est dicendum omninò inutile. Atque adeò idem à fortiori dicendum est etiam de legato facto Fratribus Minoribus; quippè qui sunt liberi, non servi, nec tanquam servi censendi sunt propter votum Paupertatis; nisi servi Dei dicantur, aut Christi, non Cæsaris, aut alterius hominis. 29

Præterea, dato, & non concesso, quòd obligatio naturalis non impediat jus accrescendi: ut contra Aretinum *citat.* contendit Jason *ubi suprà*; adhuc legata pia (qualia certo certius sunt, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur) nunquam ritè accrescere hæredibus censenda sunt. Etenim de Jure speciali sustinentur, & conservantur, pro pia Causa in se, & in communi, sin minùs pro Fratribus, quoad quos substantiam capiunt ex modo ipsis licito, vel illicito; ut *supra hic, & alibi* docuimus. Ideò in his non habet locum jus accrescendi, etiamsi talia sint, quæ à Fratribus prædictis, non solùm non acceptentur civiliter, sed etiam omninò respuantur; putà quia facta cum expressione modi ijsdem illiciti, vel quia superflua, &c. Semper enim, 30

ut

ut dictum est, conservantur de Jure speciali, tanquam facta pro bono animæ testatoris, & cultu Dei. Quo profectò casu jus accrescendi cessat omninò: *l. si mihi, & Titio: digest. de conditionib. & demonstrat.* ex qua Decius *super Rubric. Cod. Quando non petentium partes petentibus accrescant, numero* 17.

31 At, stando etiam in Pauperum causa, qualis est, citra dubitationem, causa legatorum Fratribus Minoribus relictorum; profectò vel Pauperum dumtaxat causa, pia est; ut nos *alibi in Cons.* ostendimus, & docent ampliùs in terminis Baldus, & Ludovicus Romanus *in Authent. Similiter: Cod. ad legem Falcidiam:* & est communis opinio, quam resolvit Andreas Tiraquellus *in tract. de privil. piæ Causæ, in præf. col. 5. vers. Idem relicta pauperibus:* & sequitur Emmanuel Costa Lusitanus *in repetit. in cap. si Pater: de testamentis: numero nono.* Et procedit hæc sententia etiam de causa Pauperum incertorum. Quò fit, ut pauperum etiamsi incertorum institutio ad aliquod legatum, de Jure speciali sustineatur, ob favorem specialem piæ Causæ; quamvis aliàs non videatur valere; quasi incertarum personarum: ut tradit, allatis Iuribus, & Doctoribus, Salyceto, Socino, Ludovico Lusitano, & alijs, Costa *citat. numero octavo, & decimo*, ubi ait, Imperatorum sensum esse, quòd favor pietatis præcipuè in hoc versetur: Ergo ob eandem omninò rationem sustineri censeoda est de Iure speciali Institutio Fratrum Minorum ad legata, quoad piam Causam in se, & in communi, sin minùs pro ipsis Fratribus quamvis valere non videatur; quia facta de personis juris incapacibus, utpotè civiliter mortuis. (Ubi nota, quòd dicitur: *Iuris incapacibus*; non, *de*, vel *ex Iure incapacibus:* sunt enim incapaces non primi, sed secundi generis; ut supra explicatum est) Atque hoc ipso argumento relictorum Pauperibus in communi usus est pro Fratribus Minoribus etiam Castro Palao, allatus *in Cons. art. 3. §. 2.*

32 Confirmantur autem hæc, ad hominem, contra Iasonem; qui *vult loco supra citat.* & in *l. planè: paragrapho si conjunctim: digest. eodem titul. numero decimo quinto*, contra Aretinum *citat.* & alios negat, quòd obligatio naturalis impediat jus accrescendi: Hic enim *in l. re conjuncti: digest. de legatis 3. numero ducentesimo*, (& idem repetit *ibid. numero ducentesimo quinto*, aitque tenendum pro una Conclusione) affertos casus, in quibus cessat jus accrescendi; Sextos(inquit) casus est, quando quis perfectè non excluditur à parte sua; quia saltem sibi ex aliqua æquitate, vel ex aliqua obligatione naturali, Gentiumvè debetur: tunc non habet locum jus accrescendi, nec ejus portio alteri accrescit: *l. planè: paragrapho si conjunctim:* & ibi Gloss. & Scribentes *digest. de legatis 1.* & *ibid.* Baldus, & Florentious notant, quòd non habet locum jus accrescendi, quando portio non est omninò defecta, sed sustinetur aliqua naturali ratione, vel Gentium. Ad idem est text. *in l. hujusmodi: paragrapho si Titio: digest. de legatis: 1.* Bartolus *in l. si duo Patroni: in princ. Authent. de Iurejur.* Hæc Iason *in d. l. re conjuncti: loco cit.* qui etiam *in d. l. planè: eo paragrapho si conjunctim: numero quinto*; notandum docet ex *secunda parte illius textus*, quòd qui non admittitur ad partem (scilicet ad legatum) de rigore juris, sed de æquitate & humanitate, facit partem; idest facit, quòd alter conjunctus non habet alteram partem sibi non relictam: & sic portio, (idest legatum,) quæ sustinetur solùm ex naturali æquitate, impedit jus accrescendi, de quo pleniùs *in Glossa*, &c.

Et conformiter ad hæc, idemet *ibid. numero decimo tertio*, affert, approbátque Gloss. *in d. l. planè: paragrapho eod.* docentem, quòd licèt legatum factum servo proprio sine libertate, strictò jure, seu secundùm rigorem juris, non valeat, ut detur actio; tamen ex æquitate & pietate valet, & ipsi servo debetur; quia non debent hæredes esse ita impij, quin legatum præstent illi servo; ut ex text. notab. *in l. penult. paragrapho illo: Cod. de necessarijs servis heredib. instit.* Et cum hac *Gloss.* testatur idem Iason tenere Bartolum, & communiter alios. Atque idipsum testatur *in d. l. hujusmodi, paragrapho si Titio & Mævio: num. 10. & 11. ff. de legat. 1.* 33

Quæ cum ita sint, & ab ipsomet Iasone admittantur, ut constat; non mihi videtur, posse ipsum inficiari Aretino, & alijs, quòd obligatio naturalis (saltem in allatis casibus, adeóque in casu Fratrum Minorum, cùm præsertim nec instituuntur conjunctim, aut re, aut verbis) impediat jus accrescendi, sufficiátque, ut legata ijsdem relicta habeantur pro scriptis, utque hæredes non fiot ita impij, quin illa præstent Fratribus, etsi non de Iure erga ipsos, saltem de facto ex naturali æquitate & humanitate; & ut omni meliori modo pias Testatorum voluntates impleant, qui ea reliquerunt pro bono animarum suarum. 34

Segmenti Tertii

Summarium.

NOn igitur, ut dixi, Navarrum in hac parte audio, nec tutè à quopiam ipsum audiendum censeo, qui conscientiæ vel propriæ, vel alienæ ritè consulere velit. Esto enim, quòd obligatio naturalis, maximè quæ nunquam fuit conjuncta cum civili, cum non pariat actionem in foro; ut ait Iason *citat.* non impediat jus accrescendi in foro fori, quod est Ius Civile, seu Lex humana; adhuc tamen impedit (satisque hoc solum est pro nostro instituto) jus accrescendi in foro poli, (ut ipsemet Iason non potest non tandem admittere) quod est Fas & æquum, seu Ius naturale divinum, vel Lex humana, secundùm Gloss. *in cap. Omnes Leges: distinction.*1. Forus enim poli, seu conscientiæ est forus boni & æqui, & tribunal veritatis, & non fictionis; nec in eo apices Iuris excusant; ut appositissimè tradit Baldus *in l.un.in 3. col. C.de confessis.* 35

Confirmantur denique, hæc dicta etiam ex Bartolo *libro secundo, Minoric. quæstion. distinction.7. capit. secundo, & tertio*, ubi disertè docet, legata annua Fratribus Minoribus facta deberi Fratribus ipsis ab hæredibus, vel executoribus præstari ex obligatione naturali, & ex æquitate, unde oritur officium Iudicis; non ex obligatione propriè & strictè dicta, seu civili; ita ut possint Fratres ipsi ea legata petere extra judicium: sicut (inquit ille) quando à Testatore legatur aliquid servo proprio sine libertate: *l. Quidam: paragrapho, illo: Cod. de necessarijs servis hæred. institut.* Ex quibus Bartoli dictis clarè patet, quòd quando ipsemet alibi dicit, legata annua Fratribus Minoribus relicta nullo modo valere; vel Fratres esse eorum omninò incapaces: loquitur de valore, & capacitate civili, & politica, & in foro fori; nam cæteroqui sustinet, (ut vidimus) ea valere in foro poli & conscientiæ, & hæredes obligari naturaliter ad ea ipsis solvenda, citra obligationem politicam, qua Fratribus tenerentur, 36

neantur; juxta declarationem Nicolai III. *in cap. Exiit*: Sicque habenda sunt pro scriptis, saltem in foro poli, sin minùs in furo fori; ut dictum est, & ad saturitatem probatum. Videatur ille.

37 Nec quisquam pro *Navarri* hactenùs confutata sententia sustinenda urgeat, sic edisserens. Legati annullatio, seu caducitas trifariàm in genere accidit; ut tradunt Juristæ, & Summistæ, Sylvester, *v. Legatum 1. quæst. 17. num. vigesimo primo*, Iodocus Lorichius *in suo Thesauro utriusque Theologiæ tom. 2. v. Legatum §. 6* & alij communiter. *Primò*, ex parte scriptionis; & tunc propriè dicitur legatum haberi pro non scripto. *Secundò* ex parte legatarij; quod dicitur etiam in Casu caduco. *Tertiò* ex parte cujuscúmque impedimenti; & tunc propriè dicitur caducum.

38 Ex parte scriptionis trifariàm iterum potest legatum fieri caducum, seu haberi pro non scripto in testamento: aut scilicet quia testator credebat vivere legatarium, quem scripsit, vel scribi jussit; cùm jam esset mortuus: aut cùm legatur res, quæ nec est, nec esse potest: ut equus mortuus, quem testator putabat vivere: aut denique cùm legatur res, quæ non potest venire in commercium hominum, seu legatarij; aut si potest, id non potest fieri nisi cum magna difficultate, secundum *Azonem*; hoc est, quam nuo licet alienare, vel cujus legatarius nullatenùs potest esse capax.

39 Ex parte legatarij fit item legatum caducum, seu nullum, tribus modis: aut cùm legatarius moritur ante Testatorem, vel fit servus pœnæ: aut cùm testamentum improbè inofficiosum dicit; ut *in l. Papinianus: §. meminisse: ff. de inofficioso testamento*: aut denique si præbeat causam gravium inimicitiarum inter se, & legantem; tametsi facta reconciliatione concedatur ei legatum; sicut & in levioribus inimicitijs: ut *l. 3. in fin ff. de adimend. vel transferend. legatis: & l. si inimicitia. ff. de his, quibus ut indignis aufertur hereditas*.

40 Ex parte impedimenti amittit etiam legatarius legatum, ac si scriptum non fuisset, quocúmque eveniente impedimento, quod mereatur amissionem; putà si legatarius ipse legatum spernat: aut si conditio aliqua annexa est legato per legatarium implenda, & ab illo non adimpletur, vel aliàs deficit; aut hujusmodi.

41 Jam verò ad rem. Quando Navarrus asserit, legata annua Fratribus Minoribus facta haberi pro non scriptis, &c. non hoc asserit esse ex parte legatariorum, quasi quia sunt civiliter mortui, aut sint, vel comparandi sint servis pœnæ; (id quod hactenùs in terminis impugnatum est) sed provenire vult ex parte scriptionis; quia scilicet legatur ipsis Fratribus res, quæ non potest venire in eorum commercium, & usum, neque de facto simplici; legatur enim eis annuus reditus; cujus, nec quoad simplicem facti usum, sunt ipsi capaces; ut constat *ex Clement. Exivi: paragrapho Proindè: vers. Cúmque annui reditus*: Non, inquam, pro *Navarri* sententia fulcienda urgeat quisquam sic.

Respondeo enim, jam satis ostensum fuisse *in Cons. arti. primo paragrapho decimo octavo*, ipsomet quoque Navarro interprete, *Clementinæ* sensum *eo loci*, esse de annuis reditibus, vel propriè dictis, vel qui de facto etiam simplici dicunt usum, vel usumfructum boni immobilis, vel inter Immobilia computati, non autem de annuis legatis simplicibus impropriè dictis, & per modum simplicis eleemosynæ, ex sola obligatione conscientiæ per hæredes, vel gravatos Fratribus præstitis. Esto igitur, quòd Navarrus non exorbitet, & loquatur de annuis legatis Fratribus, ut præfertur, per omnem modum interdictis; ita ut ab ipsis, & eorum receptione per omnem modum abstinere debeant, expressè respondeo; ut decernitur etiam per Nicolaum III. *in cap. Exiit: paragrapho Ad hæc, quia*: ideóque, quoad hoc, verè pronunciet, Fratres esse talium legatorum omninò incapaces, nec posse illa, quatenùs talia, in ipsorum commercium, sive usum, etiam de facto simplici, venire: adhuc tamen exorbitare perhibetur in eo, quòd pronunciat legata ipsa caduca, & pro non scriptis habenda, ita ut tutissimâ (ut ait Sanchez alibi refutatus) conscientiâ possint ea sibi hæredes, vel gravati retinere. Id enim profectò de hujusmodi legatis neque à Pontifice *in eo paragrapho. Ad hæc, quia*: declaratur; (ut falsò asseruit Sanchez alibi rejectus) sed tantùm decernit, quòd ab illis, & illorum receptione sub tali modo Fratres omninò abstineant; ut dictum est, & patet *ibi in textu apertissimo*. Siquidem rationabiliter supponi potest, quòd Pontifex ex *eo loci* providere intenderit (ut se exprimit) conscientijs Fratrum quoad illa legata, remittens de reliquo legata ipsa dispositioni Juris communis, præsertim ut pia. Cúmque, secundùm Jus commune, ubi res legata, etsi non ad causam piam, non potest venire in commercium, sive usum legatarij, tunc tantùm legatum censeatur caducum, & pro non scripto habendum, quando id evenit culpâ legatarij; quo casu neque ei debetur æstimatio, seu pretium rei legatæ: sin autem, debetur ei æstimatio pro re legata; ut com- 42

Fideles ad relinquenda sibi legata cum onere Missarum. Vide rationes improbandi *in Conf. art.* 1. §. 19. 20. & 21. & *art.* 3. à §. 10. & deinceps. Summa earum est; quia id, est procurare provisiones in futurum, quas (etsi moraliter tantùm, non civiliter certas) tam procurare, ut ab alio fiant, quàm re ipsa facere vel per se, vel per interpositam personam, contra votum Minoricæ, ejusque altissimæ Paupertatis est; ut docet Politius noster *in cap.* 6. *Reg. num.* 79. & *seqq.* cum communi Regulæ Expositorum sensu.

47 Hactenùs quoad illa, quæ habet præfatus P. Bonagratia *in dicta sua Resolutione, usque ad numerum* 10. inclusivè. Quæ verò deinceps, jam expendamus.

48 Omninò igitur mibi probatur in ijs, quæ tanquam certa in ea interlocutoria quæstione subjungit *num.* 11. & 12. prout jacent *ibi*. Minùs tamen probatur in eo, quòd absolutè, & sine ulla distinctione, tanquam certum, pronunciat *num.* 13. nimirùm legata perpetua, (simplicia intellige, cujusmodi est hoc, de quo in *Casu præsente* sive gratuita, sive pro Missis, si sint in se valida, & obligantia ad solutionem, expressam babere cum statu nostro, & Mendicitate repugnantiam, &c. Probaretur autem omninò, si distinxisset inter annua legata simplicia propriè dicta, & ea, quæ impropriè, secundùm nostra principia *in Conf. art.* 1. §. 12. sive (ut alij loquuntur) inter legata per modum legati, & legata per modum eleemosynæ, ex mera ordinatione testatoris, citráque obligationem civilem præstita. Prima enim, quippè valida in se civiliter, & obligantia ad solutionem in foro fori, parientiáque in legatarijs capacibus actionem civilem in judicio contra hæredes, vel gravatos, aut executores, utique expressam babent cum statu, & Mendicitate nostra repugnantiam: & ideò *Bartolus* ait, ea sic non valere, nec eorum sic esse capaces Fratres Minores. Secunda verò nequaquam; utpotè valida, & ad solutionem obligantia in foro conscientiæ tantùm, obligatione naturali, non politica, & citra actionem in foro contentioso competentem Fratribus, vel alteri cuipiam ex parte ipsorum specialiter se babenti. Et sic tenet Bartolus (ut *suprà* vidimus) benè intellectus, nec quisquam, aut P. Sanctes, quem P. Bonagratia ibi allegat, aut alius ritè cum Bartolo sentiens aliter sentire potest. Solùm enim annua legata simplicia primi generis, quippe quæ dicunt certitudinem civilem, pugnant cum dependentia speciali à divina providentia, ad quam tenentur Fratres, tollúntque mendicitatem eorum; non autem illa secundi generis, etiamsi perpetua, & quantumlibet multiplicata ad totalem (quod vix tamen contingere potest) Fratrum sustentationem, quia certitudinem nunquam important plusquàm moralem; ut abundè *in Conf. art.* 3. §. 16. & alibi *locis ibi cit.*

Neque huic sensui obstant Statuta Generalia Barcbinonentia, quæ *eo n.* 13. adducit idem P. Bonagratia: attenta præsertim doctrina S. Bonaventuræ, quam nos expendimus cum formula Protestationis à Fratribus circa hujusmodi, & alia, pro eorumdem diversitate, legata facienda, *in Conf. art.* 2. §. 2. & 3. 49

Hinc patet quid dicendum ad id, quod statuit prædictus Pater, & Doctor *n.* 14. dicens: Facta Protestatione, si hæres ex libera sua voluntate, &c. ut ibi. Dico enim Sanchezinam illam doctrinam habere locum in legatis cum expressione modi illiciti; ut importantibus usumfructum, vel factis in fraudem hæreditatis, &c. quæ Fratres omninò tenentur expressè, ut talia respuere. In reliquis vide dicta *in Conf. loc. cit.* & *art.* 1. à §. 29. Atque hactenùs de argumento præsentis Paragrapbi dicta sufficiant. 50

---

§. V.

Sequitur argumentum Paragraphi præcedentis, quoad Conclusiones ejusdem Authoris.

SVMMARIVM.

1 *Legatum annuum Minoribus relictum cum onere Missarum non repugnat eorum paupertati, & quomodo præstari debeat,* & num. 2.

2 *Ex falso potest sequi verum in bona consequentia.* R. *P. Bonagratia conclusiones expenduntur,* ibid. & num seqq.

3 R. *P. Bonagratia secunda conclusio approbatur quoad primam partem, nimirum piam testatoris voluntatem adimplendam specificè quantum fieri potest,* & n. 4.

4 *Testatoris voluntas, ubi de illa constat, ab hæredibus vel executoribus impleri debet, etiam in prophanis, multo magis in causis pijs.*

5 *Legatum annuum Minoribus Capuccinis relictum cum onere Missarum nunquam fit caducum, sed Capuccini in primis juxta mentem testatoris requiri debent ad Missas celebrandas; ipsis verò recusantibus, illud onus ab alijs sacerdotibus impleri poterit, ut declaratur,* ibid.

6 *R. P. Bonagratiæ Tertia conclusio refertur: & absolutè sumpta reijcitur.*

7 *Minores Capuccini non tenentur certiores facere Executores testamentarios de*

 nullitate

nullitate obligationis primitùs constituendi ipsos ad Missas celebrandas ipsitque solvendi legatum. Et qualiter protestari debeant, declaratur, ibid. remissivè.

8 *R. P. Bonagratia quarta conclusio adducitur, quæ etiam declarari debet, ut* n. 9.

10 *Capuccini possunt licitè mendicare eleemosynam ab eo qui præ cæteris creditur daturus.*

11 *Capuccini possunt recipere Missas celebrandas si velint, licèt Executores fundationis teneantur in conscientia ex voluntate testatoris primitùs illos requirere, seclusa tamen conventione.*

12 *Quod Curatores piæ fundationis facere tenentur, multo magis hæredes.*

Ex qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet, ibid.

IAm superest, ut ad prædictorum lancem, ejusdem Autoris Conclusiones ad principalem quęstionem pertinentes expendamus.

1 Primùm igitur nullatenùs mihi probatur Conclusio prima; quâ nimirum *num.* 15. ait: dico primò: Legatum initio propositum, quoad eam partem, qua disponitur, ut Missæ primùm offerantur dicendæ Capuccinis, nullam inducere obligationem, quidquid in hoc Testator oneret conscientias Executorum, &c. Et sicut ipse constare ait rationem hujus conclusionis ex dictis, &c. ita egomet dico, patere ex dictis ad ipsius fundamenta *in §. præcedente*, rationem improbandi. Verè enim illa Ordinatio Testatoris, seu legatum valere perhibetur in foro conscientiæ, seu Veritatis, & poli, non in foro fori, seu contentioso; & obligationem inducere naturalem, non civilem, etiam quoad Fratres præstandi quotannis, seu exhibendi ipsis talem legatam eleemosynam cum onere Missarum illarum celebrandarum; nisi ipsi semel pro semper illam respuerint, spreverintvè, ut constat ex dictis *§ præcedente*. Neque necessitas solutionis stipendij faciendæ efficit, quòd naturam induat annui reditus ita certi, & determinati, quòd sapiat nimiam proprietatem, atque inter Immobilia connumeretur, &c. ut ille putat, & loquitur. Illa enim necessitas procedit adhuc ex obligatione dumtaxat naturali, non civili, aut ex contractu, vel pacto ullo; ut supponimus: Et in hoc nihil est repugnans paupertati, & mendicitati Minorum; ut constat ex dictis *loco cit. & alijs locis Consf. ibi allegatis*. Quapropter falsum est, quod ait ille: Quamobrem à tali legato, & ejus receptione Fratres per omnem modum abstinere jubentur *cap. Exijt: §. Ad hæc, quia*: Neque enim tale legatum ex illis est, quæ inferunt usum, vel usumfructum boni immobilis vel inter Immobilia computari, Fratribus ipsis directè legatum; adeóque sub modo illicito de quo loquitur Nicolaus *in illo Canone*, ut ostensum est *loco cit.*

Cum tamen ex falso possit sequi verum in bona consequentia; ut docent Logici, ubi de Regulis generalibus bonæ argumentationis. Hinc tanquam veram, & optimam accepto consequentiam illam, quam ille *ibid.* facit, inquiens: *Absit ergo illa opinio Rodriquez*, &c. quam etiam optimè ab ipso pronunciatam, quatenùs Rodericum respuit in illa doctrina; dixi *§. præcedente, num* 46. Minùs tamen quadrant ipsius rationes improbandi. Sed ratio germana est, quam adduximus *loco cit.* quia nimirùm esset procurare provisiones in futurum; quod Minoricæ repugnat professioni; quamvis fiant, & habeantur citra politicam certitudinem. Cæterùm, quod Fratres, citra ullam procurationem à seipsis factam, Missas illas ex naturali dumtaxat obligatione ab hæredibus, vel Executoribus, ex Testatoris ordinatione exhibitas annuatim celebrandas acceptent absque omni pacto, etiam nudo, pro stipendio ab ipso Testatore assignato, atque adeò illarum celebrationem necessariò consequente, necessitate tamen tantùm prædictæ obligationis naturalis; non est consentire in provisionem, aut quippiam aliud repugnans professioni Minorum, aut absurdum statui ipsorum; ut ex dictis patet; Nisi fortè accipiant, aut acceptent ad superfluitatem; ut videtur supponere perpensio Navarri ab eodem P. Bonagratia *ibid. in fin.* adducta contra mox rejectam *Roderici* doctrinam. 2

Secunda ejusdem Doctoris, *ibid num.* 16. Conclusio hæc est: Executores, quibus id legati onus relictum est, tenentur ea Sacra facere celebrari in Ecclesia, Altari, ac tempore à Testatore designatis: At non tenentur ea fieri curare per Capuccinos; sed pro suo libitu poterunt eligere vel Capuccinos, vel sæculares habentes conditionem à Testatore requisitam. 3

Huic Conclusioni, quoad primam partem assentior quidem, eamque indubiam teneo: quia non est dubium, quin Executores illi teneantur implere piam Testatoris voluntatem; ut dictum est *suprà* ad præcedentem Conclusionem, & *alibi*. Non tamen assentior propter rationem, quam Doctor ille affert ex Navarr. & Sanch. inquiens: Primam partem tradunt Navarrus *cit.* & Sanchez *superiùs alleg. n.* 50. ex *l. primo, §. pro secundo: Cod. de caducis tollendis*; ubi deciditur, legatum caducum pertinere ad hæredem; at tunc teneri implere onus 4

onus licitum ei adjunctum. Vteúnque enim ratio hæc valeat in sententia illorum Doctorum: at propter illam ipse non assentior prædictæ primæ parti conclusionis; quia supponit falsum, legatum nempe, quo de agimus, esse caducum: quod falsum esse, ostensum est *suprà*: nisi sit sensus, quòd sit caducum, idest non valeat civiliter, & in foro fori. Quemadmodùm nec caducum illud censendum esset, (nisi in hoc sensu, secundùm expressam Bartoli sententiam *suprà* allatam §. *præcedente*, *numer*.36.) etiamsi esset merè gratuitum, & sine ullo onere relictum Fratribus. Sed illis deberetur omninò, si vellent accipere, ex obligatione naturali, & in foro conscientiæ: & nequaquam pertineret, aut posset ritè accrescere hæredi, ut ex dictis §. *præced*. patet. Porrò *in illa l*.1. *§. pro secundo*: loquitur Justinianus de legatis profanis, & communibus, cum aliquo onere adjecto relictis; non autem de legatis pro Anima, adeóque ad piam Causam, secundùm Abbatem *in cap. nihil: de præscrip. numer*.10. & alios communiter Doctores; quod nunquam efficitur caducum, ut cum eodem Abbate, & alijs *alibi*, & *hic suprà* docuimus. Est igitur legatum istud validum, & omninò implendum juxta voluntatem Testatoris, atque ideò præstandum Fratribus primò, si velint ipsi accipere, cùm non teneantur illud respuere, quà tale est, hócque de facto, & ex mera obligatione conscientiæ ob testatoris ordinationem, & mandatum expressum; sin minùs de Jure, & ex obligatione civili, cujus tàm activè, quàm passivè sunt Fratres ex sua professione incapaces. Idque ad hominem convincitur evidenter ex ijs, quæ P. ipse Bonagratia ibi subjungit, illis verbis: Apparet etiam expressè, sic esse Testatoris voluntatem: intentio autem Testatoris primum locum obtinet in ultimis voluntatibus; & si de ea apparet illa tenenda semper Tusch. *lit.M.conclus*.199.*num*.25. ubi hoc extendit in omni ultima voluntate cujuscúnque qualitatis, sive sit directa substitutio, sive fideicommissaria, sive conditio, sive testamentum, sive codicillus; ut primo loco attendatur voluntas, & mens disponentis, sive expressa, sive tacita, sive conjecturata. Ità ille benè. Quòd si id servandum est in legatis profanis, quidni à fortiori in pijs, & pro Anima?

5 Hinc, & propter dicta in expensione præcedentis Conclusionis, non assentior secundæ parti conclusionis, de qua agimus; nimirùm: At non tenentur ea fieri curare per Capuccinos sed pro suo libitu poterant eligere vel Capuccinos, vel sæculares habentes conditionem à Testatore requisitam. Certum enim est & expressè constat ex forma legati, quòd Testator onerat conscientias Curatorum hujus fundationis, ut quantùm fieri potest curent, Missas illas legi per Capuccinos: neque illis facultatem facit constituendi alium, seu alios Sacerdotes exemplaris (ut inquit) vitæ, nisi in casu, quòd Capuccini Missas tales nolint, aut nequeant dicere, (præterquàm quòd hanc facultatem Testator facit in tali casu non Curatoribus, sed Magistratui; ut patet in expositione Casus, & formæ legati:) Atqui certum est etiam, & probatum *suprà*, posse Capuccinos, si velint, Missas tales legendas acceptare, si offerantur; modò acceptent citra pactum, etiam nudum, & absque omni conventione stipendij accipiendi: Ergò, ut exploratum fiat, an Capuccini Missas tales velint, & aliàs queant dicere, debent omninò Curatores, juxta expressum testatoris mandatum, illas in primis legendas exhibere Capuccinis, & quantùm fieri potest, curare (ipsos etiam rogando) ut per eosdem legantur. Quid, quòd si id non præstent, & ad libitum alios constituant; tenentur mandati, & fortè etiam furti, si non in foro fori, saltem in foro poli, & Dei? vide dicta *in conf. art*.3.§ 2.*&* 14. in hoc proposito *allatis juribus*. Quare omninò negatur quod pro secunda illa parte Conclusionis ab illo Doctore, & Navarro *citat.num*.10 subjungitur illis verbis: *Quare si curatores hujus fundationis Missas illas volunt committere Capuccinis &c*. prout *ibi usque in finem illius, numer*. 16.

Tertia illius Doctoris Conclusio est illa, 6
quam *num*. 17. ita pronunciat: Dico tertiò; quod si Capuccini oblatas illas Missas persolvant, ut Eleemosinam inde provenientem tutâ conscientiâ recipere valeant, debent executores legati certiores reddere de nullitate obligationis primitùs constituendi Capuccinos.

Hæc quoque Conclusio minimè mihi 7
probatur, prout sic absolutè pronunciatur, & in ea protestationis, seu certiorationis latitudine à Fratribus faciendæ executoribus legati: de nullitate scilicet obligationis primitùs constituendi Capuccinos, adeóque primitus solvendi ijsdem legatum illud. Qualiter igitur protestari in tali casu, certioréſve reddere Executores, vel hæredes; & de qua nullitate obligationis, seu de cujus obligationis nullitate explicare se debeant Fratres, quoad legata ipsis relicta sive omninò gratuita, sive etiam cum onere Missarum; patet ex dictis hîc & enucleatiùs tradi-

dimus eum S.Bonaventura, *in conf.art.2.§.2. & 3.* Ad rationem autem, quam ille affert ex Sanchez, satis item responsum est *in consil. art.3. paragrapho 6.* Frivola enim est, & ex falsa imaginatione asserta, ideóque & ipsa falsa est; quatenus in ea generalitate prolata, negat etiam teneri Executores, vel hæredes, aut gravatos in foro conscientiæ legatas hujusmodi eleemosynas dare Fratribus à Testatoribus expresse ad eas institutis. Ad confirmationem etiam prædictæ rationis patet responsio *in consil.art.2.paragrapho 2.*

8 Quartam verò, & ultimam Conclusionem statuit *ibi num.18.* Pater ille, hisce terminis: Dico quartò: facta commonefactione de nullitate prædictæ obligationis, possunt oblatas Missas acceptare legendas; & pro ijs deputatam eleemosynam non solùm recipere, verùm etiam petere, servatis aliàs servandis in quæstu eleemosynarum; necnon & ad ipsam pecuniam recurrere cum requisitis conditionibus in *Declarationibus Pontificijs.* Hæc ille.

9 Verùm displicet in hac novissima assertione, cæteroquì verissima, id quod repetitur; quoad protestationem Executori faciendam de nullitate obligationis prædictæ. Nisi explicetur de nullitate obligationis civilis, & iu foro fori, quæ sola facit eleemosynam illam civiliter certam, & omninò stabilem ex titulo civili immobili, & irrevocabili. Sanè autem id sibi voluisse indicat idemmet Auctor, dum in ipsa assertione ait: *De nullitate prædicta obligationis &c.* non autem absolutè ait: *De nullitate obligationis:* Sic enim per ly, *Prædicta*, indicat sensum suum etiam in superioribus fuisse non de nullitate obligationis in genere, sed in specie aliqua particulari, quæ videlicèt est civilis, sola utique repugnans Fratrum mendicitati, & dependentiæ speciali à providentia Dei, quam profitentur. Sed adhuc clariùs eundem suum sensum illemet monstrat in probatione asserti, dum inquit: *Probatur; quoniam sublata illa obligatione constituendi Capuccinos, hujusmodi eleemosyna certa civiliter non est, nec omninò stabilis &c.* Non tamen placet, quod pro hujus instabilitatis, vel incertitudinis ratione subjungit, dicens: *Cùm Executorum voluntates possint in contrarium mutari:* Nisi intelligatur, quòd tantùm id possit fieri in foro fori, in quo non possunt Fratres quicquam repetere, omni omninò actione civili ipsis ex voto ipsorum interdicta. At si intelligatur absolutè, quòd scilicet id fieri etiam possit in foro poli, seu conscientiæ: falsa est omninò doctrina; ut ostensum est *hic suprà*, & latiùs *in Conf. art.3. per totum*, & alibi.

Verùm in nostra denique sententia venit Doctor ille, dum docet ibi apertis verbis, non esse nobis illicitum, ab eo eleemosynam mendicare, idest petere, vel recipere, qui præ cæteris probabiliùs creditur daturus, ob devotionem in Ordinem, vel aliam quamcunque legitimam causam, modò absque obligatione civili id fiat. Ità ille. Pende verba, & dijndica, num à nostra sententia, vel in puncto absit, si conformiter ad hæc se explicuisset in præcedentibus. 10

Non igitur erit illicitum Capuccinis recipere Missas illas celebrandas, si velint, etiamsi Curatores illius fundationis teneantur in conscientia ex legitima ordinatione testatoris primitùs curare, ut Missæ illæ per Capuccinos fiant; non autem teneantur ex titulo civili Fratribus ipsis, vel cuipiam ex parte ipsorum specialiter se habenti acquisito ad illam constitutionem de ipsis faciendam. Modóque insuper Missas ipsas hîc, & nunc quotannis celebrandas acceptent, si velint, absque ullo pacto, etiam nudo, vel conventione de stipendio &c. ut cautum est *in prima resolutione Casus.* (Id quod tamen contingere posset, sublata etiam quacunque obligatione Curatorum primitùs constituendi eosdem Capuccinos) Quare, si per ipsum P.Bonagratiam, non obstat, (ut ipse loquitur) quod, postquam lectæ sunt Missæ, teneatur Executor dare constitutam eleemosynam; sufficit namque, quòd sublata fuerit obligatio prima denominandi, quæ est radix alterius: quid est, quod obstare judicetur, si eam det ex obligatione item, qua in conscientia tantùm, non civiliter, teneatur ad constituendos primitus Capuccinos ad illas Missas legendas? Nihil profectò obstare perhibetur; siquidem eo prorsùs modo, quo obligatio civilis primitùs constituendi Capuccinos(si adesset) contineret virtualiter, tanquam radix illius, obligationem pariter civilem, absque novo contractu inito dandi ijsdem constitutam à Testatore eleemosynam; ita obligatio duntaxat naturalis, & in foro conscientiæ constituendi primitùs eosdem Capuccinos virtualiter non continet, nisi obligationem item naturalem, & in foro conscientiæ soluendi ipsis eandem eleemosynam; modo novum, expressúmque pactum non fiat de stipendio ipso, seu eleemosyna inter Fratres, & Curatores prædictos; ut cautum est *suprà*, monitúmque, id contingere posse, etiam sublata 11

sublata quacumque, obligatione primitùs constituendi, seu denominandi Fratres &c.

11 Et quod dictum est de obligatione prædicta in casu Executorum, vel Curatorum: à fortiori dicendum est in casu hæredum, vel gravatorum quorumcunque pro hujusmodi fundationibus. Hi enim à fortiori tenentur, in conscientia saltem, hujusmodi Testatorum voluntates, & dispositiones servare, & omninò adimplere: quia in nullo lædenda est expressa maximè testatoris justa voluntas; ut benè Paulus de Castro, & Alexander *in l. verbis civilibus: ff. de vulgari, & pupillari substit.* per illum textum; ibi: *Ne fiat contra voluntatem &c.* quem allegat, & Doctores citatos, Decius *in reg.* 132. *ff. de regul. Iuris, numer.* 18. & ità Doctores communiter *in d. l. verbis civilibus:* Dixi: *A fortiori dicendum est in casu hæredum*; quia hi lucrum capiunt à Testatore gravante, à quo si sunt onerati, sunt etiam honorati: quod non est dicere in Executoribus, vel Curatoribus, saltem regulariter: Est autem *regula* 190 *ff. de reg. Iuris*: Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet. (Ubi Decius) Cui concordat lex *Cum matre: C. de rei vendit.* ubi, Hæres, qui habet lucrum ex persona defuncti, (secùs quando nihil ei remanet de bonis defuncti; vel facit Inventarium; &c. ut notat Imola, Baldus, & Alexander apud Decium, *ubi suprà*) ejus facto contravenire non debet: factum autem Defuncti profectò etiam est ejus testamentum, vel Codicillus, vel quæcunque alia per ultimam voluntatem dispositio. Et ad idem facit tex. *in leg. si ab eo: C. de negotijs gestis: & in l. vxor: C. de bonis authorit. Iudicis possidendis*; *& in l. si Tertius: paragrapho finali, ff. de aq. pluu. arcend.* Et secundùm istam regulam, arguit Paulus de Castro *in cons. 17. incip.* In causa, quæ vertitur &c. *col. tertia*, Fulgosus *consilio sexagesimoseptimo, incip.* Paterfamilias &c. *col. secunda*, Cumanus *in cons.* 33. *incip.* Quidam &c. & Romanus *in cons.* 17. *incip.* Visa facti narratione &c. *col. fin. vers. dixi in consil.* 184. *in fine.* Atque æchdixisse sufficiat ad responsum prædict. R. P. Bonagratiæ. Plura, si lubet, vide *in Cons. locis citatis.*

§. VI.

Respondetur rationibus peracuti cujusdam, egregiique Doctoris contrariæ nobis, absolutè loquendo, sententiæ; sed sub nostra distinctione concordis.

SVMMARIVM.

1 *Opinio cujusdam Doctoris asserentis, Minores nullius legati annui esse capaces, absolutè sumptu fallax est; sed cum Authoris distinctione intellecta recipitur.*

2 *Authoris distinctio germanum constitutionis Pontificia sensum aperit* in cap. exiit. §. ad hæc quia: *circa annua legata Minoribus relicta*, & num. 3.

3 *Opinio distinguens & concordans in dubio tutior est, & sequenda.*

Doctor ille è nostris, cujus mentio, 1 lausque (suppresso etsi ejus nomine, ità ipso jubente) in *Epistola nostra ad Lectorem*, & in *cons. art.* 1. §. 2. contrariam nostræ, absolutè, & sine ulla distinctione loquendo, sententiam pronunciavit, asserens hisce verbis: *Fratres Minores nullius annui legati sunt capaces.* Quam tamen nos distinctione illa nostra legitima, & ex Juribus necessariò concedenda adhibita, adeò veritati conformem animadvertimus, ut eandem pro nostramet conclusione, secundùm alterum illius distinctionis membrum, exponendam duxerimus *in cons. artic.* 1. §. 15.

Dixi primò, *Distinctione illa nostra &c.* 2 quia illam (ut minùs sapiens loquor) meo marte, Deo duce & auspice, ex Juribus, Canonéque Nicolai *in eo Cap. Exijt: §. Ad hæc, quia:* germana intelligentia excerpsi.

Dixi secundò; *Necessariò concedenda:* 3 Nam illa alia distinctio, qua præcisè distinguitur legatum in aliud propriè, & in aliud impropriè dictum, seu citra omne jus, & proprietatem &c. verè non est sufficiens ad tuendam alteram è regione contrariam sententiam, qua dicitur, *Omnis annui legati impropriè dicti sunt capaces Fratres Minores &c.* Rationes enim plæræque Doctoris præfati urgent omninò contra illam, in aliqua legatorum specie; in quibus non sufficit dicere, quòd percipiantur citra omne jus, & proprietatem; nempe in legatis quæ important usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati, saltem de facto simplici; quod adhuc repugnat

pugnat Mendicitati Minorum. Cum autem duæ propositiones contrariæ, (cujusmodi sunt duæ Conclusiones prædictæ, quarum prima est universalis negativa, altera universalis affirmativa) secundùm Regulam quam tradunt logici, ubi de oppositione propositionum absolutarum, nequeant esse simul veræ; nihil autem vetet, eas esse simul, seu ambas falsas: Nos verò ob reverentiam utriusque Auctoris prædictarum respectivè propositionum, maluimus omne studium noctuque diuque impendere, ut nec utramque nec alterutram falsam, sed ambas veras sub aliqua sufficiente distinctione sustineremus. Id quod demum, Deo dante, obtinuimus; ideóque ambas, tanquam nostras Conclusiones approbavimus; ut patet *in conf. art.* 1. §. 23. *&* 25. Nimirùm Universalem affirmativam, intellectam de legatis impropriè dictis; & insuper usum, vel usumfructum non importantibus rei immobilis, &c. Universalem verò negativam de annuis legatis, vel simplicibus quidem, sed propriè dictis, vel importantibus usum, usumvè fructum &c. etiam impropriè dictis, hoc est de facto simplici. Idcircò distinctionem ipsam vel moderationem utrinque adhibitam, necessariam appellavimus, illique libentissimè eò vel maximè acquiescimus, quia cùm ex Juribus, tùm ex Doctrina Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ excerpta; ut patet ex *conf. locis citat. & ep Art.* 1. §. 20. *& art.* 2. §. 3. Et præterea in dubio est sequenda ea opinio, quæ concordat & distinguit, tanquam media; ut tradit Joseph Ludovicus ab Assisio *in suis Decisionibus causarum Perusinarum, & Provinciæ Umbriæ, decis.* 72. *num.* 10. ex *l. adeò: §. cum quis: vers. est tamen etiam media: ff. de acquir. rer. domin.* & ex not. *in cap. quærenti: de offic. Delegati* per Socinum Juniorem *conf.* 121. *num.* 36. *& conf.* 39. *numer.* 78. *lib.* 2. Quia distinguens est proximus veritati: ita Surdus *decis.* 58. *num.* 5. qui propterea sic concludit: Tenenda autem est opinio, quæ concordat, distinguendo, contrarias sententias; ut post Senecam, & Salicetum dicit Beroas *conf.* 100. *num.* 3. *vol.* 1. Socinus *conf.* 66. *num.* 28. *vol.* 1. Ripa *in l. ita stipulatus: num 6. de verbor. obligat.* Osasc. *decis. Pedemont.* 162. *num.* 8. Nevizan. *in Silva nupt. lib.* 5. *n.* 32. Ceph. *conf.* 16. *n.* 35. cum similibus. Superest tantùm, ut cathegoricè respondeamus rationibus universalis illius Conclusionis negativæ; verè enim peracutæ sunt, adeóque syllogistica vi pollentes, ut pleræque earum simplici distinctione legatorum impropriè, & in impropriè dicta solùi nequeant sufficienter; benè autem adæquata distinctione nostra prædicta. Idigitur in sequentibus per *totum hunc paragraphum, singulis segmentis* prosequemur; describendo fideliter rationes illius Doctoris ex M. S. ipsius.

SEGMENTI PRIMI

Ratio Prima.

SUMMARIUM.

4 *Rationes seu Dubia præfati Doctoris syllogistica proponuntur,* & num. seqq. usque ad num. 10.

Annua legata videntur esse annui reditus. ibid.

5 *Annua legata etiam Minoribus relicta, si sint licita, solvuntur annuatim & certò ex debito justitiæ.*

6 *Annua legata Minoribus relicta videntur esse annui reditus prohibiti eisdem in* Clement. Exivi: §. Cumque annui.

7 *Annuus reditus an sit propriè id quod præstatur seu habetur annuatim ex re ad nos jure dominij vel usufructus spectante.* & num. seqq.

8 *Annui reditus definitio proposita improbatur tanquam redundans vel defectiva.*

9 *Annuum legatum esse annuum reditum evincitur ex præfata definitione.*

10 *Argumentis Authoris sententiæ adversantibus Author ipse respondet luculenter & sigillatim.* & num. seqq.

Annuum legatum impropriè dictum ex sola obligatione conscientiæ solutum, non est annuus reditus. ibid.

11 *Annuum legatum Minoribus relictum non debetur illis ex obligatione civili & politica importante actionem in foro fori, licet debeatur ex debito justitiæ, ut declaratur* ibid.

12 *Minores qua ratione possunt gaudere & uti officio Iudicis pro consequenda eleemosyna ipsis relicta salua puritate Regula.* & num. 13. 14. & seqq.

Inquilino denegatur remedium possessorium, sed non officium Iudicis. ibid.

Officium Iudicis nobile in quo consistat & quomodo imploretur. ibid.

13 *Officium Iudicis nobile, & actio civilis, longè differunt.*

Officium Iudicis nobile implorari potest ab eo qui agere prohibetur. ibid.

14 *Officium Iudicis nobile Minores implorare non prohibentur, ex Iasone & aliis DD.* & num. 15

15 *Officium*

15 *Officium Iudicis nobile quale sit, & quomodo differat à mercenario.*

Quæ legata annua repugnent paupertati Minoricæ, recensentur. ibid.

16 *Pontifex seu Sedes Apostolica quomodo acquirit dominium & proprietatem rerum Minoribus relictarum? remissivè.*

17 *Hæres retinens sibi legatum Minoribus relictum peccat contra justitiam, non quidem ergà Minores, sed testatorem, ut explicatur.* ibid. & num. seqq.

Idemque est in Societate JESU. ibid.

18 *Hæres retinens legatum Minoribus relictum, peccat contra iustitiam etiam respectu Minorum ratione obligationis naturalis tantum, non autem civilis.*

Obligatio ex iustitia triplex est, naturalis tantùm, civilis tantùm, & iusta, sive naturalis & civilis simul; ut declaratur. ibid.

19 *Ius tria considerat in obligatione, Debitum, Legem, & Æquitatem.*

20 *Legata annua simplicia impropriè dicta non sunt annui redditus qui Minoribus prohibentur* in Clem. Exivi. *verf.* Cumque annui reditus.

21 *Reditus annui sunt in duplici differentia: alij inter Immobilia computantur, alij non.*

In legato annuo, vel simplici, Minoribus relicto, bene observandum est quibus verbis & formulis testator usus fuerit. ibid.

4 ANnui redditus propriè dicti sunt Fratribus Minoribus illiciti, non solum quoad jus, sed etiam quoad simplicem usum; ut patet ex *Clement. Exivi: §. Proindè: verf. Cùmque annui reditus:* Sed legata annua quæcunque, sunt annui reditus propriè dicti: ergò sunt Fratribus Minoribus illicita, non solùm quoad jus, sed etiam quoad simplicem usum. Probatur Minor: Id quod annuatim, & certò, ex debito justitiæ redditur alicui, est annuus redditus propriè dictus: Nulla enim alia apparet differentia inter annuum redditum communiter, & propriè dictum, nisi quòd hic est certus, certóque redditur, alius verò est incertus. Et hæc divisio desumpta est ex Gloss. *super* §. *licet verò: ejusdem Clementinæ.* Sed legata annua annuatim, & certò ex debito justitiæ redduntur legatario: Ergò annua legata sunt annui redditus propriè dicti: Argumentum hoc evidenter probat, annua legata ex natura sua, & secundùm se sumpta verè esse annuos redditus propriè dictos; quòd sufficere debet, ut ea Fratribus Minoribus illicita esse judicemus. Sicut enim successio in bonis Testatoris non desinit esse hæreditas, quia Fratribus Minoribus relinquatur; sic & legatum annuum non desinit esse annuus redditus propriè dictus, quia Fratribus Minoribus relinquatur. Quod clariùs ex dicendis tertia, & quarta ratione patebit.

5 Addo nihilominùs, veram esse Minorem ultimi argumenti: nempè annua legata annuatim, & certò ex debito justitiæ solui, seu reddi, etiamsi fiant Fratribus Minoribus, si sunt licita Quòd enim certò reddantur, patet ex eo, quod hæredes, vel executores possunt compelli ad legata licita reddenda in foro exteriori, & civiliter à Judicibus ex officio procedentibus: Ergò ex hoc constat, ea certò reddi, certitudine sufficiente ad annuos redditus propriè dictos. Nec quisquam, nisi cavillosè, majorem hâc certitudinem potest requirere: Quòd autem reddantur ex debito justitiæ, patet *primò*; quia, ut infrà dicetur, Ecclesia, sive Pontifex acquirit jus legatorum licitorum; ergò, si sunt licita, redduntur ex debito justitiæ in omni rigore sumptæ. Consequentia patet; quia juri in creditore correspondet debitum justitiæ in debitore. *Secundò*; quia etiamsi ponamus, hæredem non obligari Ecclesiæ, adhuc si retineat legatum, peccat contra justitiam in omni rigore; quia retinet quod suum non est; ergò, si reddit, ex debito justitiæ in omni rigore reddit. Consequentia patet; quia peccatum contra Justitiam supponit debitum justitiæ.

6 Confirmatur autem prædicta ratio, quia *in §. Cùmque annui redditus:* declarantur illiciti annui illi redditus, de quibus fit mentio *in §. Ad nostrum*; sed isti non sunt annui redditus, quos Fratres ipsi fundarent, aut juridicè prætenderent; sed quos Fratres ab hæredibus ex vi ordinationis Testatorum dono relinquentium oblatus recipiebant, dicitur enim *in illo §. Ad nostrum: &c. Item quòd reditus annuos recipiunt &c.* hi autem non sunt, nisi annua legata, ergò annua legata sunt verè annui illi redditus, qui in *Clementina prædicta* declarantur illiciti, sive postea hæredes teneantur Testatori, sive Pontifici, sive Deo, sive Fratribus; de quo *infrà*. Sufficit enim mihi, qoòd annua legata sint annui redditus *in paragrapho prædicto* expressi.

7 Dices, Annuum redditum propriè dictum esse id, quod trahitur annuatim ex re, cujus dominium, aut usumfructum habet, cui redditur, Fratres autem Minores, etsi recipiant legatum annuum, non habent tamen dominium, aut usumfructum rei, ex qua trahitur; ideò non est annuus redditus propriè dictus.

Contra

8 Contra primò: quia hæc definitio videtur defectiva; tùm quia convenit alijs à definito; convenit enim etiam annuis redditibus communiter dictis; quia isti etiam trahuntur annuatim ex re, cujus dominium, vel usumfructum habet is, cui redduntur; ut patet in fructibus hortorum, vinearum &c. qui etiamsi sint incerti, cum pluribus sint expositi periculis grandinis, siccitatis, vermium, animalium, latronum &c. ut *l. libertas in princ. ff. de annuis legatis: & l. si quis argentum: §. 1. C. de donationibus*, dicuntur tamen annui reditus communiter dicti, quia redduntur ab ipso fundo ex quodam naturali debito, ex quo fundus ipse debet domino, & cultori fructificare. Tùm quia non convenit omnibus annuis redditibus propriè dictis: (supposità sententià contrarià, quæ debet asserere, hæredes non teneri Ecclesiæ. Si quis enim habens censum fundatum, illum relinquat Fratribus, non quidem absolutè, sed ut detur annuatim Fratribus Minoribus; Fratres Minores non possunt habere dominium, aut usumfructum fundi, super quo fundatus est, & ex quo trahitur; & tamen esset verè annuus redditus propriè dictus: Igitur definitio prædicta non convenit omnibus annuis redditibus, & consequenter est defectiva.

9 Secundò sic ad hominem argumentor. Id quod trahitur ex re, cujus dominium, vel usumfructum habet is cui redditur, est annuus redditus propriè dictus: sed legatum annuum est id, quod trahitur ex re, cujus dominium, vel usumfructum habet is, cui redditur; ergò legatum annuum est annuus redditus propriè dictus. Probatur Minor: Pontifex Romanus est is, cui legatum Fratrum Minorum redditur: sed Pontifex habet usumfructum eorum, ex quibus trahitur legatum annuum, si est licitum: ergò legatum annuum trahitur ex re, cujus habet usumfructum is, cui redditur. Major patet; quia licèt immediatè legatum detur Fratribus, tamen verè in personis Fratrum redditur Pontifici; quia legatum illud pertinet ad dominium Pontificis: ergo propriè Pontifex est is, cui redditur legatum, tanquam Domino; Fratres autem se habent tanquam servi, vel filij recipientes id, quod Domino, vel Patri debetur. Minor etiam patet; quia Pontifex Romanus est Dominus omnium, quorum usus est licitus Fratribus Minoribus: ex *cap. Exijt: §. Ad hæc*: ergò & legatorum licitorum. Quod etiam docet Corduba *in cap 6 Regul. quæst.* 1. Et patet ex verbis *d. §. Ad hæc*: ibi: *Cum non sit persona &c.* Et confirmatur ex Gloss. *super Clement. de sepulturis, cap. dudum: §. verùm, ne Parochiales*: sic discurrente, & dicente, quòd per Monachum Monasterio, per servum Domino, & Patri per filium acquiritur res temporalis 12. *quæst.* 1. *Non dicatis*: 19. *quæst.* 1. *cap.* 1. *in fi. Institut. per quas personas: in princ. C. eo tit. l.* 1. *in fin. & l. ult.* Et in legato servi inspicitur persona domini, & ex tali legato potest dominus fideicommisso gravari: Hæc probantur *ff. de legatis* 1. *l. cum filiosfamilias: de legatis* 2. *l. si alienus servus: ff. de haeredib. instituend. leg. nemminis: & C. de hered. instit. l. neque*: Ex his ergò patet, quòd cùm Fratres Minores sint filij, & servi Domini Papæ, legatà, quæ ipsis relinquuntur, spectant ad eundem Pontificem; & ipse est Dominus eorum, si sunt licita Fratribus. Ex quo sequitur ulterius id, quod dictum est in Minori præcedentis Argumenti; nempe, quod Pontifex habeat usumfructum eorum, ex quibus annua legata trahuntur, si sunt licita: quia ipse est Dominus talium legatorum. Et confirmatur *primò*; quia Pontifex habet jus exigendi legata licita, & percipiendi fructus ex bonis immobilibus Defunctis; ut patet etiam ex Angelo *verf. legatum* 1. *§.* 55. ergò habet usumfructum eorum, ex quibus annua legata trahuntur. Confirmatur *secundò*; quia Martinus IV. & V. & Paulus IV. concesserunt, ut nominetur syndicus, qui nomine Papæ exigat, etiam in judicio, legata licita, ergò Papa habet jus dictum. Hæc ille pro prima ratione.

RESPONSIO.

Respondeo, Concedo Majorem; & nego Minorem. Ad probationem, concedo iterum Majorem, intellectam, prout sonat, de annuis reditibus materialiter sumptis, qui inter Immobilia computantur; juxta dicta *in Casu præsenti §.* 4. ex Torniola, & *in Conf. art.* 1. *§.* 23. *&* 31. ex Schradero, Oinotomo, Barbosa, & alijs. Vide ibi dicta. Distinguo inde Minorem; illámque concedo de annuis legatis simplicibus propriè dictis, quæ verè annuatim, & certò, & ex debito justitiæ Civilis erga legatarium, ipsi redduntur: Nego autem in ijs impropriè dictis, quæ ex sola obligatione conscientiæ soluuntur, ut ex dicendis ampliùs constabit. 10

Ad illud, quod additur pro confirmanda illa Minore ultimi argumenti; Dico, quòd quamvis annua legata simplicia, de quibus procedit nostra affirmativa Conclusio, præstentur Fratribus per hæredes, vel gravatos, aut executores ex debito justitiæ, & quidem 11

in

in omni rigore sumptæ, nempè commutativæ; (saltem quoad hæredes, vel gravatos) quo tamen erga Testatorem tantùm tenentur; undè & possunt in foro exteriori cogi à Iudicibus tùm Ecclesiasticis, tùm sæcularibus ex officio procedentibus. Quod Iudicis officium implorare possunt Fratres humiliter, sicut & auctoritatem cujuslibet de populo, (tametsi non expediat, utpotè repugnans proximorum ædificationi, ut alibi diximus) ut hæredes suæ satisfaciant obligationi; modò semper caveant Fratres ipsi, (ut monet Bartolus *lib. secundo, minorit. qq. dist. 7. cap. tertio*,) ne hæc petentibus assistant, neve directè, vel indirectè talem hæredum, aut gravatorum, vel Executorum compulsionem civiliter, seù cum rigore procurent, abstineántque ab omni apparentia Iuris, sive in se, sive in alio quopiam pro ipsis existentis ad ea petenda; sed benè dulciter, & (ut dixi) humiliter, ipsis hæredibus, vel gravatis, aut executoribus negligentibus, Episcopo, vel prædictis alijs, Defuncti, & propriam injuriam extrajudicialiter patefaciant, ut ipsi, prout eis in Domino benè visum fuerit, ad talium legatorum executionem procedant; ut docent S. Bonaventura, & communiter alij Regulæ Minoricæ Expositores. Quamvis, inquam, hæc ita procedant; non tamen efficiunt, quòd talia legata proveniant Fratribus annuatim ex debito justitiæ Civilis, & in omni rigore erga ipsos, aut erga Pontificem, tanquam Patrem, & Dominum specialem ipsorum; aut erga alium quempiam pro ipsis specialiter se habentem, ex acquisitione tituli civilis, & immobilis ad eadem legata, atque adeò ea certitudine, quæ necessaria est ad annuos reditus, vel ad annua legata propriè dicta, quæque sola pugnat cum Minòrica paupertate, & mendicitate, & cum dependentia speciali à divina providentia, ad quam Fratres Minores tenentur, ut toties, cùm hic, tùm maximè *in Cons. locis supra citat.* probatum, repetitúmque fuit.

12 Gaudere autem, vel uti officio Iudicis, ut præfertur, pro perceptione hujusmodi legatorum, non est uti, vel gaudere actione politica Fratribus interdicta ex sua ipsorum professione: sed est uti, vel gaudere modo, seu beneficio licito, & Fratrum Regulæ congruo, (ut loquitur Nicolaus III. *in c. Exijt: eo §. Ad hæc, quia:*) quo nimirum idem Pontifex, Iudices ipsos tàm Ecclesiasticos, quàm sæculares exhortandò ad promptè id officij exhibendum, providere intendit, quòd *hæredum* (ut ipse ait) *cupiditas legitimis ictibus feriatur, ne pia Defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur.* Quòd autem id sit uti, & gaudere modo, & beneficio licito, & Fratrum Regulæ, ac Professioni congruo, patet: quia Judicis officium competit etiam inquilino, qui non possidet, & cui non datur remedium possessorium; ut benè Torniola *Consil. p. 1. cons. 97. num.* 10. ex *l. Aquilius*, ubi Gloss. & Bartolus, *ff. de Donationibus*; citátque Socinum *cons.* 17. *col. penult. in fin. cum seq. lib.* 3. Aretinum *in §. Retinendæ: col.* 1. *& 2. Instit. de interdictis*: cum *concord.* ut per Ripam *in cap. sæpè: num.* 17. *&* 18. *de restitutione spoliatorum*: & Menochium *de recuperanda possess. ultim. remedio. quæst.* 3. Vide etiam Navarrum *tom. mihi 1°. in tract. de redit. Ecclesiast. quæst.* 3. *monito* 31. *num.* 3. ubi cum Felino, & Jasone testatur, quòd officium Judicis nobile, non est propriè actio; & quòd est misericorditer implorandum; quòd per illum providetur pauperi de Advocato; & Fratribus Minoribus de eleemosyna eis relicta; & cogitur dives facere eleemosynam. Eundem vide *ibid. q.* 2. *monito* 6. *n.* 1. *&* 2. ubi docet, charitate sola obligatum ad aliquid, ut ad faciendam eleemosynam pauperibus, maximè necessitate laborantibus, posse ad id compelli, officio videlicet Judicis nobili; quippè quod datur, quoties æquitas id suadet: allegátque Aluarum Pelagium *de planctu Ecclesiæ, lib.* 2. *c.* 28. *col. fin.* & plures leges.

Sanè autem ità est, quòd Judicis officium nobile, & Actio, propriè sumpto vocabulo, non sunt idem; sed valdè differunt: neque ea, quæ cuipiam proveniunt ex officio Iudicis nobili, dici possunt ei provenire certitudine sufficiente ad annuos reditus propriè dictos, Minoricæ mendicitati repugnantes; ut patet ex dictis, & ex dicendis constabit. Siquidem Actio supponit debitum, & obligationem propriè dictam, idest civilem, erga eum, pro quo agitur; in eo, contra quem agitur: & est de Iure civili: At Iudicis officium nullam præsupponit obligationem propriè dictam, ut suprà; sed tantùm largè sumptam: & est tantùm de Iure Gentium, vel naturali: Et ideò misericorditer, dulciter, & humiliter implorandum est; quia non est debitum parti petenti. Ità Iason *super titul. de Actionibus, paragrapho superest: numer.* 54. *& seqq.* cum Bartolo, & alijs Doctoribus communiter *in leg. prima, ff. de jurisdict. omnium Iudicum.* Et idem docet Ludovicus Gomesius (etiamsi Iudicis officium imploretur à parte) *super titul. eo. paragrapho eo. numero quadragesimosexto, & quadragesimoseptimo*, citatque eundem Iasonem, cum Glos. *hic*, & testatur de Communi. Ubi etiam ex Bartolo ait, esse 13

textum *in l. quintus : ff. de annuis legatis :* quòd scilicet qui agere prohibetur, potest implorare officium Judicis. Et concludit, ex hoc posse inferri, quòd si statutum facit mentionem de Actione; non venit officium Judicis. Quare cùm Paupertas: & mendicitas Fratrum Minorum excludat, & abdicet à suis Professoribus omnem civilem Actionem, actumve politicum; clarum est Judicis officium non excludi; quod ad debitum in lata duntaxat significatione, idest naturale, vel conscientiæ (cum Minorica item professione compossibile, tam activè, quàm passivè; ut ostensum est *in Conf. art. 3. paragrapho 1. & alibi.*) competit; ut tradit idem Doctor *ibid.*

14 Atque iterum favet Jason, in proprijs terminis Fratrum Minorum, *in l. 1. C. qui admitti ad bonorum possess. possunt : numer. 9.* inquiens Adde, quòd Fratres Minores, qui non possunt jure Actionis petere aliquid, quod est eis relictum; *Clementin. Exivi : de verb. signif.* possunt tamen implorare officium Judicis, ut hæredes compellantur: *l. hareditas : in fin. ff. de petitione hareditat. & leg Quintus mutius :* & *ibi* Bartolus *ff. de annuis legatis ; & l. servos :* & *ibi* Bartolus *ff. de alimentis, & cibar. leg.* Bartolus *in leg. nec quicquam : paragrapho fin ff. de officio Proconsulis : & in l. legatum servo : ff. de legatis primo* & Baldus *in leg. prima, C. de fideicommissis.* Hactenùs Jason confirmans non solùm id, quod in præsenti dicimus de officio Judicis Fratribus Minoribus competente, salua ipsorum Professione, & statu; sed etiam *Clementina* sensum à nobis traditum de legatis annuis simplicibus propriè dictis, quorum Fratres sunt incapaces. Jasonis autem allegationibus alias *ibid. in additionibus* apponit Purpuratus: nempè Bartolum *in d. l.* Quintus Mutius. Baldum *in l. 1. C. de sacros. Eccles.* Joannem Andream *in cap. in præsentia : de probationibus :* Federicum Senensem *cons. 26. incip. Casus talis est : Quidam est ingressus &c.* & Alexandrum *lib. 7. cons. 129 incip. Visis &c. col. penult.*

15 Adverte tamen, quòd quæ hactenùs dicta sunt de officio Judicis Fratribus, ut præfertur, licitè competente; intelligenda sunt de officio Judicis nobile, quod scilicet competit per se, nec inservit alicui Actioni, & petitur extrajudicialiter tantùm; atque adeò qui hujusmodi officio compellitur ad legata Fratribus reddenda, non potest dici propriè, & verè compelli in foro exteriori, scilicet judiciali, & civiliter; ut supponitur in ratione opposita, *vers. Quòd enim certò reddantur &c.* Non autem intelligenda sunt de officio Iudicis, quod à Iuristis, & Scribentibus dicitur *Mercenarium:* hoc enim, quia deseruit Actioni, licet quandóque non præsupponat obligationem civilem, præsupponit tamen quasi obligationem; & largo modo dicitur civiliter obligatus, qui potest tali officio Iudicis mercenario convenire; ut benè Gomesins, *de Actionibus, §. omnium : num. 31. & 32.* cum Jasone, Bartolo, Baldo, & alijs. Non ergò repugnant mendicitati Minorum annua legata quæcúnque, & absolutè loqnendo; sed ea duntaxat *primò*, quæ quidem sunt legata simplicia, & sine expressione modi Fratribus illiciti facta, sive annua ea sint, sive pro unica vice; sed sunt civiliter acceptata ex parte Fratrum, v.g. à Pontifice, tanquam Patre, & Domino Fratrum specialiter se habente; adeóque redduntur eis ex debito, & certitudine civili, & ex actione personali in foro fori competente ad ea petenda, & percipienda; etiamsi cæteroquì ea ità duntaxat debita, & certa non computentur à Iuristis inter Immobilia. *Secundò* repugnant illa omninò, quæ facta sunt cum expressione modi illiciti, importantque Fratribus, secundùm Iura, (ut *in Conf. art. 1. §. 25. n. 1. & §. 23. à num. 26.* usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computari; adeóque ex natura sua debentur ex re immobili, vel inter res immobiles computata, ad id specialiter obligata; possíntque idcircò peti per actionem non solùm personalem, sed etiam per in rem, & hipothecariam; propriéque sunt reditus, qui inter Immobilia computantur à Iuristis; (ut diximus *suprà*, indicatis ex *conf.* Doctoribus) quorum proindò, ut talium percipiendorum Fratres incapaces sunt, etiam de facto simplici, & sine ullius juris, ex parte ipsorum, acquisitione; quia vel sic dicunt usum, vol usumfructum, saltem do facto, illius boni immobilis, ex quo redduntur, seu proveniunt.

Quomodo porrò Pontifex, vel Apostolica Sedes acquirat, tanquam Pater, & Dominus specialis Fratrnm, dominium & proprietatem rerum ijsdem Frattibus legatarum, explicatum est *in Conf. art. 1. §. 22. per totum.* Atque ex ibi dictis patet, id, quod objicitur *in Ratione contraria, versic. Quod autem reddantur ex debito Iustitia &c.* supponere, quod in nostra sententia non admittitur, secundùm Regulæ puritatem. Et per eadem solvitur illud, quod *ibid. infrà* ad hominem (utait) opponitur, *v. secundo sic ad hominem argumentor :* Nam & Concessiones illas 16

Martini

Martioi IV. & V. & Pauli IV. ostendimus *ubi suprà*, esse relaxativas puritatis Regulæ, & adversari manifestè Mendicitatis statui, præsertim Minoricæ.

17 Ad illud verò, quod dicitur *ibid. versicul. secundo; quia etiamsi ponamus.* Respondeo, concedendo, quòd hæres, vel gravatus non solvens, retinensque legatum peccat contra justitiam in omni rigore, qua tamen tenetur erga Testatorem, non autem erga Fratres, aut alium quempiam, neque Pontificem, ex parte ipsorum specialiter se habentem: verèque retinet, quod suum non est; (nisi quoad dominium utile, cum onere solvendi:) non tamen, quod sit civiliter acquisitum, aut debitum Fratribus, aut Pontifici, vel alteri cuipiam, ut *suprà*; sed quod est aut Dei, aut Testatoris, qui testando, & legando, illam hæreditatis hæredi relictæ delibationem, donans sibi de suo, dum suum erat, (juxta salutare D. Augustini monitum relatum *suprà, in Casu praecedent. paragrapho tertio num. septimo,*) pro bono, & suffragio Animæ suæ reservavit, eidemque hæredi suo ad hunc finem, simulque in Christi pauperum Fratrum Minorum subsidium erogandam mandavit, atque commisit. Quod quidem mandati onus acceptasse perhibetur hæres, vel gravatus ex quasi contractu, adeóque ex debito justitiæ commutativæ, cùm acceptavit, & adijt hæreditatem; ut *in Conf.* allatis Juribus, & Doctoribus, monstratum fuit: & tradit Ferdinandus de Castro Palao *part. tertia, tract. decimosexto, disput. tertia, punct. decimo, numero quinto*, in hoc proposito de annuis legatis simplicibus pro Domibus Professis Societatis Jesu relictis, sic disserens: Neque denique obstat, quòd hæres gravatus debeat moveri, ex Charitate Dei ad hæc legata exequenda: Quia etiam moveri potest, & debet justitiæ obligatione, comparatione (inquam) Testatoris ex tacito cum illo contractu ob hæreditatem acceptam. Et quia comparatione Societatis nullam obligationem (scilicet justitiæ civilis, & in omni rigore sumptæ) habet, eò quòd ex tali legato nullum jus ei est acquisitum; ideò dixit Sanctissimus Ignatius, (*sexta parte Constitution. capit. secundo in Declarat. lit. B. numero sexto,*) *Si aliquis sponte sua eas perpetuas eleemosynas* (nempe annua legata simplicia) *relinqueret, nullum jus civile ad eas petendas in judicio acquiratur. Sed cùm ad id Charitas propter Deum eos moverit,* (eos scilicet, qui à Testatoribus fuerint gravati) *elargiantur.* Hæc ille; quæ omninò faciunt ad propositum nostrum de annuis Morieotium eleemosynis, idest annuis legatis simplicibus, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur; prout *in Conf.* ostensum est. Non igitur obstat, quòd hujusmodi legata reddantur Fratribus per hæredes ex debito Iustitiæ in omni rigore erga testatorem, adeóque, si non reddat illa, quòd peccet contra justitiam prædictam, respectu eiusdem, quemadmodum nec obstat in similibus legatis pro Domibus Professis Societatis Iesu, ut docent Castro Palao *cit.* Sanchez, & alij eiusdem Societatis Doctores communiter. Vide dicta pro hac paritate *in Conf. art. 3. paragrapho 7. per totum*, & alibi, prout *ibi* indicatur.

At quid tùm, si concedam, peccare contra 18 justitiam hujusmodi hæredem, vel gravatum, etiam respectu ipsorum Fratrum? Tria, ut hoc pateat, præ oculis haberi volo. *Primum*, Non repugnare Paupertati, & statui mendicitatis Fratrum Minorum, quòd vel ipsi alijs, vel alij ipsis fiant obligati obligatione naturali tantùm, ut tradidimus *in Conf. art. 3. paragrapho 1. num. 15. & seqq.* & alibi, cum Politio nostro *in cap. 6. Reg. num. 15.* Corduba *ibid. quæst. 5.* Serena conscientia *q. penult. lit. Z.* secundùm Bartolum *in lib. Minoricarum*, & communiter cum alijs ejusdem Regulæ Expositoribus. *Secundùm*, Verè obligari hujusmodi hæredem Fratribus ipsis, obligatione naturali, ipsis non respuentibus omninò (prout absolutè non tenentur respuere) tale legatum, sed tantùm naturaliter, non civiliter acceptantibus, ut ostensum est *in Conf. loc. citat.* & alibi. *Tertium*, quòd obligatio ex justitia triplex est, ut benè advertit Filliucius *tom. 2. tract. 33. cap. 5. num. 82.* & alij communiter. Prima est naturalis tantùm, quæ non tribuit actionem in foro exteriori, & judiciali, sed obligat in conscientia, & parit officium Iudicis nobile; dat tamen in judicio exceptionem, & retentionem: de qua Innocentius, & alij *in cap. quia plerique de immunit. Eccles. num. nono, & decimo*, Covarruvias *in cap. quamvis pactum: part. secunda paragrapho quarto, num. octavo, decimotertio, & decimoquarto*, Secunda est civilis tantum, estque illa, quæ inducitur à lege positiva ex aliqua præsumptione, tametsi non respondeat ei veritas à parte rei, si enim hæc ei responderet, esset etiam naturalis simul: sic hæres, qui adierit hæreditatem non confecto inventario, obligatur creditoribus Defuncti; & legatarijs, etiam ultra vires hæreditatis: hæc ergò obligatio est civilis tantùm, non naturalis, quia in conscientia nō tenetur

ultra vires hæreditatis; ſed lex fundatur in præſumptione fraudis: de qua Molina *diſput.*217. Tertia eſt naturalis, & civilis, ſimul; & eſt illa, quæ obligat tàm in foro conſcientiæ, quàm exteriore, & producit actionem in invitum; hæcque ſic definitur: Juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, juxta noſtræ civitatis jura. Et ità habetur *Inſtitut. de obligationibus*, §. 1. ubi Gloſſ. & Scribentes.

19 En igitur, quomodo hæres prædictus peccare dici poſſit contra juſtitiam, etiam reſpectu Fratrum; quia retinet quod ſuum non eſt; vel ſi ſuum eſt quoad dominium utile, illud tamen tenetur præſtare Fratribus ipſis, & quidem ea obligatione ex juſtitia, quæ prima eſt ex triplici mox *ſuprà* explicata. Quare non dicetur peccare contra juſtitiam in omni rigore ſumptam, reſpectu Fratrum; ſed tantùm reſpectu Teſtatoris: neque enim ſic contra juſtitiam peccare dicendus eſt, niſi qui lædit obligationem ex juſtitia, quæ eſt naturalis & civilis ſimul, tertia ſcilicèt ex explicatis. Ratio autem hujus triplicis obligationis ex juſtitia, poteſt eſſe; quia Jus hæc tria inter alia ſignificat; nempe Debitum, Legem, & Æquitatem: undè etiam Juſtitia, quæ à Jure dicitur, eadem tria ſignificabit; ſicque ex *Æquitate naturali* reſultabit obligatio Juſtitiæ, quæ dicitur naturalis tantùm; ex *Lege* civilis tantùm, ex *Debito* naturalis, & civilis ſimul. Vide Filliucium *tom.* 2. *tractat.* 42. *de Penſionibus*, *capit.* 2. *num.* 8.

20 Ad confirmationem denique illius rationis deductam ex *Clementina Exivi*; textu, *eo verſ. Cumque annui*: patet adæquata reſponſio ex germana intelligentia ejuſdem textus tradita *in Conſ. art.* 1. §. 18. 19. 20. *&* 21. & alibi. Neque annua legata ſimplicia impropriè dicta, ſunt annui reditus in *textu prædicto* expreſſi, adeóque Fratribus interdicti; prout docet S. Bonaventura relatus *in Conſ. art.* 2. §. 3. *num.* 19. *& ſeq. & art.* 1. §. 20. *num.* 18.

21 Neque urget contra nos id, quod poſt prædictam rationem in contrarium reſumitur, *verſ. Contra primò &c.* Supponit enim reſponſionem, & Doctrinam, quam minimè nos ſupponimus, nec concedimus; ut patet ex dictis *in Conſ. locis ſupra in hac ipſa reſponſione*, *num.* 10. *citat.* ex quibus habetur, annuos reditus propriè dictos in duplici eſſe differentia; & alios quidem inter Immobilia computari, alios verò non: Deffinitionem autem illam ibi pro reſponſione ſuppoſitam convenire primis, non autem ſecundis: atque hos propriè duntaxat dictos repugnare mendicitati Fratrum; illos verò etiam impropriè dictos hoc eſt etiam de facto ſimplici tantùm. Et quod dicitur de annuis redditibus, dicendum omninò eſt etiam de annuis legatis; ut tradidimus *in Conſ. artic. primo*, *paragrapho quinto*, *& vigeſimoquinto*, & hic *ſuprà*, & iterum refricamus, ſecundùm Communem Juriſtarum ſententiam, quam latiſſimè proſequuntur, & docent Doctores quos allegat, & ſequitur Covarruvias *tom. primo in cap Raynutius: paragrapho decimo*, *numero ſecundo*, monentes, verum quidem eſſe in materia legatorum, quòd quibuſcúnque verbis, vel ſub quacunque formula aliquid à teſtatore cuipiam legatario relictum ſit, liceat legatario ipſi (ſi juris ſit capax) id perſequi non ſolùm per actiones perſonales, ſed etiam per in rem, & per hypothecariam, ſcilicet in rebus alijs, quæ fuerunt Defuncti: ſed advertendum id, quod ſtatim Juriſtæ ipſi, & Doctores excipiunt, dicentes, quòd actio perſonalis, & hypothecaria ſimul legatario non conceditur à Jure, niſi in eo caſu, quo rei legatæ dominium ad legatarium ipſo jure, mortuo teſtatore, tranſierit: quod contingere docent Jura, & Juriſtæ, cùm Teſtator ſub tali formula legat alicui, ut uſusfructus legatus cenſeatur; v. g. ſub iſta: Fructus annuos talis vineæ, vel annuum reditum talis domus, aut cenſus fundati do, lego, relinquo Fratribus Capuccinis, in remiſſionem peccatorum meorum; prout ampliùs enucleatum eſt *in Conſ. paragrapho* 25. *citat.* Atque in hoc caſu, & ſimilibus, ſi Capuccini reciperent etiam ſine civilis tituli prætenſione, per interpoſitam etiam perſonam, tale quid annuum, damnandi eſſent ut uſufructuarij, atque adeò ut Domini, ſi non de jure ſaltem de facto, talis vineæ; vel domus, aut cenſus. Nam uſufructuarius eſt quaſi dominus, & habere dicitur utile dominium, ut tradit Ludovicus Gomeſius *ſuper tit. de Actionibus. paragrapho Æquè: numer.* 20. ubi contra Iaſonem *ſuper titul. eod. paragrapho eo. numer.* 50. ait, eſſe Gloſſam notabilem *in leg. proprietatis dominium: C. de probationibus*; quæ ſolet ad hoc ſemper allegari, quòd uſufructuarius in uſufructu dicitur habere dominium: & de hoc eſt caſus ad literam *in* §. *in venditione: ff. de bonis authoritate Iudicis poſſidend. ſeu venundan.* & tenet Paulus de Caſtro *in conſ.* 219. *incip.* Viſis & ponderatis &c. *in* 1. *vol.* Quapropter valdè referre puto (ut benè ait alibi allata Gloſſ. *in l. ſi quis ità: ff. de uſufructu, & quemadmodum quis utatur:*) cū de legatis agitur, obſervare, quibus verbis,

formulis, vel modis Testator in legando usus sit: An scilicèt sit legatum simplex, sive annuum, sive non; an verò sit usufructus legatus sive item annuus, sive non. Vide omninò dicta *in Consf. eo §. 15.* Et de hac responsione satis hæc dicta, quæ deserviunt etiam pro sequentibus.

SEGMENTI SECUNDI

Ratio Secunda.

SUMMARIUM.

22 *Argumenta alia referuntur ejusdem Doctoris quibus evincere contendit legata annua esse bona immobilia quæ Minoribus interdicuntur quoad dominium, vel usum simplicem.* & num. seqq. usque ad 29.

An sicut annui reditus sunt bona immobilia, ita & legata annua. ibid. & numer. 27.

23 *An legata annua facta ijs dumtaxat qui sunt juris capaces sint bona immobilia, non quoad Minores qui sunt juris incapaces.* & num. 24. & 25.

26 *Legata annua, ex eo quod fiant Minoribus incapacibus juris, non mutant propriam naturam.* & num. 27. & 28.

29 *Authoris responsio ad eadem argumenta:* & num. seqq. usque ad 32.

Romanum Pontificem esse dominum legatorum, quæ sunt valida pro Minoribus, ipsisque licita, qualiter intelligendum. ibid.

30 *Legata annua usumfructum importantia sunt ex natura sua bona immobilia: secus de legato annuo simplici, ut distinguitur.* ibid. & num. 31.

Actio in rem ex possessione vel dominio descendit, non ex obligatione. ibidem.

Legatum annuum quantitatis est onus injunctum heredi qui illud solvere potest ex quibuscunque bonis, nec ideo dici potest annuus reditus inter Immobilia computatus. ibid.

31 *Legata annua quæ ex natura sua inter Immobilia reputantur in Iure, non desinunt esse talia ex eo quod Minoribus relicta sint: secus de illis quæ inter Immobilia non censentur.*

22 Fratres Minores non possunt habere, quoad dominium, aut usum, bona immobilia, excepta Domo, & Horto: sed legata annua sunt bona immobilia: ergò Fratres Minores non possunt illa habere quoad dominium, vel usum simplicem. Major patet; quia, ut ex *d. §. Cùmque annui reditus* colligitur, & alibi, Fratres illam tantùm possunt habere, etiam quoad usum, quæ invenniuntur concessa: sed nulla bona immobilia, etiam quoad usum, excepta domo, & horto, sunt concessa Fratribus; ut patet ex *Regula, & Declarationibus Pontificum*; alioquin possemus habere vineas, & possessiones, dummodò proprietatem earum non haberemus. Addo, quòd Clemens V. *in d. §.* affert pro ratione ad ostendendum, annuos redditus esse illicitos Fratribus, quia scilicet inter Immobilia computantur à Jure. Quæ ratio esset nulla, si possemus habere bona immobilia, exceptis prædictis: Ergò Fratres Minores non possunt habere, quoad dominium, aut usum, bona immobilia excepta domo, & horto. Probatur modò Minor primi Argumenti; nempè, quòd legata annua sint bona immobilia: Quòd ita firmum, & fundatum est, ut non possit de loco ad locum transferri, est bonum immobile: sed legata annua sunt ità firma, & fundata, ut non possint transferri de loco ad locum; ergò sunt Immobilia. Major est certa, & communis apud Juristas, qui ità distinguunt bona immobilia, seu stabilia à mobilibus, quæ de loco ad locum transferri possunt; à nulla enim alia mobilitate, sive secundùm qualitatem, sive secundùm quantitatem denominari possunt. Minor probatur; quia debitum reddendi legata annua est annexum inseparabiliter bonis immobilibus Testatoris, ità ut ad arbitrium hæredis non possit transferri, & revocari, bonáque defuncti remanent hoc onere gravata ad quemcunque transeant; & ex vi legati, dominus legati acquirit jus percipiendi fructus ex bonis immobilibus Testatoris: ergò legata annua, sunt firma, & fundata, ità ut transferri non possint. Et certè, si legata prædicta non deberent dici immobilia propter rationes prædictas, neque annui reditus, de quibus est sermo *in Clem. Exivi:* debent dici bona immobilia: nulla enim est ratio, propter quam isti inter Immobilia censeantur à Jure, quæ non militet etiam in legatis annuis.

Neque dicas, legata annua facta ijs, qui juris sunt capaces, esse bona immobilia; non autem facta Fratribus Minoribus, quia sunt incapaces juris. 23

Contra enim est *primò*: si legatum fiat incapaci Juris, adhuc est firmum propter debitum annexum bonis immobilibus: ergò adhuc est bonum immobile. 24

25 *Secundò*; quia, si ista legata sunt valida pro Fratribus, jam Dominus legatorum, qui est Pontifex Romanus, est capax juris, ut dictum est, sicut si fiant filiofamilias, vel servo juris incapaci, non desinunt esse Immobilia; quia dominus est capax juris.

26 *Tertiò*: legata annua ex eo, quòd fiant Fratribus Minoribus incapacibus juris, non mutant naturam, & conditionem; quia natura rei manet immutata: sed immò, quia legata sunt immobilia ex una parte, & ex alia Fratres Minores sunt incapaces rerum immobilium, etiam quoad usum, exceptis prædictis, non sunt valida pro Fratribus, nec ipsis licita.

27 *Quartò*: si legatum annuum ex eo, quòd relinquatur Fratribus Minoribus Juris incapacibus, mutat conditionem, nec est ampliùs bonum immubile: ergò etiam, si relinquatur annuus Census fundatus, ut detur annuatim, non erit bonum immubile: quod est falsum.

28 *Quintò*: Alia bona immobilia non ideò desinunt esse immobilia; quia Fratres; quibus relinquuntur, eorum sunt incapaces: ergò neque legata annua. Vides ergò, quòd in Decisione harum quæstionum attendenda est conditio rei, & obligatio nustra; & secundùm conditionem rei judicandum est, an nobis sit licita, nécne. Quod clariùs ex mox dicendis patebit.

RESPONSIO.

29 Respondeo, rationem hanc acutissimam, Juribus omninò innixam, & efficacissimam esse, nec posse sufficiente evasione ejus vim aufugi per solam distinctionem legatorum propriè, & impropriè dictorum. Omninò tamen solvitur distinctione nostra toties ex Juribus, & Doctoribus comprobata: legatorum scilicet, quæ secundùm Jura, ex forma legandi, dicuntur annua legata simplicia; & legatorum, quæ secundùm eadem Jura ex forma item legandi, dicuntur annui usufructus legati; prout *in Responsione ad præcedentem Rationem*. Dico igitur, Rationem hanc non cogere contra nostram primam Conclusionem *in Conf. artic.* 1. §. 23. *&* 24. statutam, benè autem usquequáque probare nostram secundam conclusionem *ibid* §. 25. assertam. Unum duntaxat habeo ex illa, à quo dissentio; estque illud, quud dicitur *vers. secundo; quia*: Quòd nempe Romanus Pontifex sit Dominus legatorum, quæ sunt valida pro Fratribus, ipsisque licita. Qualiter enim intelligendum sit illud, quod in Ratione præcedente dicitur, *versic. secundo, sic ad hominem argumentor*: quòd scilicet Pontifex Romanus sit Dominus omnium, quorum usus est licitus Fratribus Minoribus, ex *cap. Exiit: §. Ad hæc:* patet ex *Conf. articul.* 1. §. 22. ut dictum est *in Responsione præcedente*. Alioqui propositio illa, ut sic prolata, faceret sensum, quòd Pontifex sit Dominus etiam eorum, quæ adhuc non sunt actu in Fratrum usum, quorum tamen usus est ipsis licitus: quod tamen est falsum, & contra mentem Nicolai *in d. §.* ut explicatum est *loco cit.*

Jam verò, ut cathegoricè respondeam; 30
Concedo majorem; & distinguo minorem, legata annua usumfructum importantia sunt ex natura sua bona immobilia, concedo Minorem, legata annua simplicia sunt ex natura sua bona immobilia, nego minorem; ergò &c. distinguo consequens; concedendo, & negando respectivè juxta eandem distinctionem. Ad probationem minoris, concedo Majorem; & distinguo minorem. Sed legata annua sunt ità firma &c. legata, quæ important usumfructum legatum, concedo Minorem; annua legata simplicia, nego Minorem. Verè enim illa, ex natura sua, inter illos reditus computantur, qui inter Immobilia censentur à Jure: cum debeantur legatario ex re immobili ad id specialiter obligata, atque adeò ejusmodi legatario, si sit juris capax, datur actio non solùm personalis contra injustum detentorem, sed etiam in rem, (quæ à Juristis appellatur etiam rei vendicatio,) & hypothecaria, nec desinunt esse, ex natura sua, & de facto, talia, etiamsi relinquantur Fratribus Minoribus juris incapacibus; obidque (ut ait Nicolaus III. *in eo §. Ad hæc, quia:*) debent Fratres ab illis, & eorum receptione per omnem modum abstinere, respuendo absolutè illa, quatenùs talia manent; ut in superioribus sæpius docuimus. Ista autem secundi generis legata, ex natura sua, & propriè dicta, respectu scilicèt etiam legatarij juris capacis, non sunt reditus, qui inter Immobilia computentur à Jure; cùm per actionem tantùm personalem persequi ea possit legatarius, & petere ab hærede, vel gravato negligente, vel injustè renuente solvere; non autem per actionem in rem, & hypothecariam: ut falsò supponit in sua generalitate, & sine distinctione prolata probatio illa minoris. Nam rei vendicatio, seu actio in rem non nascitur ex obligatione; (ut *Institut. de Actionibus*,) sed ex possessione, (ut *C. de alienatione judicij mutandi causa facta*) & dominio, vel quasi dominio, acquisito scilicèt, non aut traditione, aut quasi traditione, (ut ajunt Juristæ,) sed

modo

modo neutro, qui est proprius in hæreditarijs, & legatis usufructus; ut tradit Placentinus *lib. 1. tit. 4. de rerum vendicationibus:* Dominium autem, seu possessio rei simplici legato relictæ non transit, mortuo testatore, ad legatarium ipso jure, & directa via, sed manet apud hæredem, quem testator voluit esse dominum fructuum, vel redituum ex bonis suis immobilibus relictis provenientium, cum onere imposito, ab eoque acceptato præstandi tantam, vel tantam illorum quantitatem legatario. Vide dicta *in Conf. art. 1. §. 23. num. 28. & §. 25. & l. fundi Trebatiani: ff. de usu, & usufructu legat.* & Gloss. *ibi* ubi idcircò etiam habetur, quòd in hujusmodi legatis simplicibus fructus, seu reditus, eorúmve portio, per hæredem legatario solvenda, non est adeò bonis immobilibus testatoris defuncti fixa, & in illis firma, & fundata, quin liceat hæredi, si ei placuerit, fundum ipsum, vel bona immobilia testatoris, quæcúnque illa sint, vendere, aut alio quocunque modo distrahere, nulla legatarij actione sufficienter obstante; & retento sibi onere, ex aliunde provenientibus sibi reditibus, vel conquisitis substantijs quantitatem annuam à testatore mandatam legatario præstare. Sicque legatarius hujusmodi non dicetur in Jure habere usum, vel usumfructum, atque adeò quasi dominium, vel quasi possessionem bonorum immobilium; nec quantitas annuatim ei ab hærede præstita dicetur annuus reditus inter Immobilia computatus, etiamsi ex titulo, & obligatione civili; & propriè dicta proveniat. Quare minùs hoc dici poterit, si hujusmodi legatum præstetur Fratribus Minoribus impropriè dictum, & ex sola obligatione naturali, & in foro conscientiæ: cum ex una parte omnis civilis actus Fratrum professioni repugnans ab ejusmodi perceptione absit; & ex alia, res ex tali legato proveniens nequaquam ex natura sua censeatur in Jure immobilis reditus, vel proventus; undè possit dici, quòd Fratres illâ utentes citra juris titulum, habeant de facto usum simplicem rei immobilis, de qua *in Clementin. Exivi. eo paragrapho Cùmque annui &c.*

31 Concedo igitur, quòd legata annua, quæ verè ex natura sua, inter Immobilia recensentur à Jure, non mutant naturam, vel conditionem, nec desinunt esse talia, ex eo, quòd Fratribus Minoribus juris incapacibus relinquantur: At concedendum mihi pariter est, quòd legata annua simplicia, quæ ex natura sua, etiam propriè dicta, inter Immobilia non computantur à Jure, non mutant naturam; nec conditionem, nec Immobilia esse incipiunt; ex eo, quòd Fratribus Minoribus, & quidem impropriè tantùm dicta, persoluantur; quin immò ità amittunt certitudinem civilem, quæ sola in eis, si adesset, repugnaret Fratrum mendicitati. Et per hoc patet ad reliqua hujus secundæ Rationis, à *paragrapho Neque dicas. usque ad finem*; in qua nil contra nos; sed potiùs pro secunda Conclusione nostra, ut dictum est.

Segmenti Tertii

Ratio Tertia.

SVMMARIVM.

32 *Argumenta alia ejusdem Doctoris quibus intendit probare, quod Recipere aliquid afferens secum improbabiliter jus, repugnat paupertati Minoricæ: & legatum annuum esse ejusmodi.* & num. 33.

33 *Legatum annuum non ideo desinit transferre jus, quòd fiat incapaci iuris: quin potius ideo nullum est; quia ex natura sua transfert ius, & is cui relinquitur est incapax iuris.*

34 *Authoris responsio ad præfatam argumentationem.* & num. seqq.

Vsusfructus vicem dominij obtinet. ibid. & num. 36. & 37.

Legatum affert jus legatario ex natura sua ad illud persequendum, non tamen inseparabiliter, sed tantum si illud civiliter acceptet. ibid. & num. 38. 40. & 41.

35 *Legatum Minoribus relictum nullum transfert jus civile ad illud persequendum in judicio.*

39 *Inter hæreditatem & legatum disspar ratio assignatur* & num 42. *remissivè.*

Recipere, quod affert secum Inseparabiliter Jus, repugnat Paupertati: sed legatum annuum affert secum inseparabiliter Jus: ergò illud recipere repugnat Paupertati: Major patet; quia illud recipiendo, Fratres Minores fierent proprietatij, si non de jure, saltem de facto: Probatur Minor, *primò*; quia, si legatum annuum fiat laico, clarum est, quòd legatum illud affert secum Inseparabiliter Jus exigendi tale legatum; & ex vi ipsius legati laicus acquirit jus percipiendi fructus ex bonis Defuncti: ergò legatum annuum ex natura sua affert secum jus inseparabiliter. Nec juvabit dicere, quòd legatum annuum in laicum transfert jus; 32

quia Juris est capax; non sic autem in Fratres, quia sunt incapaces: sufficit enim mihi, quòd annuum legatum ex natura, & conditione sui afferat secum Jus.

33 Præterea, non ideò legatum annuum desinit transferre jus; quia fiat incapaci juris: immò, quia fit incapaci juris, & ex alia parte affert secum jus, est nullum, nisi sit aliqua persona, quæ ob incapacitatem legatarij acquirat illud jus; ut est in legato servi. Quod à simili sic probo: Non ideò hæreditas desinit transferre jus in hæredem, quantùm est ex natura sua; quia relinquatur incapaci juris: immò, quia hæreditas ex natura sua transfert jus in hæredem, & ex alia parte hæres nominatus est incapax juris, hæreditas est nulla, & hæres non est illius capax. Ob hanc enim rationem Clemens V. *in prædicta Clement. Exivi: §. Cupientes igitur:* declarat Fratres Minores esse incapaces hæreditatis: Quia in successionibus, inquit, transit non solùm usus rei, sed & Dominium suo tempore in hæredes; Fratres autem Minores præfati nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possunt, etiam in communi; *Declarando, dicimus, quòd successionum hujusmodi (considerata sui puritate voti) nullatenùs sunt capaces.* Quæ certè ratio nulla esset, si ex eo, quòd Fratribus relinquatur id, quod ex natura sua affert jus, mutaret conditionem; quia cùm Fratres sint incapaces juris, cùm hæreditas desineret transferre jus, ergò etiam annuum legatum non ideò desinit transferre jus, quantùm est ex natura sua, quia relinquatur juris incapacibus, v.g. Fratribus Minoribus; sed immò, quia legatum annuum ex natura sua affert jus, & Fratres sunt juris incapaces, sunt etiam incapaces illius legati, & respectu illorum est nullum, sicut & hæreditas. *Secundò* probatur Minor primi Argumenti, nempè quòd legatum annuum affert secum inseparabiliter Jus, Quia, si Caius v.g. testetur, & dicat, *Instituo hæredem omnium bonorum meorum Titium; sed volo, ut fructus talis fundi dentur annuatim in perpetuum, vel per decem annos Fratribus Minoribus, in remissionem meorum peccatorum.* In hoc casu, quis habet jus percipiendi illos fructus? Non hæres, quia ipse non est dominus fructuum, sed solùm executor voluntatis testatoris, undè non percipit fructus, ut dominus, sed ut colonus, vel executor. Præterea fructus illi sunt verè obligati Fratribus, quæcunque illa obligatio sit, ergò hæres nullum jus habet percipiendi illos fructus, ut dominus, sed est purè Executor. Nec Testator, quia jam e vita decessit, & jus omnium bonorum suorum in hæredem transmisit. Nec Ecclesia, quia aut habet jus, aut non: si non, habetur intentum: si sic; ergò legatum istud est annuus redditus; quia Ecclesia, sive Pontifex, qui est dominus eius, habet jus exigendi fructus; ut probatum est *suprà in Ratione præcedente:* ergò Fratres ipsi habent jus, si non de jure, saltem de facto, si legatum illud recipiant. Addo, quòd quidquid dicatur pro responsione, posset dici de hæreditate, in eo casu, quo quis constitueret Fratres Minores hæredes, & testamenti executionem alteri mandaret: Sicque nulla esset ratio, propter quam Fratres Minores essent hæreditatis incapaces.

RESPONSIO.

Respondeo, rationem hanc esse ingeniosissimam; at non probare, nisi contra legata annua importantia usumfructum legatum. 34
Præterquam quòd nonnulla supponit omninò à Juribus, & Juristarum doctrinis aliena. In forma igitur respondendo, transeat prima illa Maior, & nego Minorem. Libenter quidem concederem, si diceretur: sed legatum ususfructus, etiam pro unica vice, affert secum inseparabiliter dominium, usumque boni immobilis, vel inter Immobilia computati, si non de jure acceptato, saltem de facto, si de facto tantùm percipiatur à legatario; ut patet ex dictis suprà in Responsione præcedente, secundùm Juristas. Verè enim, de sua natura, ususfructus vicem dominij obtinet; vel saltem pars ejus est; ut tradit Gloss. *in l. Non quocunque: §. Fundus: ad v. Aberit.* & est text. Pauli I.C. *in l. ususfructus: 4. ff. de usufructu:* ubi Scribentes. Cæterùm legatum simplex, sive annuum, sive pro unica vice, affert quidem ex natura sua jus legatario ad illud persequendum per actionem personalem; at non inseparabiliter; quia illud non affert, nisi volenti, & consentienti, & civiliter acceptanti, tanquam per conditionem, sine qua non transfertur hujusmodi jus, ut ostensum est ex Juribus, & communi Doctorum sententia *in Conf. art. 1. §. 12. & §. 31. n. 8.* Ubi nota, quòd dicitur transferri jus, non autem dominium, aut proprietas, quæ propriè loquendo faciunt Dominum, aut proprietarium, si non de jure, saltem de facto, usurpantem illa. Non sic autem potest quis dici habere jus, si non de jure, saltem de facto; neque jus, etiam acceptatum civiliter, facit (propriè loquendo, secundùm Juristas) dominium, vel proprietatem, sed justitiam civilem percipiendi rem, ad quam acceptatur, & habetur à consentiente translationi illius. Et hæc patent ex dictis. Unde & Clemens V. *in illo §. Cupientes, &c.* non

non dixit, quòd transeat jus suo tempore, quasi inseparabiliter, & necessariò transeat; sed dixit, quòd transit dominium, &c.

35 Quòd porrò legata simplicia; sive annua, sive pro unica vice, non afferant inseparabiliter jus legatario; expresse constat ex *cap. Exiyt: §. Ad hæc, quia:* Ea enim declarantur *ibi* per eundem Pontificem debere Fratribus præstari ab hæredibus, vel executoribus ex obligatione conscientiæ, & pariente officium Iudicis nobile; nullo omninò translato Iure civili, ad illa in judicio persequenda, sive in Fratres ipsos, sive in Romanum Pontificem, vel Apostolicam sedem ex parte Fratrum specialiter se habentem. Potest igitur quodcúmque simplex legatum, citra juris civilis ad ipsum acquisitionem, legatario præstari; & tunc dicetur illud præstari ex vi, & titulo simplicis legati impropriè dicti, secundùm nostra principia, & primam Conclusionem *in Conf.art.1.§.23.*

36 Quare ad probationem Majoris dico, eam probare tantùm de annuis legatis usufructus, impropriè dictis: ea enim percipiendo Fratres, cùm afferant secum inseparabiliter dominium, vel quasi dominium, proprietatemvè, si non de jure, saltem de facto: fierent proprietarij, & usuarij, vel usufructuarij boni immobilis, si non de jure, saltem de facto.

37 Ad primam probationem Minoris, dico, eam non probare contra nostram sententiam. Vel enim loquitur de annuo legato usufructus; & hoc etiam impropriè dictum, & de facto simplici Fratribus Minoribus interdictum, à nobis quoque asseritur: Vel de legato annuo simplici, & impropriè dicto; & sic negatur, ut manifestè exorbitans, secundùm jura, & communem Iuristarum doctrinam; ut patet ex dictis. Negaturque proindè iterum illius consequentia; quòd scilicet legatum annuum (præsertim simplex) ex natura sua afferat secum jus inseparabiliter. Patet ex dictis.

38 Utique ergo juvabit dicere, quòd legatum simplex, sive annuum, sive pro unica vice, in laicum transfert jus, quia juris est capax; accedente tamen, tanquam conditione, sine qua non, civili ejusdem acceptatione, & consensu in illud: non sic autem in Fratres, quia sunt incapaces, & insuper protestantur, (ut nos docuimus cum Seraphico Doctore faciendum) se civiliter non acceptare talis legati titulum. Et iterum, utique ideò legatum annuum desinit transferre jus; quia fit Fratribus incapacibus, & civiliter non acceptantibus. An verò, & quomodo legatum factum incapaci sit nullum; ostensum est *in Casu præcedente* §.4. & in *Conf. locis ibi cit.*

Neque similis est juris dispositio in hæreditate, ac in legato simplici. *Primò* enim hæreditas sicut etiam legatum usufructus, affert secum inseparabiliter dominium, & proprietatem, si non de jure, saltem de facto; quo casu hæres erit dominus de facto, si non de jure. *Secundò* dispar etiam est ratio; quia hæreditas est successio, & hæres dicitur successor testatoris, illúmque repræsentat, si non de jure, saltem de facto; ideóque tenetur ad onera alieni æris, & alia hujusmodi, ad quæ tenebatur testator: non sic autem simplex legatum, & legatarius; ut tradunt communiter Juristæ, & nos docuimus *in Conf.art.1.§.29. & seqq.* 39

Porrò, quod dicitur de legato annuo simplici, quoad translationem juris ex natura sua, idem omninò dicendum est de eodem pro unica vice relicto; cujus tamen (impropriè dicti tantùm, secundùm nos) ex omnium sententia sunt capaces Fratres Minores. 40

Ad secundam probationem primi Argumenti, dico, quòd in tali casu, jus percipiendi illos fructus est penès hæredem, quem testator voluit esse dominum, & proprietarium tam de jure, quàm de facto omnium suorum bonorum, fructuúmque eorumdem bonorum, cum onere præstandi quandam illorum portionem, nempè fructus talis fundi, Fratribus in remissionem peccatorum suorum. Cùm tamen tale legatum, juxta formam *in Ratione* expressam, non sit legatum usufructus; legatum ipsum, seu fructuum portio solvenda, non est adeò illi determinato fundo annexa, & fixa, quòd fundus ille sit ad id specialiter obligatus; undè hæres non possit illum vendere, & alio modo sibi benè viso legatam portionem, vel quantitatem solvere; ut dictum est *suprà, numero trigesimo.* 41

Ad illud denique, quod additur, dicendo, quòd quidquid dicatur pro responsione, posset dici de hæreditate, &c. loquendo de annuis legatis simplicibus, & impropriè dictis, quæ sola Fratribus Minoribus licita nos sustinemus; patet amplissima responsio ex professo tradita *in Conf.art.1.§.29.sit. & seqq.* Et de his satis. 42

SEGMENTI QUARTI

Ratio Quarta.

SUMMARIUM.

43 *Ratio quarta præfati Doctoris qua nititur probare Annua legata non minùs repugnare mendicitati Minoricæ quàm reditus annuos*, & n.44.& 45.

Ubi est eademratio, eadem est juris dispositio, ibid.

46 *Authoris responsio juxta distinctionem inter legatum simplex, & legatum usufructûs & iterum inter legatum simplex propriè, & impropriè dictum*, & n.47. *ubi latiùs explicatur.*

Census annuus pro Minoribus fundatus, qua ratione repugnet paupertatis voto, ibid. & num.48. & 49.

48 *Census annuus pro Minorum sustentatione fundatus qua ratione sit licitus, vel illicitus*, & n.49.

Res donata, vel legata, ut ex ea percipiantur fructus, videtur donata vel legata in usumfructum, & non annuus reditus, ibid.

49 *Legatum importans usumfructum, vel certitudinem politicam, seu obligationem civilem, repugnat paupertati Minoricæ, licet non exuat primævam liberalitatis & eleemosynæ formam.*

50 *Legatum simplex impropriè dictum, sive pro unica vice, sive annuum Minoribus relictum, absque ulla certitudine politica; formam simplicis eleemosynæ retinet, nec illam amittit per mortem testatoris: & ratio assignatur*, n.51.

51 *Hæres & defunctus fictione juris censentur una & eadem persona, & in hærede testator vivere ac præstare per manus hæredis eleemosynam, vel legata in testamento relicta.*

Hæres per aditionem obligatur ex quasi contractu legatarijs civiliter legata acceptantibus, ibid.

Hæres institutus in testamento minus solemni, obligatur naturaliter ad legata pia præstanda, ibid.& n.52.

Hæres an & quando possit revocare donationem à defuncto factam ex capite ingratitudinis donatarij, ibid.

52 *Hæres non potest venire contra factum testatoris, sed tenetur implere ejus voluntatem.*

Hæredi interdum competunt actiones revocatoriæ facti Defuncti, quæ referuntur, ib.

53 *Minores vivendo ex legatis simplicibus etiam annuis & perpetuis impropriè dictis, & per modum eleemosynæ humiliter petitis & receptis, nullatenus suum paupertatis votum lædunt*, & n.54.

54 *Modus vivendi Minoribus licitus ex Regula, & Declaratione Nicolai III.* in §. Nec quicquam: *& in* §. Ad hæc quia, *explicatur: etiam ex legatis impropriè dictis.*

HAbere, vel recipere annua legata non minùs repugnat Mendicitati, quàm habere, vel recipere annuos redditus *in Clement. Exivi*, expressos: ergo etiamsi annua legata non essent annui redditus propriè dicti, adhuc sunt illicita Fratribus Minoribus. Consequentia est certa; quia una ex rationibus, propter quas Clemens V. ait, non licere Fratribus Minoribus recipere annuos redditus, est; quia non solùm repugnant Paupertati, quia afferunt secum jus; sed etiam quia repugnant Mendicitati: ergo supposito, quòd legata annua repugnent Mendicitati, sunt illicita. Probatur autem antecedens; quia annuus redditus propriè dictus non ideò repugnat Mendicitati; quia tollat omnem actum mendicandi; aut violet obligationem per se mendicandi: non primum; quia per annuum redditum non excluditur omnis actus mendicandi, nisi sit tam ingens, ut provideatur totaliter necessitati Fratrum: non secundùm; quia aut nullum est impositum Fratribus præceptum simpliciter, & per se mendicandi; aut, si illud est impositum, cùm sit affirmativum, non obligat ad semper, & pro omnibus rebus; quia aliqua possumus habere aut per laboritium, aut per spontaneam oblationem, absque mendicatione; immò si vellemus vivere totaliter de laboritio, non teneremur mendicare; ut patet ex testamento Seraphici Patris Francisci. Sed repugnat mendicitati, quantùm ad statum, & professionem Mendicantium, præsertim Fratrum Minorum; ratione cujus tenentur non solùm non habere dominium, (tam in communi, quàm in particulari,) sed neque usum bonorum immobilium, & annuorum redditUUM, qui inter Immobilia computantur à Jure, excepta Domo, & horto; & per consequens tenentur etiam, ad suam sustentationem, & officiorum Ordinis executionem, mendicare saltem, quæ per laboritium, aut liberalem Fidelium oblationem habere non possunt. Sed legata annua eodem modo repugnant statui, & professioni Mendicantium: ergo hæc non minùs repugnant Mendicitati, quàm annui redditus. Probatur 43

Minor;

Minor; quia si Fratribus Minoribus dono detur ab aliquo aut inter vivos, aut causa Mortis annuus Census fundatus, iste non solùm repugnabit Paupertati; quia transfert jus in Fratres; sed etiam Mendicitati; quia Fratres, vivendo ex ipso, etiam partialiter, faciunt contra professionem, & statum suum, ratione cujus tenentur ea saltem mendicare, quæ per laboritium, aut spontaneam oblationem habere non possunt: non enim viuunt aliquo ex tribus modis *in cap: Exiit: &c.* expressis; quia modus vivendi per annuos redditus, non est aut per laboritium, aut per mendicationem, aut per receptionem eorum, quæ liberaliter offeruntur; qui sunt tres prædicti modi. Sed, etiam vivendo de legatis annuis, etiam partialiter, non viuunt aliquo ex tribus modis prædictis: Ergo legata annua eodem modo repugnant statui, & professioni Mendicantium, ac annui redditus. Probatur Minor; quia licèt Census prædictus sit liberaliter datus à primo dante, tamen non censetur inter ea, quæ liberaliter offeruntur, ex quibus licet Fratribus vivere; non alia de causa, nisi quia post donationem induit aliā formam, estque jam debitus, & certus: sed etiam annuum legatum, licet sit à Testatore liberaliter datum, tamen post mortem testatoris jam induit aliam formam, estque debitum, & certum, si est licitum; ut patet ex dictis *in principio*: Ergo annuum legatum non potest computari inter ea, quæ liberaliter offeruntur; & consequenter Fratres, vivendo etiam partialiter ex ipso, non viuunt aliquo ex tribus modis prædictis concessis. Consequentia patet ex identitate rationis, juxta illud vulgatum in *Iure*: Ubi eadem est ratio, eadem est & dispositio: *l. Illud. ff. ad Legem Aquiliam.* Et confirmatur, quia si annuum legatum computari posset inter ea, quæ liberaliter offeruntur, ex quibus licet Fratribus Minoribus vivere, possent vivere totaliter de legatis; quia licet totaliter vivere ex unoquoque ex illis tribus modis singillatim; & infrà amplius probabitur.

44 Si autem dixeris, etiam legatum, quod unica solutione præstatur, esse debitum, & certum; & tamen contineri sub illo modo.

45 Respondeo, Legatum hoc esse expressè concessum: undè quidquid istud sit, non potest judicari illicitum; neque ex illo argumentum ad alia non expressa, nec concessa peti. Et fortè legatum istud potiùs ex *Nicolai III.* concessione, quàm ex vi *Regulæ* licitum est. In §. enim, *Cum igitur*: clarè dixit *Nicolaus*, se aliqua *in sua Decretali* concessisse; undè non irrationabiliter quis suspicabitur, legatum, de quo ipse loquitur, esse unum ex ipsis. Confirmatur; quia Nicolaus III. modos vivendi ex *Regula* assignat, inter quos non computantur ea, quæ certò, & ex debito redduntur: igitur, &c.

RESPONSIO.

Respondeo, rationem hanc nullatenùs pugnare contra nostram primam Conclusionem *in Conf. art. 1. eo §. 23.* sed omninò probare secundam *ibid. eo §. 25.* adhibita, & applicata distinctione ex Jure necessaria inter legatum simplex, & legatum Ususfructus; & iterum inter legatum simplex propriè, & impropriè dictum. Quare ipsam sic intellectam pro meamet sententia usurpare gestio; prout statim subdo. 46

Habere, vel recipere annua legata, vel simplicia, sed propriè dicta, & civiliter acceptata ex parte Fratrum; vel usumfructum Fratribus directè legatum importantia, etiam impropriè dicta, & de facto simplici tantùm, non minùs repugnat Mendicitati, quàm habere, vel recipere annuos reditus in *Clementina* expressos: ergo, etiamsi annua legata usumfructum legatum importantia non essent annui reditus propriè dicti, & ex titulo civili provenientes, adhuc sunt illicita Fratribus Minoribus. Consequentia est certa; quia una ex rationibus, propter quas Clemens V. ait, non licere Fratribus Minoribus recipere annuos reditus, est; quia non solùm repugnant Paupertati, quia afferunt secum jus acceptanti; (cujusmodi essent legata simplicia non solùm annua, sed etiam pro unica vice præstanda, propriè dicta, & civiliter acceptata ex parte Fratrum, sive ab ipsis, sive à Pontifice, vel alio quopiam ex parte ipsorum specialiter se habente; jam enim essent civiliter certa, & repugnarent non solùm Paupertati, sed etiam Mendicitati, quæ civilem certitudinem, suitatem, & debitum excludit à suis Professoribus) sed etiam quia repugnant Mendicitati, si usumfructum important, licèt de facto simplici, & impropriè dicti: Ergo, supposito, quòd annua legata, sive simplicia, (etiam pro unica vice) propriè dicta; sive usumfructum importantia (vel pro unica vice) etiam impropriè dicta, & de facto simplici provenientia; repugnent Mendicitati, sunt illicita Fratribus, & quidem secunda sunt illicita etiam quoad usum simplicem facti. Probatur autem antecedens; quia annuus reditus, vel propriè dictus, (simplex tamen) idest civiliter debitus, & repetibilis per actionem personalem tantùm; vel usumfructum importans, etiamsi impro- 47

priè

priè dictus, & perceptus citra competentem actionem personalem, & in rem, & hypothecariam; non ideò repugnat Mendicitati, quia tollat omnem actum Mendicandi, aut violet obligationem per se Mendicandi, ut patet in ratione ipsa mox *suprà* allata; sed quia repugnat statui, & professioni Mendicantium, præsertim Fratrum Minorum; ratione cujus tenentur non solùm non habere dominium, aut jus ullum, adeóque vivere debent de non suo, aut certo, debitóve sibi civiliter; sed neque usum de facto simplici bonorum immobilium, vel annuorum redituum, qui inter Immobilia computantur à Jure: sed legata tam simplicia, sed propriè dicta, & civiliter accepta ex parte Fratrum, adeóque civiliter certa, & debita; quàm usumfructum legatum importantia, etiamsi impropriè dicta; ut præfertur eodem modo repugnant statui, & professioni Mendicantium: Ergò hæc non minùs repugnant Mendicitati, quàm annui reditus in *Clementina* expressi. Probatur Minor; quia, si Fratribus Minoribus directè dono detur ab aliquo aut inter vivos, aut causâ mortis annuus Census fundatus, cum expressione tamen, ut illum retineant, & annuas pensiones recipiant; iste non solùm repugnabit Paupertati, immò & Mendicitati, quia transfert jus, & titulum civilem, (si civiliter acceptetur) sive in Fratres, sive in Pontificem, vel alium quempiam ex parte ipsorum Fratrum specialiter se habentem; sed maximè repugnat Mendicitati; quia Fratres vivendo ex ipso, etiam partialiter, & citra juris, vel tituli civilis acquisitionem ex parte ipsorum, faciunt contra professionem, & statum suum, ratione cujus tenentur non solùm non habere jus, aut dominium ullum, sed neque usum, etiamsi de facto simplici bonorum immobilium, (præter expressè concessa, ut suprà) vel annuorum redituum, qui inter Immobilia computantur à Jure: ergo legata prædicta eodem modo repugnant professioni, & statui Mendicantium, ac annui reditus. Sícque vides, quomodo benè procedat ratio illa pro dicta nostra secunda Conclusione, & nullatenùs contra primam.

48 Explicui donationem illam Census annui fundati, ex hypothesi, Fratribus ab aliquo factam, sive inter vivos, sive mortis causa, &c. de eadem facta cum expressione modi, secundùm quem illam recipere Fratribus ipsis non licet ullo modo; nempè ut illum ipsi retineant, ad annuas pensiones percipiendas vel per se, vel per alium; quo casu ipsi sunt usufructuarij, adeóque quasi domini illius Census fundati, si non de jure, saltem de facto. Id enim in prædicta etiam ratione ab illo Doctore facta apertè indicatur; dum ait: *Quia Fratres, vivendo ex ipso*, &c. &: *Quia modus vivendi per annuos reditus*, &c. idest per pensiones ex ipso Censu fundato provenientes, &c. Et est etiam juxta singularem declarationem Nicolai III. *in eo cap. Exijt: paragrapho. Ad hæc, quia:* & secundùm communem Canonistarum, Juristarumque sententiam, necnon Minoricæ Regulæ Expositorum, docentium Mendicantes, atque adeò etiam Fratres Minores, posse capere bona immobilia, vel inter Immobilia computata, (cujusmodi est Census prædictus) ut vendantur, & de eorum pretio vivant; ut tradit Laurentius de Rodulphis *in repet. in cap. sine exceptione: 12. quæst. 2. numero* 87. juxta not. *de probationibus, cap. in præsentia: & de religios. domibus, capit. primo in Gloss. vers. Et super ea: in 6.* Quod procedit, sive in hujusmodi bonorum donatione exprimatur, ut vendantur; sive nulla alia fiat expressio; ut patet *in textu* Nicolai *in d. paragrapho. Ad hæc, quia:* At, si in talium bonorum donatione exprimatur, ut à Fratribus retineantur, ad annuas pensiones, vel fructus annuos percipiendos, nullatenùs sunt capaces, & debent per omnem modum à tali donatione, vel legato, & ejus receptione abstinere, apertè respuendo; ut declarat idem Nicolaus *loco citat.* Nam si reciperent, & retinerent hoc modo, licèt de facto simplici, & sine juris acquisitione ex parte sui ipsorum, essent Usuarij, vel Usufructuarij talis boni immobilis, vel inter Immobilia computati, si non de jure, saltem de facto. Nam, quando donatur, vel legato relinquitur res, ut ex ea percipiantur fructus, tunc videtur donata, vel legata res ipsa in usumfructum, & non annuus reditus; ut tradit Jason *in l. si fundum per fidei commissum: digest. de legatis 1. numero vigesimo secundo*, ex textu *in l. 4.* ubi Bartolus, *digest. de adimen. vel transferen. legatis: & in l. cum hi: paragrapho, Si uni fundus: digest. de transactionib.* & iterum ex *text. not.* cum Gloss. *in l. donationes in concubinam: paragrapho species: ff. de donationib.* & Gloss. *in l. cum mulier. C. de Iure dotium.*

Quare non mihi probatur, quod in præallata illius Doctoris ratione dicitur: Quòd videlicet Census prædictus, vel legatum hujusmodi ideò repugnet statui, & professioni Fratrum Minorum; quia Fratres, vivendo ex ipso, non viuunt aut per laboritium, aut per Mendicationem, aut per liberaliter oblata: Verè enim viverent ex liberaliter oblatis, & eleemosynaliter relictis à 49

principa

principali dante, juxta doctrinam D. Thomæ *in 2.2. quæst. 187. articul. quarto, in corp.* alibi allatam *in Conf. art. 3. paragrapho decimo sexto, numero* 33. etiamsi cæteroqui tales fructus perciperent, vel pensiones ex titulo civiliter acquisito, adeóque ex certitudine politica; neque idcircò hanc rationem mutant, quam ex testatoris, vel donaotis intentione habuerunt: quemadmodum oec iilam mutaot legata simplicia, etiamsi ab hæredibus, vel gravatis præstita ex obligatione politica legatarijs. Dicendum igitur est, legata usumfructum importaotia, etiam impropriè dicta, repugnare Mendicitati Fratrum Minorum, quoad illius statum, & professionem, quatenùs per eam teneotur non habere usum, vel simplicem facti, boni immobilis, vel inter Immobilia computati, præter usum Domus, & horti: Legata verò simplicia propriè dicta idcò repugnare, ut præfertur; quia importaut certitudiocm civilem, quæ sola etiam repugnat dependeotiæ speciali à divioa provideotia, ad quam ijdem Fratres ex suamet professione tenentur. Nec juvat dicere, quòd à testatoribus, vel donantibus inter vivos, hujusmodi donationes sint liberaliter oblatæ, si vel usumfructum etiam de facto simplici importent, vel politicam certitudinem: esto eoim quòd ooo exuant primam formam liberaliter oblati; haoc tamen aliam superinduunt Mendicitati, ut dictum est, repugnantem.

50 Cæterùm legata simplicia cùm pro unica vice, tùm annua, etiam perpetua, impropriè dicta, verè inter illa computanda sunt, quæ liberaliter, & dono, seu eleemosynaliter dantur, seu mittuntur, scilicet à Morientibus; neque hanc formam, vel rationem amittunt post mortem testatorum legantium, seu mittentium, quemadmodum nec illam amittunt ea, quæ à Viventibus per alios mittuotur. Neque aliam induunt paupertatis, ac mendicitatis statui Fratrum Minorum repugnantem, etiamsi ex obligatione naturali, & in foro consciеotiæ ab hæredibus, vel gravatis solvaotur; ut in Superioribus non semel ostensum est. Potuit enim hujusmodi obligatio reperiri etiam in Testatoribus, sicut & in alijs viventibus divitibus reperitur ad dandam eleemosyoam.

51 Ratio etiam, cur non ob id aliam ioduant formam, nec primam exuant, est illa latè *in Conf. articul. prim. paragrapho octavo, nono, decimo, & undecimo*, & alibi ostensa; quia nimirùm hæres ceosetur esse eadem persona cum testatore, & in hærede Testator ipse censetur vivere, & fungi actione sua largiendi eleemosynam illam, vel quippiam aliud præstandi ab ipso in testamento, vel alia ultima voluotate mandatum; *Authent. de jurejurando à moriente præstito: l. 1 Cod. ut actiones & ab hæred. & contra hæred. incip.* Gloss. *in l. cum à Matre: Cod. de rei vendicat.* Gloss. *in l. 2. paragrapho primo, digest. de prætorijs stipulation.* Jason *in l. re conjuncti: col. 31. numero 117. & in l. si fundum per fideicommissum: column. fin. numero quadragesimo, digest. de legatis 1. & in l. non quocúmque: paragrapho qui Ca,um: col. 1. numero octavo, digest. eo. titul. & in l. Si sic legatum: paragrapho si quis ita: post princ. numero primo, digest. eo. titul. & in l. si quis à filio: paragrapho si quis plures: col. 2. numero octavo, digest. eo. titul. & in l. Gallus: paragrapho idem credendum: col 4. numero 9. digest. de liberis, & posthumis hæredibus: & in l. qui totam: post princip. numero quarto, digest. de acquirenda, vel omitten. hæredit. & in l. Si constante: col. fin. numerò 238. digest. soluto matrim. quemadmodum dos pet. & in l. inter stipulantem: paragrapho primo, col. penult. in princ. digest. de verbor. obligat. & in l. Iulianus: numero tertio, digest. eo. titul. & in l. Si sic stipulatus: col. 4. numero octavo, digest. eo. titul.* Socious *in l. si rem legatam: in princip. digest. de exceptionibus, & præscriptionibus, & in l. 2. paragrapho Sanè: col fin. in med. digest. eo. titul. & in l. 3. paragrapho ex pluribus: col. fin. in fine, digest. de acquirenda, vel amitten possess. & col. 1. numero septimo,* & iterum Jason *in l. si is, qui pro: col. 8. numero 19. digest de usucapionibus, & in l. Pomponius: paragrapho in dotem: numero secundo, digest. de acquirend. vel amitten. possess. & in paragrapho, cum quis: col. penult. numero vigesimo primo, ea. l. & in l. cui opus: col. 1. numero tertio, digest. de operis novi nunciatione*: cum multis alijs Iuribus, & Doctoribus, qui posseot allegari, quibus subscribit Franciscus Niconitius *in repetit. super Rubr. de Testamentis: numero* 63. Et hæres implens Defuncti ordinationem, ipsius factum præstare dicitur, quod adenndo hæreditatem ita approbat, & acceptat præstandum, ut illud non possit impugnare; ut beoè Ioaones Crotus, de Monteferrato *in repetit. cap. cuicúmque: de jurepatronatus, numero octavo.* Quia nimirùm, adenndo hæreditatem, intelligitur quasi cootrahere cum ipso defuncto, cujus vicem, atque personam repræsentare intelligitur: ut tradit Emmanuel Costa Lusitanus *in repet. cap. si pater: de testamentis: numero decimo, ex l. 2. paragrapho ex his: digest. de verbor. obligationibus: & ex Authent. de jurejuran. à morien. præst. in princip. Collat. 5.* & facit Gloss. celebris *in l. his consequenter: paragrapho, Sed quum Monumentum: in v. præscriptis verbis: digest. familiæ ercifcundæ.*

BBb Non

Non solùm autem cum testatore, sed etiam cum legatarijs, aut alijs in testamento honoratis, (civiliter tamen acceptantibus legatum:) quibus tunc demum hæres debere incipit, scilicet obligatione civili, juncta naturali: ut benè idem Costa *citat. arg. tex. in l. ex maleficijs: paragrapho si quis: vers. hæres: digest. de actionib. & obligationib. & in l. qui cum hærede: eo titul.* & facit text. singularis *in l. legata sub conditione: digest. de conditionib. & demonstrat.* Quin etiam hæres institutos minùs solemniter, obligatur naturaliter, & in conscientia, recipiendo bona testatoris, ad legata scilicet, præsertim pia, præstanda: Bartolus, & alij *in l. 1. digest. de condictione indebiti: & l. cum quis: Cod. de juris, & facti ignor.* Sicut in Codicillis, licet quoque testes non intervenerint: Corneus *consil. 119. incip.* Circa, &c. *in 4. dub. 2. vol.* Jason *in l. nemo potest: numero septuagesimo quinto, cum seq. in 1. lect. digest. de legatis* 1. Rebuffus *alibi cit. (sup. art. 5. paragrapho primo, numero decimo sexto, numero trecentesimo decimo quarto.* Adeò autem hæc vera sunt, quòd donatio facta à defuncto non revocatur ab hærede, etiam casu ingratitudinis, si defunctus præscivit ingratitudinem ipsam: si autem ignoravit, benè potest revocare: ut benè Antonius Burgos *in repet. in cap. cum accessissent: de Constitutionibus, numero ducentesimo vigesimo quinto*, ubi etiam *numero ducentesimo vigesimo sexto*, docet quòd hæres non debet venire contra factum Defuncti: ex text. *l. fin. Cod. de donation. & cap. fin. de donationib.* ubi Joannes Andreæ, & Abbas.

52 Addo, quòd ita tenetur hæres ad factum testatoris sequendum, ejúsque voluntatem implendam; ut de Jure Canonico, si non impleat, privetur in totum hæreditate, etiam nullâ relictâ ei legitimâ, si sit de liberis; ut not. *in cap. experientiæ: 11. quæstion. prim.* de quo dic, ut *ibi not.* sed de Jure Civili, si non impleat infra annum, privatur hæreditate quidem, relictâ tamen sibi legitimâ, si fit de liberis; ut *in l. fin. & Authent. hoc amplius: Cod. de fideicommissis:* & habetur *in cap. licet: in fin. de Voto, & voti redempt.* ut tradit Joannes Baptista de S. Blasio *in repetit. Rubric. Decreti numero centesimo quinquagesimo primo*. Hæc tamen intellige de sequendo facto, & voluntate implenda Defuncti, qui testatus est; & contra cujus factum non datur hæredi aliqua ex quatuor actionibus revocatorijs facti Defuncti; quæ sunt Calvisiana, Faviana, Pauliana, & in factum revocatoria: quod verbi gratiâ contingit, si Defunctus intestatus debitor, vel libertus, alienaverit rem creditoris, vel patroni succedentis ab intestato; tunc enim utique creditor hujusmodi, vel patronus succedens in totum, potest per actionem Calvisianam in sui fraudem alienata revocare; ut habetur expressum *in l. defuncto: Cod. si in fraudem Patroni:* ubi Gloss. Quod non est dicere de Defuncto, qui testando legavit, maximè ad pias Causas, rem alienam, etiam ipsius hæredis: hanc enim hæres tenetur præstare legatario, aut ejus æstimationem; ut alibi dictum est ex communi Doctorum sententia. Eo igitur, quàm teneatur hæres in conscientia, ex ultima voluntate testatoris, etiam non solemni, & de jure nulla, ipsius legata solvere, præsertim quæ ad pias Causas sunt; cujusmodi sunt illa, quæ Fratribus Minoribus relinquuntur, nempe eorumdem Morientium eleemosynæ, in remissionem peccatorum suorum piè, & liberaliter Fratribus prædictis per eosdem missæ, & in actu signato (ut ita dicam) oblatæ, & factæ.

53 Ex his colligitur, quòd Fratres Minores, vivendo ex hujusmodi legatis simplicibus, etiamsi annuis, & perpetuis, impropriè dictis, sive partialiter, sive etiam totaliter (quod nunquam tamen, aut vix unquam contingere potest) ex illis vivant, cum moderaminibus requisitis; in nullo suæ ipsorum Paupertatis, ac Mendicitatis statum, vel professionem lædunt: semper enim adhuc vivunt de non suo, aut certo, debitóve sibi politicè, & de Eleemosynis spontè, & liberaliter oblatis, & missis, non solùm à morientibus testatoribus, sed etiam ab ipsis hæredibus, vel gravatis, aut alijs Morientium Executoribus quatenùs hi in foro externo liberi sunt ab omni vinculo obligationis erga Fratres; quibus proindè invitis, & nullam civilem actionem habentibus ad repetendum, possunt ab ijsdem hæredibus (tametsi non tutâ conscientiâ) tales eleemosynæ negari, & subtrahi: quod satis est ad Mendicitatis statum, & professionem servandam, ac dependentiam specialem à divina providentia; ut dictum est ex Card. de Lugo *in Casu præced. in fine, §.* scilicet 5. *n.* 18. Neque officium Judicis nobile, quod in tali casu locum habere potest, & implorati à Fratribus, efficit quicquam quoad ipsorum Regulæ rigorem; ut ostensum est *suprà, hic num.* 12. & in *Conf.* sæpiùs: Tametsi non expediat; ut semper docuimus, & *hic infrà* concludimus, *num* 92.

54 Æquè igitur continentur sub illo modo vivendi Fratribus ex *Regula* licito, secundùm declarationem Nicolai III. *in eo paragrapho Nec quicquam:* nempè ex liberaliter, & sponte oblatis, vel missis, legata simplicia, impropriè dicta, sive ea annua sint, etiam

etiam perpetua; sive pro unica vice, vel solutione præstanda, neque alterutra plùs, quàm moraliter certa sunt, aut plùs debita ab hæredibus, vel gravatis, quàm ex obligatione conscientiæ: ut dictum est *suprà*. Nam Nicolaus prædictus *in eo paragrapho Ad hæc, quia:* loquitur indefinitè, & generaliter de legatis, quæ Fratribus relinquuntur, nec distinguit de simplicibus, an sint annua, vel pro unica vice; solùm distinguit inter legata simplicia, & legata usufructus boni immobilis; atque illa (simplicia scilicèt) indefinitè, & generaliter licita Fratribus declarat, quatenùs citra juris, titulivè civilis acquisitionem ipsis proveniunt, & ex sola obligatione conscientiæ hæredum, vel executorum, adeóque etiam officio Judicis nubili intercedente; quod est impropriè dicta, secundùm nostram doctrinam. Ista verò (quæ scilicet importat usum, vel usumfructum legatum) indefinitè item, & generaliter illicita Fratribus statuit, & per omnem modum, etiam impropriè dicta, repugnantia ipsis, eorum conditione inspecta. Vide dicta, ad hoc, *in Conf. articul. prim. paragrapho quarto, per totum.* Nec quisquam rationabiliter suspicari potest, quòd legata simplicia, ut præfertur, licita Fratribus declarentur *in d. paragrapho* à Pontifice ex ipsius potiùs speciali concessione, quàm ex vi Regulæ. Nam, ut ipsemet Pontifex *ibidem* loquitur, per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos intendit providere, (quoad legata prædicta) *quòd hæredum cupiditas legitimis telibus feriatur, ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur.* Ex quibus verbis liquet, modum vivendi ex hujusmodi legatis impropriè dictis, esse modum Regulæ Fratrum congruum, & unum ex illis tribus ex Regula licitis, ut *suprà*; nempè ex liberaliter, & sponte, seu eleemosynaliter oblatis: ea enim, Morientium eleemosynæ sunt; ut dictum est, & probatum *suprà*. Quòd porrò idem Nicolaus modos vivendi prædictos assignet, & inter eos non computet ea, quæ certò, & ex debito; idest ex certitudine morali, & ex debito conscientiæ: Verum quidem est, quòd ea non computat expressè; at falsum est, quòd non computet implicitè: nam modus vivendi de per laboritium comparatis, certè importat obligationem naturalem, & de Jure divino mercedis solvendæ operarijs, etiamsi non ex pacto, & contractu locati, vel conducti operis debitæ civiliter. Quid quòd & ipsa eleemosyna sive sponte oblata, sive à Fratribus ostiatim mendicata, cadit sub obligatione præcepti Charitatis, &c. ut vidimus *in Conf. art. 3. paragrapho decimo sexto, numero duodecimo, & seqq.* Et hæc iterum satis pro præsenti responsione.

Segmenti Quinti

Ratio Quinta.

Summarium.

55 *Ratio quinta ejusdem Doctoris impugnantis proponitur*, usque ad n. 59.

Legata annua si non sint annui reditus, an saltem ad naturam & formam illorum accedant, ibid.

Bona temporalia quæ accedunt ad naturam & formam annui proventus, Minoribus habere non licet, ibid.

56 *Hortos habere ad olera necessaria Minoribus expressè conceditur, & ad animi recreationem ac corporalem exercitationem*, & n. 57 & 58.

59 *Authoris responsio ad præfatam rationem*, & n. 60. 61. & 62.

60 *Legata annua simplicia impropriè dicta & citra certitudinem, civilemque obligationem habita de manu hæredis cum moderaminibus requisitis, non sunt annui reditus, nec ad illorum naturam accedunt: ut exponitur*, ibid. *ad intelligentiam Clementinæ*, Exivi, §. Licet verò.

Habere id, quod ad naturam, & formam annui proventus accedit, excepto horto, est illicitum Fratribus Minoribus; sicut & habere immobilia, exceptis horto, & domo: Sed habere legata annua accedit ad naturam, & formam annui proventus saltem, si non sunt annui proventus: ergo habere annua legata est illicitum Fratribus Minoribus: Major provt *in Clement. Exivi: paragrapho Licet verò*, ubi Clemens V. reddens rationem, propter quam est illicitum Fratribus Minoribus habere hortos, ut colantur, & olera, & alia hortalitia pretio distrahantur, nec non & vineas, ait: Quia habere prædicta, ad naturam, & formam proventuum appropinquat. Quæ ratio nullatenùs concluderet, si propositio nostra Major non esset vera; ut regulas Dialecticas callens non ignorat. Probatur verò Minor; quia habere hortos, & vineas ad prædictum usum, non ideò accedit ad naturam, & formam annui reditùs; quia Fratres habeant jus, aut usumfructum talium hortorum, & vinearum: tùm quia Fratres tempore Clementis V. optimè sciebant omnium immobilium dominium, 55

& usumfructum spectare ad Pontificem; undè prædicta non habebant ut propria; nec prupter hanc causam Pontifex præfatus habere prædicta illicitum declaravit: tum quia, si nunc de facto detur, vel relinquatur Fratribus Minoribus aliqua vinea, vel hortus superfluus contiguus, & dans, vel legans reservet jus, & usumfructum, clarum est, quòd habere hujusmodi hortum, vel vineam, accederet ad naturam, & formam annui proventus, prohiberúrque in *d paragrapho Licèt verò*: & tamen Fratres nihil juris haberent, sed solùm usum simplicem facti. Habere igitur hortos, & vineas prædictas, ideò accedit ad naturam, & formam annui proventus; quia annuatim, & quasi certò habentur fructus, & proventus. Dixi: *quasi certò*; quia nullum jus Fratres habent; Dominus etiam potest, quoties sibi placuerit, eo etiam mane, quo fructus colligendi sunt, illos sibi vindicare absque ulla injustitia: ergo etiam annua legata, si non sunt annui proventus, saltem accedunt ad naturam, & formam annuorum proventuum. Probatur consequentia; quia illud, quod annuatim, & quasi certò trahitur ex aliqua re, etiam absque jure, vel usufructu, accedit ad naturam, & formam annui proventus; ut patet ex mox dictis: sed annua legata trahuntur annuatim; & ad minimum quasi certò: quia hæres tenetur in conscientia, & in judicio potest ab Executoribus publicis ultimarum Voluntatum cogi, trahuntur, inquam ex rebus Defuncti: ergo annuum legatum accedit saltem ad naturam, & formam annui proventus: immò verò pervenit, & verè nulla est conditio, & ratio, propter quam habere hortos, & vineas ad prædictum usum accedat ad naturam, & formam annui proventus; quæ non sit etiam in annuis legatis, & multò fortiùs. Igitur, si eadem est ratio, eadem est juris dispositio, juxta prædicta.

56 Neque dicas, idem esse dicendum de hortis ad habenda necessaria hortalitia.

57 Contra enim est *primò*; quia isti sunt expressè concessi, & sunt excepti in prima propositiune; undè neque ab hortis, neque à legatis concessis licet arguere ad non expressa.

58 *Secundò*; quia licitum est habere hortos, primò, & principaliter, ad recollectionem, & recreationem, ac corporalem exercitationem post labores spirituales orationis, & studij: ut patet *d. paragrapho Licèt verò*: Secundariò verò ad habenda hortalitia necessaria. Quòd ex eo patet, quòd si Fratres possent habere hortos principaliter pro hortalitijs, possent habere hortum extra Civitatem, si nun haberent aliquem Conventui contiguum: quod tamen falsum à quolibet Sapiente, & Regulæ zelatore judicabitur. Et de facto, cùm Patres de Observantia Brixiæ extra Civitatem hortum haberent, à Superioribus provisum fuit, ut illum omninò abdicarent, tanquam Regulæ contrarium. Quòd ergo trahantur fructus ex hortis contiguis, est ferè per accidens.

RESPONSIO.

Respondeo, hujus rationis solutionem, quatenùs contra nos niti contendat, patere ex præcedentibus responsionibus: non enim convincit, nisi contra legata usum, vel usumfructum importantia alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati; quæ etiam nos Fratribus Minoribus illicita, vel de facto simplici, semper hic, & ubique semper *in Consilio* constantissimè asseruimus. Ob idque illam, sicut & præcedentem, pro nostræ sententiæ in Secunda illa Conclusione Cardinali *in Conf. articul. primo, paragrapho vigesimo quinto*, confirmatione germana usurpare possemus. Placet nihilominùs methodicè respondere, omnémque qua in Jure laborat, æquivocatione patefacere. 59

Concedo igitur Majorem: & distinguo Minorem; sed habere legata annua; vel simplicia, sed propriè dicta, & civiliter certa, & debita; vel usum, aut usumfructum importantia alicujus boni immobilis, &c. etiam impropriè dicta, & de facto simplici; accedit ad formam, & naturam annui proventus saltem: Concedo Minorem. Habere legata annua simplicia, sed impropriè dicta, accedit, &c. Nego Minorem. Siquidem etsi hæc propriè dicta habere, sit habere quodammodo annuos reditus, vel proventus propriè dictos, utpotè civiliter certos, & debitos ex actione personali; attamen in Iure non computantur inter Immobilia, nec importans usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis; atque adeò nec reditus, vel proventus esse, nec ad eorum naturam accedere censentur à Iuristis: undè impropriè dicta, & citra certitudinem, obligationemque civilem habita, vel percepta de manu hæredis, vel gravati, cum moderaminibus requisitis, nihil important repugnans Mendicitati, & Professioni Fratrum, nisi ab ipsis fuerint procurata; sed sunt meræ Morientium eleemosynæ de ipsorum mandato Fratribus præstitæ ab hæredibus, vel gravatis, alijsve Executoribus. At legata usum, 60

usum, vel usumfructum importantia, secundùm Jura, habere, & percipere; est habere, & percipere annuos reditus, vel proventus; (vel quid ad illorum naturam appropinquans) si non de Jure, saltem de facto simplici, qui inter Immobilia computantur à Jure: undè percepta, & habita à Fratribus, etiamsi impropriè dicta, & de facto simplici, citra omne jus, titulumvè civilem usus, vel ususfructus, adeóque absque civili certitudine, & cum morali tantùm; adhuc repugnant Mendicitati, & Professioni Fratrum Minorum; Unde à legatis sub tali modo, vel forma expressa factis, & ab eorum receptione, ut talium, debent Fratres per omnem modum abstinere; ut declarat, & mandat Nicolaus III. *in illo paragrapho. Ad hac, quia* & ratio est: quia nimirùm ex natura sua (quam non mutant eò quòd Fratribus ipsis relicta fuerint juris incapacibus, nec civiliter acceptantibus) important, si non de jure, saltem de facto, usum, vel usumfructum illius boni immobilis, vel inter Immobilia computati, ex quo specialiter ad id obligato trahuntur: immò, cùm & ipsi annui fructus, reditus, vel pensiones ex talibus legatis percepti inter immobilia bona computentur à Jure, illos habere, & percipere, illisque ut talibus uti (etiam de facto simplici) importat usum bonorum immobilium, (præter concessa) si non de Jure, saltem de facto; qui adhuc Fratribus est interdictus; ut patet *in Clement. Exivi: eo vers. Cùmque annui reditus:* Juristæ, & Canonistæ judicent, nam aliter Minor illa sit vera, attentis Iuribus cùm Canonicis, tùm Civilibus, Doctorúmque utrimque interpretantium sententijs. Iudices illos omninò appello.

61 Ad probationem ejusdem Minoris dico, illam benè concludere de legatis, & alijs donationibus, aut concessionibus, sive à Morientibus factis, quæ usumfructum, vel usum, aut saltem horum commoditatem ab ipsis separabilem, (ut tradidimus in *Conf. articul. primo, paragrapho 27. numero undecimo*) simplici, & non solum annuum, sed etiam pro unica vice, seu anno, important legatarijs, vel donatarijs, ijsvè, quibus conceduntur: at non concludere de legatis simplicibus impropriè dictis; ut patet in exemplo hortorum, & vinearum ad Fratrum usum concessarum, ex quo ducitur argumentum. Nego tamen, quòd habere hujusmodi hortos, vel vineas sive legato à Morientibus relictas, sive dono, aut concessione, ut ibi dicitur, à Viventibus concessas ad usum Fratrum prædictum, ideò accedat ad naturam, & formam annui proventus Fratribus interdicti; quia annuatim, & quasi certò habentur fructus, & proventus; nisi enim habeantur simul annuatim, & certò, ex certitudine civili, absolutè & simpliciter hæc non est ratio repugnantiæ. Sed illa ejus est ratio germana; quia in Iure habere hujusmodi hortos, & vineas ad prædictum usum, etiam de facto simplici, est habere annuos reditus, vel proventus, si non de jure, saltem de facto, quia ita ad naturam, & formam Immobilium, ex quibus ad id specialiter obligatis, etiam de facto simplici percipiuntur, appropinquant, ut inter bona immobilia ipsi quoque reditus, vel proventus, cæteroqui mobiles, computentur: & ideò, etiamsi non habeantur certò civiliter, sed tantùm moraliter, & ex libera, & ad placitum concedentium revocabili concessione, important tamen non solùm in se ipsis, sed etiam in radice, usum, si non de jure, saltem de facto, bonorum immobilium, præter expressè concessa. Hæc est ratio germana, & in Iure fundata; ut patet ex dictis *hic, suprà, & in Conf. locis supra cit.*

Reliqua, quæ pro illa ratione adducuntur, non faciunt contra nos; ut patet consideranti responsionem exhibitam: neque enim nos illa utimur evasione ibi supposita. Satis ergo dictum. 62

SEGMENTI SEXTI

Ratio sexta, & septima.

SVMMARIVM.

63 *Rationes sexta & septima ejusdem Doctoris adducuntur ad probandum annua legata videri tollere specialem à divina providentia dependentiam ad quam tenentur Minores.*

64 *An sicut certitudo fructuum agri, & provisiones pugnant cum speciali dependentia Minorum ex providentia divina; ita & annua legata eisdem relicta.*

65 *Minores an possint totaliter vel partialiter vivere ex legatis annuis, salva speciali dependentia à divina providentia.*

66 *Authoris responsio ad hanc difficultatem: ut objectio procedat in annuis legatis etiam simplicibus & impropriè dictis à Fratribus Minoribus procuratis; secùs in sponte oblatis & per modum eleemosynæ receptis.*

67 *Certitudo moralis & ex obligatione cōscientiæ hæredis, vel etiā ex officio Iudicis nobili*

procedens, non efficit ut legata annua simplicia impropriè dicta, sint annui reditus propriè dicti & Minoribus interdicti.

63 FRatres Minores tenentur dependere speciali modo ex divina Providentia; ut patet ex *Clement. Exivi: §. Rursùs, cum prædictus Sanctus*: Ergò nulla licet eis recipere annua legata. Probatur consequentia; quia quæcunque annua legata pugnant cum speciali dependentia à divina providentia: ergò non licet ea recipere. Probatur antecedens; quia facere provisiones in futurum earum rerum, quæ mendicando haberi identidem possunt, pugnat cum speciali dependentia à Divina providentia, ad quam tenentur Fratres Minores: ergò etiam habere legata annua pugnat cum hac speciali dependentia. Antecedens est certum: probatur consequentia; quia ratio, propter quam facere provisiones, etiam quibus Fratres solùm partialiter vivant, putà panis, vel vini, pugnat cum speciali dependentia à divina Providentia, est; quia provisio est certa; sed legata annua non sunt minùs certa, quàm provisiones: ergò, si illæ sunt cum speciali dependentia prædicta pugnantes, etiam annua legata. Probatur Minor; quia, si Fratres Minores deponant triticum, aut vinum apud aliquem amicum, non habent majorem certitudinem, quàm si habeant annua legata, etiam absque ullo jure: ergò, si certitudo provisionis in casu prædicto pugnat cum speciali dependentia à divina Providentia, ad quam Fratres Minores tenentur, etiam certitudo legatorum pugnat cum dependentia prædicta.

64 Confirmatur *primò*; quia illa quasi certitudo fructuum agri, cujus Fratres haberent simplicem usum, & Dominus reservasset sibi jus, pugnat cum dependentia speciali à divina providentia, ad quam Fratres tenentur: ergò multò magis pugnabit certitudo legatorum annuorum; quia fructus prædicti subjacent diversis periculis; ut in ratione prima; & Dominus potest & fructus, & fundum, quoties sibi placuerit, accipere: legata autem hæres tenetur reddere, si eorum Fratres sunt capaces, & potest à Judicibus cogi, ex officio, aut ad instantiam cujuslibet de populo procedentibus.

Confirmatur *Secundò* per sequens argumentum, quod est

RATIO SEPTIMA.

65 Si annua legata non essent illicita Fratribus Minoribus propter prædictas rationes; aut scilicet quia sunt annui redditus propriè dicti, bona immobilia Paupertati, & mendicitati repugnantia; aut quia saltem ad naturam, & formam proventum appropinquant; aut quia sunt ita certa, ut specialem Fratrum Minorum dependentiam à divina providentia, saltem ex parte, tollunt; sequeretur, quòd Fratres Minores possent ex legatis totaliter vivere: sed hoc est falsum, & suprà improbatum: ergò & id undè sequitur. Probatur sequela *primò*; quia nulla ratio, præter prædictas, potest afferri, propter quam sit illicitum vivere totaliter de legatis: ergò &c. *Secundò*; quia, si nulla ex prædictis rationibus obviat, annua legata jam computantur inter Eleemosynas liberaliter oblatas, ex quibus, licèt Fratribus Minoribus vivere: ergò licet ex eis totaliter vivere. *Tertiò*, aut certitudo, quæ est in legatis annuis pugnat cum statu, & professione Fratrum Minorum; aut non: si non, ergò licèt ex eis totaliter vivere: si sic; ergò non licet ex eis partialiter vivere. Probatur consequentia; quia non licet etiam partialiter vivere ex provisione diuturna, puta tritici aut vini; ut *suprà* dictum est; quia certitudo illa pugnat cum Professione, & obligatione Fratrum: ergò, si certitudo, quæ est in legatis, pugnat cum eadem Professione, & obligatione, non licet ex eis etiam partialiter vivere.

RESPONSIO.

Respondeo universam hanc rationem, 66
cum suis confirmationibus, non urgere contra legata simplicia cùm annua, tùm pro unica vice præstanda, impropriè dicta, & à Fratribus Minimè procurata; prout à nobis licita asseruntur. Benè autem militat contra legata, etiam simplicia, & impropriè dicta, sed à Fratribus procurata sibi fieri; prout *in Conf. art. 1. §. 20. & 21. & art. 3. §. 6. num. 1. & §. 10. num. 2. 5. & seqq.* ubi hujusmodi legata vel impropriè dicta, à Fratribus tamen procurata, repugnare docuimus cum professione Fratrum, & dependentia speciali à divina providentia, ad quam tenentur; tanquam procuratæ provisiones in futurum, cum tamen ratio repugnantiæ hujus non sit certitudo, quam secum afferunt hujusmodi legata impropriè dicta, sed quia sunt procuratæ provisiones in futurum, Fratribus omninò ex *Regula*, & *declarationibus Pontificum*, & communi ejusdem Regulæ Expositorum sensu interdictæ. Sicut etiam ratio, cur repugnent professioni, & mendicitati Fratrum legata usumfructum importantia, & concessiones Viventium percipiendi fructus alicujus agri,

agri, vel vineæ; non est certitudo eorundem fructuum, (nisi sit civilis,) sed quia importent usum vel usumfructum immobilium bonorum, saltem de facto; qui Fratribus interdictus est etiam de facto simplici, præter usum necessariorum ad habitandum, & divinum cultum exercendum, & ad recollectionem, seu recreationem; ut dictum est *suprà*.

67 Cæterùm certitudo moralis, & ex obligatione conscientiæ in hæredibus, vel gravatis quinimmò ex officio Judicis nobili competente proveniens, quoad legata simplicia impropriè dicta, non efficit, quòd illa possint dici annui reditus propriè dicti; aut quòd ipsa sint bona immobilia, vel usum importent bonorum immobilium; aut quòd ad naturam, & formam redituum, vel proventuum propriè dictorum appropinquent, quodvè ob id inter Immobilia computentur; aut quòd repugnent dependentiæ speciali à divina providentia; ad quam Fratres ex sua Professione tenentur. Sed illa relinquit esse, qualia ex natura sua, & ex testatorum intentione, & institutione sunt; nempè puras Morientium Eleemosynas, liberaliter ab ipsis oblatas; & missas, ex quibus proindè licet Fratribus, etiam totaliter (quod tamen vix unquam contingere potest) vivere, cum moderaminibus requisitis, ut ex dictis *hic suprà, & in Conf.* constat. Quemadmodùm è contra legata, vel etiam concessa à Viventibus importantia usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati Fratribus directè legatum, vel concessum, quæ illicita ijsdem Fratribus asseruimus, adeò sunt ijsdem illicita, ut nec partialiter ad modicum tempus, vel pro unica vice, vivere ex eis possint, aut pro cultu etiam Dei illa habere. Vides ergò, quomodo ratio hæc universa ad Jurium, Canonumque amussim intellecta, pro nobis potiùs, quàm contra nos convincat.

Segmenti Septimi

Ratio Octava.

SUMMARIUM.

68 *Ratio octava præfati Doctoris adversantis proponitur.*
Utrum habere legata annua, sit habere usum aliquem rei immobilis Minoribus interdictum. ibid.
69 *Authoris responsio distinguentis inter legata annua usumfructum certum certitudine civili importantia, & simplicia legata impropriè dicta; quæ est distinctio fundamentalis in hac materia, ut declaratur* num. 70.

SI Fratres Minores possent habere legata annua, eáque recipere, sequeretur quòd possent habere usum aliquem rei immobilis, præter usum Domus, & horti: sed hoc est falsum, ut probatum est ratione secunda: ergo & id undè sequitur. Probatur sequela, quia usus v.g. agri, prout ad præsens spectat, nihil aliud est, quàm perceptio fructuum ejus, & uti agro aliquo, est percipere fructus ejus: sed si Fratres reciperent annua legata, reciperent fructus agri, aut alicujus rei immobilis: ergò haberent usum rei immobilis. Probatur Minor; quia, si testator relinquat onus hæredi ut det fructus, aut æquivalens talis fundi Fratribus Minoribus, clarum est, quòd ipsi percipiunt fructus illius fundi: vel si relinquat onus dandi tantam summam fructuum, v.g. tritici, vini, aut æquivalentis, clarum est, quòd Fratres recipiendo legatum hoc, recipiunt partem fructuum bonorum immobilium Testatoris. 68

RESPONSIO.

69 Respondeo: Distinguo majorem: Si Fratres possent habere legata annua usumfructum importantia, secundùm Jura, eáque recipere, sequeretur &c. Concedo sequelam, majoris si Fratres possent habere legata annua simplicia, maximè impropriè dicta, eáque reciperet, sequeretur &c. Nego sequelam majoris.

70 Ad probationem sequelæ dico, quòd usus agri v.g. vel ususfructus, secundùm Jura, & Doctores, non est quælibet perceptio, vel quomodocúnque percipere fructus ejus, sed quando percipiuntur à recipiente, tanquam Domino, vel usufructuario, & quasi domino, aut usuario, si non de jure, saltem de facto: undè major illa laborat æquivocatione. Ad minorem distinguo illam: sed si Fratres reciperent annua legata, quæ in Jure, attentâ legandi formâ, & modo, sunt legata ususfructus, vel usus; reciperent fructus agri &c. Concedo Minorem: Sed si Fratres reciperent annua legata simplicia, præsertim impropriè dicta, reciperent &c. Nego Minorem. Ergò &c. nego consequentiam. Ad probationem hujus ultimæ Minoris, dico, illam laborare æquivocatione, & supponere pro vero, & certo, seu claro, quod in Jure omninò est falsum: nam forma illa legandi, seu modus, gravandi scilicet hæredem ad dandos fructus, vel æquivalens talis fundi, aut partem, vel æquivalens partis fructuum

prædiorum omnium à Testatore relictorum ipsi hæredi, non est forma, vel modus legandi importans in Jure usum, vel usumfructum legatum illius fundi, prædiorúmve illorum; sed in tali casu legati; hæres ipse est usufructuarius, vel usuarius; immò verè Dominus prædiorum illorum, & fundi illius particularis, & fructuum, cum onere erogandi pro anima Testatoris summam illam, vel fructus; quæ tamen erogatio non est fundo illi, vel prædijs immobiliter fixa; ut patet ex Juribus, & Doctoribus pro hac necessaria distinctione inter legatum usufructus, & legatum simplex, cùm annuum, tùm pro unica vice, allatis *in Conf. art.* 1. §. 25. & hic *suprà*. Undè meritò, juréque optimo dixi *in dicto loco Conf.* hanc distinctionem, & observationem esse legitimam clavem potissimarum omnium in hac controversia occurrentium difficultatum aperiundarum. Et pro veritate Iuris utriusque Consultos Judices appello. Atqui hanc distinctionem, & Juris observationem optimè calluit Seraphicus Doctor, ut videre est in ejus responsione, & doctrina, quam retulimus *in Conf. art.* 2. §. 3. *num.* 18. *& seqq.* Tu igitur benè illam tene, & attende, ne æquivocatione laborans illìc trepides, ubi non est timor.

SEGMENTI OCTAVI

Ratio nona.

SVMMARIVM.

71 *Ratio nona ejusdem Doctoris contrary expenditur: qua vult probare Minores esse penitùs incapaces annuorum legatorum perpetuorum, ex eo quòd Pontifex illa applicet Fabricæ D. Petri: quod non fieret, si Minores ipsi possent illa recipere.*

72 *Authoris responsio ut suprà: & remissivè ad* art. 3. §. 4. Consilij.

71 IN statu Ecclesiastico legata perpetua exiguntur, & deputantur Fabricæ D. Petri, quod non est credibile alia de causa fieri, nisi quia, cùm Fratres non sint capaces eorum, illa legata potest Pontifex alijs pijs Causis applicare, sequens in hoc opinionem rationabilem, quæ asserit, prædicta legata, licèt pro Fratribus non sint valida, valere tamen pro alijs, quia cùm Testatores illa relinquant pro Anima sua, ut participes efficiantur suffragiorum, quæ legatarij ipsis tribuerent, si illa pro Fratribus non sunt valida, judicandum est, Testantium voluntatem & intentionem fuisse, ut pro alijs valeant. Cúmque hæc opinio sit magis favorabilis testatoribus, & pijs Causis, illam jure potest Pontifex sequi. Si enim Fratres Minores essent capaces, quomodo credibile est, quòd pius Pater vellet à filiolis suis pauperculis ad Fabricam legata transferre? Maximè cum Nicolaus III. *in cap. Exyt: §. Ad hæc, quia:* loquens de legatis licitis dicat: *Ad quæ legata solvenda tam hæredes testatorum, quàm Executores se liberales exhibeant; & etiam Prælati, & Saculares, quibus de jure, vel consuetudine provisio ista competeret, (cùm expedierit) se ex officio suo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas: ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxilijs non fraudentur.* Credibile nè est, quòd Pontifex à vivis Christi Templis necessariam sustentationem auferat, ut marmorea construat? quòd viva Christi membra nudet, ut lapides vestiat? Nullo modo. Igitur credendum est, id Pontificem facere, quia judicat, prædicta legata pro Fratribus non esse valida, immò illis illicita. Ex quo patet, omnes Pontifices, saltem à Pio V. qui ministros Fabricæ S. Petri fecit Executores, ut patet ex *Constitut.* 95. *&* 96. transactos, hujus fuisse sententiæ. Et si à facto Ecclesiæ, vel Pontificis ducitur argumentum firmum, ut docent Theologi tractantes de locis Theologicis, hoc certè argumentum infirmum esse non potest.

RESPONSIO.

Hujus rationis vera intelligentia, & solutio habetur disertè, & abundè *in Conf. art.* 3. §. 4. & tangitur etiam in *Casu primo*, §. 5. Vide ergò ibi dicta, & ex ijs authenticè tibi constabit de mente Pontificum in tali dispositione non contraria, sed omninò favorabili sententiæ nostræ, cum D. Bonaventura, quòd scilicet Fratres Minores sint capaces annuorum legatorum simplicium, impropriè dictorum, seu per modum eleemosynæ, ex obligatione duntaxat conscientiæ, non autem civili, ab hæredibus, vel gravatis solutorum. Satis sit hîc illa indicasse. 72

SEGMENTI NONI

Ratio decima.

SVMMARIVM.

73 *Ratio decima petitur ex Bulla Clementis VII. qua declarat, Minores esse incapaces ex vi Regula legatorum annuorum*

rum, nec deberi in foro conscientia ex interpretatione Sanchez.

Tenor Bulla refertur cum quibusdam declarationibus in Capitulis generalibus factis.

74 *Authoris responsio ubi exponit sensum illius Bulla, mentémque Patrum supplicantium fuisse de incapacitate annuorum legatorum propriè dictorum, non verò impropriè & per modum eleemosynæ eis præstitorum, nec sub forma ususfructus relictorum.* num. 75. & 76.

75 *Sanchez rejicitur dicens Minores esse incapaces ex vi Regula legatorum annuorum, nec posse illa recipere si offerantur ex obligatione solius conscientia.*

76 *Minores quare non possint componere cum haredibus super legatis sibi relictis, declaratur ad intelligentiam* dictæ Clementinæ.

77 *Roderici sententia admittitur asserentis Minores esse capaces legatorum annuorum impropriè dictorum, & haredes teneri in conscientia illa præstare juxta testatoris mandatum.*

Non tamen probatur, dum ait Minores posse uti Syndico & componere super dictis legatis. ibid.

73 CLemens Septimus in Bulla, quæ incipit: *Nuper pro parte vestra, &c.* quam refert Rodericus *tom. 2. qq. Regul. quæst. 126. art. 6.* declarat, Fratres Minores esse incapaces, ex vi *Regula*, legatorum annuorum, illáque non posse recipere, si offerantur ex obligatione etiam solius conscientiæ; sicque intelligit Bullam etiam Sanchez *alibi cit. num* 56 Hæc sunt verba Pontificis: *Nuper pro parte vestra Nobis expositum fuit, quòd aliqui Christi fideles, devotionem ad vestrum Ordinem gerentes, in eorum testamentis institutiones, seu legata fecerunt, aut facient, quorum ex vestra Religionis Regula, & Professionis puritate, quam servatis, capaces non estis. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum &c. Nos cupientes pias ipsorum Defunctorum intentiones, & voluntates, quantùm fieri potest, executioni mandari; & attendentes, quòd in hujusmodi legatis, & institutionibus mens illorum fuerit, & sit, vestram relevare penuriam, ac proindè vestrorum suffragiorum spiritualium participes fieri; pro exoneratione quóque conscientiarum hæredum, & Executorum; vestris supplicationibus inclinati, tenore præsentium, auctoritate Apostolica decernimus, ac vobis concedimus, quòd vos singuli Ministri Provinciales, vel Guardiani cum aliquibus Discretis Fratribus Domorum, vel locorum, quibus hujusmodi legata, & institutiones facta fuerunt, vel in posterum fient, quorum non estis (ut præfertur) capaces, mediantibus Procuratoribus, & Syndicis eorundem locorum cum dictis hæredibus, & Executoribus super præmissis institutionibus, & legatis componere possitis &c. Datum Roma die 23. Novembris* 1526. Per quæ verba Clementis VII. patet, aut Fratres Minores non esse capaces legatorum annuorum, aut super illis non posse componere cum hæredibus. Cùm autem judicent, se posse ex vi hujus Privilegij componere super annuis legatis, consequens est, ut judicent, se eorum non esse capaces ex *Regula* puritate. Et hoc quidem fuisse veterum illorum Patrum judicium, patet tùm ex hac petitione prædicti Privilegij; tùm ex ordinationibus factis in Capitulis Generalibus, quæ referuntur à *Corduba, & Sanchez cit.* quarum prima facta fuit in Capitulo Burgis celebrato *anno* 1523. & est hæc: *Declaratur, quòd ad legata perpetua petenda non possunt Fratres recurrere, nisi per modum Eleemosynæ, absque alicujus debiti allegatione; immò cum Declaratione scripta, & sigillata hæredibus, vel Commissarijs facienda, quod scilicet Fratribus non liceat talia petere, nisi humiliter per modum Eleemosyna.* Altera facta fuit in Capitulo celebrato Assisij *anno* 1526. & est hæc: *Decernitur, ac præcipitur: quòd Fratres nullo modo recipiant aliqua legata perpetuò relicta aliquibus personis, vel Hospitalibus, vel alijs Domibus, ut dent Fratribus certam eleemosynam simpliciter, ut ipsi dicant certa Officia, vel Missas, immo quòd Guardianus, vel Præses faciat protestationem juridicam, & authenticam ei, qui implere tenetur testatoris voluntatem, quòd nolunt eas eleemosynas ex vi illius legati, nec volunt obligari ad illa Officia, vel Missas, & quòd si volunt, Testamentarij transferant ad alium locum. Si tamen facta illa protestatione, Testamentarius præfatus voluerit ex sua mera voluntate dare Eleemosynas illas, & committere Fratribus dicta Officia, & Missas, possint Fratres cum bona conscientia recipere.* Ecce sensum Patrum illius temporis circa annua legata, præsertim perpetua; qui adhuc ex *seq. argumento duodecimo* clariùs patebit. Quomodo ergò Rodericus transgreditur terminos, quos posuerunt Patres ejus; hæredum, & Executorum conscientias ligat, & suam, ac Fratrum laxat, ne dicam relaxat; ut dicat, hæredes in conscientia teneri ad persoluenda Fratribus legata annua, & eorum Fratres esse capaces: Verendum est, ne fortè capacitas ista sit inexplebilis illa Concupiscentiæ vorago, *quæ nunquam dicit, sufficit: sed semper, Affer, Affer.*

RESPON

RESPONSIO.

74 Respondeo, sensum Clementis VII. in illa Concessione, & Privilegio; sed & mentem illorum Patrum supplicantium, fuisse de incapacitate annuorum legatorum simplicium propriè dictorum; non autem de incapacitate eorumdem impropriè dictorum, & provenientium per modum Eleemosynæ, ex sola obligatione conscientiæ, ob Testatoris mandatum præstitæ; prout explicuimus eandem ipsius Pontificis mentem *in conf. artic.* 3. §.4. *num.* 3. *&* 4. Eandem autem fuisse mentem, & judicium illorum Patrum supplicantium pro opportuna super his provisione, tam ex parte ipsorum supplicantium, quàm ex parte hæredum, vel gravatorum, & Executorum; clarè competitur ex ipsorum declarationibus, & formula Protestationis, quas satis perpendimus ad mentem D. Bonaventuræ, *in Conf. art.* 2. §.2. *num.* 2. *&* 3. *& art.* 1. §.20. *à num.* 16.

75 Quod verò dicitur, de sententia etiam Sanchez, mentem Pontificis ibi esse, quòd Fratres Minores sint incapaces, ex vi *Regulæ* legatorum annuorum simplicium, illáque non possint recipere, si offerantur ex obligatione etiam solius conscientiæ: gratis omninò dicitur, neque est secundùm mentem illius Pontificis, aut illorum Patrum; sed neque secundùm mentem D. Bonaventuræ Nicolaij III. immò nec secundùm rationem ullam; ut sæpiùs ostensum est *in Conf. art.* 2. *&* 3. & hic *suprà* cum Bartolo, & alijs. Nisi fortè in *illa Clementina Concessione* fuisset sermo de legatis cum expressione modi, secundum quem non licet Fratribus. Minoribus illa recipere; juxta *cap. Exijt: in eo §. Ad hæc, quia:* hoc est dicere sub forma ususfructus Fratribus directè legati.

76 Judicabant igitur Patres illi supplicantes, se nec esse capaces annuorum legatorum simplicium propriè dictorum, & in foro judiciali exigibilium; nec posse super illis componere cum hæredibus: ut inque enim intervenit actus politicus, & civilis, supponens ex parte agentis Jus civile ad rem, quæ vel in foro exigitur, vel super qua fit compositio. Quapropter uti Syndico, vel Procuratore ad hujusmodi compositiones faciendas nomine Pontificis, vel Apostolicæ Sedis, ità repugnat puritati Regulæ Fratrum Minorum, sicuti repugnat uti Syndico, vel Procuratore pro exigendis in judicio, nomine ejusdem Pontificis, vel Apostolicæ Sedis, legatis ipsis, vel eorum æstimationibus: ob idque Concessio ista Clementis benè dicitur *Concessio;* (nam Pontifex ipse expressè ait, *se concedere, quòd &c.*) & quidem Minoricæ Professionis, & Regulæ puritatis, & rigoris dispensativa, & relaxativa; ut constat ex dictis *in Conf. artic.* 1. §.22. *à num.* 16. *& art.* 3. §. 4. *cit.* Vide etiam dicta *Art.* 2. §.4. supponit enim Pontificem, ut Patrem specialem, & Dominum Fratrum Minorum, adeóque ex parte ipsorum specialiter se habentem acquirere jus, titulúmque civilem talium legatorum, antequam præstentur; quod à nobis non admittitur §.22. *citat.*

Non igitur Rodericus transgreditur fines, seu terminos, quos posuerunt Patres ejus, 77 dum ex una parte capaces asserit Fratres legatorum annuorum simplicium impropriè dictorum; (ut alibi ex ipso vidimus *in Conf. art.* 3. §.3. *num.* 20. *&* §. 6. *n.* 6.) & ex alia teneri hæredes in conscientia, ea Fratribus præstare, juxta testatoris mandatum, pronunciat. Hæc enim est germana sententia etiam S. Bonaventuræ, (ut vidimus *in Conf. artic.* 2. §.3. *à num.* 17.) quæ concupiscentiæ affectu ductum in ea doctrina tradenda, nefas est cogitare, aut suspicari: Nec verum est, quòd nunquam dicatur, *sufficit*; sed *semper Affer, affer*; ubi afferta per nos legata recipiuntur à Fratribus cum moderaminibus requisitis, ut semper cautum volumus, & supponimus. Vide *in Conf. art.* 3. §.6. Minùs quidem ad puritatis Regulæ amussim docet Rodericus ipse, dum concedit, posse Fratres Minores, sua ipsorum professione, & mendicitate illæsa, uti Syndico tam pro compositionibus prædictis faciendis, quàm pro repetendis legatis, eorúmve æstimationibus; ut tradit *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 78. *art.* 2. & alibi. Qua in re, in nostra Capuccinorum Congregatione hactenùs, Deo dante, non fuit auditus.

SEGMENTI DECIMI

Ratio Undecima.

SUMMARIUM.

78 *Ratio undecima ejusdem Doctoris petitur ex concessione Urbani IV. quæ permittit Carmelitis, ut de legatis piis illis relictis aliquam summam recipere valeant.*

Et inde arguitur incapacitas illorum legatorum respectu Fratrum Mendicantium. ibid.

Frustra precibus impetratur quod de jure conceditur. ibid.

Mendicantes omnes ante Concilium Tridentinum tales erant, quales nunc sunt Fratres de observantia & Capuccini. ib.

Quicqidu

Quicquid acquirit Monachus, acquirit Ordini suo, vel Monasterio: quomodo intelligendum latè explicatur. ibid.

Dominium verum bonorum Religiosis relictorum acquiritur soli Deo: Ius administrandi universale & supremum acquiritur Papa, sive Sedi Apostolica: Ius administrandi & utendi particulare & subalternum acquiritur Ordini, seu Monasterio, aut Ecclesia, si est capax; sin autem, Papa; sola detentione naturali usúque facti concesso Ordini incapaci: ibid.

79 *Authoris responsio ad hanc objectionem repetenda est* in Consilio art. 3. §. 5.

Et quod fortè Concessio illa Carmelitis facta fuit super legato ususfructus bonorum immobilium. ibid.

78 VRbanus IV. concessit Fratribus Carmelitis, (qui Mendicantes sunt, nec majorem in hoc babent obligationem, quàm Minores) ut de quibusdam legatis indistinctè ad pios usus relictis recipere valeant usque ad summam centum Marcharum argenti; ut habetur *in compend. Privil. vers. Eleemosyna, §. Urbanus IV. &c.* Ex quo patet, sensum tùm Fratrum petentium Privilegium, tùm Pontificis concedentis fuisse, quod Mendicantes non sunt capaces, ex vi suæ Mendicitatis, legatorum etiam indistinctè relictorum. Et, si hoc verum est, (non enim petitur, aut datur Privilegium de ijs, quæ possunt Jure fieri, quantò magis verum erit de legatis annuis determinatis?

Atque id affirmat, luculentérque explicat Navarrus *in Comment. 2. de Regular. in cap. Non dicatis: 12. q. 1. num.* 3. dicens: Quòd ante Concilium Tridentinum omnes Mendicantes, secundùm originariam suam institutionem, tales erant, quales sunt hodie post dictum Concilium Fratres Minores, qui de Observantia dicuntur, & Capuccini, quoad acquirendum dominium juris pecuniarij tùm sibi singulis in particulari, tùm suis Monasterijs, aut etiam suis Ordinibus in communi. Immò etiam in præsentiarum nullus Religiosus acquirit aut sibi, aut Ordini, vel Monasterio suo quidquam, quoad verum dominium. Vnde receptissima est illa sententia ex Nicolao III. *in cap. Exijt: §. Ad hæc, cum Fratres:* & ex *Authent. Ingressi: C. de Sacrosan. Eccles. Quicquid acquirit Monachus, acquirit Ordini suo, vel Monasterio:* intelligenda est, quoad jus administrandi, & quidem subalternum, & particulare; non autem quoad verum dominium, aut quoad jus administrandi supremum, & generale. Explico. Nam Regularis quidquid acquirit bnni temporalis, & pecuniarij, acquirit, quoad verum dominium generale, & speciale, soli Deo, & Domino nostro Jesu Christo; ut dixit Innocentius *in cap. cum super: de causa possess.* communiter receptus per citatos à Decio *in cap. constitutus: de rescriptis:* & ab ipso Navarro *in tract. de Redditibus Ecclesiast. monito 40. quæst.* 1: atque adeò res illa per Regularem acquisita, quoad verum dominium, est Dei, & Domini nostri Jesu Cbristi privativè, & non cumulativè; (ut ait Navarrus 1. *loco cit.*) ita quòd non est ullius hominis; ut declarat idem Navarrus 2. *loco cit. & monito 2. quæst.* 3. Quoad jus verò supremum, & generale administrandi ejus boni, acquirit Papæ, & Ecclesiæ Universæ; vel Apostolicæ Sedi. Quò porrò ad idem jus particulare, & subalternum, acquirit unusquisque Ordini, vel Monasterio suo, vel cujus ipse est; modò sint hæc capacia juris administrandi: alioquì etiam speciale remanet apud Papam, vel Apostolicam Sedem; & solà detentio, & usus, & administratio facti, de licentia Papæ, penes Ordines, & Monasteria; quibus acquireretur jus particulare administrandi, si illius essent capacia. Hujusmodi autem sunt tam quoad bona mobilia, quam quoad immobilia, inter omnes alios Religiosos, seu Regulares, soli Fratres Minores prædicti de Observantia, & Capuccini; (& de hac facti administratiune vide *in Cons. art. 2: §. 7. & seqq.*) immò, quoad Immobilia, nec solam detentionem naturalem, & usum, & administratiunem facti babere possunt, exceptis Domo, & horto adhibitionem, & recollectionem, &c. quæ sunt ipsis expresè concessa; ut aliàs docuimus. Nam omnes omninò alij Regulares habent jus particulare, & subalternum possidendi, & administrandi bona saltem mobilia, quæ, ut præfertur, acquirunt; quin & plerique bona etiam immobilia possident, & administrant jure prædicto, ex dispensatione Conc. Trident. *sess. 25. de Regular. & Monialib. cap.* 3. cui tamen nonnulli renunciaverunt; ut alibi docuimus *in cons. art. 3. §. 5.*

Et per hæc subtiliter, & irrefragabiliter declaratur *cap. Exijt: de verb. signif. in 6. §. Porrò: §. Ad hac, cum: & §. Praterea:* Et ita declaratur, ut non inducatur ibi jus novum, sed antiquum exponatur, quatenus babet, quòd dominium rerum donatarum, & relictarum Fratribus Minoribus incapacibus dominij tam in communi, quàm in particulari, non quæritur eis, sed vel manet penes donantes; si illud sibi reservent; vel, ubi illud non sibi reservant, transit ad Sanctam sedem Apostolicam, & Romanum Pontificem; solus verò usus, & administratio facti, seu naturalis detentio

tentio

tentio, cum moderaminibus ibi præscriptis, permittitur iisdem Fratribus: quidquid in contrarium dixerit Joannes XXII. *in Extravag. Ad Conditorem Canonum & Quorundam: de verbor. signific.* Unum tamen ex prædictis advertendum moneo; quod scilicet ubi Pontifex Nicolaus III. ait, dominium rerum donatarum, & relictarum Fratribus Minoribus pertinere ad Papam; ità intelligendus est, ut per dominium intelligatur jus administrandi generale, & supremum, titulo tamen quodam specialiori, quatenùs S. Romanus Pontifex Christi Vicarius, cum sit omnium Fidelium, & Regularium Pater, nihilominùs Fratrum Minorum Pater est specialis: Quia verum dominium earum rerum soli Deo quæritur; sicut & dominium aliorum bonorum omnium donatorum, & relictorum Ecclesijs, Ordinibus, & Monasterijs capacibus juris administrandi illa: ita ut jus generale, & supremum administrandi acquiratur Papæ, vel Sedi Apostolicæ; subalternum autem, & particulare Ecclesijs ipsis particularibus ad usum earum & Ministrorum suorum, secundùm Canones exercendum. Atque ideò, quando in *aliquo textu*, vel *dispositione Canonica* Ecclesiæ particulares, vel Prælati, vel Beneficiarij, vel Ordines, aut Monasteria, Domusvè Regularium dicuntur esse Domini bonorum sibi donatorum, vel relictorum, debent impropriari verba, *Dominium*, vel *Proprietas*; & sumi pro Jure duntaxat administrandi per Canones concesso: quidquid minùs probabiliter dicant aliqui Recentiores, quoad fructus, & reditus dictorum bonorum.

Et ita prædicta receptissima sententia, probata per Nicolaum III. *ubi supra*, & communiter à Doctoribus usurpata: ut habet etiam Barbosa *in Repert. practic. concl v. Monachus*, cum Roderico *tom. 3. qq. Regul. q. 29. art. 5.* & Stephano Gratiano *discept. forens. cap. 552. num. 23.* quod quidquid Religiosus acquirit, Ordini suo, vel Monasterio acquirit: debet intelligi non de acquisitione dominij veri, sed juris administrandi particularis, & subalterni; ita ut verum dominium acquiratur soli Deo Opt. Max. & Domino Jesu Christo; & jus administrandi universale, & supremum acquiratur Papæ, vel Apostolicæ Sedi, Ecclesiævè universæ; Jus verò administrandi, & utendi particulare, & subalternum, acquiratur Ordini, vel Monasterio, aut Ecclesiæ particulari, si est capax, sin autem, (ut contingit in Fratribus Minoribus prædicti) etiam particulare acquiritur Papæ sola detentione naturali, & administratione, usùque facti concesso Ordini incapaci, & Monasterio ejus. Tunc autem duntaxat privatur Monasterium bonis per Monachum, ut præfertur, ei acquisitis; quando eidem Monacho alimenta per Abbatem contingerent denegari, ut tradit Gratianus *cit.* apud Barbos. *ubi suprà*.

RESPONSIO.

Respondeo hujus rationis solutionem haberi enucleatam *in cons. art. 3. §. 5.* Vide illam *ibi*. Duntaxat addo, quòd fortè etiam legata, de quibus nunc agebatur, & facta fuit illa Concessio à Pontifice, erant legata ususfructus bonorum immobilium, vel inter Immobilia computatorum. Quapropter præstat videre Bullam Concessionis ipsius, ut veritas innotescat. At certè, si de hujusmodi legatis non agebatur, agere tur necesse est de legatis simplicibus propriè dictis, & ab ipso Pontifice applicatis Fratribus illis: nam hæc impropriè dicta non repugnant mendicitati; ut sæpiùs, *in Cons.* & hic *suprà* ostensum est. 79

SEGMENTI VNDECIMI

Ratio duodecima.

SVMMARIVM.

80 *Ratio duodecima præfati Doctoris petitur ex causa recessus Capuccinorum ab Ordine Patrum Observantium.*

81 *Author respondet remissivè ad tradita* in Consil a. t. 1. §. 19. & art. 3. §. 10. *& alibi sæpiùs, juxta distinctionem legatorum propriè & impropriè dictorum &c.*

Principis Margaritæ à Sabaudia pietas insignis erga Capuccinorum Ordinem ibid.

82 *Legatum simplex sine jure petendi in legatario, ad tempus, vel perpetuum, an sit verum & reale legatum propriè dictum, impertans annuum reditum Minoribus interdictum?* & num. 83. *ubi negatur & explicatur.*

84 *Authoris declaratio erga Doctores contrariæ sententiæ.*

85 *Verba prolata ad tollendam dubitationem, licèt videantur superflua tolerantur, neque sunt inutilia.*

Favet tandem prædicti Clementis VII. auctoritas. Cùm enim (ut habetur apud Annales Boverij, *an. 1532. à num. 58. usque ad 68.*) P. Ludovicus Rhegiensis Ministrum Generalem, & Procuratorem Ordinis Patrum Observantium coram Pontifice citasset, inter alias causas, propter quas ab Ordine Capuccini discesserant, etiam legatorum annuorum, & perpetuorum receptionem articulasset, 80

lisset, (ut patet ex Boverio *tit. numer.* 25.) & abusum hunc Minister Generalis nec negare, nec nisi humanis rationibus excusare potuisset; Pontifex indignatus graviter Ministrum Generalem reprehendit, & Fratrem Ludovicum ad perseverandum in susceptæ Reformationis proposito cohortatus est, illis Sapientiæ verbis: *Eccl.* 4. (*Pro justitia agonizare &c.*) Ex quo patet; non solùm Capuccinorum, & Observantium, sed & Pontificis sensum fuisse, illicitam esse annuorum legatorum receptionem.

RESPONSIO.

81 Respondeo, huic quóque objectioni factum jam fuisse satis per ea, quæ juxta historicam veritatem dicta sunt *in Conf. articu.* §. 19. *à numer.* 1. & *art.* 3. §. 10. *in princip.* ex quibus, & alijs etiam alibi dictis clarè patet, qualiter intelligenda sit Seraphici Ordinis communiter asserta traditio à veteribus illis Patribus ad nos usque derivata, circa incapacitatem legatorum annuorum in ipso Ordine. Unum addo, quòd fortè etiam (& verius puto tunc agebatur non tantùm de annuis legatis simplicibus propriè dictis, ut ibi; sed & maximè de legatis annuis sub modo, & forma importante usum, vel usumfructum legatum boni immobilis, vel inter Immobilia computati: cujusmodi legata, etiam de facto simplici habita, & ut talia, seu sub tali modo & forma percepta à Fratribus, verè in Ordinem invehunt (ut ajebat P. Ludovicus ille, secundùm ipsissima verba Boverij citat. *numero vigesimoquinto*, referentis) rerum dominium, & proprietatem, vel quasi; si non de jure, saltem de facto; verè parum à fundis, atque agris distant, & inter Immobilia computantur; ut patet ex dictis *in superioribus responsionibus.* Et de his annuis reditibus loquitur idem Boverius *tom. secundo sub anno* 1583. *numero duodecimo*, ubi referens Margaritæ à Sabaudia in Ordinem benevolentiam, ait: Hujus porrò Margaritæ tanta fuit erga Capuccinorum Ordinem pietas, ac religio ut matris instar non modò in dies vitæ illis necessaria suppeditaret; verum eos tàm singulari benevolentia amplecteretur, ut omnem propè modum excedens, cùm annuos reditus, Regulâ, ac Fratribus repugnantibus, ijs statuere non valeret, præsentes omnes, ac futuros hæredes testamento adjuraverit, ut nullo unquam tempore Capuccinis Fratribus benevolentiâ ac beneficentiâ deessent. Atque ex his vides, quomodo adæquata nostra distinctione; eáque necessaria, & certa, optimísque Juribus innixa, benè adhibita, omnis omninò contra nostras Conclusiones *in Conf.* positas objectio facilè, & clarè diluatur, atque adeò vel ipsæ inter se contrariæ sententiæ optimè concilientur, verumque asserere perhibeantur.

Quod si demùm dicas; Certum est, quòd sicut legatum ad tempus etiam sine jure in legatario, est verum & reale legatum, ità legatum perpetuum, est verum & reale legatum perpetuum, etiam sine jure petendi in legatario, quomodocunque, & sub quacunque forma fiat, etiam gravando hæredem, & per consequens est verus, & realis annuus reditus; cùm in sententia omnium Interpretum, & Canonistarum legatum perpetuum verum, & reale sit verus, & realis annuus reditus; & recipere id, quod ex vi talis legati annuatim redditur, est habere usum annuorum redituum verorum, & realium. 82

Respondeo, Legatum simplex sine jure petendi in legatario, sive ad tempus sit, sive perpetuum, nequaquam esse verum, & reale legatum, idest propriè, & strictè dictum; sed impropriè, & largè tantùm: eum de ratione, & natura legati formaliter sumpti, & propriè, seu strictè dicti, (hoc est veri, & realis tituli legati, secundùm Jura) sit parere jus petendi, saltem in legatario civiliter talis legati titulum acceptante; ut ostensum est *in Conf. artic.* 1. §. 12. *num.* 5. *& seqq.* Ad illud verò, quod infertur; quòd scilicet legatum annuum, sive ad tempus, sive perpetuum, quomodocúnque, & sub quacunque forma fiat, etiam gravando hæredem, sit verus, & realis annuus reditus &c. Dico omne quidem legatum annuum, sub quocúnque modo, vel forma factum, propriè dictum, verum & reale, posse dici quodammodo annuum reditum verum & realem, atque adeò repugnantem professioni, & statui Fratrum Minorum: at non omne indiscriminatim posse dici annuum reditum propriè dictum, verum & realem, inter Immobilia computatum à Jure, de quo procedit *Clem. Exivi: in eo* §. *Proindè: versic. Cumque annui reditus:* sed tale duntaxat esse, dicique posse legatum factum sub modo, & forma usufructus annui legati, atque adeò debitum ex re aliqua (quacúnque obligatione debeatur) immobili, vel inter Immobilia computata ad id specialiter per testatoris dispositionem obligata; quòd utique, vel impropriè dictum, & minùs verum, (hoc est de facto simplici, & sine jure in legatario) si percipiatur, im- 83

portat in percipiente usum de facto, sin minùs de jure, alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati, & quidem non solùm quoad bonum ad id specialiter obligatum, sed etiam quoad ipsam rem annuatim perceptam, quæ etsi in se ipsa mobilis sit, radicaliter tamen immobilis à Jure, & Juristis censetur. Hoc autem non est dicere de legato annuo sub modo, & forma simplicis annui legati relicto; ut patet ex *responsionibus hic suprà datis*, & ex *alijs locis Consilij ibi citat.* Et hæc quidem vera est, ac germana eáque communissima Interpretum, & Canonistarum sententia, et constat ex dictis *in ijsdem locis citat.* præsertim cum Oinotomo, Landrecho, & alijs relatis *art. 1. paragrapho* 31. *num.* 17. & alibi. Quòd si modus, & forma legandi non esset habenda in consideratione, nec illam pro sui diversitate importaret differentiam legati; jam frustra illa ... vandam Fratribus Minoribus in leg ... sibi factis tradidisset Nicolaus III. *in cap. Exiit: eo paragrapho Ad hæc, quia:* frustráque eandem attendendam communiter docerent Juris Consulti, immò & Jura ipsa ad dignoscendum, quodnam sit legatum annuum simplex, quodnam verò legatum ususfructus annui; ut docuimus ex ipsis *in Cons. art. 1 §. 13 num. 18. & seqq. & alibi.* Atque ex his vides.

84 Quod denique ad Doctores attinet tùm Murales, vel Theologos, tùm Juris vel Cæsarei, vel Pontificij, quorum auctoritates, & sententiæ contra eadem respectivè Asserta nostra afferri possunt; jam ex dictis *in universo Cons.* & hic *suprà* patet, quomodo illis aut explicationem adhibeam, & distinctionem, qua intra unius veritatis orbitam illosmet cuncilio; aut ijsdem manifestè in sua opinione exorbitantibus, (quaqua versùs flectant) qua ratione Vale dicam. Unusquisque in suo sensu abundet.

85 Cæterùm, si aliqua repetita *in præsentis responsione, vel resolutione Casus*, quinimmò etiam *in præced.* & in *Cons. universo* videantur; atque adeò superfluè dicta, vel superfluis verbis expressa, ab aliquo censeantur; Is noverit, animadvertátque præstitam à me id fuisse ex industria, (nec me laboris piguit, sed necdum pœnitet) ad tollenda nimirùm evidenti applicatione doctrinæ dubitationes, solvendas objectiones, & contraria quæque refellenda. Quare nedum toleranda, sed, tanquam utilia, æqui bonique facienda sunt; juxta illud quod dicit Abbas *in cap. solitæ: in glossa, Tanquam: de majoritate, & obedientia:* quod scilicet verba prolata ad tollendam dubitationem, tolerantur, licèt sint superflua &c. Et pro hoc est Gloss. *in l. certi condictio: in princ. ff. si certum petatur: cum concordantijs*; ut tradit Decius *in leg. quæ dubitationis: ff. de regul. Iuris*: apud Gomesium *super titul. de Actionibus*, §. *sequens: numer.* 3. Vide dicta *in Epistola nostra ad Lectorem num.* 4.

§ VII.

COROLLARIUM totius Operis.

SUMMARIUM.

1 *Minores possunt recipere & petere legata simplicia etiam annua & perpetua, gratuita, vel cum onere Missarum, impropriè dicta, & cum moraminibus requisitis, quæ declarantur* ibid.

2 *Doctores non distinguentes inter legata simplicia & impropriè dicta Minoribus licita, & legata cum expressione modi illicitis, decipiuntur.*

3 *Recipere vel petere legatum simplex per modum legati, est recipere vel petere illud propriè dictum, secundùm principia ab Authore posita.*

4 *Recipere vel petere legatum simplex per modum eleemosynæ, est recipere vel petere illud impropriè dictum, secundùm eadem principia.*

5 *Recipere vel petere legatum usus, vel ususfructus boni immobilis per modum eleemosynæ Fratribus licitum, non est recipere vel petere illud præcisè & simpliciter impropriè dictum, ut dicitur de legato simplici: & explicatur differentia.*

6 *Recipere vel petere legatum prædictum, est recipere ex libera electione hæredum erogantium illud Fratribus Minoribus tanquam pia Causa in communi.*

7 *Receptio legati quæ fit à Minoribus intuitu obligationis conscientiæ in hæredibus, non desinit esse per modum eleemosynæ, & licita.*

Et Minores monere possunt hæredes de obligatione conscientiæ illis incumbente solvendi ipsis legata simplicia. ibid.

Et an expediat implorare Iudicis officium nobile contra negligentes hæredes. ibid.

EX dictis in universo hoc Opere constat, posse Fratres Minores recipere, & petere legata simplicia quæcunque, sive scilicet pro unica 1

unica vice præstanda, sivè annuatim cùm ad tempus modicum, tùm ad longum, etiam in perpetuum, sive etiam omninò gratuita, sive cum onere Missarum &c. impropriè tamen dicta, & cum moderaminibus requisitis; hoc est non ut civiliter debita, ex titulo civili ipsis, vel Pontifici, aut Apostolicæ Sedi, vel alteri cuipiam hominum ex parte ipsorum specialiter se habenti acquisito; sed eleemosynaliter tantùm, sive per modum eleemosynæ, naturaliter duntaxat, & in foro conscientiæ ipsis signanter debitæ; dummodò etiam legata ipsa non fuerint ab ijsdem Fratribus sibi fieri procurata. Legata verò sub modo & forma expressa, secundùm quam Fratribus ipsis (eorum conditione inspecta) recipere non licet, hoc est sub modo, & forma usum, vel usumfructum alicujus boni immobilis, vel inter Immobilia computati importante relicta (neque impropriè dicta, posse, ut talia, recipere, vel habere: sed teneri ab illis, & eorum receptione, quandiù talia manent, per omnem modum abstinere; ita ut illa expressè respuere debeant; juxta Declarationem Nicolai III. *in cap. Exyt: §. Ad hæc, quia*: ritè, sanéque intellectam. Postquam verò illa respuerint hæredibúsque vel gravatis, aut alijs testamentarijs executoribus notum fecerint, & protestati fuerint, non teneri eos, neque civiliter, neque in conscientia ad illa ipsis Fratribus eroganda, sed pauperibus, vel alijs pijs Causis in communi; si hæredes, vel gravati, aut alij prædicti executores ex suamet libera electione voluerint quippiam ex tali erogatione præstare, posse illud Fratres recipere: jam enim illud recipiunt Eleemosynaliter quidem, at non ut eleemosynam sibi ipsis specialiter debitam ex obligatione conscientiæ, ob expressam Testatoris institutionem; quippè quam non modò non acceptarunt civiliter, sed omninò respuerunt; ut patet ex dictis *in Conf. art. 1. § 29. & 31. & art. 2. §. 2. & alibi.*

2 Hinc, qui dicunt, quod recipere, vel petere legata per modum legati; (hoc est propriè dicta, secundum nostra principia) sit recipere, vel petere illa tanquam ex jure, titulóve civili ex parte Fratrum acquisito, adeóque ex obligatione propriè dicta, & civili debita: recipere verò per modum eleemosynæ, sit recipere sine jure, vel titulo, & obligatione prædictis, sed ex sola obligatione conscientiæ, & quidem erga ipsos Fratres. Hinc, inquam, hi decipiuntur, dum non distinguunt (ut necesse est) inter legata simplicia, & impropriè dicta Fratribus licita, ijsdémque ex mera obligatione conscientiæ debita, (secundùm Declarationem Nicolaj III. *in d. §. Ad hæc, quia*: & doctrinam S. Bonaventuræ allatam *in Conf. art. 1. §. 20. num. 18.* & *artic. 2. §. 3 num. 18. & seq.* & inter legata cum expressione modi, vel formæ usum, vel usumfructum boni immobilis, vel inter Immobilia computati importantis, & omninò Fratribus illicita; ut præfertur.

3 Dico igitur primò, quòd recipere, vel petere simplex legatum per modum legati, est recipere, vel petere illud propriè dictum, secundùm nostra principia, ut explicatum est mox *suprà*; hócque in quocunque legato, sive simplici, sive usum, vel usumfructum boni immobilis, vel inter Immobilia computati, ex modo, vel forma sua importante. Patet ex dictis hic *supra*, & in *Conf. art. 1. §. 12. n. 11.*

4 Dico *secundò*, quòd recipere, vel petere legatum simplex per modum Eleemosynæ, est recipere, vel petere illud impropriè dictum, secundùm nostra principia. Quis quid dicat. Patet ex dictis *hic*, & in *Conf. art. 1. §. 12. num. 20. & 21.*

5 Dico *tertiò*, quod recipere, vel petere legatum usus, vel ususfructus boni immobilis &c. per modum Eleemosynæ Fratribus licitum, non est recipere, vel petere illud præcisè, & simpliciter impropriè dictum; prout concessum est suprà de legato simplici. Et ratio est manifesta; quia necessariò statuenda est aliqua differentia inter receptionem licitam unius, atque alterius ex prædictis legatis. Nam legatum sub modo, & forma ususfructus legati; etiamsi percipiatur impropriè dictum, ut tale est, importat usum, vel usumfructum, atque adeò dominium, vel quasi, boni immobilis, vel inter Immobilia computati, si non de jure, saltem de facto; quod adhuc Fratribus est illicitum, secundùm *Clementinam Exivi*. Ideò

6 Dico *quartò*, quod recipere, vel petere legatum prædictum per modum eleemosynæ Fratribus licitum, est recipere, vel petere illud, non quidem ex vi legati, seu institutionis Testatoris etiam impropriè dictæ, & ex mera obligatione conscientiæ in solventibus præstandi illud Fratribus ipsis signanter; sed ex libera, & spontanea electione hæredum, vel Executorum scientium, post expressam nimirum Fratrum respuitionem talis institutionis Testatoris, se quidem teneri in conscientia erogare rem illam pauperibus, vel pijs Causis in communi, at non signanter Fratribus. Et hoc quóque patet ex dictis.

7 Cæterùm non desinit esse receptio per modum eleemosynæ, adeóque Fratribus licita, quæ fit ab ipsis etiam intuitu, & respectu obligationis conscientiæ in hæredibus, vel gravatis existentis, sive ea sit erogandi Fra-

tribus signanter, ut in legatis simplicibus; sive pauperibus, vel pijs Causis in communi; ut in legatis ususfructus, & hæreditatibus. Patétque hoc ex Declaratione Nicolai III. *ind §. Ad hæc, quia:* ubi ampliùs concedit, ad hoc officium Judicis nobile; ut vidimus *suprà*. Quinimmò Seraphicus Doctor, *ubi suprà* concedit, posse Fratres admonere hæredes, vel Executores negligentes de obligatione conscientiæ ipsis incumbente, solvendi nimirùm Fratribus signanter legata simplicia ijsdem relicta. Hócque iterum consonat Declarationi ejusdem Nicolaij III. *in eo cap. Exijt: §. Ceterùm: vers. Possint etiam:* Quod enim dicitur de Eleemosyna à substituto Dantis viventis Fratribus præstanda, idem omninò dicendum est de Eleemosyna ab hærede, vel Commissario defuncti ijsdem pariter Fratribus ex Defuncti ordinatione solvenda: argumen. eorum, quæ habet idem Nicolaus III. *ibid. §. Ad Majorem autem &c. in fine.* Ab hoc tamen Judicis officio implorando, & admonitione facienda omninò abstinendum, hic & alibi semper, ubi ea licere docui, absolutè loquendo, consultum volo, ad scandalum evitandum; sicut & ipsa legata, etiam simplicia, & impropriè dicta; nedum nunquam ullo modo procuranda; (quod est expressè prohibitum) sed vel sponte à Fidelibus oblata, aut relicta, quantùm fieri æquè benè potest, respuenda doceo, moneóque, ad proximorum ædificationem, & ad testimonium habendum bonum ab ijs, qui foris sunt: neque enim omnia expediunt, quæ cæteroqui & absolutè sunt licita; ut benè docet Apostolus 1. *ad Corinth. cap. 6.* Vide dicta *in Conf. art. 1. paragrapho 10. num. 2. & seq. & art. 3. paragrapho 3. num. 28.* Atque hæc, ad laudem Dei Opt. Max. à quo omne datum optimum, & recta consilia; Almæque Virginis, ac Matris Domini Nostri Jesu Christi, Mariæ, ac Seraphici Pauperum Patriarchæ Francisci; necnon sub censura Sanctæ Matris Ecclesiæ Romano-Catholicæ, ac Superiorum mei Ordinis dicta sunto. Amen.

EIVSDEM

EIVSDEM
ARGVMENTI
DE
CVIVSDAM NEMPE MORIENTIS
Eleemosyna, vel legato, extra tamen Fratres Minores,

PRÆIACTÆ APPENDICI PRACTICÆ Casus adjectus, isque item factus, non fictus.

SVMMARIVM.

1 *Species facti proponitur.*
2 *Decretum Ill. & Rev. Episcopi, ut celebretur Missa fundata cum applicatione Sacrificij; & fructus qui supererunt, applicentur in beneficium Oratorij seu Capella.*
3 *Quaritur de validitate, vel invaliditate illius decreti.*
Testator in dubio præsumitur sibi optimè consulere voluisse. ibid.
4 *Si non constet de intentione fundatoris Missa quotidiana & perpetua, Sacrificium in dubio debet illi applicari. Secus si voluntatem suam declaraverit.* n. 5. & 6.
7 *Voluntati fundatoris, ubi de ea constat, standum est.* & num. 16.
8 *Fundatoris intentio dignoscitur ex eo quod fieri consuevit à Capellanis prædecessoribus. Legibus judicandum, non exemplis.* ib.
9 *Consuetudo loci spectanda ad investigandam fundatoris voluntatem.*
10 *Consuetudo loci si varia fuerit circa fundationem Sacrorum, in dubio quod minimum est sequimur.*
11 *Capellanus habens pingue stipendium ad Missam celebrandam quotidie, ad quid teneatur.*
12 *In obscuris inspicimus quod fieri consueuit* & num. 13.
13 *Capellani quotidie celebrantis & applicantis Sacrificium decens stipendium est florenorum ducentorum.*
14 *Dictio* Perpetuò, *idem valet quod* Semper.
15 *Fundationis instrumento deficiente, neque ullo modo sciri possit intentio fundatoris, præsumitur quod voluerit omnia Sacra pro eius anima vel iuxta eius intentionem esse offerenda.*
16 *Diversorum diversum ferri debet judicium.*
17 *Decretum de quo* suprà num. 2. *partim reformandum, partim confirmandum.*
18 *Verbis testatoris inhærendum ubi clarè mens eius non apparet.* & num. 34.
Vna pars testamenti aliam declarat. ibid. & num. 33.
19 *Mens testatoris primum locum tenet in eius dispositione exequenda.*
Omissum censetur ultro quod non fuit expressum in oneris impositione. ibid.
20 *Ratio ob quam testator relinquit legatum, declarat eius intentionem.* & num. 21.
Donatio propriè dicitur quæ fit ex liberalitate, non propter spem retributionis. ibid.
21 *Dictio* Pro, *iuncta Gerundio ablativi casus, denotat causam finalem.*
22 *Dictio*, cum obligatione aliquid faciendi, &c. *in legato adiecta, designat modum seu onus illi annexum.*
Dictio, Cum, *importat modum legati.* ibid.
23 *Verba declarant mentem, & intentionem.*

Voluntas testatoris totum facit in testamento ibid.

24 *Capellanus non est onerandus applicatione Sacrificij, nisi hoc in fundatione fuerit expressam.*

25 *Sacerdos deputatus ad Missam celebrandam pro commoditate illorum qui in tali loco sunt, non censetur obligatus applicare sacrificium pro deputante.*

26 *Fundans Missas sine determinatione temporis &c. censetur petiisse applicationem; secus in fundatione facta simpliciter pro amore Dei, vel commoditate populi, vel alia causa expressa.*

27 *Fundatio Missæ merè eleemosynaliter & pro amore Dei, non excludit intentionem satisfaciendi pro peccatis.*

Eleemosyna recensetur inter opera satisfactoria pro peccatis, ex opere operantis. ibid.

Manifesta non indigent alia probatione. ibid.

Missæ sacrificium habet suum valorem determinatum juxta Dei beneplacitum, etiam ex opere operato ibid.

28 *Observantia subsequuta declarat voluntatem testatoris in executione oneris injuncti.*

Visitatio Episcopi est actus jurisdictionalis & quodammodo judicialis ibid.

Episcopus visitans debet curare sibi exhiberi libros visitationum preteritarum, & prædecessorum. ibid.

29 *Consuetudo in favorem alicuju' introducta & legitimè prolata, servanda est.*

Consuetudo est optima legum interpres. ibid.

Consuetudo æquipollet veritati, & legi. ibid.

30 *Verba testatoris ubi sunt clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam.*

In jam decisis non remanet opinio nec quæstio ad inquirendum per conjecturas. ibid

31 *Nemo præsumitur dicere quod non priùs mente cogitaverit.*

Omissum in testamento regulariter habetur pro omisso, quod declaratur. ibid. & num 34.

32 *Quod testator non expressit, non est præsumendus cogitasse & voluisse.*

In fundatione Capellaniæ solam Officiaturam sæpè requirunt fundatores, non etiam applicationem Sacrificij. ibidem

33 *Declarationes S. Congregationis Concilij de applicando Sacrificio pro anima fundatoris, intelligi debent quando nullo modo constat de intentione ipsius.*

34 *Applicatio sacrificij non est inducenda quando fundator sciens volensque illam non intendit* & n. 35. & 36.

35 *Expressum dicitur quod sub expresso continetur, & ex vi verborum inducitur, vel ex mente & conjecturis evidentibus colligitur, vel ex ratione expressa deducitur.*

36 *Capellanus tuta conscientia potest celebrare Missam sine applicatione pro anima fundatoris in Casu proposito, aliámque eleemosynam pro applicatione accipere.* & suprà num. 35.

37 *Objectiones quædam Bordoni adducuntur & resoluuntur.*

Applicatio Sacrificij an sit necessariò conjuncta cum celebratione. ibid. & numero 47.

Salarium solvens sacerdoti ad Missam celebrandam an ex eo jus habeat ad fructum illius, & an ex natura rei subintelligatur applicatio. ibid.

38 *Bordoni doctrina procedit quando constat de mente fundatoris qui intendit sibi vel suis applicari sacrificium: vel quando fundatio penitus obliterata est.*

39 *Missæ Sacrificium cur institutum à Christo Domino, moralis & pia expositio.*

Missæ sacrificium omnes antiquorum sacrificiorum differentias complectitur.

Sacrificiorum veteris Legis differentiæ proponuntur & explicantur.

40 *Missæ sacrificium celebrari potest ad varios fines ex parte Sacerdotis, vel sacrificari mandantis, qui referuntur.* ibidem & numeris sequentibus.

Primò, *ut debitus Deo cultus & honor reddatur.* ibid.

Secundò, *ut gratiæ referantur Deo pro beneficiis acceptis.* num. 41.

Tertiò, *ad finem tantùm expiandi peccata.* num. 42.

Quartò, *pro satisfactione peccatorum anteà remissorum: & expiatione venialium, etiam pro Defunctis.* num. 43.

Quintò, *ad finem impetrandi aliquam gratiam à Deo*: num. 44.

Sextò, *ut homo justus augmentum gratiæ & meriti obtineat.* num. 45.

46 *Missæ sacrificium ad omnes prædictos fines simul offerri potest.*

Sacrificij fructus seu applicatio quando dicatur intendi à mandante sacrificari. ibid.

Missæ sacrificium an & in quo sensu offeratur pro Sanctis. ibid.

Missæ

Missæ sacrificium pro aliquo offerri, quomodo intelligendum. ibid.

47 *Applicatio fructus Missæ non ita coniuncta est cum celebratione, quin ob alios fines ab ea separari possit.*

Missas fundans, vel celebrari petens, pingue seu decens stipendium præbens, præsumitur integram Sacrificij applicationem & fructus intendere, ex communi usu Fidelium: hoc tamen non excludit alios fines. ibid.

48 *Sacerdos celebrans in Confratrum Oratorijs, an teneatur illis sacrificij fructum omnem applicare.*

49 *Verba* Memento Vivorum *in Missæ Sacrificio quomodo verificari possint in sensu proprio, vel minùs proprio, respectu mandantis celebrari.*

50 *Missam instituens sine applicatione & pro solo amore Dei, non dicitur iactare suum sine fructu.*

51 *Beneficij Rector per alium Missas celebrari faciens quale stipendium celebranti præbere debeat.*

Fructus Beneficij seu Capellaniæ qui supersunt, in utilitatem Ecclesiæ impendi debent. ibid.

Legatum pium, dicitur pretium peccatorum. ibid.

SPIRITVS SANCTVS ADSIT.

1 QVONDAM Dominus N.N. testamento legavit sic: *Lascia per ragion di legato, e per amor di Dio alla Chiesiola di S. N. la Hortaglia per ditto Testatore comprata &* (& signat eam) *con obligo, che sia in d. Chiesa celebrata una Messa ogni giorno in perpetuo per uso Sacerdote Cattolico, approvato dall' Ordinario &c.* prout in ejus testamento de anno &c. Observantia subsequuta, quinquaginta ab hinc annis, in executione oneris prædicti legati, ea fuit constantissima, ut dicta Missa quotidiana celebraretur sine applicatione Sacrificij, cum sola Officiatura; ut vulgò dicitur, *Con la sola presenza*: neque unquam aliter ordinatum fuit ab Illustrissimis & Reverendissimis prædecessoribus Episcopis Visitatoribus.

2 Nuper verò Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus præsens (quem Deus O. M. Ecclesiæ suæ perutilem diutissimè servet incolumem) in Visitatione Canonica dictæ Ecclesiæ S.N. legatariæ, audito à Reverendissimo Domino Præposito, cujus Præpositutæ dicta Ecclesiola subjecta est, dictam Missam celebrari absque applicatione Sacrificij; visóque legato dictæ Missæ, Decrevit, celebrandam esse cum applicatione Sacrificij; &, si aliqui supererunt fructus, eos applicari debere in beneficium Oratorij dictæ Ecclesiolæ, nec posse in alium usum converti. Porrò institit Reverendissimus D. Præpositus reformari dictum Decretum; prout in ejus scriptura petitoria, *vers. Instat. 2. &c.*

QVÆRITVR: NVM REFORmandum dictum Decretum.

Videri posset, quòd Non, per ea, quæ tra- 3
dunt Barbosa *in summa Apostolic. Decis. collect. 122. n. 23. & de Iure Eccl. Univ. lib. 1. cap. 5. num. 38. & de Parocho cap. 11. n. 13.* Bonacina *de Euchar. disp. 4. q. ult. punct. 7. §. 2. numer. 13:* Card. de Lugo *disp. 21. de Euchar. n. 23.* Ferdinandus de Castro Palao *tract. 22. disput. un: pu. 13. n. 1.* Georgius Gobat *in Alphabeto Sacrificantium, Casu 16. num. 494.* Diana mihi coordinatus *tom. 2. tract. 1. de Celebr. Miss. resol. 45.* Gavantus, Homobonus, Ghilinus, & alij apud ipsum *loco cit. resol. 43. & 44.* Quorum omnium eæ sunt rationes: *Prima* Quia in dubio præsumitur Testator sibi optimè consulere voluisse, applicando sibi Missæ valorem &c. *Secunda*, Quia Capellaniæ, regulariter loquendo, solent institui cum onere applicandi Missæ Sacrificium pro Testatore, vel juxta ejus intentionem.

Verumtamen hi omnes loquuntur in Ca- 4
su, quando non habentur literæ Fundationis alicujus Capellaniæ; atque adeò non constat, ad quamnam intentionem Sacrificare teneatur Capellanus illius; ut expresse loquuntur Diana *ea resol. 45. in principio*, Gobat *cit.* & alij omnes, præcipuè *Bonacina*. Immò & Alfonsus de Leone, Vir (teste Diana *cit. resol. 43. in princ.*) hujus literaturæ consultissimus, *in tractatu de Iubileo, p. 3. q. 20. a. 27.* idipsum docet, ea tamen cautela, quòd res ita sit dubia, ut ex claris verbis testatoris aliud non constet. Et sic intelligendus est etiam Vasquez *disp. 234. cap. 4. num. 25.* ubi asserit, Indubitatum esse, quòd Capellaniam obtinentes teneantur pro alijs Sacrificare.

Hoc autem non accidit in Casu nostro; 5
quippè qui valdè diversus ab illo; ut ex dicendis constabit. Longè enim aliud est quærere: Quomodo se gerere debeat Capellanus, & ad quid teneatur in Capellania antiqua, ubi nullæ inveniuntur scripturæ circa Fundationem vel alia peragenda, juxta ordinationem, vel intentionem Fundatoris? Et quærere: Quomodo celebrari debeat Missa quotidiana, attento Testatoris mandato, &

forma dispositionis ipsius, quæ extat; prout in Casu nostro. Sicque benè se explicat, & distinguit Fraxinellus *infrà citandus.*

6 Eoimverò egomet in primo Casu non eo inficias, respondendum esse ad Votum prædictorum Doctorum; prout utique à me ipso, ut memini, responsum fuit cum iisdem respectivè Doctoribus in quadam Congregatione Menstruali RR Parochorum coram, & approbante Reverendissimo Domino Christiano ab Iuchberg Canonico Curiensi, & Decano, seu Vicario Foraneo, dum essem Parochus Missionarius Curiensis Diœcesis in Rhætia anno 1665. Sanè igitur, cùm ex sola verbali relatione, & traditione antiquorum constat esse dicendam Missam perpetuam, atque adeò deputatum super sit conveniens stipendium,

7 Dixi tunc, & etiamnum Dico *Primò,* quòd fortè poterunt authores hujusmodi relationis subministrare indicia, è quibus deveniatur in certiorem notitiam de obligatione Capellani: cui notitiæ standum esse adjudicarim; juxta ea, quæ tradit Barbosa *in tract. var. Axiom.* 201. *num.* 4. *&* 6. Si tamen neque hoc modo certum quid colligi queat.

8 Dixi, & iterum *secundo* Dico, videndum esse in præsens quid consueverint agere prædecessores Capellani: nam factum præsumitur ab eo, qui erat obligatus facere; ut docet Mascardus *de probation. concl.* 734. Vel quod fieri consuevit: *l. si cui: ff. de ann legat* & latè Everardus, *in loco ab Usitato, num.* 6. *cum seqq.* Salicetus *in l. exceptio. n.* 1. *&* 3. *C. de locat.* Berui. *cons.* 48. *n.* 11. *lib.* 2. Surdus *decis.* 199. *n.* 4. Bruonous à Sole *in locis comm. verb. Factum, num* 14 Mascardus *cit. concl.* 732. *num.* 5. Flaminius *de resignat lib.* 11. *quæst.* 14. *num* 8. Vel quod de Jure erat faciendum: Mascardus *primo loco cit num* 8 Card. Tuschus *tom.* 3. *lit. F. concl.* 10. *num* 9. & Flaminius *cit. num.* 7. apud Barbosam *cit. Axiom.* 93. *num* 16. Si videlicet fuere probi viri, quales in dubio præsumuntur; ut habetur ex *cap fin. de Præsumption.* & tradit Barbosa *cit. Axiom.* 34. *n.* 4. ex *l. merito. ff. Pro socio: & l. quoties: §. qui dolo: ff. de probation. cap. un. de servit. in ordin fac. & c. dudum & d. cap. fin. de præsumption.* & cum innumeris Doctoribus. Quia tamen legum potiùs præscripto, quàm unius alteriusve exemplo judicium ferendum est; ut habetur *ex l. nemo: C. de senten. & interlocut. omnium Iudicum*; & tradit Barbosa *citat. Axiom.* 86. *numero* 3. allatis juribus, & Doctoribus: Ideò

9 Dixi, & adhuc Dico *Tertiò,* spectandam esse in tali Casu consuetudinem loci: *l. semper,* 34. *ff. de reg. juris.* ibi: *Id sequamur, quod in regione, in qua aliquid factum est, frequentatur.* Unde Capellanus in hujusmodi Casu spectare debet praxim, quam frequentiùs locus, seu regio, in qua fundata est Capellania prædicta, servare consuevit circa obligationem, quæ ex hujusmodi Capellanis incumbere Cappellanis judicatur; habita ratione ad stipendium, pinguéne, vel exiguum, an verò decens. Et secundùm hanc, quàm noverit, praxim, & consuetudinem, debet & ipse se gerere Capellanus prædictus. Quòd si praxis, seu consuetudo prædicta fuerit varia circa frequentiam Sacrorum, v. g. pro pingui etiam stipendio,

Dixi, & recens Dico *Quartò,* quòd poterit Capellanus prædictus uti declaratione illa, quæ habetur *in fine d. reg. Iuris, Semper* 34. nimirùm; *Ad id, quod minimum est, redigenda summa est.* Cui consonant aliæ utriusque Juris regulæ, quas ad hoc Axioma firmandum, *Minimum sequimur in dubio*: affert Barbosa *cit. Axiom.* 150 *num* 6. cum Surdo, Buccarono, Stephano Graciano, & aliis, *Axiom.* 151. *n.* 7. *& Axiom* 165. *num.* 4. Quòd si denique ex hujusmodi Regularum amussi necdum sufficiens resolutio haberi potest, 10

Dixi, & in præsentiarum denuò Dico *Quintò,* quòd si prædicto Capellano deputatum est pingue, aut decens stipendium, Obligatur *primò* ad quotidianum Sacrum peragendum: *Secundò* verò ad eadem quotidiana Sacra pro anima, vel juxta intentionem Fundatoris applicanda. 11

Prima pars hujus novissimi asserti probatur *primò,* quia in obscuris inspicimus, quod plerúmque fieri consuevit: *d. reg. Semper: & cap. inspicimus: de reg. juris in* 6. Et omnes sumunt argumentum à Consuetis: Menochius *de præsumption. lib.* 1. *quæst.* 18. *num* 5. Atqui plerumque in particularibus Ecclesiis Urbis, & Orbis fieri solet, ut pingues præsertim Capellaniæ habeant annexum hujusmodi onus, quotidiani scilicet Sacri peragendi: Ergò &c. 12

Probatur *secundò,* Quia rationes, quibus Theologi suprà citati probant, quòd in casu præsenti applicanda sint Sacra pro anima, vel juxta intentionem Fundatoris, probant etiam ea esse quotidiè facienda à Capellano habente pingue, aut decens stipendium, pro Sacro quotidiano, ut præfertur applicando, secundùm consuetudinem loci, vel regionis. Docet autem Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. Capellani quotidiè celebrantis, & applicantis, stipendium decens esse ducentorum Florenorum, hoc est centum Argenteorum, qui Mediolani cuduntur, vulgò *Filippi.* 13

Addo,

14 Addo, quòd per Missam perpetuam, qualis supponitur ea, de qua loquimur, nisi aliter limitetur, intelligitur Quotidiana. Dictio enim *Perpetuò*, seu *In perpetuum*, idem valet, ac *Semper*, & denotat perpetuitatem, & continuationem totius temporis sine intermissione, seu interpolatione aliqua; ita ut exponatur pro *omni tempore*, & in omni casu, secundùm subjectam materiam; ut tradit Gobat *citat. numero quadragesimo septimo*, & latiùs Barbosa *citat. Dictione 163 numero primo, & l. apud Celsum: paragrapho in hac exceptione: digest. de doli exception.* Parisio, Vulpello, Marta Fusario & Rota apud Paulum de Rubeis *decision. 77. n. 15. & Dictione 361. numero secundo, & quarto*, allatis Juribus, & Doctoribus: & magis in terminis, quòd *Semper*, & ideò etiam *Perpetuò*, exponatur pro, *Quotidiè*, tradit idem Barbosa *ult. loco citat. numero sexto*, ex Corneo, Boërio, Mendoso, Octaviano Vulpello, Surdo, Cenedo, Stephano Gratiano, Francisco Leone, & Rota *decis 445. numero tertio*, apud Farinac. *p. 1. recent.* & alijs.

15 Secunda verò pars probatur. Quando non habentur literæ, vel documenta scripta Fundationis alicujus Capellaniæ, ex quibus constet, ad quamnam intentionem sacrificare teneatur Capellanus illius, præsumendum est, illa omnia Sacra offerenda pro animâ, vel juxta intentionem Fundatoris. Ita Gobat, & alij *suprà* citati Theologi, adversùs *Marchinum*. Ratio est; quia quisquis præsumitur in dubio sibi optimè consulere voluisse: *l. cum res: in princip. digest. de legatis* 1. Mantica *de conjectur. ult. volunt. lib. 3. titul. 19 numero 12.* Emmanuel Sà, & alij, quos refert Bonacina *citat. num. 15. & de Contract. disp. 6. quæst. ult. punct. ult. numero sexto.* Et dubia in meliorem partem sunt interpretanda; ut tradit Barbosa *citat. Axiom* 78. allatis juribus, & Doctoribus, Et quidem in hoc casu Castro Palao *loc. cit.* asserit, centum esse apud omnes, quòd Capellanus teneatur facere Sacrum ad intentionem Fundatoris, & nihil possit stipendij aliundè accipere; si fundatio suppeditet sufficiens stipendium ad sustentationem ipsius. Si verò non suppeditet sufficientem sustentationem, recurrendum est ad Papam, vel Episcopum, juxta ea, quæ tradit Gobat *citat. numero* 589. & innuit *numero* 498.

16 Hæc inquam, equidem dixi egomet, & iterum dico cum adductis Theologis in Casu illo, quorum fortè doctrina movere potuit Illustrissimum & Reverendissimum Episcopum ad Decretum illud faciendum in Casu nostro. At noster Casus longè est diversus ab illo, in quo resolvunt, ut præfertur, prædicti Doctores; ut mox ostendam. Diversorum autem diversum debere esse judicium; habetur ex *l. inter stipulationem: §. Sacram: ff. de verbor. obligat.* & tradit Barbosa *citat. Axiom. 74. numero sexto*, cum Stephano Gratiano *Marchian. decision. 32. numero octavo. & decision. 42. numero decimo.* Sumus ergo in Casu, in quo adest scripta dispositio Testatoris, qua legat, & donat amore Dei dictæ Ecclesiæ certum fundum, præficiens ei simpliciter, & præcisè usum proventuum talis fundi; atque adeò clarè indicans, finem à se intentum in tali legato eum fuisse, ut nempè simpliciter, & præcisè celebraretur in dicta Ecclesia Missa quotidiana, ob singularem, quam fortè (quod maximè est advertendum) in illa habebat devotionem ad B. Virginem Mariam, cui Ecclesia illa, vel Edicula est sacra: & ideò simpliciter, & præcisè ad Dei, & B. Virginis Mariæ cultum in eadem Edicula augendum in populo, necnon ad ipsius populi, vel Viciniæ commoditatem. Quapropter humillimè, & sub censura.

Censeo, prædictum Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Decretum qua reformandum, qua confirmandum esse. Refurmandum, quatenùs præcipit, prædictam Missam celebrandam esse cum applicatione Sacrificij. Confirmandum, quatenùs decernit, si aliqui supererunt fructus, eos applicari debere in beneficium dictæ Capellæ. 17

Pro primo autem fundamentu, operæ pretium est præmittere hic observandam regulam notabilem ex *Iulio Claro* pro ultimis voluntatibus interpretandis; quæ est ista: Ubi clarè non apparet, quæ sit mens Testatoris, (idest ubi alia mens à testature non exprimitur, tunc inhærendum est verbis ipsius: & hæc est communis conclusio; ut dicit Curtius jun. *consil. 169. numero primo.* Cæterùm, si etiam verba ipsa dubia essent, ita ut colligi non posset, quæ mens Testatoris fuisset, tunc ante omnia spectanda est ipsius Testatoris consuetudo; deinde regiunis, in qua versatus est; prætcrea qualitas personarum, charitas, & necessitudo. item & ex præcedentibus, aut subsequentibus verbis conijciendum est, quid testator senserit Sunt verba Juris consulti *in l. si servus plurium: §. fin ff. de legatis* 1. Qui ordo à Jurisconsultu traditus, ad investigandam mentem Testatoris, formaliter, & præcisè est observandus; ita ut prima conjectura præferatur secundæ, & sic successivè. Et hæc est communis opinio: ut dicit Iason *in d. §. fin. numero secundo.* Quod nota. Ita Clarus *Pract. Civil. lib. 3. §. Testamentum, quæst. 76. num. 4.* Hinc infertur, quòd 18

una

unâ pars Testamenti per aliam declaratur: & hoc est receptissimum; ut testatur Æmilius Ferrettus *in l. qui filiabus: in princ. numero quarto, digest. de legatis* 1. Regulariter enim mens testatoris præsumitur fuisse in una parte, quæ fuit in alia: Ita dicit Bartol. *in l. centurio: col. 9. vers. vel quid si praecedentibus ff. de vulgari:* quem sequuntur communiter Doctores; ut dicit Socinus jun. *consil.* 101. *numero septimo, libr. prim.* Sicque si reperiatur aliquod verbum æquivocum, vel commune in una parte testamenti, debet illud verbum interpretari, prout reperitur clarè positum in alia parte testamenti: Vel etiam in alio Testamento revocato; ut notat *ibi* Giachatius Ita Bartolus *ubi suprà*, quem sequuntur communiter Scribentes; ut testatur Parisius *consil* 73. *numero quadragesimo octavo, libr. secund. & consil.* 86. *numero* 55. *eo. vol. & consil.* 72. *numero quadragesimo secundo, libr. quarto,* apud Clarum *citat. numero quinto, & sexto.* Hoc posito, jam probo responsum. Et quidem.

19 Prima pars probatur. Quia ex claris verbis Testatoris apparet, fuisse ejus intentionem ditare, seu dotare, amore Dei, prædictam, Ecclesiam, ut in ea quotidie celebraretur Missa, ob cultum Dei, & B. Virginis, necnon ob Viciniæ commoditatem. Ubi autem, secundùm mentem disponentis fieri potest interpretatio, non aliundè petenda; quia ejus mens obtinet primum gradum: Barbosa *cit. Axiom* 130. *numero quinto*, ex Calderino, Abbate, Baldo, & alijs. Cum igitur clarè appareat, eam dumtaxat fuisse testatoris intentionem, & finem, non est ulteriùs adstringenda obligatio Capellani, neque per consequens ipsius Ecclesiæ; ut est textus clarus *in l. quidquid adstringenda: digest. de verbor. obligationib.* Ibi: *Quidquid adstringendæ obligationis causâ dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est.* Atqui testator in Casu nostro, adstringendæ obligationis causâ in dicta Ecclesia legataria, vel in ejus Rectoribus nil aliud exprimit, quàm quòd teneantur curare, ut Missa una quotidie in ipsa Ecclesia celebretur in perpetuum, &c. Ergo quod palàm verbis non expressit, omissum ab eo sciente, & volente fuisse, intelligendum est: quippè cum ab ipso solum Dei amorem, & cultum, nec non Viciniæ commodum intentum fuisse, non Missæ applicationem, ex ejusdem verbis, & forma legandi clarè liqueat.

20 En, quòd non mentior. En dictam mentem, & intentionem expressam. Dicitur enim in dicta forma Legati: *Lascia per ragion di legato, e per Amor di Dio.* Quid est, *Ratione Legati*, nisi *titulo Legati?* Quid, *Titulo Legati*, nisi titulo Donationis gratuitæ, & liberalis? Legatum enim est Donatio à Testatore facta, & ab hærede præstanda: *l. legatum: digest. de legatis 2. paragrapho legatum: Institut. de Legatis:* & communiter Doctores, Barbosa *in tract. Var. appellat.* 127. *numero tertio.* Est ergo legatum essentialiter, Donatio in genere; cùm *Donatio* in ejus definitione stet loco generis. Donationis porrò appellatione in materia Statuti, vel Legis (cujusmodi est Testamentum) venit vera, & propria Donatio, quæ fit ex liberalitate, non autem ex causa, scilicet finali; ob spem nempè, vel intentionem; pactúmvè retributionis; juxta vel Aristotelis 3. *Topic. cap.* 9. definitionem, qua Donatio dicitur *Datio irredibilis, sine spe, & pacto retributionis.* Gabrielius *consil.* 3. *numero tertio, libr. prim.* Putens *decis.* 323. *numero tertio, libr. prim. in correctis:* Simon de Prætis *de interpret. ult. Volunt. libr.* 2. *fol.* 109. *numero primo.* Alexander *consil.* 167. *Visis, &c. numero decimo, & seq. vers. Non obstat octavum: libro septimo.* Oldradus *consil.* 139. *per totum;* Card. Tuschus, & alij, quos allegat, sequitúrque Barbosa *cit. Appellat.* 83. *numero primo.* Ergo à primo ad ultimum, Testator in casu nostro clarè, & apertè se declarat, relictum suum esse domum ex mera liberalitate, & irreddibile, non ex causa, spe, vel intentione, aut pacto retributionis, scilicet Sacrificiorum sibi, vel juxta suam intentionem applicandorum. Concordántque Juristis in hac doctrina etiam Theologi, D. Bonaventura ter Seraphicus Doctor meus *in p. distinction.* 18. D. Thomas, Scotus, & alij communiter, ubi de Dono in Divinis, quod est Spiritus Sanctus ex liberalitate procedens à Patre, & Filio.

Sed adhuc clariùs prædicta Testatoris no- 21
stri mens habetur per verba sequentia: *E per Amor di Dio.* Quid est enim: *Pro amore Dei?* nisi solo intuitu, & intentione Amoris erga Deum ostendendi, seu pro Amore suo erga Deum ostendendo? Ergò hæc fuit causa finalis, & movens, atque adeò intentio, & mens expressa Testatoris nostri in tali legato. Siquidem Dictio, *Pro*, juncta gerundio ablativi casus denotat causam finalem; ut benè Gratianus *consil.* 68. *numero vigesimo secundo, vol.* 2. & alij apud Barbosam *citat. Dictione* 287. *numero quinto.* Neque hæc intentio ultimi finis, qua videlicet Testator noster ordinat Donationem suam ad Deum, tanquam ad ultimum finem, vel minimùm lædit rationem Doni, vel liberalitatis; quia Amor benevolentiæ, vel amicitiæ, à quo est liberalitas *Doni* vel *Boni* voliti Amato, seu Amico, non excludit debitum ordinem ad ultimum finem, qui est

Deus;

Deus; ut appositissimè Suarez *de Attributis, libro tertio, capit. septimo, numero tertio.*

22 Sequitur in dicta forma legati: *Con obligo, che sia in detta Chiesa celebrata una Messa*, &c. Quid est, *Cum obligatione, quòd in dicta Ecclesia celebretur una Missa*, &c. nisi expressio oneris, & obligationis legato adjectæ, qua testator confirmat, & munit mentem, & intentionem suam in præcedentibus verbis expressam, ostendendi scilicet Amoris sui erga Deum in cultu ipsius Dei, quem auget in illa Ecclesia, dicando, seu dotando illam pro quotidiano Sacro in ea faciendo? Hic enim Dictio illa, *Cum*, importat modum legati; atque adeò legatum illud est legatum gratuitum, ex liberalitate, & pro Amore Dei, tanquam fine, sed sub modo, seu adjecto modo, quo Ecclesia ipsa legataria illo utatur: per ea, quæ tradit Gomez *tom. primo, capit. undecimo, de legatis, numero septuagesimo*, & communiter Doctores. Et in hoc casu modus est impulsivus, non finalis; quia respicit commodum, seu decus, & cultum legatariæ Ecclesiæ; tametsi teneatur implere dictum modum ex obligatione expressa: cum cæteroqui tamen, etiamsi non impleret, non privaretur legato, sed illud ritè consequeretur: textus est *in l. Titio centum: digest. de condition. & demonstrat.* quem summè notat, & commendat ibi Bartolus, Albericus de Rossate, & communiter Doctores, & tradit Gomez *citat. loc.*

23 Si igitur ex verbis benè dignoscitur animus, & intentio hominis: *l. Labeo: digest. de supellect. leg. & cap. Secundò requiris: de appellation.* & tradit Barbosa *citat. Axiom. 27. numero secundò*, allatis etiam Doctoribus; profectò habemus clarè ex verbis Testatoris nostri, non intendisse Sacrificiorum applicationem pro se ipso, vel juxta intentionem suam; sed Dei dumtaxat Amorem, & cultum; ut ostensum est. In ultimis autem Voluntatibus, Defuncti voluntatem, & intentionem, tacitam, vel expressam, esse dominam, vel reginam, & semper debere attendi, & inducere dispositionem; eamque regere conditiones, modos, causas, demonstrationes; & (uno verbo) *totum facere*; tradit Gomezius *citat. capit. quinto; de substitut. fideicommiss. numero vigesimo quarto, vers. Confirmatur*: allatis Juribus: Et famigeratum est apud Juristas. Adeò quòd, sicut venator sequitur leporem, ita Lex, vel Judex debet sequi voluntatem, & intentionem Defuncti; ut pulchrè Baldus *in l. penult. Cod. de necess. seru. hæred. instituen.* & ex ipso Gomezius *citat.* Item Joan. Harpretus *in addit. ad Clarum libr. tertio Tract. Civ. §. Testamentum, quæst. 14. num. 7. lit. B.*

Sicque in nostris terminis favet Casui nostro, nec ritè potest à Diana, & alijs reprobari Philibertus Marchinus, qui *tractat. 2. de Sacram. Ordinis part. 2. capit. vigesimo septimo, numero quinto, & seq.* docet; non esse Sacerdotem onerandum applicatione Sacrificij, nisi manifestè constet de tali obligatione; (scilicet in scriptura fundationis Capellaniæ, seu Altaris, vel in testamento) & consequenter posse alteri fructum Missæ applicare, & novum stipendium accipere. Id, quod in tali casu fatetur etiam ipse Diana *citat. resol. quadragesima tertia, & quadragesima quarta.* Quid igitur, ubi per clara verba testatoris talis obligatio excluditur; ut in Casu nostro monstratum est? 24

Favet etiam Card. de Lugo *citat.* ubi sic loquitur: In Beneficijs verò, vel alijs, in quibus obligatur Sacerdos solùm ad celebrandum ad commoditatem illorum, qui in tali loco audituri sunt Missam, facilè potest existimari, quòd non, exigatur applicatio Sacrificij; sed circa hoc relinquatur Sacerdoti, ut possit, cui voluerit, applicare. 25

Atqui adhuc clariùs favet, distinctiùs rem hanc enucleans, Tamburinus *in tract. de Sacrif. Missæ ritè peragendo, libro tertio, capit. prim. paragrapho tertio, numero vigesimo & seqq.* ubi *de Capellanis*; sic: Aut Fundator sine determinatione temporis, locique sanxit: *Meus Capellanus faciat tot Sacra*, aut *quotidie*, &c. Aut cum determinatione loci: *Faciet in tali Templo, Altarivè*, &c. Aut cum mentione temporis: *Faciet die Dominico*, aut *die Lunæ*, &c. In primo Casu (inquit ille) Fundator petijt applicationem, & non solùm præsentiam: In secundo casu negat exigi applicationem; nisi aliundè præsumatur. (Et ille affinis est Casui nostro, si benè attendatur.) In tertio sentit idipsum, cùm verbi gratiâ determinatur dies Dominicus: ratus nimirùm, non præsumi obligationem applicationis faciendæ, quando Testator petijt tali die sacrificari: secùs tamen, si die Lunæ, aut die sui Patroni; eò quod Fideles consueverint *ferijs secundis* 26

dit curare fieri pro Defunctis; pro se verò, quando petunt, rem sacram peragi die sui Sancti Patroni, aut suo die natali. Additque post hæc Tamburinus ipse *n. vigesimo quarto*, esse frequentissimum, ut sola præsentia, seu (ut alij loquuntur) Officiatura postuletur in fundationibus Capellaniarum, & Altarium, in quibus Fundatores magis inspexerunt ad honorem, & cultum Dei, Ecclesiæ, vel Altaris, & commoditatem Populi, vel quid simile, quàm ad suorum delictorum satisfactionem; prout in Casu nostro perspicuum est Testatorem inspexisse. Et per hoc solvitur secunda ratio opinionis contrariæ *suprà* allata.

27 Ubi tamen adverto, quòd non excluditur suapte natura intentio satisfaciendi pro peccatis ab actu Testatoris nostri legantis, & largientis merè eleemosynaliter, & amore Dei (ut ipse apertè loquitur) dotem prædictæ Ecclesiæ, qua providetur cultui Dei, & ipsius Ecclesiæ, necnon commoditati Viciniæ per Missæ celebrationem cum sola Officiatura, seu præsentia. Inter opera enim satisfactoria & operantis pro peccatis, nemo mihi ibit inficias, communiter à Theologis recenseri Eleemosynam; tametsi omnibus præemineat Sacrificium Missæ, quippè quod infinitæ dignitatis, & infallibilis valoris, & efficientiæ, quoad satisfaciendum pro pœnis ob peccata remissa luendis, ex opere operato S. Bonaventura *in 4. distinction.* 15. *per totam.* Atqui hoc est manifestum: manifesta autem ulteriori non indigent probatione; juxta Gloss. *in l. si verò: paragrapho qui pro: ad V. Evidentissimè: digest. Qui satisdare cogantur*; & *in l. emptorem: ad V. Quia manifestum: digest. de action. empti, & vend.* Cum nihilominùs vel Missæ Sacrificium, licèt infinitæ dignitatis existat, & infallibilis efficientiæ in se; quia Christus ipse est ibi principalis Sacerdos, & Victima; ex communi interpretatione Ecclesiæ, & ut tradunt D. Bonaventura *citat. distinction.* 45. *articul. secundo, quæstion. tertia, ad quartum*, D. Thomas, Bellarminus, & alij communiter Theologi, & Controversistæ apud Gaudentium nostrum *tom. septimo, tractat.* 4. *disputat. quinta, quæst. quarta, numero vigesimo octavo*, habeat valorem, seu effectum determinatum, & finitum, juxta Dei beneplacitum, & acceptationem; & quidem ex opere operato, (nedum ex opere operantis; quod extra controversiam est) ut post innumeros, quos allegat, tùm Veteres, tùm Recentiores Theologos, docet Fraxinellus *in sua disputat. de Sacerdotum obligationibus, section. tertia, prænotione* 4. *paragrapho primo*, & ideò quotidiè celebratur, & multæ offeruntur Missæ pro eodem Defuncto: Quantus autem sit effectus iste, novit ipse solus, qui pro sua Misericordia, & justo judicio acceptat: cùm, inquam, hoc ita sit, quis scit, an meliùs sibi consulat Moriens, legando stipendium pro Sacris sibi faciendis, & applicandis; an verò legando Eleemosynam merè ob Dei amorem, gratis, & purè eleemosynaliter? quis ausit de hoc judicare? Vel enim moriens ordinat stipendium pro Missis; aut puram eleemosynam pro amore Dei, existens, & decedens in statu Gratiæ, vel non: Si non, neutrum profectò illi prodest; si sic, utrúmque habet effectum satisfactorium pro reatu pœnæ, peccatis debitæ: quantum autem? nemo scit, (ut dixi) nisi qui acceptat, Deus. Et per hoc plenè solvitur argumentum, quòd in casu nostro debeant applicari Missæ, ut meliùs consulatur causæ Testatoris. Quid quòd causa Testatoris nostri in tali legato est, ostendere suum erga Deum Amorem; quotidianæ autem Missæ celebrandæ obligatio, est tantùm modus legato ipsi adjectus; ut ostensum est.

Addo quod, cùm observantia subsequuta, in executione oneris, seu modi prædicti Legati, ea fuerit constantissima per praxim, & consuetudinem quinquaginta annorum, & ultra, ut dicta Missa quotidiana celebraretur sine applicatione Sacrificij, seu cum sola Officiatura, vel præsentia; ita servandum est. Sicut enim Decimarum solutio (quoad obligationem, vel exemptionem solvendi) ex bonis Capellaniarum, regulatur ab observantia subsequuta: Seraphinus *decision.* 1047. *numero sexto*, Rota *decision.* 440. *numero tertio, part.* 1. *recent.* modò Parochialis Ecclesia, intra cujus fines sunt prædia Ecclesiastica Decimatoria, per hujusmodi exemptionem detrimentum non patiatur; ut post Sotum, Suarez, & alios tenent Valerius Reginaldus, & Vasquez, quos allegat, & sequitur Barbosa *libr. secundo. Vot. decisiv. & consultiv. Voto* 41. *numero trigesimo primo.* Quidni ita etiam executio oneris, vel modi Capellaniæ prædictæ, quoad Missæ celebrationem cum applicatione, vel non, ab observantia prædicta, & consuetudine reguletur 28

reguletur? Certè eò vel maximè ita censendum est; quia dicta observantia, & consuetudo habenda est, velut approbata ab Illustrissimis & Reverendissimis Prædecessoribus Episcopis Visitatoribus, à quibus nunquam aliter ordinatum fuisse perhibetur. Et ideò, ut ita dicam, transiisse censenda est in rem judicatam, quæ pro veritate habetur: ut tradit Barbosa *in tract. Var. Axiom. ducentesimo, numero primo*, allatis juribus, Mascardo, Menochio, Surdo, & alijs. Cùm enim Visitatio sit actio jurisdictionalis, & quodammodo judicialis, nempè Inquisitio, (cujus acta rediguntur in scriptis, ad correctionem subditorum, & reformationem Ecclesiarum; ut tradunt Sylvester *in Sum V. Visitatio*, & alij Summistæ, & latè Barbosa *de jure Ecclesiast. univ. libr prim. capit. decimo quarto, numero secundo, ex cap. conquerentes de offic. Ordin. & capit. primo, paragrapho ultim & per totum, de Censibus, in 6.* & Canonistæ communiter: Consequens est, quòd quæ in Visitatione non corriguntur, aut reformantur, nec latent Visitatorem potentem liberè corrigere, & reformare, ubi opus fuerit, censenda, & habenda sint, tanquam ab ipso judicialiter, implicitè saltem, sin minùs explicitè, approbata, ut ritè, & benè se habentia. Undè inter alia, quæ Episcopo visitaturo proponit Barbosa *citat. à numero trigesimo quinto*, illud est singulare ad propositum nostrum, quod proponit *numero trigesimo septimo*, debere nimirùm Episcopum libros Visitationum præteritarum, & Prædecessorum suorum examinare, ad informationem eorum sumendam, quæ possent emendatione, aut supplemento indigere: *argument. capit. in singulis: paragrapho porrò: de statu Monach.* Hoc ergo est validum argumentum, quòd in Casu nostro nihil sit innovandum, corrigendum, aut reformandum.

29. Præterea Consuetudo ad favorem alicujus introducta, & legitimè prolata, servanda est: Sac. Congregatio Rit. *in Tarentina 28. Septembris* 1602. & licèt prætendatur abusus, non est tollenda, non audita, &c. Sac. Congregatio Rit. *in Elvenaten eod. die 28. Septembris* 1602. quam refert Sellius *in Select. Canonic. capit. quinquagesimo sexto, numero vigesimo*, apud Barbosam *in Summa Apostolic. Decision. Collect.* 121. *numero quinto*. Omnes enim sumunt argumentum à consuetis; ut tradit Menochius *in superioribus* allegatus. Interpres quippè optima Legum, & uniuscujusque obligationis est consuetudo: Mascardus *de probation. conclu.* 1422. *numero decimo*, allatis juribus ad satiritatem, (quod etiam præstat Barbosa *in tract. var. Axiom. 56. numero*) & ex Baldo, Alexandro, Craveta, Socino jun. Cæphalo, Deciano, & Rolando à Valle testantibus de communi; qnin & addentibus, declarationem voluntatis testatoris potiùs attendi secundùm Consuetudinem, quàm secundùm Statutum. Et ratio hujusesse potest; quia Consuetudo æquipollet veritati: *l. 1. Cod. de servit. & aqua:* & tradunt Baldus, Surdus, Card. Tuschus, & Joannes Antonius Mangilius apud Barbosam *citat. numero secundo*. Et parem vim habet cum Lege; unde & venit appellatione Juris: *l. de quibus: digest. de legibus: paragrapho ex non scripto: Institut. de jure natu. gent.* & alibi tam in Canonico, quàm *Cæsareo Iure*; ut habet abundè Barbosa *citat. numero quinto*, cum magna Doctorum caterva. Et est potentior Statuto: Gonzalus, & Joan. Maria Novarinus apud Barbosam *mox citat.* Et quidquid potest induci per Præscriptionem, multò magis per Consuetudinem: Federicus de Senis, Egidius Bellam. & Card. Tuschus, teste Barbosa *citat. numero decimo*, Et demùm quælibet dispositio recipit interpretationem à Consuetudine; Barbosa *citat. numero decimo secundo*, cum Surdo *de aliment. titul. primo, quæst. 66. num. 6.*

Quid, quòd jam non sumus in Casu, in quo opus sit interpretatione voluntatis, seu intentionis Testatoris prædicti, siveex observantia, & praxi, & consuetudine subsequuta ad ejus dispositionem, ut præfertur; sive ex alio capite? Jam enim liquidò patet, ut ex verbis ipsis, & forma legati prædicti ostensum est, quòd hac in re voluit, & intendit Testator merè ostendere munificentiam, & pietatem suam erga ipsam Ecclesiam, amorémque erga Deum, donando ad finem prædictum, amore ipsius, dictum fundum, solúmque præfiniens modum, sub expressa obligatione, quo proventus annui ipsius fundi in primis expenderentur, nempè in celebratione Missæ quotidianæ, simpliciter pro cultu Dei augendo in dicta Ecclesia, necnon ad populi commoditatem. Et ideò dicendum est, quòd sciens, & volens nihil expresserit de applicatione Sacrorum; ut 30

simul scilicet & ditaretur dicta Ecclesia cultu prædicto, & majori portione proventuum, quæ profectò major superesset ex solutione stipendij debiti Sacerdoti ibi celebranti cum sola Officiatura, seu præsentia, quàm cum applicatione etiam Sacrorum. Non sumus ergo in dubio, aut in obscuris, sed in clarissima dispositione Testatoris, cujus verba sunt clara. Ubi autem clara sunt verba, non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam: *l. licet Imperator: digest. de legatis* 1. Socinus, Rolandus à Valle, Card. Tuschus, & Card. Seraphinus *decision.* 763. *numero* 1. apud Barbosam *citat. axiom.* 222. *numero trigesimo secundo.* Et in incertis, non certis locus est conjecturis: *arg. l. continuus: paragrapho cum ita stipulatus:* ubi Gloss. allatis alijs Legibus, *ad v. nullus: digest. de verbor. obligation.* Immò sumus in Casu, ut ita dicam, deciso per approbationem Illustrissimorum, & Reverendissimorum Prædecessorum Episcoporum Visitatorum; unde non solùm non opus est conjecturis; sed nec opinio, nec quæstio remanet: per ea, quæ docet Hippolytus Riminaldus *in cap. qua in Ecclesiarum: numero trigesimo octavo, de Constitut.* cum Corneo *consil.* 109. *vol.* 1. *in fin.* & ex *l. continuus: paragrapho cum ita: ubi sup. & ex l. ille, aut ille: digest. de legatis* 3. & Guilielmus de Monte Lauduno *in Clement. cum rationi: vers. hac ratione opinio: numero quinto, ex l. ancilla subtracta: Cod. de furtis, & servo corrup.* ex qua item lege idem docet Riminaldus *citat.* Quare,

31 Cum non sit præsumendum, quempiam dicere, quod non priùs mente cogitaverit; ut tradit Menochius *de præsumption.* 22. *numero primo, & secundo*, & cum ipso etiam Barbosa *citat. axiom.* 222. *numero secundo*, consequens est, quòd obligatio applicandi Sacra in legato prædicto, habenda sit pro omissa à Testatore sciente, & volente. Nam casus omissus in contractibus, aut in scriptura, vel in prolatione verborum dispositiva, vel statutiva (cujusmodi est Testamentum, quod est Lex; ut habetur ex Legibus, & Doctoribus non necessariò allegandis) habetur pro omisso; ut est regula, & axioma apud Juristas; & tradit Jason *in l commodissimè: numero primo, digest. de liberis, & posthum.* & in *l. si extraneus: numero primo, digest. de condition. causa data*; & in *l non tantum dotis: numero quinto, digest. de re iudicata:* Petrus de Ancharano, & Franciscus Niconitius, quos alibi allego, & alij innumeri, quos allegat Barbosa *cit. axiom.* 39. *à numero primo.* Et signanter in testamentis: tradunt Ancharanus, Socinus, Alexander, & alij apud Barbosam *citat. numero quinto*, Nisi obstet mens verisimilis; ut limitant Angelus, & Valenzuela apud eundem Barbos. *ibid.* Nec contineatur sub expresso, nisi sequatur ex consequentia necessaria; ut advertit Gloss. *in d. l. commodissimè:* vel ex natura contractus in eo contineatur; ut limitat Barbosa *citat. numero quarto*, cum Abbate, Card. Tuscho, & alijs.

Atque ex his concludendum est, quòd Rectores dictæ Ecclesiæ legatariæ non tenentur conducere Sacerdotem, qui quotidiè celebret cum applicatione Sacrificij pro anima, vel juxta intentionem Testatoris; neque Sacerdos ipse ad id teneatur: cùm id haberi debeat pro omisso ab ipso Testatore sciente, & volente; ita ut Sacrorum applicationem, quam verbo non expressit, legando, nec mente censendus, vel præsumendus sit cogitasse, aut voluisse exprimere: *cap. cum ordinem, de rescript. cap. tua: de sponsalib.* & tradunt Oldradus, & Cardin. Tuschus, quos citat, & sequitur Barbosa *citat. axiom.* 222. *numero trigesimo quarto.* Neque ex necessaria consequentia sequatur ex dispositione expressa ipsius Testatoris; immò sequatur contrarium: neque in ea contineatur ex natura sua. Frequentissimum enim est, ut benè Tamburinus *suprà citat.* quòd sola præsentia, vel Officiatura postuletur in fundationibus hujusmodi Capellaniatum. Neque obstet mens verisimilis; neque suppleri possit per conjecturas, præsumptiones, vel interpretationes, quæ omnes excluduntur, nec possunt habere locum; eò quòd ex claris verbis ipsius testatoris, ut par est, intellectis constet, ipsum noluisse obligare Rectores prædictos, seu Ecclesiam legatariam ad procurandam applicationem Sacrorum; sed contentum fuisse ostendere suum erga Deum amorem, suámque in dictam Ecclesiam pietatem, devotionem, & liberalitatem, dotando, & ditando illam tali cultu, & commoditate populi; ut ostensum est. Quapropter applicatio Sacrorum relinquenda est libertati Sacerdotis; juxta dispositionem Juris communis, cui utique remittitur Casus omissus in quacúmque dispositione, secundùm Doctores *suprà* allatos; ita ut possit 32

possit tutâ conscientiâ aliud stipendium accipere pro dicta applicatione; ut concedunt Bartholomæus à S. Fausto *in tractat. de Iubilao libro primo, quæst. octuagesima prima*, & alij apud Dianam *citat. resol. quadragesima tertia, & quadragesima quarta*, nec video, quo fundamento hoc valeat quis inficiari.

33 Neque enim obstant Declarationes Sac. Congregationis Concilij, quas afferunt in contrarium Barbosa, Diana & alij *suprà citati*.

Respondetur enim, eas intelligendas esse, & clarè loqui vel in Casu, quando nullo modo constat de fundatione Capellaniæ, & qualis sit obligatio Capellani illius, cum nulla reperiatur scriptura; sed solùm ex antiqua traditione, & relatione habetur ipsum Capellanum teneri quotidie Sacrum peragere: vel in Casu, quando Capellanus, vel Sacerdos celebrare tenetur pro particulari, & expressa alicujus intentione. Et ideò non urgent Declarationes hujusmodi in Casu nostro contra petitionem Reverendissimi. Præpositi: nam in Casu præsenti, ut vidimus, ex claris verbis testatoris expressè liquet, ipsum non intendisse pro se, vel pro alio applicationem Sacrorum, sed cultum Dei dumtaxat, & dictæ Ecclesiæ, pro suo erga Deum ipsum amore ostendendo; nec non & Populi commoditatem; prout non leve hujus accessoriæ intentionis argumentum eruitur ex illis ipsius testatoris verbis, quibus mandat, Missam illam celebrandam curari per Sacerdotem, bonæ vocis; prout in forma Legati; ibi: *Per un Sacerdote Cattolico approvato dall' Ordinario, di buona voce*, &c. ut nimirùm benè, & faciliùs à Populo circumstante audiri queat. Colligitur etiam ejusdem intentionis argumentum ex substitutione, quam testator ipse facit ad dictum Legatum, dum, iisdem intentione, & modo adjecto expressis, substituit Pium Locum Domus Dei Brixiæ: ibi: *Et occorrendo, che ditta Chiesiola fosse distrutta per qualunque causa, & ditto Altare fosse anche in qualunque altra Chiesa trasportato, esso Domino Gio: Testatore lascia ditta Hortaglia per ragion di legato, e per Amor di Dio, in tal caso, al Luogo Pio della Casa di Dio di Brescia, con obligo di far celebrare una Messa ogni giorno nella Chiesa di S. Carlo di d. Luogo Pio, &c.* Ecce enim, quomodo vel in substitutione intendit Testator noster ditare, seu dotare liberaliter, & pro amore Dei prædictum Locum Pium, ut ibi habeatur Missa quotidiana pro commoditate Pauperum ejusdem Xenodochij alumnorum, & pro augenda in populo pietate erga ipsum Locum, & illius Ecclesiam.

Ob idque tenendum est, ipsum voluisse merè eleemosynaliter ita legare, donando liberaliter, & Amore Dei, tametsi sub modo, dictum fundum in satisfactionem peccatorum suorum: atque ideò scienter, & lubenter omisisse expressionem applicationis Sacrorum, nec mente eam cogitasse, vel voluisse exprimere; eamque proindè habendam esse pro omissa, juxta superiùs tradita cum *Barbosa*, & alijs; quibus adstipulatur Clarus *in Pract. Civili, libro tertio, paragrapho Testamentum, quæstion. septuagesima sexta, numero decimo*, & standum esse verbis; juxta communem regulam, de qua testatur idem Clarus *ibid. numero quarto*, Ubi clarè non apparet, quæ sit mens Testatoris, tunc inhærendum est verbis ipsius: Curtius iun. *consil.* 169. *numero primo*. 34

Sicque in fundatione Capellaniæ, de qua agimus, expressè, ex necessaria consequentia, cautum esse censendum est, quòd Capellanus non teneatur Sacrificia applicare pro anima, vel juxta intentionem Fundatoris: prout expressè cautum voluit Eminentissimi Domini Cardinales Congregationis Concilij, *In nullius celebrationis Missarum*, 13. *Iulij* 1630. ad hoc, ut possit Capellanus aliam Eleemosynam pro applicatione Sacrificij accipere, & duabus obligationibus unâ Missâ satisfacere. Dixi: *Expressè cautum esse censendum est, ex necessaria consequentia*. Quia expressum dicitur, quod sub expresso continetur; & quamvis sit tacitum, sequitur tamen ab expresso, & ex natura verborum inducitur, tanquam ex vi verborum in expresso inclusum: Barbosa *citat. axiom.* 89. *numero quinto, sexto, septimo, & octavo*, cum grandi acie Doctorum, affirmans, hanc esse communem regulam; cum Curtio iuo. *in Rubr. Cod. de Collation. col.* 3. *numero nono*, Etiamsi expressio pro forma requireretur; prout requiritur quidem in præsenti ex *Decreto* Sac. Congregationis *citat.* illud tamen non est correctorium Juris communis, sed declaratorium: undè non officit limitatio Menochij *consil.* 331. *numero vigesimo quarto*, cujus meminit ibi Barbosa *numero septimo*, Et ideò nihil refert in Casu nostro 35

DDd 2

nostro, an illud expressis, vel æquipollentibus verbis expressum sit; ubi verba ex natura sua illud significant, vel importrant: *l. qui totam: digest. ad Trebellian. l. fin. Cod. ad Legem Falcidiam:* Boërius *decis.* 44. *numero trigesimo tertio*, Parisius *consil.* 25. *numero trigesimo quinto*, *vol.* 3. Ruin. *consil.* 47. *num.* 18. *vol.* 2. Cardin. Mantica *de conjecturis ultimarum voluntatum libro septimo*, *tit.* 11. *numero sexto*, *& septimo*, Mascardus, Menochius, Joseph de S. Ise, & alij, quos allegat, & sequitur Barbosa, *citat. numero octavo.* Immò expressum dicitur etiam, quod ex mente, & conjecturis necessariò colligitur; vel virtualiter inest; & sub ratione comprehenditur; vel ex ea deducitur: prout latè Barbosa *citat. numero* 11. 12. *&* 13. ex Juribus, & Doctoribus, & signanter ex Rota *decision. decima, numero tertio*, apud Farinacium *part. prima, recent.*

36 Concludendum ergo, quoad hanc partem, ex omnibus prædictis, posse, tutâ conscientiâ eorum, quibus incumbit, celebrari prædictam Missam sine applicatione pro anima, vel juxta intentionem Testatoris, cum sola præsentia, seu Officiatura; ut hactenùs observatum est; ac proindè, quoad hoc, reformandum esse Decretum Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi; & exaudiendum Reverendissimum Dominum Præpositum petentem. Videri potest Fraxinellus *supra cit. sect.* 4. *conclusion.* 4. *paragrapho octavo*, *numero primo*, *& secundo*, omninò nobiscum sentiens, allegansque Homobonum *in Exam. Eccles. tom.* 1. *tract.* 4. *quæst.* 121. & Alphonsum de Leone *de offic. & potest. Confess. temp. Iubilai, part.* 3. *numero trigesimo secundo. Vers. Limitatur* 3.

37 Objiciet quis ex Bordono *tom.* 4. *operum Moral. Decis. Miscell.* 268. Applicatio Sacrificij est necessariò conjuncta cum celebratione, ita ut absurdum sit celebrare cum prava intentione non applicandi fructum Missæ alicui; cum Missa ex sua conditione sit propitiatoria, satisfactoria, & impetratoria; ut omnes docent, nullo discrepante: cùm ergo fructus applicatio sequatur celebrationem, sequitur quoque Institutorem ex natura rei. Et id clarè deducitur ex verbis, quæ sequuntur immediatè *Memento Vivorum: Pro quibus tibi offerimus*, &c. Ex quibus colligitur, eum, qui Missam instituit dicendam, vel qui dedit Eleemosynam, statim habere jus ad hujusmodi fructum, sive exprimat, ut celebretur pro se, aut suis, sive non: quia hujusmodi applicatio subintelligitur: quæ enim ex natura rei insunt, parum refert, sive exprimantur, sive non; quia subintelliguntur: *l. aliquando: ff. de condition. & demonstrat. & l. non rectè: C. de fidejussor.*

Confirmatur: quia nemo præsumitur jactare velle suum: sed quodammodo suum jactaret, si salarium solveret Sacerdoti celebranti pro extraneis ad proprium libitum, & non ad mentem suam. Ergo, &c.

Respondeo, optimè quidem decidi à *Bordono* Casum illum *ibi* propositum; sicut & alium, quem priùs solverat *ibid. decis.* 90. 38
Verba enim Testatorum utrobique instituentium Capellaniam, vel celebrari mandantium, clarè faciunt ad votum ipsius Bordoni, satisque indicant, eam fuisse eorumdem Instituentium, seu Mandantium intentionem, quòd scilicet Missa celebraretur pro animabus, seu ad mentem suimet ipsorum. Id, quod etiam optimè probant rationes allatæ in casu, quo non extarent literæ, vel documenta scripta talis fundationis, ex quibus constaret, ad quamnam intentionem Sacra illa fieri deberent. Neutiquam verò cogunt in Casu nostro, in quo perspicuè constat de Testatoris mente omninò gratuita; ut ostensum est *supra*, *vers. En, quòd non mentior, & seqq.*

Præterea ad primam illam rationem dico, cum Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 19. 39
section. 5. *numero septuagesimo quinto*, quòd Christus, Dei Sapientia, in hoc uno Sacrificio Missæ, Corporis scilicet, & Sanguinis sui, tanquam Agni immaculati, sub speciebus panis, & vini, ingeniosè complexus est omnes antiquorum Sacrificiorum differentias. Et ideò verè, jutéque optimo cantat Ecclesia in Oratione Dominicæ sextæ post Pentecosten: *Deus, qui legalium differentiam Hostiarum unius Sacrificij perfectione sanxisti*, &c. Ita ut, sicut Deus O. M. tot Veteris Testamenti præcepta in unicum nunc Dilectionis mandatum mutavit, sic & innumeros sacrificandi ritus in uno Missæ Sacrificio eminentiori titulo, atque uberiori fructu absolverit. Quapropter, cum ex parte materiæ oblatæ divideretur olim Sacrificium in Victimas, Immolationes, & Libamina: ex parte autem formæ in Holocausta, Hostias pro peccato, & Hostias pacificas; ex parte denique fines in Sacrificium

Latreuticum,

Latreuticum, sive honorarium, hoc est pro supremi dominij Dei recognitione, & pro nostræ servitutis signo; in Eucharisticum, seu pro bona gratia, vel in gratiarum actionem pro beneficijs à Deo acceptis; in Propitiatorium, sive Expiatorium, pro peccatis scilicet expiandis; in satisfactorium, pro extinguendis scilicet pœnis, quæ ob peccata, jam quoad culpam expiata, essent luendæ; & in imperatorium: nunc unicum est Missæ Sacrificium ex parte materiæ & formæ, sed & principij, sola manente ultima divisione, vel differentia ex parte finis.

40 *Primò*, Potest enim ad libitum Sacrificantis, vel Sacrificari mandantis offerri Missa in eum solùm finem, ut debitus Deo cultus, & honor reddatur, recognoscendo supremum ejus dominium: hoc est offerendo Missam sub sola ratione formali Sacrificij, Latreutici.

41 *Secundò*, etiam eo solummodo fine, & intentione, ut gratiæ agantur Deo pro beneficijs ab ipso acceptis; hócque est sub sola ratione formali Sacrificij Eucharistici.

42 *Tertiò*, etiam ad finem tantùm expiandi peccata; hoc est sub formali dumtaxat ratione Sacrificij propitiatorij, seu expiatorij pro peccatis: siquidem confert gratiam, & peccata dimittit, non immediatè tamen, & per se, (quoad mortalia) sed mediatè, & per aliud, idest per pœnitentiam, & contritionem, quam à Deo impetrat, ut benè D. Thomas *in 4. distinct. 12. quæst. 2. artic. 2.* hisce verbis: Peccata mortalia delet, non sicut causa proxima; sed in quantum gratiam contritionis impetrat. Et in hoc sensu clarè luquitur Conc. Trident. *sess. 22. cap. 2.* inquiens: Hujus quippe Sacrificij oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Venialia tamen peccata in hominibus justis vel Sacrificantibus, vel pro se sacrificare curantibus expiat, & remittit immediatè. in ijs verò, qui nullo modo offerunt, quando pro eis offertur, remittit mediatè, ut suprà.

43 *Quartò*, ad finem dumtaxat satisfaciendi pro peccatis antea remissis; hoc est sub formali tantùm ratione Sacrificij satisfactorij; quia hoc Sacrificium pœnas etiam peccatorum, quæ antea sunt remissa, delet, & extinguit. Et hic est præcipuus, & frequentiùs intentus effectus, seu fructus Sacrificij Missæ. Et hoc modo Defunctis etiam prodest in Purgatorio existentibus: neque enim eis meritum, aut gratiæ divinæ augmentum obtinet, cùm sint extra statum viæ, in qua meritum, & gratia augetur. Puto tamen, quòd possit hoc Sacrificium pro Defunctis etiam offerri, ut directè, & immediatè expiatorium, seu propitiatorium pro peccatis venialibus, pro ijs scilicet Defunctis, qui Missas pro se ipsis post mortem suam offerri, & celebrari jusserunt, si fortè cum reatu culpæ venialis decesserint; juxta dicta mox *suprà*: neque enim video majorem esse rationem pro Vivis quàm pro Mortuis; cùm etiam in Purgatorio deleantur peccata venialia quoad culpam si cum illis tantum anima separetur à corpore: ut tradit S. Bonaventura *in 4. dist. 21. part. 1. quæst. 1. art. 2.*

Quintò, ad finem tantùm impetrandi aliquam gratiam à Deo; hoc est sub sola formali ratione Sacrificij, Imperatorij: cum omnia cujusvis generis bona, quæ Christus Passione sua nobis promeruit, hoc Sacrificio impetrare valeamus; prout ex usu Ecclesiæ in varijs Missis, pro varijs donis obtinendis institutis, compertum est. Non est tamen certum, quòd semper fiat hujusmodi impetratio, quia non extat promissio de hac re; sed certum est, quòd fieri potest, cùm sit oblatio dignissima, & Deo acceptissima tum ex parte principalis offerentis, tum ex parte rei, sive hostiæ oblatæ, quæ utrobique est Christus Dei filius: si autem fiat, scilicet impetratio, certum est, quòd infallibiliter effectus sequetur. 44

Sextò, denique offerri potest eo solummodò fine, ut homo justus pro se Sacrificans, vel sacrificari mandans augmentum gratiæ, & meriti obtineat; hoc est sub formali tantùm ratione Sacrificij meritorij; non tamen immediatè, & sine aliquo actu meritorio illius, pro quo offertur; alioquin infans baptizatus, & adultus amens, vel dormiens esset capax hujus effectus, modò esset in gratia quod est inauditum: sed mediatè; quatenùs scilicet particularia Rei auxilia impetrat, quibus homo justus bona opera præstat, quibus meretur, ac majorem gratiam consequitur. 45

46 Potest tamen etiam offerri hoc Sacrificium ad omnes prædictos fines simul, & semel; ita ut idem Sacrificium, quod Deo ad cultum, & in gratiarum actionem offertur, applicari etiam simul, & semel possit pro alijs ad propitiandum, ad satisfaciendum, ad impetrandum, & ad merendum. Prima tamen, & secunda intentione oblatum, loquendo in sensu formali, sub ea scilicet ratione, & secundùm illam considerationem, & habitudinem, non dicitur propriè offerri pro aliquo, idest ut fructus aliquis ex opere operato cuipiam hominum proveniat, aut propitiationis, aut satisfactionis, aut impetrationis, aut meriti: benè verò, cùm offertur, vel offerri mandatur sub alijs quatuor intentionibus, & formalitatibus; tunc enim propriè intendi dicitur fructus Sacrificij. Undè non dicitur offerri pro Sanctis, nisi in sensu minùs proprio, significando scilicet, quòd vel offertur loco, seu vice illorum, hoc est ad reddendas gratias Deo pro beneficijs ab ipso in eos collatis, quas utique gratias Sancti ipsi libenter agerent, offerendo ipsum sacrificium, si possent; vel quòd offertur, ut redundet in honorem ipsorum Sanctorum, quem sensum significant illa verba Missæ: *Ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem*, &c. vel denique quòd illos invocamus in oblatione Sacrificij, ut ipsi pro nobis intercessores accedant apud Deum; quem etiam sensum significat Ecclesia in verbis sequentibus: *Et illi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris*, &c. & eundem sensum confirmat expressè Conc. Trident. *sess.22. cap.3.* Sicque intelligendum est, cùm Sacrificium dicitur offerri pro alio, offerri petente in gratiarum tantùm actionem pro beneficijs sibi vel alijs à Deo collatis; vel etiam simpliciter in Dei honorem, & cultum tantùm: non enim propriè, & in rigore loquendo, dici ex eo capite potest offerri Sacrificium à celebrante pro illo, nisi vice, vel loco ipsius: quia offerre pro aliquo propriè est offerre in favorem, & commodum, sive utilitatem illius: gratiarum autem actio non tendit ex se in commodum, vel utilitatem, aut bonum agentis gratiam, sed (potiùs ut ita dicam) benefactoris, cui gratitudo exhibetur, & gratiæ aguntur. Quæ omnia procedunt de sacrificio ex opere operato. Et de his videri possunt Card. de Lugo *loco citat. & disputat. ead. section. decima, numero 192. & 193. de Incarnat. disputation. vigesima nona, section. secund. à numero vigesimo*, Gaudentius noster *tom.7 tract.4. part.2. disputat. prim. in Prologo, & quæstionibus*, & Fraxinellus *suprà citat. section. tertia, prænot. quarta, paragrapho secundo, per totum*; Suarez, Vasquez, & alij apud citatos.

Non itaque necessariò, & ex natura 47
rei applicatio fructus Sacrificij ita conjuncta est cum celebratione, ut absurdum, prauumque sit (absolutè loquendo) celebrare absque intentione applicandi fructum Missæ alicui; prout falsò supponit *Bordonus*. Potest enim intendi vel à Sacrificante ex se, vel à Sacrificari petente solus Dei cultus, & honor, vel gratiarum actio; ut patet. Est quidem Missa ex sua conditione (ut Bordonus ait) propitiatoria, satisfactoria, & impetratoria; atqui est etiam Latreutica, & Eucharistica; ita ut possit pro libito celebrantis, vel celebrari petentis offerri sub omnibus prædictis formalitatibus tam conjunctim, quàm singillatim sumptis. Cum igitur fructus applicatio non sequatur necessariò, & ex natura rei celebrationem, neque etiam sequitur Institutorem. Non ob id tamen inficias eo, Sacerdotem habentem pingue, vel decens stipendium ab Institutore, ex cujus verbis in forma legandi, vel instituendi Missam haud clare liquet, ipsum solummodò intendisse Dei amorem, & cultum, Ecclesiæ, vel Altaris venerationem, aut populi commoditatem pro audienda Missa; teneri, in dubio, applicare Sacra sub omnibus prædictis formalitatibus, atque adeò cum applicatione cujuscúmque fructus, pro anima, vel juxta intentionem Institutoris. Tunc autem applicatio hujusmodi non sequitur Institutorem; quia ex natura rei, & necessariò sequatur celebrationem; sed quia in dubio præsumitur, Missam fuisse petitam, vel institutam pro utilitate petentis, vel instituentis, ita ut hic præsumatur sibi voluisse consulere omni meliori modo: talis enim est communis usus, & sensus Fidelium, ut dum eleemosynam pro Missis dant, vel instituunt, applicationem integram Sacrificij, & fructus Missæ sibi petant, & velint; nisi alium

alium finem à se intendi exprimant, ut Dei amorem, cultum, &c. prout in Casu nostro. Ut enim benè Fraxinellus *citat. section.4. conclusion.2. paragrapho primo, numero primo.* Qui petit Missam, (nisi aliter se exprimat) vult petere, & sibi applicare tam directè totum ejus fructum, quocúmque modo illi prodesse potest; quàm indirectè pro ampliatione divini cultus, quem ex sua Missa evehere studet. Hæc, inquam, non inficior; immò ipsemet asserui, ita tenendum cum Gobar, & alijs *suprà, vers. Secunda verò pars probatur,* &c.

48 Hic tamen, legitimè digrediendo, notatim cum eodem Fraxinello *citat. conclusion.4. paragrapho octavo, num.3.* quòd in Confraternitatibus, sive in Confratrum Oratorijs, quando Festis diebus dicitur Missa, non præsumitur, Sacerdotem debere illis applicare; nisi expressè id postulent, & declarent, cùm petunt Missam, vel Capellanum instituunt: nam ex circumstantijs dictarum personarum, & loci (ut videlicet post Officium divinum, aut B. Virginis, ab eis recitatum, habeant Missam, & in ea communicent) videtur Sacerdotis obligationem in eo consistere, ut solùm Confratribus Missam dicat, non ut pro eis applicet. Et ita sæpiùs consuluisse, & in praxi à vivis doctis observatum esse, testatur optimus Pater Alphonsus de Leone *suprà citat.* ut refert idem Fraxinellus *ibid.* Quæ doctrina pro tuta praxi deservire potest etiam, quando in aliquibus Ecclesijs vel Monialium, vel Regularium, vel etiam sæcularium festus dies agitur, & pro cultu Ecclesiæ, & commoditate frequentioris populi concurrentis vocantur Sacerdotes ad ibi celebrandum, etiamsi eis aliquod stipendium detur.

49 Ad illa verba, quæ immediatè sequuntur *Memento vivorum: Pro quibus tibi offerimus,* &c. dico, quòd illa semper verificantur, vel sumendo præpositionem, *PRO*, in sensu latiori, & minùs proprio, cùm Missa offertur, vel offerri petitur, ut Sacrificium Latreuticum, aut ut Eucharisticum; vel sumendo eandem præpositionem in sensu proprio, & rigoroso, cùm Missa offertur, ut Sacrificium Propitiatorium, aut Satisfactorium, aut Impetratorium, aut Meritorium. Non est tamen necessarium ex natura rei, ut Missa celebretur, vel celebrari petatur sub omnibus prædictis formalitatibus; sicut patet *ex dictis.* In dubio igitur tantùm, & cùm petens, vel instituens Missam non se explicat de alio fine intento, hujusmodi applicatio Sacrificij integra subintelligitur, & petens, vel instituens ipse jus habet ad illam, & ad totum fructum Missæ, quocúmque modo illi prodesse potest. Atqui hoc non militat contra Casum nostrum. Unde non officit tota illa prima ratiocinatio Bordoni.

50 Ad secundam verò ejusdem *Bordoni* rationem dico, Testatorem in Casu nostro se aliter exprimentem, ut ostensum est, *versicul. En, quòd non mentior:* nullatenùs jactasse suum, sed fructuosè donasse, vel eleemosynaliter dedisse; etiamsi instituerit Missam cum sola præsentia, seu Officiatura pro cultu illius Ecclesiæ, & commodo Viciniæ; ut probatum est *suprà, Versic. Ubi tamen adverto,* &c. Atque hæc, quoad primam partem responsi.

51 Quòd verò ad secundam attinet partem asserti nostri; nempè in reliquo prædictum Decretum esse confirmandum, perspicuum est. Nam, sicut Beneficij Rector per alium Missas celebrare valens, & volens, non tenetur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficij; sed satis est, ut ei tribuat eleemosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficij aliud cautum fuerit: Sac. Congregatio *super Decretis de Celebratione Missarum dub.* 8. & refert Cardin. de Lugo *citat. disputat.* 21. *section.* 2. *numero trigesimo,* & Barbosa *in Collectanea Doctorum in Concil. Trident. sess.22. de Sacrificio Missæ capit. octavo, numero decimo secundo.* Sic omninò se habent Rectores prædictæ Ecclesiæ; quippe cùm legatum prædictum sit factum ipsi Ecclesiæ cum modo, & onere, quòd celebretur Missa, &c. Ita tamen, ut semper intelligatur, quòd Legatum, etiam impleto modo, & onere adjecto, utile sit eidem Ecclesiæ Legatariæ: per ea, quæ tradit Menochius *de præsumption. libro quarto, præsumptione centesima sexta, numero decimo sexto, & vigesimo, ex l. Titia cum testamento:*

mento ; paragrapho primo , digest. de legatis 10. & commune est apud Juristas. Quod ergo superest de fructibus dicti fundi legati , impleto modo adjecto , & soluto stipendio Capellani , id totum applicandum est in beneficium , & utilitatem dictæ Ecclesiæ , nec in alium usum converti potest , sine consilio , & facultate Episcopi. Est enim Legatum pium , pretium peccatorum , & patrimonium dictæ Ecclesiæ , Deo oblatum à Testatore prædicto pro satisfactione peccatorum suorum. Et ideò sacrilega esset usurpatio , si secùs fieret. Neque in hoc ostendendo diutiùs immoror Videantur Navarrus , Comitolus , Layman , & alij , quos aliàs allego. Sic censeo sub Censura , &c. hac die , &c.

INDEX

INDEX
GENERALIS ET COPIOSISSIMUS
Rerum omnium Notabilium quæ in hoc de Morientium Eleemosynis Opere continentur.

IN QUO FIDELITER DESIGNANTUR mateirarum omnium sedes, in prioribus numeris; postremus paginas demonstrat.

A

Abdicatio.

Abortus.

Abusus.

Acceptatio.

Alienari

Azorius.

B

Baldus.

Bulla

Pietatis

Census

Clemen

Referun

b 3 Mori

Docto

Eleemosy

præsu

Guardia

Hortus.

Hospitale.

Ingenium

Legatum

gi

Lex.

Licitum.

M

Mandatum.

Mandatum

Minorum

Missa.

Qua

Modus.

Monitum

FF. Observantes.

Officium.

Omissum.

Opinio.

Possessiones.

Præceptum.

Vide

Ad

Qui &c.

R

Ratihabitio.

Ratio.

Religio

Religiosus

Religiosi

De

Verbis

Veritas.

Vestis

Usus

F I N I S.